DECISIONES

SUPREMI TRIBUNALIS

SIGNATURÆ JUSTITIÆ

AB ANNO 1845 AD ANNUM 1854

IN UNUM CORPUS DIGESTÆ

CURA ET STUDIO

ADV. JOACHIM BELLOLI

ADJUVANTE

JOACHIMO POLITI

ROMÆ
EX ATHENEO TYPOGRAFICO
Via vulgo - CORSO - N.° 387
1856

La presente collezione essendo posta sotto la totela delle leggi di proprietà, ciascona copia porta il nomero progressivo di carattere del gerente dell' associazione pel mezzo del qui sotto apposto sigillo.

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

MARIO MATTEI

S. R. E. CARDINALI

EPISCOPO PORTUENSI ET S. RUFINÆ, SUBDECANO SACRI COLLEGII, ARCHIPRESBYTERO SACROSANCTÆ PATRIARCALIS BASILICÆ VATICANÆ, PRÆFECTO SUPREMI TRIBUNALIS SIGNATURÆ ET REV. FABRICÆ S. PETRI

ETC. ETC. ETC.

Eminentissime et Reverendissime Princeps

Tibi Amplissimo Viro, Principi Eminentissimo, quem dum Status secreta negotia teneres, supremum Fori moderatorem habuimus, quemque suprema Signatura Justitiae nunc praesulem honorat meritissimum, haec nostra collectio erat praecaeteris jure dicanda. Nihil, exiguo si quo pollemus ingenio, oraculorum sapientiae, et doctrinis, quae ex illis undique manant, addere potuimus, sed Tuo nomine praeposito, multum operi decoris addimus. Et nos, postquam ex analytico decisionum studio utilitatem hausimus permagnam, omnis prorsus voti facti compotes erimus, si non incassum Curiae commoditati per ordinem digestas praebuerimus, et si, ea qua soles benignitate, laboriosum opus exceperis, quod Tibi consecramus animo obsequentissimo.

JOACHIM BELLOLI
JOACHIM POLITI

LECTORI PRÆMONITUM

« Sans la connaissance approfondie des arrêts, pas de jurisconsultes. Aussi le jeune homme qui entre dans la carrière du Droit ne saurait-il trop tôt se les rendre familiers. Théorie et pratique telle doit être sa devise, et pour lui la lecture d'un recueil d'arrêts est une pratique anticipée; c'est l'application de la doctrine, la traduction des principes en actes ».

Intuitiva veritas, qua aurea haec cujusdam gallici jurisconsulti sententia lucet, ad alacrius studium nos impulit decisionum tribunalis Signaturae Justitiae, quod jurisprudentiae in Pontificia ditione supremam normam indigitat: cum illud nobis compertum esset, quod neminem latet, in controversiis nimirum quae ad judicialem ritum pertinent, juris etiam quaestiones passim et pernecesse complecti, ita ut materiam praebeant ejus generis exercitationibus, quae jurisprudentiae viventis appellari possunt. Eoque magis nos movit quia omni prorsus commentario neotericarum legum praxeos carebamus, si fori ephemeridem excipias, ex qua tamen decisiones non singulae, et ob linguae diversitatem numquam textuales habentur. Sapientia quam in illis mirati sumus, ut ipsae magis evulgarentur, flagrantissimum nobis desiderium injecit; utilitas, quam ex eis in quotidiano forensi exercitio experimur, ad viam sternendam nos impulit ut omnes in Curia versantes illas facile prae manibus habere, et uberiorem fructum haurire possent.

In unum corpus vagantes coacervare, indicibus exornare, quibus studium expeditum redderetur; haec ordinaria methodus et plane efficax erat ad finem assequendum, et ad hoc nos animum convertebamus. Sed fama pervaserat, quae instaurationem vigentis codicis vaticinabatur, quae nos ancipites reddidit an opus aggredi nec ne oporteret. Nuperrimae vero literae circulares, quibus interiorum Status negotiorum Minister propositum enuntiavit neotericae legis praxeos textum servandi, omnem animi nostri fluctuationem abstulere. Quapropter collectionem supremae Signaturae decisionum quae resjudicatas ab anno 1825 ad 1844 comprehendit, ad annum usque 1854 prosequi statuimus. Et cum quidam ex nostra Curia, magnae auctoritatis viri, nimiam in argumentis nonnullis quae illas antecedunt animadverterint exilitatem; cumque aliis quamplurimis rudes illius editionis typus, papyrusque videantur: ut haec omnia vitarentur omni studio curavimus.

Haec itaque nostra collectio editionis decorem cum impendii modicitate, qua magis fieri potuimus, conjunctum habet, unaque maximam materiarum segetem praebet. Et re quidem vera, singulas in hac habes decisiones quae fuerunt typis exaratae, quaeque in vulgus minime prodierunt. Quaevis decisio numerum praesefert processus in quo exemplar authenticum continetur, nec non argumentum, ex quo specificae controversiae theses apparent; rescripta in posterum prolata, et patrocinatorum nomina, qui litem egerunt subsequuntur: ita ut plenum causae cursum valeas inspicere simul et unde allegationes, et uberiora quaestionis adminicula haurire poteris, habeas.

Praeterea collectionem hanc index trifariam digestus absolvit. Primus, titulos exhibet decisionum per dioeceses alphabetica serie dispositos. Secundus, ordine progressivo, articulos seu paragraphos praebet tum legislativi et judiciarii, tum commercialis codicis, nec non disciplinaris edicti, et statuti administrativae contentiosae jurisdictionis, aliarumque volantium legum, et literarum leges declarantium, qui in decennio coram supremo tribunali in disceptationem venerunt, et indicationem decisionum quae controversias super illis institutas diremerunt. Quapropter cum de aliquo loco earumdem legum disputari contingat, satis erit hanc seriem inspicere ut compertum tibi sit an in decennio circa eumdem alia quaestio sit acta. Tandem rerum notabilium indice alphabetico summam manum operi imposuimus.

Confidimus autem collectionem hanc in posterum prosequi, volumen quotannis eadem methodo evulgando, quod decisiones contineat in praecedentibus exaratas, ut jurisprudentiae cultores, minori impendio, majori facilitate, omnique mora sublata, singula supremi Senatus responsa consulere queant.

Quod si ex hoc nostro studio utilitas aliqua forensibus exercitationibus proficiscetur, hoc ipso nostri, cujuscemodi ipse sit, laboris nimis amplum quam promeriti fuerimus praemium habebimus.

DECISIONES

SUPREMI TRIBUNALIS SIGNATURÆ JUSTITIÆ

AB ANNO 1845 AD ANNUM 1854

Prot. 2370/1839 — R. P. D. LIPPI — Decisio I.

Ferrarien. Circumscriptionis

Jovis 9 Januarii 1845

Argumentum

Instituta contra tertium actione hypothecaria, debitor, cui lis denuntiata fuit ad tramites legis, ob defectum intimationis sententiae primi gradus, petit actorum circumscriptionem.

§ 1. Aloysius Marchetti praedii « *la Giralda* » usum perpetuum, sive emphyteusim quum a Josepho Bignardi sub die 18 aprilis 1803 emerit, praedium idem die 3 octobris ejusdem anni vendidit Felici Minerbi, pactumque fuit in venditione, ut nulla illud posset evictione ab emptore divelli, et in hujus pacti securitatem venditor hypothecae vinculo subjecit omnia sua bona praesentia, et futura. Emptor deinde Minerbi idem praedium in Venturinam Sanguinetti, et Rachaelem Consolo transtulit, utpote quae creditrices erant dotium acceptarum in summa scut. 11,600: 36. Quae cum consilium iniverint non alieno, sed proprio nomine fundum emphyteuticum possidendi, cumque frustra directarium Bignardium requisiverint, ut eas vellet in praedii possessione directe cognoscere, judicium adversus venditorem Marchettium instituerunt coram praetore Ferrariae ad hoc, ut praefigeretur terminus, intra quem in nova possessione essent a directo accipiendae, vel secus, declarata nullitate, seu rescissione factae venditionis, pecunia, quae pro fundo numerata fuerat, illico restitueretur. Quam instantiam cum tribunalis praeturae sententia favorabiliter excepisset, ab hac Marchettius ad tribunal appellationis Bononiae confugit.

§ 2. Post plura tamen certamina ad transactionem deventum fuit, vi cujus Marchettius ad summam scut. 1,500 solvendam intra quadriennium sese obligavit, et ad fructus interim pro hac summa solvendos, eo pacto, ut ipse praedium « *la Giralda* » recuperaret. Ad securitatem vero hujuscemodi transactionis, pro dicta summa, et fructibus conventum fuit, ut mulieribus hypotheca super eodem fundo, et super pluribus aliis competeret, inter quos recensitus fuit « *il podere Mazzarella* », ac demum ad domicilii electionem a contrahentibus ventum est, si fieret, ut unus, vel alter deberet pro pactorum observantia judicio pulsari, et Marchettius domicilium sibi elegit penes Vincentium Lugli « *al quale in qualunque caso si dovranno intimare gli atti, meno le sentenze definitive* ».

§ 3. Sed quum non post quatuor, sed post etiam elapses sex annos, sortem, et fructus solvere Marchettius detrectaret, ipsum mulieres coram adsessore Ferrariae sub die 13 augusti 1826 rapuere, executivo instaurato judicio pro solutione scut. 1,500. Amicam ipsae sententiam retulere, eamdemque jam executioni commissurae erant, nisi quod curaverit Marchettius, uti minimae pecuniae vi soluta, huic executioni obviam iret. At rursus interim solutionem residuae summae ipse negligens, creditrices, ne duplex detrimentum et fundi amissi, et soluti pretii minime recepti persentirent, utque facilius id, quod sibi debebatur, consequi possent, relicta quacumque personali actione, ex praecedenti sententia contra Marchettium obtenta, quae in remjudicatam transierat, ad actionem hypothecariam convola-

runt. Hinc judicium contra tertium possessorem praedii « *Mazzarella* » coram civili tribunali Ferrariae instituerunt, scilicet contra Justinam Chiarabelli Marchetti, in quam idem praedium « *Mazzarella* » hypothecae vinculo obnoxium translatum a Marchettio fuerat, petentes, ut vel reliquam summam scut. 831: 39: 6 ipsa solveret, aut praedium sub hasta poneretur, et voce praeconis licitaretur. Cujus judicii libellum introductivum Marchettius habuit non solum Ferrariae penes Vincentium Lugli, verum etiam propriis laribus ipsemet accepit. Nihilominus cum judices ferrarienses mulierum Sanguinetti et Consolo instantiam exceperint, cumque, introducta a Justina Chiarabelli appellatione coram tribunali appellationis Bononiae, ferrariensis sententia fuerit confirmata, pro ejusdem circumscriptione Marchettius ad supremum nostrum tribunal confugit, ob id acta coram bononiensibus judicibus gesta circumscribenda esse contendens, quod prima sententia intimata ipsi non fuisset. Eo vero vadimonium hodie deserente, rescriptum prodiit « *nihil* », mihique commissum fuit munus decisionem vulgandi.

§ 4. Et merito quidem ita decisum est. Tunc enim coram supremo Signaturae tribunali peti potest actorum circumscriptio, cum sententia nulla sit ob defectum citationis, aut mandati, aut jurisdictionis, quae omnia deerant in themate. Nam, seposito quovis mandati, aut jurisdictionis defectu, de quo nulla orta est controversia, nec oppositus citationis defectus verificabatur. Quippe Marchettius contendebat ob id citationem defuisse, quia primae sententiae intimatio facta ipsi non fuit. At praeterquamquod de hujusmodi intimatione constet ex apparitoris relatione, illud accedebat, quod etsi facta eadem non fuisset, nullus tamen ob id solum exoriri posset citationis defectus. Sententia enim, quae in primo gradu a ferrariensibus judicibus lata fuerat, opus non erat, ut ipsi intimaretur, quoniam Marchettius principalis debitor nil commune habere poterat cum reali actione instituta adversus Justinam Chiarabelli, quae in fundi possessione versabatur, nihilque ipse passus fuerat ab eadem sententia, a qua nullum mandatum contra eum fuerat relaxatum. Ea enim est indoles, atque natura actionis realis, ut contra tertium fundi possessorem instituenda sit. Ita cautum a vigentis praxeos § 1457 « *Il creditore iscritto farà citare il terzo detentore in persona, o nel suo domicilio a comparire innanzi al tribunale civile competente. Col medesimo atto gli farà notificare una copia della iscrizione esistente ne' registri ipotecarj. L'atto di citazione sarà contemporaneamente notificato al debitore* ». Quae posteriora verba magis magiaque confirmant opus non esse, quod principalis debitor citetur, cum lex praescribat solummodo notificandum ei esse hanc, vel illam hypothecariam actionem adversus tertium possessorem esse institutam.

§ 5. Perperam vero contendebat Marchettius primae sententiae intimationis defectum aequiparari primae citationis defectui. Nam etsi intimatio sententiae desit, non inde sequitur citationem ipsam deesse. Lex disertissime loquitur de citatione judicii introductiva, ut legitur in vigentis codicis § 781 « *Si verifica il difetto di citazione quando fu omessa la citazione* INTRODUTTIVA DEL GIUDIZIO; *ossia quando il reo convenuto non fu citato* IN PRINCIPIO DELLA LITE, *nè in persona, nè al domicilio, nè alla sua dimora, nè in altro luogo determinato dalla legge* ». Cum itaque nullus primordialis citationis defectus insideat in controverso judicato, quando etiam sententiae intimatio deesset, hic certe non esset primordialis, sed accessoriae tantum, ac pedaneae citationis defectus, coram supremo tribunali ex legis praescripto non deferendus, quemadmodum tenuit nostrum tribunal in *Anconitana circumscriptionis quoad sententiam diei* 24 *martii* 1827 *cor. R. P. D. Galimberti* § 2; *in Romana circumscriptionis, et pertinentiae causae* 22 *martii* 1827 *coram eodem* § 1; *et in Romana circumscriptionis* 10 *junii* 1841 *cor. R. P. D. La Grua Valdina* § 2. Cum itaque in omni casu res non esset de primordialis, sed accessoriae, et pedaneae citationis defectu, ex indeclinabili recitatae legis praescripto, circumscriptionis subjectum coram supremo tribunali esse pro certo non poterat.

§ 6. Sed si etiam citatio judicii introductiva confundi posset cum primae sententiae intimatione, haec tamen intimatio requiritur eo tantum in casu, quo sententia contra partem victam executioni mandanda sit. Ex eo porro, quod talis intimatio necessaria sit, ut sententia possit executioni committi, non sequitur necessariam pariter esse, quando agatur de appellatione interponenda. Elementare siquidem est, basim appellatorii judicii non esse inti-

mationem sententiae primi gradus, sed solummodo ejusdem redactionem, cum quotidie judicia appellationis instituantur ab eo, qui in primo judicio victus est, quin sententia jamdiu prolata a victore intimata sit, dummodo tamen redacta a judice fuerit. Si igitur ob hanc rationem ne tunc quidem circumscribenda esset sententia, cum lata fuisset contra Marchettium ipsum, quanto magis valida censenda erat, cum adversus tertium possessorem lata fuerit, non adversus Marchettium, qui propterea nullum ex ea passus fuerat damnum, nullaque idcirco aderat ratio, propter quam appellare debuisset.

§ 7. Haec satis superque essent ad petitae circumscriptionis rejectionem. Sed illud etiam accedebat, quod ad hoc, ut citationis defectus pariat actorum nullitatem necesse est eum fuisse absque citatione damnatum, qui principale haberet interesse, ideoque non citati jura sententiam laesisse, ut colligitur ex vigentis codicis § 1046 « *Un terzo,* CHE AVEVA INTERESSE PRINCIPALE *nella causa, e che non fu citato, o non richiese d'intervenirvi può domandare l'annullamento degli atti, e delle sentenze,* CHE LEDANO I SUOI DIRITTI PER DIFETTO DI CITAZIONE ». Jam vero exploratı juris est in actione reali eum, qui rem possidet controversam, principale interesse habere, indirectum, et secundarium, qui non possidet, et idcirco ad substantiam judicii sufficere, quod citentur rei controversae possessores, teste De Luca *discurs.* 9 *de judiciis* § 33, *et discurs.* 17 § 6 cui cohaerent nostri ordinis sanctiones, praesertim in *Romana emphyteusis super circumscriptione* 25 *augusti coram Olivieri* § 1. Quapropter cum nullum principale interesse haberet Marchettius in hypothecario judicio, quod unice contra tertium possessorem dirigebatur, nullumque propterea a subsequenti sententia debiti, aut fundi dimissionem imperante damnum ipsi afferri posset, opus profecto non erat, ut citaretur; eo magis, quod hac sententia ea tantum summa adversus Justinam Chiarabelli condicebatur, ad quam solvendam fuerat Marchettius jam antea condemnatus.

§ 8. Quamobrem si circumscribenda haudquaquam esset sententia, licet citatio defuisset, quanto minus circumscribenda erat hoc in casu, quo citatio sive primi, sive appellatorii judicii haud defuit, ut ex apparitoris relatione plenissime comprobatur, in quo immo ne defuit quidem ipsa primae sententiae intimatio? Perperam autem regereretur, quod talis intimatio penes Luglium illegitimo modo facta fuerit, ex eo quia in instrumento transactionis cautum erat, ut ibi acta omnia intimanda essent, exceptis tamen definitivis sententiis. Nil enim prorsus intererat, nulliusque momenti erat, utrum eadem intimatio diverso modo fieret; quoniam, praetermisso etiam, quod haec tunc solum requiratur, cum agatur de sententia ipsa executioni mandanda, illud etiam animadversione dignum accedit, quod in omni casu lex eam praescribat, ut qui victus e judicio discessit ejusdem notitiam habeat. Si igitur caetera acta penes Luglium intimata ad Marchettii cognitionem pervenerunt, quomodo poterat intimationis ignorantiam praetexere? Quocumque idcirco sub adspectu res consideraretur, evidenter patebat validam esse sententiam, de qua agitur, ac proinde circumscriptionis gladio delendam non esse. Atque ita etc.

Die 6 martii 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Binarelli — D. Carolus Brunetti

Prot. 191 / 1844 R. P. D. ARNALDI Decisio II.

FULGINATEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 9 *Januarii* 1845

Argumentum

Quaeritur an in judicio reintegrationis generica petitio restitutionis fructuum litis valorem augeat.

§ 1. Vendiderat ex anno 1809 Dominicus Gentili Carolo Bartoccio tria praediola in agro Fulginatensi pretio scutorum biscentum viginti; licet ab expertis, comuni placito

electis, aestimata fuissent valoris biscentum decem, assiumque triginta. Sarcta tecta mansit venditio usque ad vitam contrahentium. Ast Dominico venditore elato, Angela Gavardinia uxor, atque haeres auctoris factum improbare autumavit, et ad subsellia tribunalis civilis Fulginei causam interdictionis intersereus, postulavit nullitatem alienationis peractae a Dominico; atque in hujusce effectum restitutionem praediolorum, tum etiam vero fructuum perceptorum a die alienationis, suo tamen congruo, separatoque judicio liquidandorum.

§ 2. Mordicus discussa controversia, absurdum putavit tribunal Gavardiniae postulatum, illudque definitive rejiecit; conventos reos absolvit. Provocavit illa ad Rotam, contestata est litem cor. R. P. D. Quaglia, et concinnavit dubii formulam. Praeterea comes Franciscus Dominici venditoris filius, petiit admitti ad causam, quod obtinuit decreto rotali; atque inde alia per provocantes acta sunt gesta, quae omnia nullitatis labe ex defectu jurisdictionis arbitrantes Joseph, aliique fratres Bartocci personas reorum conventorum, utpote emptoris haeredes habentes pro eorum omnium deletione, supremo ordini recursum subjecerunt. Fauste id evenit expositae querelae. Nam a Gavardinia, et comite Francisco, deserto certamine, rescriptum prodivit « *circumscriptis ex defectu jurisdictionis omnibus gestis in S. Rota, partes utantur juribus suis* », prout ex causis, quae modo subjiciuntur, salvo jure novi periculi.

§ 3. Porro, secus respouderi haud potuisset, etsi Gavardinia, Gentilisque judicio convenissent; ea enim fuerat actio promota, nimirum reintegrationem ad possessionem trium terrularum « *vendute dal fu Domenico Gentili alla bon. mem. Carlo Bartocci con istromento rogato da Francesco Antonio Ronchetti* 12 *decembre* 1809 », quibus constabat ex tabulis, pretium de re vendita, ad summam pertingisse scutorum *biscentum viginti.* Postquam de causa cognoverat tribunal primae instantiae Fulginei, neutiquam provocatio deferri poterat S. Rotae. Lex enim discernit causas minores, a majoribus. Alteras ita nuncupat, si scutorum quingentum vim non exsuperent; alteras intelligit, si hanc summam praetergrediantur.

§ 4. Jam vero in ulteriori appellationis gradu cognoscendarum causarum jurisdictio tribunali Innocentiano concredita est, quoad causas minores ut ex paragrapho codicis praxeos 318 « *Conosce ancora, e decide in secondo grado di giurisdizione* - Art. 2. - *Le cause non maggiori di cinquecento scudi, decise in prima istanza dai tribunali civili, e di commercio di Perugia, Foligno ec.* » Quoad vero caeteras, quae eam superius sunt summam, collata potestas est in secundo gradu judicandi sacro auditorio per expressa in § 322 « *Conosce, e giudica in secondo grado le cause maggiori decise in prima istanza dalla congregazione civile dell'A. C. dal tribunale del Campidoglio, dal tribunale di Commercio di Roma, e dai tribunali Civili e di Commercio compresi nel* § 318 *num.* 2. » Quo circa inferioris notae causa non attinet ad Rotam, atque in comperto est in aliena messe versari, si eveniat quod ad eam deferatur. Deest quidem jurisdictio radicitus, ut ullo pacto nullitas abscondi possit, ac necessario consequitur, nulla irrita declaranda esse ea omnia gesta, ex immedicabili vitio, ob valorem litis profluente, uno circumscriptionis remedio abstergendum.

§ 5. Nec res dubia, aut obscura est de minori summa controversiam agi; quandoquidem emptionis venditionis rescissio trium agellorum proponitur, conflata pretio scutorum *biscentum viginti;* monente lege § 457 « *Nelle azioni reali, o miste, il valore della causa si desumerà dal valore della cosa litigiosa* ». Praediolorum praetensa restitutio, sive reintegratio, non valet profecto ultra quam ex publico instrumento edocetur scutatis biscentum viginti. Nec reponas adjectam in libello petitionem fructuum fuisse a die venditionis. Sed apage. Nulla enim edita est quantitatis fructuum designatio, nulla certi, et determinati temporis indicatio gesta: imo generice, et confusim « *a restituire tutti i frutti percetti dal giorno delle alienazioni, e da liquidarsi in specie in congruo, e separato giudizio* ». Dum sic se res habeat, petita fructuum restitutio haud immutat valorem litis, qui in una principali postulatione consistit. Ut immutet, vel augeat, necesse est, designari fru-

cuum modulum, certum praescriptum esse temporis cursum, ut summae expetitae quantitas facili negocio comperiatur, secus is est valor litis, taleque habetur, quemadmodum exhibet, explicatque crediti caput expetitum, sive pretium rerum, quae in controversia versantur. Siccine sanctio § 461 « *Si ritiene come certa, e liquida la quantità dei frutti, se l'attore avrà indicato nella sua domanda il saggio annuo dei medesimi, ed il tempo, che è decorso senza averne ottenuto il pagamento, - Se la somma dei frutti non è certa, e liquida,* IL VALORE SI DESUMERÀ DALLA SOMMA DEL CREDITO PRINCIPALE ».

§ 6. Quamobrem in re satis obvia, atque elucida, minime videtur diffugium esse posse ad promeritam pro nullitate actorum circumscriptionem declinandam. Et ita etc. Altera tantum etc.

Die 6 martii 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Hieronymus Marini —

Prot. 149 / 1844 R. P. D. FERLISI Decisio III.

Civitatis Castellanæ Circumscriptionis

Jovis 9 Januarii 1845

Argumentum

Decreta a judice pedaneo contra municipium manutentione in simplici pascendi possessione; ac insuper restitutione armenti mancipati, et damnorum refectione, petitur circumscriptio ex defectu jurisdictionis.

§ 1. Utens Jacobus Franci pascendi jure, quo singuli cives, et incolae fruuntur compascuis desuper agris ad Civitatis Castellanae Municipium spectantibus, inita cum Bernardino Candelori partiaria societate armenta plura in communalia immiserat pascua. Ratum autem Municipium, non ad Francium, sed ad Candelorium alienigenam immissum pecus spectare, et semel iterumque ad publicum stabularium illius partem abduci curavit: duplexque damni dati judicium coram ejusdem civitatis gubernatore adversus Candelorium instituit. Quod vix novit Jacobus, quasi reconventionali libello proposito diem coram eodem juridico Municipio dixit urgenti ritu poscens sese manuteneri in quieta, et pacifica possessione « *del pascolo nei beni comunali situati nel territorio di Civita Castellana,* E PER L'EFFETTO DELLA MANUTENZIONE » decerni « *il rinvio delle pecore apprese e ricondotte allo stabulario in due diverse volte negli scorsi giorni .... ai pascoli comunali;* » vel aliud fieri « *che convenga alla qualità e giudizio ed al fatto della citata Comune........ con condanna a tutti i danni e spese* ».

§ 2. Declinatoria fori exceptione a Municipio proposita sententiam tulit gubernator, qua « *giudicando in giudizio di semplice possessorio* », ac « *ritenuta la propria competenza* » actoris petitionem albo undique calculo comprobavit « *per la conservazione del mero possesso semplice, e momentaneo sui pascoli medesimi, ordinando il rinvio delle bestie apprese, e ricondotte come sopra* », ac Municipio insuper damnato « *a tutti i danni e spese da sperimentarsi e liquidarsi in congruo e separato giudizio* ». Licet autem sententiam hujusmodi Municipium ipsum ab omni procul reservatione Jacobo denunciaverit, recursu tamen ad ordinem nostrum repente interjecto acta cuncta coram praefato gubernatore gesta ex jurisdictionis defectu petiit postea deleri. Ad trutinam vero ejus petitione hodie revocata rescripserunt Patres « *nihil de circumscriptione* », mihique munus dederunt decisionis vulgandae.

§ 3. Neque jurisdictionem porro in hac contentione Civitatis Castellanae gubernatori defuisse, erat undique compertissimum. Ceteras enim inter controversias *privativas* gubernatorum jurisdictioni concreditas nominatim legislator recensuit *in* § 287 *num.* 4. *Greg. cod.* « *Le cause di momentaneo e sommarissimo possessorio, avuto riguardo al solo fatto del possesso, e senza facoltà di cumulare il petitorio* ». Ad hanc autem adamussim classem

institutum a Jacobo, redditumque a gubernatore judicium dubio procul pertinebat. Id unum enim in ejus libello postulavit actor, ut *manutentio* nimirum sibi tribueretur in quieta, et pacifica pascendi possessione, quin pro judicii fundamento, neque ipsemet invocaverit, neque judex investigandum susceperit monumentum ullum, quod pascendi jus, sive possidendi causam, et titulum respiceret. Adeo imo a qualibet juris, titulique investigatione in hac dirimenda controversia sese judex abstinuit, ut nedum expressim declaraverit, non aliter sese jus dicere, nisi « *in giudizio di semplice possessorio,* » verum neque aliter quidem propositam a Jacobo actionem probaverit, nisi « *per la conservazione del mero possesso semplice e momentaneo* » adjecta etiam in ima ejusdem sententiae cera clausula « *salvo e senza pregiudizio dei diritti delle parti;* » quam ceterum punctim summarissimi tantum possessorii judiciis congruere, taciteque etiam adjectam iisdem censeri, legislator ipsemet *in* § 536 *Greg. cod.* statuit.

§ 4. Nil autem instituti judicii indoli detrahebat, quod in eodem libello petierit una simul actor, et in sententia sua decreverit judex, tum « *il rinvio delle pecore apprese* » tum Municipii condemnationem « *a tutti i danni* », quod ceterum utrumque summarissimi possessorii judicio nullatenus congruere, ejusque imo limites longe, lateque praetergredi pro aris et focis Municipii tuebatur orator. Et quod ad petitam primum pecudis reconductionem, sive restitutionem pertinet, scriptum utique in *seq.* § 530 est, quod « *Le azioni possessorie di competenza dei governatori sono quelle che si comprendono negl'interdetti pretorj diretti a* CONSERVARE *il possesso momentaneo, e di fatto;* » sic pariter cautum rursus *in leg.* . . § 4 *ff. uti possidetis* eo dumtaxat interdictum hujusmodi retinendae possessionis tendere « *ne vis fiat ei, qui possidet* » non ut amissa restituatur possessio, in eoque adamussim interdictum alterum *unde vi*, sive reintegrandae possessionis ab eodem differre, quod « *illud restituit vi amissam possessionem, hoc tuetur, ne amittatur,* » ceu eadem sunt jurisconsulti verba in *citat.* § 4. Verum non ideo, quod abductum ad publicum stabularium pecus ad civica pascua reduci petierit Jacobus, retinendae possessionis judicii naturam intervertit, interdictumque alterum *unde vi* ipsemet invocavit. Initio enim ea petitionis pars *accessoria* fuit principi manutentionis actioni a Jacobo propositae, hujusque proinde naturam, et indolem immutare nullatenus voluit, sed sequatur potius oportet ad *text. in leg.* 19 § 13 *ff. de auro, et argento leg.*, *L.* 129 § *fin.*, *et leg.* 178 *ff. de reg. jur.*, *et cap.* 42 *de reg. jur. in sexto.* Neque enim aliter pecoris reconductionem is postulavit, nisi « PER L'EFFETTO DELLA MANUTENZIONE » dato etiam in eodem libello judici arbitrio aliud agendi « *disporre e decretare, che convenga alla qualità e giudizio ed al fatto della cit. Comune* ».

§ 5. Praeterea neque pugnat quidem accessoria ea petitionis pascuum principiis instituti retinendae possessionis judicii indole « *quemadmodum enim nulla possessio adquiri, nisi animo, et corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in contrarium actum est* »; ceu totidem verbis ait Paulus *in leg.* 8 *ff. de acquirenda vel amitt. possessione.* Quum Jacobus itaque, post pecus etiam a civicis pascuis violenter abductum, pascendi possessionem *animo* saltem non amiserit, neque se pro spoliato unquam habuerit, veluti uberrime demonstrat vel ipsa manutentionis postulatio ab eo proposita, nil hercle prohibere eum valuit, quominus retinendae possessionis interdictum experiretur, veluti optime animadvertit *Rota in decis.* 1226 *n.* 6 *coram Molines*, et supremum tribunal *in Romana circumscriptionis et appellationis* 12 *januarii* 1832 § 7 *cor. Galimberti.* Si jure autem is valuit praetorium retinendae possessionis interdictum experiri, eodem pariter jure in eodem libello ipsemet poposcit, ut abductum pecus sibi redderetur, vel ad civica rursus pascua duceretur, quod consequens erat petitae manutentionis, et ad ejus effectus pertinebat. Quid enim ei profuisset retinendae possessionis judicio agere, propitiamque etiam sententiam referre, nisi res fuissent una simul ad eum statum restitutae, in quo reapse eae versabantur, anteaquam ejusdem possessio fuisset a Municipio turbata.

§ 6. Oppido manutentionis judicium, licet summarissimum, tum solum instituit actor, cum molestiae sibi inferuntur, ejusque turbatur possessio. Scitumque imo est, in eam ada-

mussim causam id genus fuisse instituta judicia, ut molestiae repellantur, quies actori reddatur, quod possessionem impedit, ac turbat removeatur, resque demum in pristinum statum reponantur. Quod adeo certum, atque exploratum in jure est, ut conceptis praeceperit verbis legislator sapientissimus in § 531 *Greg. cod.*, quod scilicet « *L'attore nel giudizio di sommarissimo possessorio dovrà provare* 1.° *il fatto del suo possesso nel tempo che precede immediatamente* IL FATTO TURBATIVO, 2.° IL FATTO STESSO TURBATIVO, *che dà luogo all' esercizio dell' azione* ». Neque aliter quidem in praecedenti § 530 legislator ipsemet sivit, actionem hujusmodi exerceri, nisi « ENTRO L'ANNO DELLA TURBATIVA »; quod aedepol necessario supponit praecedens, ac violentum *turbationis* factum, judicis auctoritate in ejusmodi judicio coercendum. Quum in proposita itaque contentionis specie *turbationis* factum, quod manutentionis judicio causam praebuit, in pecoris oppignoratione consistere, potuit jure merito Jacobus, in sequelam petitae manutentionis illius restitutionem, sive « *il rinvio delle pecore apprese . . . . . . ai pascoli comunali* », tamquam effectum a causa manantem, in eodem libello postulare, quemadmodum communi calculo tradunt *Post. de manut. obs.* 14 *n.* 10 *juncto n.* 13, *Volasc. decis.* 19 *n.* 17 *tom.* 1, *Menoc. dec. bononien.* 36 *n.* 9 *et* 12, *Rota in decis.* 471 *n.* 5 *apud Post cit. tract. de manut., cor. Olivatio decis.* 351 *n.* 27, *et supremum tribunal in praecit. Romana circumscriptionis et appellationis* 12 *januarii* 1832 § 8 *coram Galimberti.*

§ 7. Idemque eo vel fortior locum obtinebat quoad petitam sarcitionem *damnorum*. Et ea enim primum petitionis pars mere *accessoria* erat, ac manutentionis veluti *consectaria*, nulloque proinde in pretio ad judicii indolem metiendam erat habenda, ita etiam ferente sanctione apertissima § 464, *vigentis codicis*, cui consonant *Scaccia de appell. qu.* 17 *lim.* 6 *membr.* 9 *n.* 67 *et seq.* Nil insuper a vero magis abhorret, quam damnorum refectionem ab summarissimo manutentionis judicio, sive ab praetoris retinendae possessionis interdictis omnino abhorrere. Illud imo cubitalibus cautum legitur verbis in *leg.* 3 § 11 *ff. uti possidetis* « ibi » *In hoc interdicto condemnationis summa refertur ad rei ipsius aestimationem - quanti res est - sic accipimus, quanti* UNIUSCUJUSQUE *intersit possessionem retinere* ». Atque hinc nil vulgatius in jure, nilque receptius in foro, quam *damnorum* refectionem, sive « *quanti unius cujusque intersit possessionem retinere* », sub hoc etiam judicio contineri, veluti perbelle statuit S. Rota in *cit. decis.* 352 *n.* 6 *et seq. cor. Olivatio*, et nostrum tribunal in saepius laudata *Romana circumscriptionis et appellationis* 12 *jan.* 1832 § 9 *coram Galimberti.*

§ 8. Vera autem, ac germana instituti judicii indole hactenus vindicata ruebat jam mole sua exceptio altera a Municipio proposita, in eoque residens, quod praescus nimirum contentio ex sanctione altera § 291 *n.* 2 *vigentis codicis;* non ad gubernatorem quidem, sed ad civile potius primarum instantiarum pertineret tribunal. Quum enim legislator in anteriori § 287 *n.* 4 *ejusdem cod.* summarissimi possessorii causas privative, *ac speciatim*, ab omnique procul limitatione, vel distinctione, ratione *materiae* gubernatorum jurisdictioni reservaverit, subsequens, et generica § 291 dispositio, civilibus tribunalibus committens « *Le cause di qualunque somma, abbenchè non maggiori di sc.* 200 *che risguardano l'interesse de' comuni, e delle provincie* » pertrahi bercle suapte indole nequit ad summarissimi possessorii causas, pro quibus peculiaris, nullisque limitibus circumscripta data est gubernatoribus jurisdictio. Translatitium quippe in jure est « *generi per speciem derogari, illudque potissimum attendi, quod ad speciem directum est* » veluti apertissimus edocet textus *in leg.* 80 *ff. de reg. jur.* adeoque speciali quoad certum causarum genus jurisdictione in aliquem magistratum a lege collata, eum solum de iis cognoscere, easque definire posse, ceteris prorsus exclusis, ceu post *text. in leg. fin. cod. de jurisd. omn. jud.* innumeris allatis auctoritatibus supremum statuit tribunal in *Maceraten. injunctionis facultatum* 9 *julii* 1829 § 4 *cor. Galimberti.*

§ 9. Ceterum ex integro etiam *cit.* § 291 *n.* 2 contextu luculenter patebat, jurisdictionem a municipiorum controversis civilibus primarum instantiarum collegiis lege tributam AD PECUNIARIAS dumtaxat causas cohiberi, eamque proinde legis sanctionem porrigi nullatenus posse ad summarissimi possessorii judicia, quae, non ratione summae, sed ratione *materiae*, privative gubernatorum jurisdictioni legislator commisit. Dum enim in anteriori § 286

gubernatorum cognitioni generatim ia reservavit pecuniarias omnes causas, quarum valor summam argenteorum biscentum haud excederet, id unum in subsequenti § 291 n. 2 ipsemet jussit, quod ad civilia primarum instantiarum tribunalia spectarent « LE CAUSE DI QUALUNQUE SOMMA ABBENCHÈ NON MAGGIORI DI SC. 200 » quoties respicerent « *l'interesse de' comuni e delle provincie* ». Verum si in *cit.* § 291 *num.* 2 nominatim duntaxat is meminit « *le cause di qualunque somma abbenchè maggiori di sc.* 200 » plusquam fando exprimi valeat, luculenter enitet, nonnisi de PECUNIARIIS controversiis actum inibi fuisse, nefasque proinde est, eam legis censuram praeter subjectam materiam ad diversa causarum genera pertrahere, quae ratione tantum materiae aliis fuerint judicibus tributae.

§ 10. Scrupulum vero omnem eo desuper re penitus adimebat validissimum DISCRETIVÆ argumentum, quod duplex suppeditat sanctio §§ 286 *et* 287 *cit. cod.* gubernatorum jurisdictionem respiciens. Quod enim ad causas pertinet ceteras, generatim quidem sancivit legislator in *cit.* § 286 quod gubernatores « *Conoscono e decidono in prima istanza le cause, il di cui valore non oltrepassa la somma di sc.* 200 ». Verum in eodem § incontinenti ipsemet subdit « SALVO IL DISPOSTO NEL § 291 IN ORDINE AI TRIBUNALI CIVILI ». Ex qua sane limitatione a lege incontinenti adjecta palam compertumque fit, EXCEPTIONEM, quam insequens continet § 291, controversiis singulis dubio procul congruere, de quibus agit *cit.* § 286. Quod vero pertinet ad SUMMARISSIMI POSSESSORII judicia, ceterasque peculiares causas, de quibus subsequens agit § 287, cautum utique inibi est, quod gubernatores pariter « *Conoscono pure e decidono sino a qualunque somma le cause di provisioni alimentarie........ di mercedi........ DI DANNI DATI ....* » ac tandem « *DI MOMENTANEO E SOMMARISSIMO POSSESSORIO* ». Verum nulla prorsus inibi adjecta (prout in anteriori § legislator fecerat) legis exceptio, aut limitatio est, nullaque penitus subsequentis § 291 excidit mentio.

§ 11. Si ubi legislator itaque voluit, § 291 exceptionem quoad gubernatorum jurisdictionem adjicere nominatim id, et apertissime expressit; idque adamussim accidit in anteriori § 286 cum de es e contra in subsequenti § 287 legislator ipsemet omnino siluerit; discretiva haec orationis methodus ab eodem adhibita invictissime ostendit exceptionem ex § 291 haustam alienissimam prorsus suapte indole esse ab controversiis singulis, de quibus in *cit.* § 287 agitur. Neminem quippe praeterit, ad germanam loquentis intentionem, ac mentem interpretandam validissimum reputari argumentum ex discretiva orationis methodo haustum, quemadmodum tradit passim S. Rotae auditorium in *Romana immissionis* 4 *januarii* 1760 § 6 *coram Ubaldo, in Romana nullitatis inscriptionis hypothecariae* 17 *jun.* 1832 § 11 *cor. Martinez, et nostrum tribunal in Romana restitutionis in integrum* 8 *augusti anni nuper effluxi* § 8 *cor. me.*

§ 12. Et incassum quidem praesidium Municipii defensor quaerebat *ex* § 4 *nostri ordinis decisionis cui titulus Romana seu Veliterna circumscriptionis* 10 *maii* 1838 *coram rmo P. D. Conventati decano, ubi obiter, ac perfunctorie* traditum est, in ea contentionis specie visum alicui ex patribus fuisse, summarissima etiam judicia « *legem voluisse ob specialem curam ac munimen erga ipsas communitates, atque provincias a tribunalibus civilibus definienda esse* » Veluti ex integro siquidem ejusdem decisionis patet contextu, unica, et princeps illius ratio in eo potissimum versabatur, quod actio adversus Velitrarum municipium instituta summarissimum haud exhiberet judicium. Quidquid hinc praeter necessitatem atque obiter, et perfunctorie de civilium tribunalium competentia in summarissimis municipiorum judiciis in ima ejusdem decisionis cera animadversum est, obicem nullum hodiernae definitioni, ubi formiter articulus hujusmodi meruit discuti, valuit praebere.

Et ita in acri partium certamine jus redditum est.

Die 6 martii 1845 « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis cor. gubernatore Civitatis Castellanae cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis partes utantur juribus suis, et extendatur decisio per R. P. D. Lippi, et reproponatur.* »

Die 29 martii 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Candidus Tosi — D. Vincentius Lippi

Prot. 171 / 1844 — R. P. D. FERRARI — Decisio IV.

VITERBIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 9 Januarii 1845

Argumentum

Petitur circumscriptio ex defectu jurisdictionis, eo quia ad amovendam servitutem transitus quam laicus, utile dominium habens fundi ecclesiastici, exercebat supra alium fundum ecclesiasticum, in foro laicali acta lis fuerat.

§ 1. Praedium vitibus, ubique refertum situm in agro Viterbiensi fratres Prada divisum possidebant, ad quod per communiter pergebatur, quod initium ducit a via, quam vocant « *della Palanzana* ». Labentibus annis hujus praedii portio in dominium transiit Joannis Prada, altera vero comparata fuit a RR. Patribus ex Minorum Conventualium familia; qui male ferentes itineris servitutem, cui portio praedii ab eis acquisiti obnoxia erat, diem Joanni coram tribunali Viterbii dixerunt facultatem petentes construendi super praedio ad reum conventum pertinente novum cancellum « *nella parte, che confina colla strada* » et construendi pontem « *nel fosso, che divide il di lui terreno, ed ove dovrà il citato transitare* »; simulque inhibitionem postulantes « *di più accedere per il cancello dell'istante, e transitare il di lui fondo sotto pena dell'arresto personale* » quae instantia a tribunali Viterbii prolata fuit.

§ 2. Appellatione vero a Joanne interposita, et disputato in Rota die 23 junii 1843 dubio « *an et quomodo sit locus constructioni novi cancelli et pontis, nec non inhibitioni in casu etc.* » rescriptum prodiit « *dilata et ad D. Ponentem pro subdelegatione judicis in partibus ad effectum deputandi peritum agronomum, qui referat an et quomodo fieri possit constructio novi cancelli, et pontis absque damno Joannis* ». Quum vero peritus retulisset novam semitam damna Joanni fore allaturam, dubium diremptum fuit responso « *negative in omnibus* » uti ex decisione *Viterbien. transitus* 21 *junii* 1844 *cor. R. P. De Silvestris.* Viri hinc religiosi praetexentes, quod causa ad forum ecclesiasticum pertineret, recursum interposuerunt pro circumscriptione actorum, quae ab ipsismet gesta fuerunt, coram tribunali Viterbi et S. Rota. Sed PP. mei illum rejecerunt rescripto « *nihil de circumscriptione* ».

§ 3. Nam agebatur de actione a clerico contra laicum instituta, ut novum opus exequi posset super praedio ad laicum aeque pertinente. Judicio revera viri religiosi vocarunt Joannem Prada laicum; quo in judicio petierunt, ut tribunal declararet, « *che gl' istanti sono in facoltà di costruire il cancello, e ponte suddetto, ove dovrà transitare il citato* » petierunt nimirum « *di aprire altro cancello nel di lui fondo a spese dell' istante nella parte, che confina colla strada, non che di costruire un ponte nel fosso che divide il di lui terreno* ». Ex quibus perspicuum erat, debuisse religiosos judicem forensem adire, nam laicus debet semper coram proprio judice conveniri, eoque fortius coram judice forensi Joannes conveniendus erat; nam actio instituta rem ecclesiae minime respiciebat; quo in casu extra disputationis aleam positum est ab actore forum rei esse sequendum, uti textus expressus est in *cap. si clericus de foro competenti.*

§. 4. Neque recte objiciebatur ad forum ecclesiasticum causam deferendam fuisse, quia directum praedii dominium a Joanne possessum ad nosocomium Viterbii pertinebat. Nam praeterquam quod nosocomium illud a municipio administratur; proindeque ecclesiastica immunitate non gaudet, uti decisum fuit *a S. Congregatione Immunitatis in Viterbien.* 22 *junii* 1666 teste Ferraris *in bibliotheca verbo hospitale num.* 55, illud peremptorium accedebat, quod nullo pacto demonstrabatur, utrum canon obolorum sexaginta integrum praedium, utrum portionem gravaret. Nam instrumentariae emphyteuticae concessionis tabulae omnino desiderabantur, et tota haec emphyteuticae qualitatis quaestio posita erat in quadam enunciativa, quae legebatur in instrumento, quo fratres Prada integrum praedium Joanni Polidori cum pacto redimendi vendiderunt. At in haec rerum omnium obscuritate PP. a circumscriptione abstinendum esse duxerunt, quae si in quolibet dubio rejici debet, eo

fortius rejicienda erat hoc de casu, in quo agebatur de actis delendis ab ipso querolante gestis, postquam judicio steterat, et jura sua magnis animis deduxerat.

§ 5. Immerito quoque RR. Patrum defensores cum instantiae partem arripiebant, qua Joannem probibendum quoque postulaverant « *di più accedere per il cancello dell' istante e transitare per il di lui fondo* », fere ac si res esset de causa, quae praedium ecclesiasticum respiceret. Nam principaliter petita fuit novi cancelli, et pontis constructio, petitum principaliter fuit, ut in alio loco Joannes ad praedium iter haberet; secundario vero atque incidenter postulata fuit inhibitio accedendi per praedium a religiosis emptum. Siculi igitur judex laicus in principali actione jurisdictione pollebat, ita destitutus ea non erat in accessoria quaestione. Nam regula juris est judicem posse cognoscere de iis omnibus, quae ad causam principalem referuntur incidenter, vel ratione antecedentis, vel ratione subsequentis, licet alias incidentem definire nequiret, secus enim continentia causae divideretur, et judicis jurisdictio eluderetur, uti *post text. expressos in f. nulli leg. quoties cod. de judiciis* docent *Sirola cons.* 80 *n.* 28, *Gaill. observ. lib.* 1 *cap.* 34, *Fontanel. de pactis claus.* 4 *gloss.* 13 *n.* 5 *tom.* 1, *Bossi de foro competenti n.* 117. Et ita etc. Utraque etc.

Die 4 februarii 1847 « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali civili Viterbii cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis, partes utantur juribus suis, et extendatur decisio per Rmum Decanum, et reproponatur.*

Die 15 aprilis 1847 « *In secundo loco decisis compensatis hinc inde expensis coram tribunali Signaturae Justitiae.*

Procuratores — D. Dominicus Montanari — D. Constantinus Spagnoli.

Prot. 155/1844 Rmo P. D. CONVENTATI DECISIO V.

BONONIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS ET RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 23 *Januarii* 1845

Argumentum

Ob defectum characteris commercialis in syngrapha « biglietto all'ordine », *et qualitatis commercialis in debitore, petitur circumscriptio sententiae tribunalis mercatorii, vel restitutio in integrum, eo quod ex eadem debitor ad fructus exsolvendos damnatus fuit.*

§ 1. Jacobus Stagni patris Sancti Georgii *di Piano* intra fines provinciae bononiensis, syngrapham scutorum bisceutum viginti duorum obsignaverat erga Josephum Ramponi, quae usu commerciali dicitur « *biglietto all'ordine* ». Die solutionis adveuta debitor minime respondit. Contingit ut eum Ramponius vadavit coram aula commercii Bononiae, cujus jurisdictioni Stagnius subjicere nolebat. De eorum competentia, ne judices rigidiores viderentur, examinis ope, testes investigarunt, utrum negociator Stagnius renunciari posset. Qua detecta qualitate non dubitarunt decernere sibi causam spectare, indeque proferre sententiam, qua ad pecuniam debitam rependendam Jacobum damnarunt, insuperque fructus a die inchoati judicii usque ad debiti solutionem decurrendos. Nec ei profuit appellatio quippe quae statuto tempore prosequuta non fuit. Remjudicatam vincere Stagnius volens ad ordinem nostrum ascendit deprecans, ut singula acti judicii gesta removerentur, vel saltem in integrum ei restitui liceret; patres vero mihi argumenta suppeditarunt ad decisionem edendam quibus hodiernum responsum « *nihil de circumsc. et restit. in integrum* » quanta justitia latum demonstrare valeam; quare Stagnius edoctus pendat, utrum novum aggredi certamen ei expediat.

§ 2. Jurisdictionis commercii lex firmat vel dum syngrapha nempe « *biglietto all'ordine* » actui commerciali refertur, vel dum is qui chyrographo suo tesseram signavit negociator sit. Utrumque quum per magis idoneam orationis partem Ramponius quoad aemulum suum Stagnium probaverit, jure singula judicii gesta valida, et integra servanda esse promeruit.

Et sane ipse Stagnius dum scribebat soluturum scuta 222, fatebatur pecuniam revera recepisse *« e questi per altrettanta valuta ricevuta »*. Tessera illa igitur erat *« un biglietto all'ordine »* commercii charactere insignita, et quidem dum adhuc redempturam patriae suae debitor exercebat, quod magis evincit de ejus indole privilegiata artic. 608 codicis mercatorii perhibente *« saranno riputati fatti* (i biglietti) *per la loro amministrazione »* quin ad legis finem removendum valeat Stagnium paulo post redempturam alteri cessisse: abest enim subscriptionem syngraphae accessisse non suscepta, vel dimissa redemptura.

§ 3. Evenisset tamen, ut Stagnius satis excipere potuisset chartam manu sua exaratam penitus absonam a commerciali actu fuisse; jurisdictionem privilegiati tribunalis nequaquam effugeret quum negociator ipse fuerit *« I tribunali di commercio giudicheranno 1.° di tutte le controversie relative alle obligazioni, contrattazioni fra negozianti, mercanti, e banchieri »* art. 601 *cod. Commercii.* Diligens fuit aula commercialis Bononiae, ne subito speciem a Stagnio exercitam definiret. Subjecit nonnullos testes examini, eos quoque a reo convento adductos: ex plurimis nemo affirmare ausit Jacobum in negociis implicatum non fuisse: non pauci professi sunt continuo et diversarum rerum mercaturam ipsum peregisse. Rite igitur ad tribunal Commercii a Ramponio traductus fuit Stagnius, a cujus jurisdictione declinare sicut perperam adlaboravit, ita nec bodie actus scindere valuit.

§ 4. Conscius Stagnius non unius mercis se negotia gessisse, confugiebat ad legem novissimam ut quodammodo superare naufragium ei liceret. Ex illorum genere enm minime esse ajebat qui nomen praebent ut eligi possint ad concilium commerciale efformandum. In nullo regestro inscriptum reperiri, adeo ut subjici dicatur aulae commercii quemadmodum apertissime innuit § 297 *« Sono soggetti ai tribunali di commercio i negozianti di tutte le classi, da cui si traggono i membri della camera commerciale, in conformità dello speciale regolamento per la stessa camera approvato dal Governo del 9 genn. 1832 »*. Merito sapientissimus legislator qui sint negociatores ad forum commerciale adducendi designare maluit, ne late nimis negociatoris titulus cuique tribueretur, et speciali jurisdictioni traderetur. Errat vero Stagnius dum se eripere satagit a placito legis. Is enim adeo comprehenditur in ejus dispositione, ut renuere jurisdictioni commerciali nefas ei sit. Usque ab anno 1810 institit ut ejus nomen inter negociatores numeraretur, assecutusque est privilegium. Nihil prodest inde eum neglexisse operam dare ut in codice mercatorum scriberetur: inventus fuit, ut in sortem eorum vocaretur, unus igitur erat qui meruisset pertinere concilio commerciali. Nec ab eo anno desistit a negociis, constans imo fuit in iis efficiendis. Fateatur igitur oportet nedum negociatorem fuisse, verum ejus generis qued tribunali Commercii subest. Evidens igitur est jure vadatum fuisse coram judicibus commercii Bononiae ab iisque damnatum, quin de eorum jurisdictione conquerere ei liceat, quod si intelligere adhuc recusavit, discat hodie a Patrum rescripto *« nihil »* quod super potiori facto innititur, nempe super decoctione Stagnii ante judices commerciales Bononiae absolvenda.

§ 5. Altero argumento uti placuisset oratoribus Ramponii, ut Stagnii ore penitus obstructo, nullatenus agere pro circumscriptione ipse valuisset. Inficiabantur enim Stagnium circumscriptionem coram senatu nostro experiri posse, eo quod de eadem quaestione per objectam incompetentiam in commercii aula jam peregerat. Patres vero taedet repetere quae ad hujusmodi opinionem profligandam jam sunt loquuti. Singula igitur quae in Fulginatensi decisione 11 julii 1844 per R. P. D. Mertel evulgata leguntur confirmata hodie voluerunt, ne quis in posterum vereatur frustra ad ordinem nostrum conscendere posse ad circumscriptionem implorandam, quorsum de incompetentia judicum disputatum fuerit coram tribunali Commercii. Esset nec ne jurisdictioni commerciali subjecta quaestio, nullum remedium ad compescendam libertatem judicum extaret, quatenus a supremo justitiae tribunali independens eorum definitio consisteret.

§ 6 Majori spe Stagnius ad assequendam in integrum restitutionem senatum nostrum adivit, confidens praesertim in unitate sententiae, qua, ut idem autumabat, res judicata aderat imperfecta, saepius in anteactis decisionibus Patres recordati sunt, superventa lege novissima Supremi Regnantis (quotquot quaestiones acciderunt) in rem judicatam versas fuisse

per unam dumtaxat sententiam, quae lapsu fatalium jure appellationis expoliata fuit. Iterum igitur hodie invariabili legis littera Stagni clocutionem diluerunt, ne arbitrari umquam valeat judicium sibi infensum, et si unius sententiae vires haud accepisse perfectae rei judicatae « *Nasce ancora la cosa giudicata dalle sentenze proferite in primo grado, quando sono inappellabili per disposizione della legge*, o *quando sono divenute tali per fatto della parte, che abbia rinunciato all'appello, o lasciato perimere il diritto d'interporlo ovvero proseguirlo* » § 172. Dum prosequi intra tempus a lege praescriptum appellationem Jacobus neglexit, fateatur oportet in perfectam remjudicatam primorum judicum sententiam transgressam fuisse.

§ 7. Excepta re, vel persona commerciali, abfuisset a judicibus bononiensibus jurisdictio, ut sententiam proferre potuissent super tessera, seu « *biglietto all'ordine* » Stagnii, eaque circumscriptione digna fuisset. Mirati sunt igitur Patres cur eadem argumenta ejus oratoribus proponere visum sit ad vindicandam restitutionem in integrum, quasi de injustitia arguere fas sit quod a validitate removeri non potest, quae quum constans superius definita fuerit, indignum foret, ac plane injustum, modo dicere judicium, quod insuper nec vituperandum esse Patres duxerunt, sive ex relaxatione personalis mandati quod inest ordini commerciali, sive ex debiti veritate quam adversus nihil obmusitare Stagnius audet. Tandem nec melior evadebat Stagnii conditio ad merendam restitutionem in integrum, exhibitione novi documenti. Dos praeclarior deerat; non enim inveniebatur *decisivo*. Nihil prodest quod Stagnius in publico contractuum regestro eos non attulerit, quos ipse confecerat: reapse confecit; permanet igitur quod ipse negociator sit, subjectusque jurisdictioni commerciali.

§ 8. Ad postremam naufragii tabulam arripiebat Stagnius minimam sententiae partem, quam a justitia deflexisse certo certius jactabat. Nullos parere fructus etiam collybi litteram ajebat, eo minus tesseram, seu « *biglietto all'ordine* », et tamen judices bononienses eum damnaverant ad exsolvendos Ramponio a die incaepti judicii, usque ad sortis dimissionem. Injusta igitur in hoc clamabat resjudicata. Argumentum consisteret, nisi rei et personae commerciali referretur syngrapha illa « *biglietto all'ordine* »; secus vero quum Patres absolverint circumscriptionem rescripto *nihil*, eo quod utraque nota participem syngrapham noverunt. Undequaque igitur restitutio in integrum considerata eodem rescripto quod pro circumscriptione dimissa justissime evadat « *nihil* ».

§ 9. Supererat Patribus iis respondere quae summis labiis oratores Ramponii objecerunt, ut hodie Stagnius ab aula nostra penitus rejiceretur. Neminem in decoctionem lapsum ajebant sistere posse in judicio; constare indeque faciebant Jacobum in hujusmodi ruinam cecidisse. Reminisci vero eos oportebat numquam a thesi fas esse Patribus declinare. Instantiae enim per Auditoris decretum eorum disputationi commissae rescribere dumtaxat a lege praecipiuntur, extra eam vagare numquam debent. Quum igitur hodie circumscriptioni vel in integrum restitutioni quaestio Auditoris decreto cohibita habeatur, omnino extraneum fuisset quidquid dicere de jure Stagnii standi, vel non in judicio. Quod postremo adjiciendum erat, ut innotesceret Patribus, qui ceterorum tribunalium ordini praesunt, extra fines excedere summopere injuriosum esse. Et ita utraque parte acriter dimicante jus redditum est. — Die 8 maii 1845 « *in decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Binarelli — D. Raphael Borghi

Prot. 185 / 1844 R. P. D. LIPPI Decisio VI.

Romana Restitutionis in Integrum

Jovis 23 Januarii 1845

Argumentum

Restitutio in integrum ob non decretam compensationem expensarum causae incidentis cum illis causae principalis postulatur.

§ 1. Ædes Romae extat in via, quae a divi Josephi ecclesia ad portam Pincianam protenditur, cujus proprietas ad PP. SS̃mae Trinitatis in monte Pincio olim spectabat,

et cujus utile dominio sub die 9 novembris 1681 in Dominicum Bossium translatum fuit, tribus annuis depactis canonibus, binis nempe scut. 7 et ob. 74, ac tertio scut. 1 et obul. 16 ratione juliorum duorum pro qualibet canna, ac idcirco in totum scut. 16: 64. At convocato postmodum super Bossi bonis creditorum concursu factum est, ut utile ipsius domus dominium fratribus quibusdam Mauri adjudicaretur pro rata scut. 1040, pro altera vero scut. 1267: 62 cappellaniae Alexandrinae erectae in ecclesia SS. Celsi, et Juliani. Confestim tum Alexandrina cappellania, tum fratres Mauri ad domus, et canonis persolvendi divisionem processere, et quum major domus pars cappellaniae obtigisset, pactum fuit, ut haec canonis quotam solveret scut. 9: 14, reliquam vero illi rependerent. Rebus ita compositis accessit directarii adprobatio, qui ratam firmamque habens praedictam adjudicationem, contextualiter retulit ab utroque emphyteuta obligationem integrum canonem scut. 16: 64 in solidum persolvendi, depacta tamen jurium cessione contra alterum emphyteutam favore illius, qui totum rependisset.

§ 2. Post haec illa domus pars, quae ad fratres Mauri spectabat, in varios transiit dominos, ac postremo ad coenobium « *di s. Andrea delle Fratte* » pervenit. Sed quoniam Galli, Pontificia ditione occupata, religiosas familias suppresserint, eorumque bona tunc Fiscus occupaverit, ac venui exposuerit, easdem tulit aerumnas divi Andreae ex Fractis coenobium, cujus substantiae, inter quas comprehensa etiam fuit dicta pars domus, anno 1812 sub corona praeconis voce posita fuere. Qua stante licitatione, hujusmodi domus partem acquisiverunt Nicolaus Santini (qui postea suam portionem transtulit in Josephum Cassetta) et Franciscus Maria Brignole absque ullo onere, vel canone, quum expresse caverint « *Li beni saranno venduti franchi, ed esenti da ogni debito, e da qualunque gravame di censo, canone, ed altro di tal natura* ». Hanc dein venditionem, ut caeteras hujusmodi generis, Pius VII sa. me. ad suam sedem reversus, dum religiosas familias restituit, validam esse voluit, indemnitate ab aerario iis conventibus concessa, quorum bona divendita ab invasore fuissent. Facta itaque a demanio gallico hujus partis domus distractione, ac post legitimam hujusmodi distractionis confirmationem, res pacifice processerunt usque ad annum 1834. Cum enim coenobio directario moniales a SSmo Jesu Corde successerint, canonem scutor. 9 et obul. 14 ab Alexandrina cappellania quotannis acceperunt, quin reliquum postularent.

§ 3. Sed cum ipsae integrum canonem super toto fundo quondam ad scut. 16 et obul. 64 conscendisse cognoverint, vadimonium coram urbis Vicesgerente indixere adversus capitulum SS. Celsi, et Juliani, utpote quod cappellaniae administrationem gerebat, illudque damnari ursernnt « *al pagamento de' scudi* 181: 54 *per resto e saldo de' canoni decorsi a tutto il* 24 *decembre* 1833 ». Capitulum autem illico reconventionali libello institit, ut monialium petitio ad vim scut. 64: 62 cohiberetur, istaque super instantia decretum judicis prodiit, quod capituli petitionem excepit, et indicta scut. 64: 82 pro interim solutione, super reliqua summa causam agitari mandavit. Cumque praeterea capitulum, solutis sine mora dd. scutis 64: 82 postulaverit, ut Josephus Cassetta, et fideicommissum Brignole in causa intervenire adigerentur, aliud judex sub die 30 julii 1841 decretum edidit, quo concessus fuit talis interventus, hocque decretum, renuentibus monialibus, sub die 13 augusti ejusdem anni confirmavit.

§ 4. Quum vero Capitulum postulatum, decretumque interventum cunctaretur, moniales, mota instantia, petierunt, ut nulla habita ratione « *al contrario intimato decreto del giorno* 30 *prossimo passato luglio, sentirsi dichiarare, che non sia luogo alla chiamata a causa di Giuseppe Cassetta, e fedecommesso Brignole* »; judex ille verens, ne promotum incidens ad inducias diutissime capessendas spectaret, dubia super causae meritis in contumacia protulit. Hisce tamen dubiis minime obstantibus, capitulum ad causam vocavit tum Josephum Cassetta, tum fideicommissum Brignole. Qui cum docuerint se se liberam, et ab omni onere immunem domus contignationem emisse « *dal demanio francese* », atque posteriorem sacratissimi Principis hujusmodi distractionis confirmationem demonstraverint, sententia prodiit die 12 julii 1842, qua rejecta monialium actione, iidem positi extra

causam fuere, indicta tamen contra ipsas moniales ad expensas condemnatione etiam favore Cassetta, et Brignole, proinde ac si ipsorum interventus ad causae definitionem pertinuisset, et non a capitulo, sed ab eisdem petitus fuisset. Deducta hinc coram judice Desanctis appellatione, priorique sententia confirmata, ad supremum nostrum tribunal se se moniales converterunt, restitutionem in integrum adversus rem judicatam postulantes. Sed haec earum petitio rejecta quoad causae meritum, excepta penitus fuit quoad condemnationem ad expensas rescripto « *quoad condemnationem ad expensas de causis sine praejudicio rei judicatae, in reliquis nihil* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 5. Et jure quidem ita decisum est. Nam quoad causae meritum non modo deerant extrema a lege praescripta ad hoc ut possit restitutio in integrum locum habere, legis nempe alicujus violatio, aut praeteritio, vel decisiva nuperrime reperta documenta, quemadmodum vigentis praxeos § 1007 praescribit, sed immo de reijudicatae justitiae dubitari non poterat. Tota enim quaestio in hoc versabatur, utrum solidalis inita obligatio quoad integri canonis solutionem suum haberet effectum, etiam post praedictam partis distractionem, ita ut hac non obstante, integrum canonem capitulum rependere adhuc debuisset. Hanc tamen quaestionem ante omnia dirimebat animadversio, quod cum fiscus gallicus, suppressis religiosis familiis, in jura successerit tum directarii, tum conventus « *delle Fratte* », qui tunc temporis memoratam domus partem possidebat, non modo utile cum directo dominio in se ipsum consolidavit, sed eam alienavit favore Josephi Cassetta, et fideicommissi Brignole, eamque idcirco hac jurium confusione, et distractione ab omni onere liberavit. Quare cum directum dominium super ea moniales amiserint, respondentis canonis jus pariter amiserunt, atque solidalis ejusdem obligatio ad summam scut. 9: 14 cohibita naturaliter extitit, pro ea nempe domus parte, quae in directarii dominio permansit, quaeque a capitulo adhuc possidetur. Neque hujus venditionis effectus in discrimen adduci poterant, quasi eadem non jure, sed vi facta ab invasore fuisset. Quidquid enim in jure obtinere potuisset inutile erat inquirere, quia post legitimam hujusmodi alienationum confirmationem, de earum validitate dubitari amplius nequibat.

§ 6. Hinc locum sibi vindicare non poterat ea juris regula, juxta quam, re emphyteutica pro parte ex casu fortuito pereunte, totus tamen canon ab emphyteuta debetur, quippequi non ratione fructuum, sed in dominii recognitionem rependatur. Haec enim juris regula tunc vera est, quum fundus emphyteuticus pro parte pereat ex casu fortuito, minime vero quando fundus ipse liber evadat ex eo quod una simul conjungantur directum, et utile dominium, et propter hanc conjunctionem a quolibet onere liberatus ad alios dominos transeat. Non modo enim in themate gallicus fiscus, qui in jura successit tum directarii, tum emphyteutae, controversae domus partem liberam vendidit, sed hujusmodi venditionem Sacratissimus Princeps deinde confirmavit. Quare, ad primam speciem quod attinet, recte statuitur nullam petere emphyteutam canonis diminutionem posse etsi res pro parte pericrit, quia dominium, in cujus recognitionem canon rependitur, semper adest quousque vel minima fundi emphyteutici pars existat. Ast non ita dicendum est in altera specie, quia tunc res non perit, sed extat, immo ipsum dominium extat, sed hoc a directario divellitur, et in alios transfertur. Aliud quippe est rem emphyteuticam pro parte perire, atque aliud longe aliud ejusdem rei dominium pro parte a directario divelli, et in alios transmitti, cum res hoc in casu integra maneat, etsi ipsius pars ad alium dominum migret, ac dominium, quod antea integrum penes directarium reperiebatur, ob rei emphyteuticae pro parte liberationem, et distractionem imminuitur. Imminuto idcirco hoc in casu directarii dominio, et pro parte in alios translato, imminutus pariter dicendus est canon, qui in totius dominii recognitionem antea rependebatur.

§ 7. Nec movebat, quod principis factum, hostiumve incursu casui fortuito aequiparentur. Ad hoc enim dicuntur aequiparari, quia res, quae casu fortuito perit, domino perit, ita ut, si haec regula locum obtinuisset, pro capitulo potius suum sortiri debuisset effectum. Nam si principis factum, vel hostium incursus assimiliari fortuitis casibus in hac quaestione potuissent, consequens esset, damnum ex venditione ab hoste facta dimanans,

non solum ab emphyteuta ferri debere, sed etiam a directario, utrumque scilicet dominio illo privati, quo fruebantur, ex eo quod res domino pereat. Sed haec inter casus fortuitos, et principis factum, aut hostium incursum comparatio extranea omnino videbatur. Nil enim interest, quod fortuito eventui principis factum quandoque comparetur, quum res versetur in eo quod regulae generali exceptionem facit, in eo nempe, quod si casu fortuito emphyteuticus fundus pro parte pereat, domino non perit. Quum itaque hac in specie locum obtinere non valeat aequiparatio inter fortuitum eventum, et principis factum, quia deest ratio, propter quam eadem quandoque instituitur, quod scilicet res, quae casu fortuito perit, domino pereat, firma remanent praedicta, stante videlicet partiaria controversae domus libera distractione, relativi canonis solutionem naturaliter cessasse. Nullus idcirco pro ea dominii parte, quae a directario avulsa fuit, et in alios translata, canon peti potest, quia sicuti canonem sibi ipse constituere ab initio nequivisset pro ea re, quae ad alterum spectasset, ita postquam res in ipsius dominio esse desiit, et ad alios libera migravit, ab omni onere soluta remansit, quum res in eum inciderit casum a quo incipere non poterat.

§ 8. Accedit insuper, quod canon conventus fuerit non pro indeterminata quantitate, sed ratione juliorum duorum pro qualibet canna, nimirum tot duorum juliorum ratione, quot cannae ex peragenda mensura exurgerent. Quo in casu, seposita quavis juris quaestione, evidens est canonis solutionem tunc cessare, cum fundus, ad quem canon specialiter refertur, amplius non existat, aut liber evadat, canonemque eatenus diminuendum, quatenus cannarum numerus imminutus appareat. Contrahentes enim dum canonem solvendum statuerunt ratione juliorum duorum pro qualibet canna, palam fecerunt ipsos voluisse, ut major, vel minor canon rependi debuisset ratione majoris vel minoris fundi latitudinis, ita ut hac imminuta, pro intranti cannarum quantitate imminutus canon pariter fieret. Sed omnem hac de re quaestionem dirimebat animadversio, quod monialibus pateret via, nequid damni ex memorata domus venditione ipsae persentirent. Restituto enim Pontificio regimine, religiosisque familiis iterum compositis, Pius VII. sa. me. nedum alienationes confirmavit a fisco gallice factas, sed indemnitatem certo statuto tempore iis conventibus tribui jussit, quorum bona posita sub corona ab invasore fuissent. Iis itaque curandum erat, ut intra legittimum tempus indemnitatem peterent, et obtinerent, quod si facere neglexerint, sibi imputent damnum ex propria secordia obventum, quin ullum canonem petere a cappellania valeant pro domus parte, quae alienata fuit. Propriam enim negligentiam non possunt in alterius perniciem retorquere.

§ 9. Ex quibus omnibus fluebat nullam prorsus ingerere difficultatem, quod cappellania solidalem susceperit obligationem integri canonis persolvendi. Ex jure namque, et ex contrahentium voluntate difficultas summovebatur. Ex jure videlicet, quia haec obligatio vires suas exerere poterat, donec res in eodem statu manerent, nec extendere licebat ad eum etiam casum, quo a directario directum dominium, aut ejus pars sublata fuisset, atque ad alios in posterum translata. Cum enim per praedictam directi cum utili dominio conjunctionem, et subsequentem alienationem, omnia directarii jura ad eam partem domus redacta fuerint, quae a cappellania adhuc possidetur, canonis solutio ad hanc etiam partem cohibita necessario dici debebat, non obstante solidali obligatione de integro canone solvendo. Ex contrahentium vero voluntate, cum haec ideo tantum depacta deprehenderetur, ne coenobium directarium partitim canonem ab utroque emphyteuta exigere cogeretur, ad majorem scilicet commoditatem, facilioremque exactionem. Talem vero fuisse paciscentium voluntatem id apertissime ostendit, quod non aliter integrum canonem se soluturam cappellania spoponderit, nisi quo casu totum solveret, actio sibi a coenobio directarie cederetur contra alterum emphyteutam pro ea parte, quae rependi ab isto debuisset. Quum igitur hac tantum sub conditione ad solidum canonem rependendum se se cappellania obligaverit, manifeste eruitur, hanc obligationem suscepturam ipsam non fuisse, quo casu haec actio non cederetur, aut cedi non posset. Hinc si hodie talis cessio fieri nequeat, corruat oportet

relativa solidalis obligatio ex ea juris regula, juxta quam, deficiente correspectivo, et conditione, sub qua obligatio suscepta fuit, et ipsa obligatio evanescit.

§ 10. Perperam vero objiceretur huic jurium cessioni etiam hodie locum fieri, quod indemnitas fuerit divi Andreae conventui tributa pro ea domus parte, quae divendita fuit, quaeque ab ipso possidebatur. Etenim ab hac indemnitate deductus jam fuisse videbatur canon, quem conventus idem rependebat, idcirco quum nihil a divi Andreae coenobitis acceptum fuerit, quod ad directarium pertinuisset, nulla amplius actio superesset, quae adversus ipsos cedi valeret. At quamquam praedictus canon non fuisset deductus, ac propterea memorata sarcitio id etiam comprehenderet, quod ad directum dominium pertinuisset, ne hoc quidem in casu ad integri canonis solutionem urgeri capitulum posset eo sub obtutu, quod a conventu canonis partem repetere valeret. Quemadmodum enim moniales ipsae indemnitatem intra legitimum tempus petere, et obtinere debebant, ita hodie si quid ab eodem conventu acceptum fuerit, quod ad ipsas spectasset, curare debent, ut ab hoc indemnes serventur, illudque ipsis reddatur, quod in vim oblatae a pontificio aerario sarcitionis consequi jamdiu debuissent. Res enim non capituli, sed earumdem respicit jus, et interesse. Utroque igitur in casu, quum desit jurium cessio, firma remanent quae huc usque dicta sunt, ideoque inutile prorsus erat inquirere, num reapse pars domus a cappellania possessa majorem redditum pareret, ac par esset integro oneri sustinendo. Quaestio enim non erat, an ex fructibus quos cappellania ex domus parte a se possessa percipit, posset integrum canonem persolvere; sed an jus monialibus competeret integrum canonem a cappellania petendi, etiamsi domus pars libera evaserit, quod superius dicta penitus excludunt.

§ 11. At non modo deerat legis alicujus violatio, aut praeteritio, sed nova etiam desiderabantur decisiva documenta. Quae enim documenta afferebantur, fides nempe publici census, qua controversa domus notatur ipsiusque redditus, et valor, nec non alterum, quo indemnitates coenobitis « *delle fratte* », aeque ac onera sublata demonstrantur, nec nova erant, nec decisiva. Utrumque enim ante rei judicatae prolationem extabat, cum in prima sententia legatur « *Visto il certificato del cancelliere del censo comprovante, che la casa in via Pinciana n.* 16 *al* 19 *gravata del canone, di cui trattasi, è posseduta da varj condomini* », atque in altera ejusdem confirmatoria referatur « *Considerando, che essendo state dal Governo Pontificio sanzionate siffatte vendite, le suore del s. Cuore non poterono ricuperare, se non quella porzione di casa, che non era stata venduta dal fisco* ». Non solum igitur nova dici non poterant haec documenta, sed ne erant quidem decisiva, quae scilicet rei judicatae injustitiam demonstrarent. Quid enim patebat ex illis, nisi domus partem a cappellania possessam majorem fortasse redditum parere, atque indemnitatem fuisse ab divi Andreae conventu receptam, quae ut superius notavimus, nullam suppeditant validam rationem, ob quam petitum restitutionis in integrum remedium concederetur?

§ 12. Ast aliud decernendum visum est quoad condemnationem ad expensas in moniales latam favore Josephi Cassetta, et fideicommissi Brignole. Haud equidem injustitiae expers erat haec condemnatio, cum eorum in causa interventus petitus a cappellania Alexandrina fuerit, invitis, et contradicentibus monialibus, quin controversiae definitioni necessarius apprime, vel utilis appareret. Cum enim capitulum petierit, ut eorum in causa interventus decerneretur, et reapse decretus fuerit, acriter moniales obstiterunt postulantes, ut nulla habita ratione « *al contrario intimato decreto del giorno* 30 *prossimo passato luglio sentirsi dichiarare, che non sia luogo alla chiamata a causa di Giuseppe Cassetta, e fedecommesso Brignole* », ita ut judex dubia pandiderit, quibus petitum interventum inutilem esse ostendit. Quibus tamen nihil obstantibus, cum eosdem capitulum ad causam vocaverit, necessario sequebatur contra ipsum, quoad hoc incidens, condemnationem ad expensas ferri debuisse. Alioquin moniales damnum persentire cogerentur ex facto, et culpa capituli, contra tritissimum legis praescriptum, quod qui damni causam dat damnum sarcire teneatur, et non sine vigentis codicis § 606 violatione, qui jubet ut judex possit « *ordinare la compensazione intera, o parziale, se le parti soccombono rispettivamente in qualcuno de' punti di controversia* ». Ex hac enim legis sanctione remittitur quidem judicis arbitrio, ut in totum vel pro parte expensarum com-

pensationem ipse decernat, neutiquam vero, ut omnimodam condemnationem ad expensas ferat adversus illum, qui victor quoad aliquod incidens discesserit. Immo ex eo ipso quod lex arbitrio judicis reliquerit in totum vel pro parte expensarum compensationem decernere, sublata ipsi dicenda erat facultas integram condemnationem absque ulla distinctione in moniales ferendi: facultas enim quae a legibus certos intra limites conceditur, extra hos sublata censeri debet. Ipsae ergo quae nihil umquam a Cassetta, et Brignole petierunt, quae eorum interventui acriter obstiterunt, quae professae fuerant eosdem esse causae omnino extraneos, quum damnari ad expensas circa hoc incidens non potuerint, erant quoad istam condemnationem in integrum restituendae. Atque ita etc. Utraque parte viriliter dimicante.

Die 29 maii 1845 « *in decisis* ».

Procuratores — D. Crispinus Cassini — D. Sylvester Pediconi. D. Odoardus Cherubini. D. Augustinus Rempicci.

Prot. 154/1844 R. P. D. ARNALDI Decisio VII.

ROMANA CIRCUMSCIPTIONIS

Jovis 13 *Februarii* 1845

Argumentum

Contenditur cedulam sententiae rotalis decisionibus haud esse conformem, ideoque petitur circumscriptio ex defectu jurisdictionis.

§ 1. Ex privata syngrapha a Dominico Benuccio, nomine etiam Marini ducis Torlonia, et Camilli marchionis Pizzardi sociorum in redemptura vectigalis salis et tabacoi, subsignata *die trigesima augusti* 1831 ex una, et ab Aloysio Pancaldi ex altera colligebatur, antequam redemptura concederetur, dum ad eam assequendam socii navabant operam, Aloysio Pancaldio, utpote qui propositionis initiativam tentasse existimaretur apud publicae rei moderatores, mentique suae adsereret, quod tractatus perfectionem, reique gerendae utilitatem respiceret, praemium ei pollicitum fuisse centesimorum sex cum dimidio utilium ex gestione profluentium, ab omni exemptum onere; collatoque etiam munere sub titulo « *di uditor generale* » honorario congrue constituendo.

§ 2. Verum cum ex valde conspicua summa, quam praestolabatur fiscus, alios allicere socios oportuisset, factum fuisset, quod post illam pollicitationem, ex novis superventis oneribus, decurtari ea centesima debuissent. Quod licet negaret Pancaldius; nihilominus « *per via di vera e reale transazione* » conventum fuit, loco centesimorum incerti redditus, quod certam argenteorum centum mense quolibet, toto redempturae tempore, assequeretur Pancaldius; ac praeterea ex repromisso auditoris officio, menstrua alia triginta argentea, remota omni cura, et labore, superaddita demum una tantum vice duplarum aurearum biscentum exhibitione. Haec summa transactionis illius, quae per aliquot annos executionem obtinuit.

§ 3. Post haec omnia, ex aliis pluribus, quae persetae sunt controversiae ab inhiantibus socialia illa opipara lucra, centesimorum illorum divitias, dum ad conspicuam *trigintamillium* argenteorum quilibet unus eveheretur, novit Pancaldius, *centumnonagintaquinque millium*, ac saltem *nonagintasex millium*, si uti asserebatur, usque ad semissem onera fuissent superventa, vix *vigintimillium* compensationem ex transactione recepisse; idcirco deceptum, ac enormissime laesum se habens, libellum obtulit sociis, ut contractus transactionis declararetur « *nullo, e come non avvenuto, ed in ogni modo rescisso per mancanza di causa, per vizio di lesione enormissima* » tribunalis A. C. sententia postulatum rejecit. Ast in provocationis sede ad Rotam, composita a partibus dubii formula « *An constet de nullitate,* VEL *sit locus rescissioni contractus diei* 30 *augusti* 1831 *ita ut, et*

quomodo; *et in qua centesimorum quota sit locus traditioni utilium, et quomodo, et pro qua summa relaxandum mandatum* » licet « *negative in omnibus* » responsum prodierit, quae sors fuit eadem in altero experimento, tamen in tertio resolutum fuit « *quoad transactionem recedendum a decisis, quo vero ad reliqua videatur particulariter* ». Nimirum, prout subinde contemporaneo decisum est, quod, rescissa transactione, centesimasex cum dimidio deberentur Pancaldio, cum diminutione, servata proportione onerum superventorum.

§ 4. Caeterum, ob enormissimam laesionem, transactionem esse rescindendam tam praecedentium revocans, quam subsequens decisiones proclamabant. Lata sententia est, quae declaravit « *constare de nullitate, vel esse locum rescissioni* CONTRACTUS TRANSACTIONIS ». Quod haud placuit Pancaldio; provocavit enim ad supremum tribunal pro circumscriptione cedulae illius sententiae, ex jurisdictionis defectu, contendens, haud dici posse conformem decisionibus, ex quibus, cum perspecte pateat, transactionem ex enormissima laesione nullam, irritamque fuisse declaratam; particula illa *vel* ponat in dubio an nullitas, ex enormi potius laesione derivata censenda sit, quae non tribueret plenam restitutionem, ac reintegrationem in integrum. Verumtamen, albo dignam calculo postulationem minime prorsus esse arbitrati sunt *Patres Domini*, edito rescripto « NIHIL » cujus justitia, hoc in priori certamine, ex subjiciendis rationibus elucescet.

§ 5. Principio animadversio illa occurrebat, quaestionem in sacro auditorio fuisse propositam sub dubii formula « *an constet de nullitate* VEL *sit locus rescissioni contractus* ». Cumque prius rejecta nullitas fuisset responso negativo; deinceps resolutum « *quoad transactionem recedendum a decisis* ». Si sententia concinnata est verbis « *constare de nullitate* VEL *esse locum rescissioni contractus transactionis* ». Profecto, an in sententia, potius quam VEL esse locum, exprimi imo debuisset ET esse locum, disquisitio istbaec praesefert indaginem super intelligentia rescripti jejune editi cum verbis, atque sententiis decisionum: ac simul relationis, quam ad idem rescriptum, ac decisiones omnimodam profitetur sententia. Jamvero, pendente adhuc judicio in gradu appellationis in sacro auditorio, si quid esset vitii vel potestatis excessus, cum hic longe abesset ab absoluto de persona ecclesiae, ac rebus, vel de valore litis, vel de materia jurisdictionis defectu; imo ex illis, qui potius laesionem parti, seu gravamen adducunt; monitum scriptum habemus in lege *ad* §§ 789 *et seqq.* « *Le nullità delle sentenze pei tre difetti sostanziali non rimesse, e non sanate, si propongono innanzi i tribunali di secondo, o di terzo grado, a cui si porta l'appello sul merito principale* ».

§ 6. Quod, si intimius perscrutanda res sit patebat, sententiam ad tramites decisionum, et rescripti esse intelligendam. Nam cum illa, proposito dubio, decisionibus ac rescripto se referat, et cum hisce cohaereat, sitque implicita; profecto, quemadmodum decisiones de nullitate ob laesionem enormissimam negotium absolvunt, ita intelligi sententia debeat, cum id omne repetitum censeatur in referente, quod sit in relato, ac juxta hujusce terminos intelligi oporteat. Quin vero etiam in aliqua dubietate se conformare cum relato praesumatur, neque idcirco esset attendendum, si vel etiam in aliquo discordare videretur. Bart in *leg. si mihi ff. de verb. oblig.*, *Alexand. cons.* 9 *num.* 12 *lib.* 5. *Decis. cons.* 63, *Rota decis.* 77 *num.* 13, *et* 413 *n.* 7 *cor. Molin.*, *decis.* 35 *num.* 9 *p.* 4 *rec.* Praeterea fundamentum, sive nullitatis, sive rescissionis, ex libello actoris, collocabatur in laesione enormissima. Atqui jugiter, ex illa tantum causa pronunciatum intelligitur, quae fuit in petitione deducta, ut arguit *gloss. in leg. si quis ff. de excep. rej. Bald. in leg. fin. cod. de suspect. tut.*, *Surd. cons.* 311 *num.* 16 *leg.* 2, *Rol. cor. Verospi decis.* 115, *in rec. par.* 4 *decis.* 346 *num.* 5.

§ 7. Non ambigendum, particulam *vel*, ut plurimum disjunctionem sapere; sed haud semel conjunctionem importat. Hoc in themate conjunctionem importare dicendum est. Repetantur sententiae verba « *constare de nullitate, vel esse locum rescissioni contractus transactionis* ». Nullitatis, vel rescissionis objectum transactio est, quae sane unquam haud rescinditur, nisi ob laesionem enormissimam. Cum enim in jurisconsultorum disputationibus quereretur, an transactio rescissioni subjacere potuisset, dum alii quovis pacto negarent, ne amplius, quod semel fuerat transactum, novis jurgiis exponeretur,

rem judicatam praestaret: ex juramento ipsi litis decisivo et liberalitati demum aequipararetur; alii affirmarent, dummodo, perpensa dubietate litis non ex esse tantum, sed ultra et usque ad triplum justi pretii laesio protraheretur. In hac ambiguitate illud mansit receptissimum juris effectum; transactiones ex enormissima laesione ultra dimidium in gravi excessu rescindi debere, cum universum jus abhorreat a dolo, qui in id genus transactionibus includitur, rejectisque ad sublevandam fraudem adminiculis, transactionem corruat, pernecesse sit quae evidentem dolum, malitiamque decipientis contineat. Perspecte *Urceol. de transact. quaest.* 94 *per tot.*, *Valeron. de transact. tit.* 6 § 2 *num.* 26, *Rota decis.* 75 *n.* 1, *Ver. de laesion. part.* 4 *rec. decis.* 269 *n.* 25 *part.* 11, *decis.* 397 *num.* 3 *cor. Celso*, *decis.* 838 *n* 16 *tom.* 3 *par.* 2 *cor. Molines.*, *decis.* 645 *cor. Lancet.*, *in Ravennat. canon.* 10 *jan.* 1757 § 1 *cor. Olivat.*, et *in Interamn. liberat. a molestiis* 7 *martii* 1760 § 7 *cor. Canilliac.*

§ 8. Cum igitur sententia de nullitate *vel* rescissione contractus transactionis jus dixerit, sequitur particulam illam *vel*, non esse accipiendam in sensu disjunctivo, verum in conjunctivo. Utrumque enim praedicatum in themate eamdem vim, ac potestatem habet; utrumque ex eadem causa profluit, et parilem producit effectum. Hisce sane in casibus haud insuetum in jure est dictionem illam *vel* in conjunctivam resolvi *leg. cum quidam* § *melius cod. de verb. signif.*, *Menoch. cons.* 187; *Gonzal. ad reg.* 8 *glos.* 3 *n.* 13; *Peregrin. cons.* 109 *leg.* 1. Neque sane sententia eadem dissentire a decisionibus dicenda est, cum non verbusculis sit insistendum, sed verae ac rectae intelligentiae quae cum decisionum dispositione concurrat, ut in similibus perbelle monet *s. Ordo in decis. de usufructu cor. Falcon.* 6 *num.* 2, *et Romana circumscript.* 31 *julii* 1842 *coram Rmo meo decano*, *et Firmana circumscript.* 1 *febr.* 1844 *cor. R. P. D. meo la Grua Valdina num.* 3.

§ 9. Eo vel magis, quia non solum decisionum, ac pronunciationis eadem sit ratio ac idem effectus, verum etiam quia hunc jam assecutus sit Pancaldius. Etenim abrogata transactione, eo in statu repositus est, quo ante transactionem erat. Siquidem, rejecto pretio, eam lucrorum societatis partem admissus est, quae juste, ac recte ex primaeva conventione adscribenda ei sit, veluti docuit altera rotalis sententia quae lata est super non resolutis. Adeo quidem, ut ineptissimum hodie sit de difformitate cedulae sententiae cum decisionibus movere turbas; dum illa eumdem tulit effectum; quemadmodum decisionum sensus, et ratio reposcebant. Et ita etc. Utraque etc.

Die 13 martii 1845 « *In decisis* ».

D. Antonius Pagnoncelli.
Procuratores D. Vincentius Binarelli. — D. Carolus Brunetti.
D. Aloysius Nardini.

Prot. 87 / 1844 R. P. D. LA GRUA VALDINA DECISIO VIII.

FERRARIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 13 *Februarii* 1845

Argumentum

Disputatur an gregorianae leges abrogaverint privilegia judicum residendi in uno potiusquam in alio loco; an judex coram quo instituta fuit actio personalis, absolvere contextim possit actionem successoriam quae ex illa descendat, quamquam judex non sit apertae successionis; an denique plures vicarii generales ab episcopo constituti in solidum, distinctam habeant jurisdictionem, ita ut successoriae actiones ad unum potiusquam ad alium ex eis deferri debeant.

§ 1. Pluribus potiebatur juribus Clara Masi nupta Joanni Gattellio tum in maternam Mariae Rosae Seraini, tum in fraternam Georgei Masi, tum denique in paternam

Cajetani Masi haereditatem, quibus juribus obstabant renunciatio ab eadem emissa in exiguae dotis scutorum bismillium constitutione, aeque ac transactio cum fratribus canonico Thoma aliisque Masi sub die 29 septembris anni 1810 inita. Plures decedens reliquit Clara filios filiasque, inter quas Vivinam, quae in sacra concesserat Antonii Vandini. Vandinius itaque iste post obitum Clarae inito foedere cum Joanne aliisque Gattelli, Clarae ejusdem filiis, in jus vocavit canonicum caeterosque Masi cives Argentanos, ut praevia nullitate renunciationis ab Clara emissae et transactionis ab ipsa subscripta, Vivina aliique Gattelli ad consuccessionem ex juribus Clarae in haereditatibus Rosae Seraini, Georgei Masi, et Cajetani Masi admitterentur; judiciumque istud instituit coram vicario emi Archiepiscopi Ravennatis, qui Ferrariae jus dicit. Respondit judex ille constare de nullitate renunciationis ac transactionis, simulque consuccessionem ac fructuum restitutionem concessit. Causa delata est deinceps ad Rotae tribunal, quod disputato dubio « *An constet de nullitate renunciationis et successivae transactionis, ita ut et quomodo sit locus consuccessioni etc.* » decrevit primum coram R. P. D. Marini non constare de nullitate renunciationis et transactionis, atque postea sententiam tulit coram R. P. D. Avellà Vandinii votis consentanea. Orta est exinde res judicata, contra quam Masii querelam circumscriptionis proponunt. Hanc autem eorumdem postulationem rescripto « *nihil* » hodie Patres dimiserunt.

§ 2. Duplici ex capite Masiorum defensores circumscriptionem actorum, quae coram vicario ravennatensi Ferrariae jusdicenti gesta sunt, deducebant: tum nempe ex eo, quod vicarii illius jurisdictio ex privilegio derivaret a novissimis gregorianis legibus deleto; tum ex eo quod ageretur de causa successionis quoad bona in argentano territorio posita, unde arguebant quaestiones eamdem respicientes non posse ad vicarium ravennatem Ferrariae degentem deferri; Patres vero putarunt oppositionem utramque esse prorsus rejiciendam. Animadvertebant quippe prae primis nemini esse ignotum, plures posse Episcopos vicarios generales aeque principales seu in solidum constituere, qui omnes causas ad proprios subditos spectantes cognoscant atque definiant, prout docent *Sbroz. de vicar. episc. quaest.* 50 *num.* 1 *et seq.*; *Ferraris bibliot. tom.* 7 *pag.* 288 *verb. vic. gen. art.* 1 *num.* 8; *Pirring. jus. can. in lib.* 1 § 28 *de offic. vic.* § 7 *num.* 29. *Gratian. disc. for. cap.* 65 *num.* 16 *t.* 4. Neque dubium erat, quin metropolita ravennas ex consuetudine immemorabili jure gauderet alterum ex vicariis suis nominandi, qui in media Ferrariensi civitate, sive extra propriam dioecesim sederet, ibique negocia judicialia tum civilia, tum criminalia absolveret. Eruebatur jus istud ex rejudicata rotali sub anno 1749 coram *Beaufort. de Cannilliac* orta post decisionem, cui titulus *Ravennat. seu Ferrarien. jurisdictionis super bono jure* 15 *martii* 1748, in qua rejudicata definitum fuit « *Constitisse et constare de bono jure archiepiscopi Ravennae in habendo et retinendo in civitate Ferrariae curiam seu tribunal apertum cum vicario etc. ibique exercendi jurisdictionem* ». Eruebatur praeterea ex testimonio ipsius magistratus Argentae, sive loci in quo Masii morantur, qui jus illud archiepiscopi apertissime confirmabat. Atque eruebatur demum ex responsis ejusdem ravennatis metropolitae praesidi provinciae datis, qui de jure isto ad propriam ecclesiam spectante gravissime testabatur; quae quidem emi illius viri dicta, qui summa laude et eximia pietate ravennatem ecclesiam regit, tanti Patres faciebant, ut eamdem, seposita etiam quacumque alia probatione, ad jus constituendum satis esse ducerent.

§ 3. Hisce autem positis ad id cohibebatur controversia, utrum leges gregorianae jus archiepiscopi ravennatis retinendi vicarium in civitate Ferrariae abrogaverint. Verum perspectum habuerunt Patres, de abolitione juris illius nullibi gregorianas leges loquutas fuisse. Declararunt siquidem ipsae jurisdictionem judicis cujuscumque privilegiati ac privativi cessasse; sed juribus ac privilegiis magistratuum, qui servabantur, nullimode derogarunt. Hinc si ageretur de jure ac privilegio quod respiceret personam judicis, vel naturam jurisdictionis illius, potuisset idem fortasse sub censura legum illarum cadere; cum autem res esset de jure, quod respicit tantummodo locum residendi, haud valebat intelligi sub dispositione legum earumdem comprehensum. Quandoquidem leges gregorianae anni 1831 dixerunt « *Tutte*

le magistrature delle quali non si fa menzione in questo regolamento sono abolite » et rursus « *Non vi saranno giudici particolari o privativi. Tutte le speciali delegazioni sono revocate* » et demum « *Niuno può esser tradotto innanzi altri giudici fuori di quelli competenti a forma del presente regolamento. È derogato a qualunque privilegio ed a qualunque legge, che disponesse in contrario* ». Sed nostro in themate haud agebatur de lite acta coram judice privativo, vel coram judice incompetenti juxta formam legum illarum; jurisdictionem siquidem episcoporum integram et incolumem ipsae servarunt, et expresso praeterea sermone quoad ipsam disposuerunt sub § 10 tribunalia omnia esse abrogata « *ad eccezione delle curie e tribunali ecclesiastici* ». Ergo nullum adjumentum poterant Masii defensores ex praescripto legum earumdem ad jurisdictionem vicarii ravennatis Ferrariae sedentis infirmandam sibi comparare. Fuit a legibus gregorianis jurisdictio archiepiscopi ravennatis confirmata procul dubio. De sententia igitur lata a vicario ravennate Ferrariae sedente nullimode valebant Masi defensores torqueri. Redibat enim perpetuo, quod leges gregorianae judices privilogiatos, specialesque delegationes aboleverunt, sed quoad privilegia judicum sedendi in uno potiusquam in alio loco nihil prorsus innovarunt. Quapropter dum certum erat, archiepiscopum ravenaten. ab antiquissimis usque temporibus jure usum fuisse retinendi vicarium in civitate Ferrariae, nequibat jus istud a gregorianis legibus deletum renunciari.

§ 4. Neque obstabat a gregorianis legibus fuisse episcoporum jurisdictionem servatam intra limites dioecesis cujuscumque « *I vescovi e gli altri arcivescovi, e per essi i vicarii generali nelle diocesi rispettive sono giudici ordinarii* ». Verba enim illa legis ita Patres interpretanda censuerunt, ut legislator voluerit iisdem episcoporum jurisdictionem juxta censuram juris canonici ad proprios illorum subditos cohibere, numquam vero quod voluerit materialem residentiae locum extra dioecesim judicibus ecclesiasticis interdicere, qui privilegio istiusmodi ex antiqua consuetudine gauderent. Abolitio privilegii hujusmodi, quo archiepiscopus ravennas pollet, praecipuam requisivisset mentionem, neque poterat profecto sub generali illa expressione comprehendi. Patebat ex hisce injuria Masii defensores circumscriptionem actorum, quae coram vicario ravennatensi Ferrariae residente gesta sunt, expostulasse, eo quia ex dispositione legis gregorianae apertissime privilegium illud residentiae haud fuit illi judici ademptum. Quod si dubia etiam dispositio legis illius apparuisset, perpendebant Patres, supremi Imperantis consensum accessisse, ex quo privilegium idem confirmatum extitit. Usque ab anno namque 1831 praesul pro-legatus vicarium ravennatem interrogavit super residentia illius, et usque ab eo tempore archiepiscopus pro vicario respondit proprium privilegium et jus vindicans: ucque deinceps de jure isto fuit ulla ratione dubitatum. Atque continuavit per annos quatuor supra decem, quemadmodum continuat adhuc archiepiscopus per vicarium Ferrariae sedentem causas definire et judicare, quin de hac re Supremo Imperanti notissima ullus umquam clamores excitare ausus fuerit. Nefas idcirco videbatur contra evidentem probationem istam Supremi Principis consurgere. Accedebat demum, neque unicum esse privilegium istud judicandi extra dioeceses, neque novum; Roma siquidem plures resident vicarii, qui jurisdictionem exercent pro abatibus sive episcopis extra dioecesim suam. Et nemini unquam in mentem venit de jurisdictione illorum dubitare.

§ 5. Eo se recipiebant post haec Masii defensores, ut ostenderent, privilegium archiepiscopi ravennatis judicandi per vicarium sedentem Ferrariae haud extendi extra causas, quae mensae archiepiscopalis interesse respicerent. Sed considerato ac perpenso integro tenore sententiae rotalis ortae ab sententia, quam R. P. D. Beaufort de Canilliac subscripsit, patebat apprime, privilegium illud fuisse archiepiscopo concessum etiam quoad causas, quae mensae interesse nullimode respiciebant, et inter dioecesanos ravennatenses agebantur Ferrariae repertos vel apprehensos, absque ulla licentia ordinarii ferrariensis. Ex quo descendebat perspicue, de jure vicarii sedentis Ferrariae judicandi causas omnes inter dioecesanos et subjectos foro ravennatensi, ex antiqua consuetudine, nullimode posse dubitari. Si namque fuit constitutum in rejudicata Rotali, vicarium ipsum posse quoque quaestiones definire inter dioecesanos ravennatenses Ferrariae apprehensos absque licentia

ordinarii ferrariensis, perspicuum est, quod de jure decidendi quaestiones inter dioecesanos non apprehensos nulla controversia movebatur, illudque ferrariensis ordinarius vel ipse admittebat. Profecto vicarius ravennas Ferrariae sedens controversias omnes dirimebat inter subditos ravennatenses, aeque ac inter subditos alienos in quibus mensa archiepiscopalis Ravennae interesse babebat; neque archiepiscopus Ferrariae jus istud denegavit umquam quoad subditos ravennatenses. Dubitavit vero, quin posset jus istud vicarius ravennas exercere in subditos ferrarienses etsi de interesse mensae ravennatensis ageretur: et dubitavit rursus, quin eodem posset vicarius ravennas uti in subditos ravennatenses, qui apprehendebantur Ferrariae, videbatur quippe eidem propria licentia necessaria, ut subditi etiam alieni in sua dioecesi possent valide apprehendi. Atque de hisce duobus dubiis fuit coram Rotae tribunali decertatum. Ex hisce vero omnibus fit apertissimum, jus vicarii ravennatensis decidendi controversias inter cives quoscumque subditos suos, qui intra dioecesim suam apprehenderentur, in disceptationem numquam fuisse revocatum, ac propterea disceptationem inter Masios et Valdinium actam, qui omnes Argentae degebant, potuisse procul a quacumque nullitatis labe ad vicarium ravennatem Ferrariae sedentem deferri.

§ 6. Restat nunc de altera Masiorum oppositione loqui ex eo deducta, quod cum de actione successionis ageretur, Argentae institui debuisset, quo loco apertam successionem eamdem asserebant. Quoad oppositionem autem istam, occurrebat ante omnia, non de successoria in themate, sed de actione potius personali actum fuisse. Et sane petitum est tum coram vicario ravennate, tum coram Rotae tribunali an constaret de nullitate renunciationis, et successivae transactionis, atque deinde veluti per consequens consuccessio quoque fuit expostulata. Perspicua igitur res erat, quaestiones praecipuas in praesenti certamine actas super nullitate renunciationis cecidisse, quam Clara fratrum favore exaraverat, aeque ac super nullitate transactionis, quam eadem Clara postea cum fratribus iniit. Neque dubium, quin in hisce instituendis actione personali Vandinius usus fuerit, ac proinde eaedem possent valide ad vicarium ravennatem Ferrariae sedentem deferri. Quod si ex hisce necessitas impetrandae consuccessionis descendebat, haud ex hoc poterat obligatio oriri judicem apertae successionis adeundi, licet namque haec nullimode potuisset principaliter ab vicario Ferrariae sedente cognosci, videbatur tamen potuisse ab eo per consequens decerni. Hisce adjungebatur, quod falso asserebant Masii defensores successionem fuisse apertam in civitate Argentae. Quoad successionem quippe Georgei, probabatur supremum ipsum vidisse diem Ferrariae, atque idcirco patebat, successionem illius in hoc apertam esse renunciandam: quoad successionem vero Clarae et Cajetani constabat non omnia illorum bona sita fuisse in territorio argentano.

§ 7. Caeterum haec etiam omnia animadvertebant Patres posse seponi. Dum namque certum erat, majorem bonorum partem esse in territorio sive ravennatensi sive argentano positam, plane consequebatur, quaestionem etiam consuccessionis debuisse ab archiepiscopo ravennatensi cognosci, ac potuisse propterea ad quemcumque ex vicariis archiepiscopi ejusdem deferri. Profecto tres habet, ut superius jam adnotavimus, archiepiscopus ravennas vicarios generales, quorum alter judicat Ravennae, Argentae alter, et tertius Ferrariae: omnes vero causas definiunt vice archiepiscopi. Ergo omnes ipsi unum constituunt cum archiepiscopo tribunal, unumque consistorium, sive auditorium, ad tradita per *Barbos. de off. et potest. episcop. part.* 3 *alleg.* 54 *num.* 26; *Pirring. jus canon. lib.* 1 *tit.* 28 *de off. vic.* §. 2 *num.* 35; *Ferraris bibliot. verb. vic. generalis tom.* 7. *art.* 1. *num.* 4. Simulac itaque certum erat bona extare in territorio sive ravennatensi sive argentano, plane descendebat, ad quemlibet ex vicariis generalibus potuisse Vandinium confugere. Semper enim erat idem archiepiscopi tribunal, quod causam cognoscebat. Neque poterat fieri distinctio inter jurisdictionem vicarii ravennatensis Ferrariae residentis; et alterius vicarii ravennatensis, qui Argentae jus dicit. Una namque est ravennatensis dioecesis, atque cum bona intra dioecesim illam reperirentur, hoc satis erat, ut quilibet ex vicariis curiae ravennatensis posset de quaestionibus super iisdem ortis judicium ferre. Tandem

nullimodo Patres fugit, quod etiamsi deberent jurisdictiones vicariorum ravennatensium in diversa territoria dividi, nihilominus numquam posset circumscriptio ex defectu jurisdictionis decerni. Numquam enim vicarius generalis ravennas Ferrariae sedens valeret incapax renunciari, utpote qui vicei archiepiscopi de rebus intra dioecesim ravennatensem positis, atque inter subditos ravennatenses judicasset. Quod si placeret etiam ipsum incompetentem retinere ratione domicilii, haud tamen posset amplius incompetentia isthaec Masios juvare, eo quia appellationem ipsi interponentes, et documenta defensionesque absque ulla reservatione producentes, defectum istum jurisdictionis sanassent, neque propterea possent amplius querelam circumscriptionis proponere, ad ea quae jam firmavit Ordo noster in *Camerinen. circumscriptionis seu restitutionis in integrum* 23 *februarii n.* 4 *cor. R. P. D. Alessi, in Anagnina circumscriptionis* 5 *decembr.* 1833 § 3 *cor. R. P. D. meo Ferlisi, et in Anconitana circumscriptionis* 3 *aprilis* 1835 § 6 *cor. Emo Vannicelli.* Et ita etc. utraque etc.

Die 3 aprilis 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Carolus Brunetti.

Prot. 108 / 1844 R. P. D. JANNI Decisio IX.

Verulana Circumscriptionis

Jovis 13 *Febr.* 1845.

Argumentum

In controversiam deducitur an possessio bonorum fideicommisso pertinentium, peti debeat coram tribunali loci apertae successionis ex censura § 441; *vel potius sit locus optioni concessae a* § 437.

§ 1. Donatione inter vivos Joannes, ac Tiburtius germani fratres Manni e Castro *Turricis* Verulanae dioecesis labente saeculo decimosexto fideicommissum instituerunt, ad quod suos respective filios, aliosque masculos descendentes in infinitum vocarunt. Joannes improlis decessit. Duo ex Tiburtio processerunt lineae, nempe Jacobi, et Francisci. Harum prior ante dimidium superioris saeculi per obitum masculorum exaruit; et quamquam altera nondum defecisset, bona fideicommissaria nihilominus occupavit per medium foeminarum familiae De Andreis, et illorum possessionem ad haec ferme tempora detinuit.

§ 2. Sed anno 1838 Marchiones Jacobus, Joannes, et filii defuncti fratris Pauli Antonii Manni, uti descendentes a Tiburtio, vadarunt apud *tribunal A. C.* Aloysium, Carolum, et Petrum De Andreis degentes in Urbe, nec non alios e familia extra Urbem commorantes, ut declararetur ipsis pertinere « *Il possesso di tutti li beni fidecommissarj . . . . . . indebitamente posseduti dagli stessi RR. CC.* » ideoque eorum favore decerneretur « *la immissione in specie nel possesso delli suddetti beni fidecommissarj* » relaxando mandatum « *tanto di reintegrazione, che d' immissione* ». Annuit petitioni tribunal A. C., ejusque sententiam confirmavit s. Rota, ut patet ex decisionibus *Verulana immissionis dierum* 26 *martii* 1841, 4 *martii, et* 20 *junii* 1842 *cor. cl. me. de Retz,* 15 *martii, et* 5 *julii* 1844 *cor. R. P. D. Alberghini.* Antequam res esset judicata plerique succumbentium amica transactione litem terminarunt. Unus *Aloysius* eam prosequi maluit, et cum resjudicata denique finem imposuisset, persuasit advocato Jacometti oeconomo sibi a SSmo deputato, petendam esse *circumscriptionem* hujus diuturni, et sumptuosissimi judicii, prout reapse factum extitit. Sed nimiam confidentiam in hoc Patres deprehendentes rescripserunt continuo « *nihil* » dato mihi munere vulgandae decisionis.

§ 3. Praetextum nullitatis Aloysius depromebat a § 441 praxis judiciariae, ubi disponitur « *Saranno introdotte avanti il tribunale del luogo, ove è aperta la successione* 1.° *le azioni sul diritto di succedere o in tutto, o in parte, per qualunque titolo, all' eredità del defunto. . . . . .* 4.° *le azioni che nascono da disposizioni fatte dal defunto, a causa di morte, in favore di qualun-*

que persona ». Ratiocinabatur enim, quod cum fideicommissi institutores diem extremum vidissent in oppido Turricis in phrusinatensi provincia, cumque bona fideicommissaria in eodem loco sita reperiantur, causae cognitio ad tribunal Phrusinonis dumtaxat pertinuisset, numquam vero ad congregationem civilem A. C., ubi fuit introductum judicium; proindeque circumscribenda esse, quaelibet acta ex defectu jurisdictionis ratione materiae, cum sit « *assolutamente insanabile* » ex censura § 796, et jurisprudentia deinde recepta, quam testantur nostri Ordinis decisiones praesertim *Perusina circumscript.* 5 *febr.* 1835 § 3 *cor. nunc Emo Vannicelli Casoni, Bononien. circumscript. vel pertinentiae* 21 *april.* 1841 § 3 *cor. R. P. D. Caracciolo Santobono, Romana circumscript.* 23 *januarii* 1840 § 2 *cor. R. P. D. La Grua Valdina etc.* Verum extra terminos legis hanc sermocinationem vagare fuit Patribus compertissimum.

§ 4 Observabant enim primo loco, § 441 perperam in hac specie recitari, cum ibi agatur de successione « *all' eredità del defunto* »; in themate autem de immissione ad bona, quae non veniunt appellatione haereditatis. Etenim haereditatis nomine ea solum continentur, quae defunctus habebat mortis tempore, *Rot. decis.* 127 *num.* 13 *coram Merlin., et decis.* 412 *num.* 10 *part.* 13 *recent.*, non autem quae dum vivebat quovis titulo alienavit, ut caeteroquin colligitur ab ipsa definitione haereditatis in *leg.* 62 *ff. de reg. jur.* Atqui bona de quorum possessione lis efferbuit, adeo abest dici posse haereditaria, ut neque ab intestato, neque ex testamento, neque demum causa mortis delata fuerint, sed *donatione inter vivos*, qua eorumdem proprietas eo ipso profecta est in donatarios ad *text. in leg.* 28 *cod. de donat.* Nec interest, in donatione fideicommissum contineri, quippe non aliud id praesefert, quam legem donationis, haud tamen excludit translationem dominii quod actu irrevocabili donantes abdicarunt, ut sonant verba ipsa instrumenti « *Joannes et Tiburtius particulari ex nunc donatione inter vivos pura, et libera, irrevocabilique donaverunt, et donant etc.* ».

§ 5. Ad removendam propterea querelam nullitatis illud abundasset, actionem haud respicere « *l'eredità del defunto* », quo casu debuisset adiri tribunal apertae successionis. In hac etenim circumscriptionis materia verba legis non sunt extendenda; quaelibet immo benignior interpretatio pro validitate actorum sumi debet, ne quod bona fide gestum est inutile reddatur, nec destruatur plerumque opus, ut accidit in specie, communi placito, pluribusque sumptibus, ac tempore consummatum. Sed illud praeterea datum non est Patribus intueri, libellum nimirum exhibere *petitionem haereditatis*, veluti ab Aloysio ferebatur. Eo siquidem haec actio potissimum respicit, ut declaretur, petitorem successisse in universum jus defuncti, *Kees in instit. lib.* 4 *tit.* 6 *num.* 183; *Voet. in pand. lib.* 5 *tit.* 3 *in princ.* Patebat autem ex libello, possessionis, non juris fuisse motam controversiam, quippe declaratione judicis non indigere actores putabant, ut ad fideicommissum vocati censerentur. Hinc potius quam declarari, sibi jus esse succedendi, invicem urgebant « *Che venisse dichiarato spettare, ed appartenere a favore degli attori il possesso di tutti li beni fidecommissarj .... come legittimi successori al sudetto fidecommesso* ».

§ 6. Perspicuum exinde videbatur, actum fuisse a marchionibus Manni pro *vindicatione* dumtaxat rerum fideicommisso pertinentium, quae post extinctam Jacobi lineam injuste migrarunt in familiam De Andreis. Quod si diu certatum est super jure, quod haberent in hisce bonis actores, haud est idcirco mutata actionis natura; quicumque enim vindicare constituit rem ab alio possessam, ostendere cogitur, eam ad se pertinere, *leg.* 9 *ff. de rei vindic.*, sed jugiter manet fuisse actum vindicatione, et juris controversiam exinde derivasse, quod revocatum fuerit in discrimen rerum dominium, cui innititur vindicatio. Quibus positis etiam ex hoc capite in themate exulabat dispositio § 441, cum respiciat « *le azioni sul diritto di succedere* », non autem vindicationes, quibus vult aliquis experiri, dum se dominum arbitratur.

§ 7. Excluso quocirca, propositam actionem esse « *sul dritto di succedere in tutto, o in parte, per qualunque titolo, all' eredità del defunto* », nulla sane lege adstringebantur marchiones Manni adire tribunal Phrusinonis, sed liberum eis erat judicium instituere vel in loco rei sitae, vel ubi rerum possessores morabantur, ad censuram § 437 qui concipitur

« *Le azioni reali, o miste, e quelle che riguardano il possessorio non sommarissimo, saranno introdotte avanti il giudice, o tribunale, nella cui giurisdizione esiste la cosa litigiosa, oppure avanti il giudice, o tribunale del domicilio, o dimora del reo; se vi sono più rei, avanti il giudice, o tribunale del domicilio, o della dimora di alcuno di essi, il tutto a scelta dell'attore* ». Proinde cum adessent rei conventi non minus quam tres degentes in Urbe, patet, marchionibus Manni non modo licuisse vadimonium indicere apud tribunal A. C., sed ratione domicilii omnino debuisse, vigore § 433, qui quoties « *uno de' rei abbia domicilio, o dimori in Roma* », vetat alibi posse actionem institui quam coram judicibus nostrae Urbis. Et ita in acri partium certamine jus redditum est, utraque etc.

Die 24 julii 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Tuccimei — D. Salvator Salvi.

Prot. 114 / 1844 R. P. D. FERLISI Decis. X.

Sabinen. Circumscriptionis

Jovis 20 *Februarii* 1845.

Argumentum

Quaeritur an novi operis nunciationis judicium sit indeterminati valoris; et novum opus dici possit extructio quaedam in restitutionem illius quae pluribus anteactis annis existebat.

§ 1. Quod sapienti consilio statuit nudius tertius Pontifex optimus, et maximus Gregorius XVI, quem diu sospitem, et incolumen Deus servet, encyclicis litteris ad diem 20 decembris anni nuper effluxi editis, cavens, quod « *Il disposto nel* § 1104 *del moto proprio* 10 *novembre* 1834, *che dichiara irretrattabili e definitivi i rescritti emanati dopo la seconda discussione nelle cause maggiori, avrà luogo soltanto, allorchè i medesimi sieno conformi all'opinamento, ossia decisione,* » ac rursus « *i rescritti difformi si riterranno come nuovo opinamento,* » tertii certaminis redintegrandi facultate victo tributa, hodie primum in hac controversia, quae Antonium inter Falconi, et Lucam Betti coram supremo Ordine fervet, locum sibi vindicavit. Ad trutinam siquidem revocata nostri Ordinis resolutione in comitiis diei 19 decembris superioris anni evulgata, quae circumscriptionis querelam ab Antonio propositam reiici prorsus mereri sanciverat, veluti decisio pandit ab rmo P. D. meo Decano ad eam diem edita, dum immutato in melius consilio sententiam antea panditam reformandam hodie Patres censuere ope rescripti « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram gubernatore Crustumeriae ex defectu jurisdictionis* PP. UU. II. SS., » novae decisionis vulgandae munus mihi dedere, causamque denuo secundum sanctionem praecitatae legis diei 20 decembris superioris anni post vicendium ad examen revocari jusserunt.

§ 2. Res porro erat de petita circumscriptione actorum, quae in novi operis nunciationis judicio coram Crustumeriae gubernatore fuerant a Luca gesta. Vix enim manum Antonius admovit novo extruendo tecto super cellae vinariae area Lucae aedibus in Ereti oppido apud Sabinos positis proxima, judicio illico coram juridico eo Lucas egit, urgenti poscens ritu solemniter eum inhiberi « *di fare la sudetta innovazione a pregiudizio dell'istante, e per tuttociò che all'istante medesimo porta pregiudizio* », quod novi operis nunciationis judicium dubio procul praesefert. Ideo siquidem adamussim interdictum bujusmodi institutum fuisse constat « *ut sive jure, sive injuria opus fieret, per nunciationem* INHIBETUR, » ceu totidem verbis ait Ulpianus *in princ. leg.* 1. *ff. de operis novi nunciatione,* cui perbelle concinit *Gothofredus in not. ad cit. ff. litt. A.* « ibi » *Porro nunciare novum opus est* INHIBERE, *ne novum opus aedificando fiat, aut perficiatur.* » Quod locum sane in proposita contentionis thesi sibi vindicabat, licet de construendo tecto ageretur incendio jamdiu collapso. Quum enim vetus tectum ab annis ultra triginta corruerit, susceptum aedepol ab Antonio opus, post diuturnum praesertim adeo temporis lapsum, novum dijudicari merebatur, neque meram veteris, collapsique tecti secum refectionem ferebat, cui remedium hujusmodi con-

grueret, quae ceterum investigatio non instituti quidem judicii indolem, sed intimam potius propositae actionis justitiam respiciebat.

§ 3. Tali autem pacto instituti judicii indole vindicta, illud prono velut alveo fluebat, ejusdem valorem *incertum, et indeterminatum* renunciari natura sua oportere, ejusque proinde cognitionem ab gubernatorum jurisdictione esse omnino alienissimam, ita ferente § 291 *num.* 1. *greg. codicis*. Idque suadebat primum vel ipsa naturalis ratio. Quum novi enim operis nunciationis remedium adversus futura tantum opera, non adversus praeterita inductum sit, veluti ait Ulpianus *in cit. leg.* 1 § 1; ejusque proinde valor ex futuris tantum pendeat operibus, quorum aestimatio procul a divinandi arte, atque in judicii praesertim exordio, (quod unum spectandum) praefiniri certe, tutoque nequit, absurdum equidem foret contendere, illius cognitionem valorem indeterminatum haud exhibere. Suadebat autem id eo vel fortius, tum apertissima romani juris censura, tum novissimarum praxeos legum, quibus in praesentiarum vivimus, dispositio. Et ad romanorum quod pertinet jus, illud expressim tradit Paulus *in leg.* 2 *ff. de praetoriis stipulationibus « Praetoriae stipulationes, quas inter potissimum recensetur - stipulatio ex novi operis nunciatione, - incertam quantitatem continere »*.

§ 3. Quo vero ad praxeos leges illud nominatim cautum *in* § 449 *num.* 3 *vigentis cod.* legitur, quod scilicet ab omni procul distinctione, vel exceptione « *Sono considerate come avente un valore indeterminato* » controversiae singulae « *il cui valore non risulti dalla dimanda dell'attore, nè dai modi di determinarlo, che saranno indicati nei §§ seguenti.* » Dum autem ambigi prorsus nequit, nullam specialem legis dispositionem postea adesse, unde novi operis nunciationis judicii valor queat praefiniri, nec verbum e contra, nec vola de vera illius aestimatione in primordiali occurrit actoris libello; quod unum oppido satis, ut *cit.* § 449 *n.* 3 dispositio sibi locum in themate vindicet. Maxime vero quum de futuris reapse, incertique proinde valoris operibus institutum ageret judicium, cujus proinde aestimationem non aliter certam, ac determinatam reddere valuisset actor, nisi certa pecuniae vi in ejus libello nominatim petita. Illud siquidem expressim sancivit subsequens § 463 quod « *Se il valore è incerto, la competenza può essere determinata dall'attore, allorchè dimandi una somma invece della cosa controversa* ».

§ 5. Tum romanarum autem, tum novissimarum legum censurae apprime congruebat judicium, et semel, iterumque, ac formiter discusso articulo, nudius fere tertius ab s. Ordine redditum, ceu videre est *in Romana circumscriptionis* 11 *julii anni nuper effluxi coram Rmo P. D. meo Conventati decano, et in Bononien. circumscriptionis* 18 *ejusdem mensis et anni cor. me.* Illud enim in utraque ea controversia re mature perpensa, et in acerrimo litigatorum conflictu definitum est, novi operis nunciationis judicia suapte indole indefinitum valorem exhibere, neque eorum aestimationem ex incertis peritorum relationibus, fervente plerumque lite exquisitis, adeoque suspicione haud vacuis, haurire licere. Secus quippe nutaret perpetuo in controversiis id genus judicum jurisdictio, quum fallaces plerumque sint, secumque saepissime pugnantes peritorum relationes; quod ceterum cum vigentium legum spretu e diametro pugnat. Nil enim magis ab sapientissimi legislatoris mente unquam abhorruit, quam tribunalium jurisdictionem incertam manere, ac veluti inter ambages nutare. Quod ut averteret malum, certas, et invariabiles normas ad causarum metiendum valorem praestitit, *censualem* nimirum bonorum *aestimationem* in actionibus realibus vel mixtis, *pretium conventum* in laesionis et nullitatis controversiis, ac (ne singula recolam) *annuum* demum *canonem* vicies supputatum in devolutionis judiciis; data actori facultate, si rei in judicium deductae valor incertus natura sua foret, certam pecuniae vim illius loco postulandi; ceu videre est *in* §§ 463 *et seqq. greg. cod.*, quibus supremum cohaeret tribunal *in Narnien. circumscriptionis* 16 *februarii* 1843 § 8 *cor. me*, alibique millies.

§ 6. Atque hinc irrito prorsus consilio eo nervos, conatusque omnes Lucae tendebat orator, ut supremo Ordini insinuaret, non incertum quidem et indeterminatum, sed certum potius et determinatum opus, sive unius tecti constructionem inhiberi in ejus libello actorem postulasse, neque themati proinde huic congruere regulas cunctas superius traditas;

sed litis aestimationem ex uno tecti valore, argenteis certe biscentum minore, esse metiendam. Initio enim vel ipse actoris libellus meminit quidem « *di un nuovo tetto basso, che rimarrebbe a paro delle fenestre della casa dell'istante,* » ad unamque ejusdem constructionem prohibendam petitionem suam ipsemet cohibuit, verum nullum prorsus in eodem libello occurrit, tum ejus latitudinis, tum ejus *longitudinis* indicium, ita ut neque opus quidem iu judicium deductum *certum*, ac *determinatum* valeat renunciari. Praeterea periculosum valde foret novi operis nunciationis judicii aestimationem ex futuri operis natura, ac valore metiri; quum et incertus plerumque sit operum hujusmodi valor, et tribunalium jurisdictio pendere secus in hac hypothesi deberet ex peritorum relationibus plerumque fallacibus, et ad opportunitatem exquisitis, quo sane nihil absurdius.

§ 7. Ceterum bisce etiam penitus missis, illud vere peremptorium urgebat in themate, quod indeterminatum valorem legislator attribuit controversiis singulis, quarum subjectum non incertum quidem natura sua foret, sed incertam potius praeseferret aestimationem, quod est diversissimum. Dum enim in § 463 expressim sancivit quod « *In tutti i casi il valore della lite sarà determinato dal valore della cosa richiesta,* » illud incontinenti subdit, quod « *se il valore è incerto, la competenza può essere determinata dall'attore, allorchè dimandi una somma invece della cosa controversa* ». Ne anceps in ipsomet litis exordio judicum maneret jurisdictio, legislator idem in anteriori § 449 *n.* 3 sapientissime cavit, certum ac determinatum controversiae valorem, (si ex speciali legis dispositione haud emergat) ex primordiali judicii libello erui debere. Licet hinc fingas, certum, ac determinatum fuisse opus, quod prohiberi Lucas petiit, cum ejus tamen valor, neque ex certis, et invariabilibus normis lege praestitutis, neque ex primordiali actoris libello erui valeat; (de tecti enim aestimatione Lucas in eo penitus siluit) id unum satis, ut inter indeterminatas controversias institutum recenseatur judicium. Ut enim ait textus *in leg.* 74 *et* 75 *ff. de verbor. obligation.* « ibi » *Certum est quod ex ipsa pronunciatione apparet, quid, quantumque sit..... Ubi autem non apparet quid, quale, quantumque est in stipulatione, incertam esse stipulationem dicendum est* ». Et ita etc. Utraque etc.

Proposita causa die 19 decembris 1844 rescriptum fuit « *Nihil, et extendatur decisio per Rmo Decanum, et reproponatur.* »

Die 8 maii 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Carolus Alcioni — D. Petrus Xistus Angelini.

Prot. 57/1844 Rmo P. D. CONVENTATI Decano Decisio XI.

Bononien. Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 20 Februarii 1845

Argumentum

Interposito recursu pro circumscriptione vel restitutione in integrum, et vadimonio deserto silentis petitio, nulla ratione suffulta, instante altera parte rejicitur.

§ 1. Mercatori Veneto Prospero Vandiere negotiationem in Pontificia ditione alere placebat, quare se convertit ad honestum virum Bononiensem Vincentium Bedini, validum in ea gerenda conditionibus, a quo acceptis, Vandiere Bononiam varias merces transmisit, quas vendere Bedinius nequiret nisi modo, et pretio constituto. Subinde cambiales litteras accepturas Vincentio direxit, quarum solutioni responderet mercium pretium, ut eae medium praeberent sive « *provista o fondi* ». Bedinius non renuit fidem suam in tesseris ponere, cui scribens addebat Prosperus se quidem pecuniam ad eas explendas missurum, quatenus tunc temporis merces venumdatae non fuissent, vel non aequarent, ita tamen, ut inferiori indicto pretio nemini umquam daretur « *Di nulla vendere al di sotto dsl prezzo, e condizioni fissate nelle mie diverse lettere, non volendo riconoscere nessun conto di vendita, che*

ne derogasse ». Nihil pecuniae Bedinius receperat; merces adhuc aderant; dies cambialium solutionis advenerat; debuit igitur aere proprio earum plures dimittere. Ceterarum accedebat finis, quin Vandiere de venditis, de adhuc existentibus mercibus, de impenso per computum commune factum suppeditare media recordaretur. Jura sua igitur Vincentio experiri opus fuit. Ad commercii Bononiae tribunal se contulit, riteque citato Vandiere petivit, ut ei terminus praefigeretur vel ad merces extantes redimendas, solutis una cum fructibus ad sex per singula centena scutis 2834 obul. 59, quotquot Bedinius erogaverat, eoque inutiliter elapso, ut publico vendi eaedem merces proclamarentur; quarum pretio satisfieri instanti liceret. Quindecim dierum spatium Vandiere concessere judices: perperam elapsi sunt: pro rerum subhastatione Bedinius institit, decretum obtinuit adversario jugiter contumaci. Evulgata sunt venditionis edicta adventurae die vigesima quinta novembris, quam adversus tunc prodiit Vandiere, qui pro ejus nullitate judices ordinarios provocavit, insuper interim venditione obventa altero incidenti purgationem attentatorum quaesivit per procuratorem in utraque quaestione speciali mandato suffultum. Rejectis a primarum instantiarum Bononiae tribunali petitionibus Vandiere, dum ei ab appellationis judicibus imminebat alterum naufragium, interjicere recursus non timuit coram aula commercii ut singula acta per Bedinium ibi gesta circumscriberentur vitio citationis, mandati, et jurisdictionis, sin minus ei restitutio in integrum tribueretur. Visum tamen est hodie pugnam reformidssse. Deserto enim vadimonio unus Bedinius arma arripuit; ex quo magis Patres silentium Vandiere rescripto mulctarunt « *Nihil de circumscriptione, et restitutione in integrum* ». Quibus rationibus ducti sint mihi commendarunt ut decisione edenda eas enarrarem, quas adversus insurgere ad legum tramites in novis comitiis victo licebit.

§ 2. Nimio aestu Vandiere acta commercii Bononiae singulis foedata vitiis aggredi maluit; unum saltem ex iis Patribus hodie detegisset. Siquidem videtur nec ei evenisse argumentum ullum reperiri, quo ex una vel altera parte quaerelam suam consistere faceret. Et sane Patres animadverterunt citationem praeivisse judicium a Bedinio instauratum ea punctim methodo, quam circa exteros lex suppeditat. Venetiis morabatur Vandiere: exemplar igitur vadimonii subjectum fuit Emo Legato Bononiae, in eoque nomen ejus vices fungentis adscriptum, quod erat servandum juxta litteram § 485. Nec tempus ad tribunal advocationis diminutum fuit nisi praesidis intercedente placito, quod aperte sinit § 478. Adest igitur citatio, quin per eam admonitum non fuisse Prosperus inficiari valeat.

§ 3. Pejori exitu Vandiere mandati veritati obstaret. Contumax ipse fuit, quare de mandato ejus procuratoris nullatenus investigare oportet. Nihil equipollentius pro Bedinio defensor promere poterat quam autographas Vandiere litteras, quae penes clientem habebantur. Evidens est propositum § 401 « *Equivale a mandato la produzione di scritture private, che contengono obligazione, e servono di fondamento alla dimanda* ». Eae enim litterae praeseferebant tum promissiones Prosperi, tum super iis actio Bedinii innitebatur. De validitate igitur procurae Patres dubitare abhorruerunt, eo magis, quod multo ante quam circumscriptionis recursus prodiisset, variis ratihabitionibus Bedinius illum confirmaverat.

§ 4. Nemini magis decebat inquisitio, atque instantiae per Bedinium permotae definitio, quam commerciali tribunali Bononiae. Illuc enim Vandiere dederat epistolas, quibus consideratis, Vincentius annuit contractui. Bononiae igitur contractus consumatus fuit, ibi igitur sumendum erat judicium « *Se il reo non ha domicilio, nè dimora nello Stato sia perchè estero, sia perchè assente, l'azione personale sia indotta avanti il giudice o tribunale del luogo, ov' è contratta l'obligazione* » § 434. Nec abesse posset quaestio a judicibus commercialibus quippe quae scatebat ab expromissione inter negociatores acta, nempe inter Vandiere et Bedinium utrum negociatorem. Ita sancitum est in commerciali codice art. 601 « *I tribunali di commercio giudicheranno di tutte le controversie relative alle obligazioni, e contrattazioni fra negozianti, mercanti, e banchieri* ». Insuper onus injunctum a Vandiere, et susceptum a Bedinio actus erat commercialis. Nova ratio qua ex citato articulo ad aulam mercatoriam deferri judicium oportebat « *I tribunali di commercio giudicheranno. 2° Fra ogni sorta di persone delle controversie relative agli atti di commercio* ». Haec immota sunt et a Senatu nostro perpetuo confirmata, et quidem recens in comitiis 23 prox. praeteriti januarii teste decisione,

cui titulus *Bononiensis circumscriptionis et restitutionis in integrum cor. me* ». Undequaque igitur circumscriptionis querela inspiciatur, nullum citationis, mandati, et jurisdictionis vitium relevatur. Quibus praeterea defectibus Vandiere valedixisset, quum, caussae merito posthabito, consequentes actus prosecutus est nullitatem venditionis aggrediens, atque incidens expertus coram ordinariis judicibus. Inutili prorsus conatu bodie pro circumscriptione gestorum in aula commercii Bononiae orasset quin rescriptum evasisset, quod ejus silentio datum est « *Nihil* ».

§ 5. Dum salva consistit res judicata tribunalis commercialis Bononiae, de injustitia eam arguere haud amplius licet. Quae de circumscriptionis enim modo superius dicta sunt, et de restitutionis in integrum peremptione repetere obvium est. Acceptam enim habuit Vandiere rem judicatam statim ac medium praetulit disputandi de nullitate venditionis: sero viam modo arripere vellet quam sponte ipse dereliquit. Quatenus vero res integra foret, nedum quavis injustitia redolere debet res judicata, sed manifesta quae vel a novis authenticis documentis invictis eluceret, vel ab eorum falsitate super quibus judicium innixum fuisset, vel a praeteritione alicujus legis, vel tandem a spretae alterius vigentis, quibus exceptis conditionibus contentis in § 1057 nemini restitui in integrum licet, quin legis rigorem temperari posse Vandiere arbitraretur gratia unius dumtaxat sententiae, quae hodie rem perfectam judicatam sine ulla distinctione parit « *Nasce ancora la cosa giudicata dalle sentenze proferite in primo grado quando sono inappellabili per disposizione della legge, o quando sono divenute tali per fatto della parte, che abbia rinunciato all'appello, o lasciato perimere il diritto d'interporlo, ovvero di proseguirlo* » § 472.

§ 6. Perpenderunt Patres instantiam Bedini, consecutamque sententiam: una, et altera plenissime justitiae respondent. Fuit ipse Vandiere, qui dum rogabat Bedinium acceptas habere cambiales litteras pro solutionis indemnitate, merces ei transmissas proponebat, quae tamen modo, et pretio constituto nisi venirent, spondebat parem pecuniam se daturum. Supervenit dies, qua primarum cambialium extinctio urgebat: satis non erat quod a mercibus ea lege vendendis collectum fuerat; de proprio aere Bedinius litteras saturavit: alterae ad finem imminebant: nequicquam Prosperus lacessibatur ad solutum refundendum, atque ad paranda media solvendi ceteras litteras in proximo explendas. Opus igitur Bedinio fuit judices adire, ex quorum ministerio cogeretur Vandiere ad merces recuperandas infra terminum praescribendum, necessaria praestita pecunia, eoque elapso publica hasta merces ipsae subjicerentur. Instantiam tribunal commerciale excepit, quindecim dierum intervallo ad dirimendas merces Vandiere statuto. Nil prudentius. Ad vindicandas merces sub hasta ligatas congruum temporis spatium domino concedebatur, quo nolente, jus spe illorum devincto, cambialium solutioni tribuebatur merces publico venui exponere. Renuente enim datae fidei debitore, res ibi obligatas et pignora, accedente judice, creditori vendere pertinet. *Leg.* 8 *ff. de distract. pignor. et hypothec.* Quanto magis Bedinium lex succurrebat, cui damna pro solutis tesseris obventa, et pro solvendis futura derivabant unius Vandiere culpa, qui non praestiterat « *alla scadenza i fondi* » fracta fide iisdem plane verbis in epistolis suis obtestata.

§ 7. Adeo temperans sententia fuit ut eas merces licitandas sanciverit, quae in notula per Bedinium exhibita continebantur, earumque pretii tantum sibi creditor adscriberet, quantum de aere soluto, ac quamprimum solvendo satisfactus iret. Si quid igitur superesset, eidem Vandiere pertinuisset. Porro ex ea notula quae merces sub hasta positae habebantur, quasque antea venditas vel adhuc existentes non latebat. Nihil enim detrimenti Prospero ea sententia attulit, ut ei prohiberetur computum a Bedinio exigere singularum mercium Bononiam transmissarum. Dum igitur resjudicata summam praesefert justitiam, adversus quam nullum insuper objicitur documentum quo deduci valeat eam infringi posse, perperam in integrum restitutio desideratur, cujus imo petitionem dimittere leges voluerunt rescripto per Patres edito « *Nihil* ». Et ita etc.

Die 8 maii 1845 « *Quoad circumscriptionem in decisis, in reliquis de causis sine praejudicio reijudicatae etiam quoad refectionem expensarum, et extendatur decisio per* R. P. D. *Ferlisi, et reproponatur.* - Die 10 junii 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Carolus Brunetti.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 20 Februarii 1845

Argumentum

Disputatur an verba « in figura di commercio » *supervacue in libello civilis causae apposita, ad validitatem noceant actorum; an productione processus exequutionis mandatum procurae tacitum probetur; an constitutio procuratoris in secundo gradu valeat pro ratihabitione gestorum in primo; an in simplici oppignoratione bonorum immobilium, ad valorem litis metiendum, aeris alieni, quo ipsa bona sint obnoxia, aliqua ratio habenda sit. Disceptatur denique de exequutione super rebus socialibus patrata, et de inobservantia termini a lege dati ad respondendum dubiis.*

§ 1. Sententia tribunalis Consularis Valentinus Giraldi damnatus fuit ad persolvendam equiti Francisco de Bellem summam scutor. 163. Post inutiliter expectatam per aliquot menses solutionem, creditor die 12 martii 1844 sub exequutione posuit non solum quotam, qua Valentinus pollebat super socialibus negociis Giraldinae rationis, verum etiam aliquot bona, quae indivisa possidebat cum ejus fratribus. De exequutionis nullitate illico fratres protestati fuerunt, eaque in judicium deducta, a tribunali A. C. remjudicatam obtinuerunt, qua exequutio nulla declarata fuit, atque Bellemius damnatus ad damna sarcienda eo quod « *caduta sopra beni, e generi sociali, sui quali sebbene il detto Valentino apparisca socio, tuttavia la sua quota resta assorbita dai pagamenti per di lui conto fatti* ». Ex defectu tum mandati, tum jurisdictionis hujus reijudicatae circumscriptionem, sin minus restitutionem in integrum Bellemius postulavit. Sed Patres circumscriptionis querela rejecta, restitutionem in integrum tantum concesserunt, edito rescripto « *Nihil de circumscriptione, in reliquis de causis sine praejudicio reijudicatae, etiam quoad refectionem expensarum* ».

§ 2. Nam quoad mandatum defuisse quidem contendebatur, sed contra actorum judicialium veritatem. Causidicus enim Ferdinandus Lentius nedum expresso, sed etiam tacito mandato munitus judicio stetit. Expressum scatebat ab actis; in quibus repetitum fuit « *il generale mandato di procura fatto in persona del procuratore Lenzi* »; quod mandatum non ab uno Valentino, prout asserebatur, sed a « *Valentino, e fratelli Giraldini* » obsignatum fuit, nomine nimirum rationis Giraldinae. Nam in syngrapha sociali conventum fuerat, quod « *la firma della società sarà Valentino, e fratelli Giraldini* ». Neque tacitum mandatum desiderabatur. Lentius revera produxit exequutionis processum rationi indictum, qui processus nonnisi ab eadem ratione tradi ei potuit. Quibus omnibus fastigium imponebat ipsius rationis ratihabitio. Nam Lentius in gradu appellationis procurator constitutus fuit, ut primae sententiae confirmationem obtineret. Si igitur Lentius rationis mandatum habuit, si Lentius illud repetiit, si processum exequutionis produxit, si omnia ratihabita fuerunt in gradu appellationis, mandati defectus delirantis somnium est.

§ 3. Neque secus sentiendum est de jurisdictionis defectu. Nam agebatur de nullitate exequutionis patratae vigore sententiae tribunalis Consularis, quod Romae jus dicit, quocirca nonnisi coram A. C. nullitas postulari poterat. Apertissime enim in § 1146 sancitum est, quod « *Gli atti, che riguardano pignoramenti, e vendite giudiziali in virtù di sentenze dei tribunali di commercio, si faranno sempre innanzi i tribunali civili, qualunque sia la somma in esse contenuta* ». Quin rem mutet, quod tribunal A. C. aditum fuisset « *in figura di commercio* », fere ac si ejus jurisdictio excitata fuisset, non qua tribunal civile, sed qua tribunal mercatorium. Nam ex processu actorum patuit illius tribunalis civilem tantum jurisdictionem invocatam fuisse; quod adeo verum est, ut Bellemius citatus fuit « *a comparire dopo otto giorni* »; qui terminus in causis commercialibus ad tres dies cohibetur; insuper tribunal A. C. sententiam tulit *in primo grado*, laturum *in grado di appello*, si uti tribunal mercatorium jus dicere voluisset, neque pronunciavit « *in grado di commercio* ». Praesumendum itaque erat

jurisdictionem civilem exercuisse. Nam receptum in praxi est, quod quando judex duplicem habet jurisdictionem, censeatur ea potestate processisse, qua actus valere potuit. *Marchesan. de commissionibus part.* 1 *cap.* 2, *Ubertus de citationibus cap.* 9 *num.* 13, *Costantin. vot. dec.* 464 *num.* 20. Quibus omnibus accedit, quod appellatione ab illa sententia interposita, causa contestata fuit coram primo turno, non qua tribunali Consulari, sed qua tribunali Civili.

§ 4. Ex quibus omnibus PP. mei arguebant verba illa « *in figura di commercio* » aut superflua fuisse, apposita fortasse, ut demonstraretur, quod causa procedebat a tribunali mercatorio, et quod illius vice de nullitate exequutionis judicium ferre debebat, quo in casu sicuti utile per inutile non vitiatur, ita superflua illa verba nullitatem inducere nequibant, neque tribunali jurisdictionem adimere, qua pollebat; aut pro falsa demonstratione erant accipienda, et in hoc altero casu, sicuti dubitari non poterat quin Bellemius mentem revera habuisset adeundi tribunal A. C. qua tribunal civile, its falsa demonstratio, nihil, prorsusque nihil ad actorum validitatem nocebat, *ad text. in l.* 33 *de condit.*

§ 5. Neque nullam PP. existimarunt sententiam in gradu appellationis latam a prima sectione tribunalis A. C., fere ac si causa ad S. Rotam deferenda fuisset. Nam exequutio patrata fuit pro summa tantum scut. 163. Contra ad causae valorem dimetiendum, spectanda est tantum summa, pro qua mandatum relaxatum fuit, uti sancitum est in § 1144 *codicis Gregoriani* « ibi » *Gli atti, e le controversie, che riguardano i pignoramenti dei beni mobili, ed immobili, dei diritti, o azioni reali appartengono al giudice, o al tribunale del luogo, o della provincia, ove esistono i beni, le azioni, e diritti pignorati, il tutto a norma della competenza rispettiva, avuto riguardo alla somma, per la quale si procede al sequestro, al pignoramento, all'arresto personale.* » Si igitur causae valor vim non attingebat scut. quingentum, manifestissimum omnibus est, quod ab una tribunalis A. C. sectione ad aliam in gradu appellationis erat deferenda, minime vero ad s. Rotam.

§ 6. Incassum acutissimi equitis defensores contendebant, executionem quamvis commissam pro scutis 163 intelligendam esse commissam pro summa majori, quia illa communis erat aliis Valentini creditoribus, quorum nomina ad scutorum 17000 eoque amplius assurgebant. Nam lex nullam distinctionem facit inter exequutionem, quae patratur super bonis nulli aeri alieno obnoxiis, et bonis aliis debitis gravatis; sed in genere volnit, ut causae valor metiri debuisset « *dalla somma, per la quale si procede al pignoramento* ». Nefas igitur est distinguere ubi lex non distinguit, et ad hunc casum trahere regulas, quae respiciunt pignus praetorium, toto coelo dissitum ab simplici pignoratione, et causae valorem metiri ab omnium creditorum numero, licet exequutio illos minime respiciat.

§ 7. Rejecta reijudicatae circumscriptione, beneficio restitutionis in integrum existimatum fuit Bellemio succurrendum esse. Nam coram tribunali secundi gradus servatae minime fuerunt formulae a praxeos legibus sancitae, quae in observantia ab Ordine nostro haberi potest « *come violazione di legge, ad effetto di accordare la restituzione in intiero nei seguenti casi,* 1° *se i tribunali non hanno dato per iscritto le ragioni di dubitare e di decidere ;* 2° *se le sentenze non sono motivate ;* 3° *se non furono osservati i termini sostanziali del giudizio* ».

§ 8. Pessumdatos revera fuisse judicii terminos substantiales manifestissimum omnium est. Nam decidendi rationes evulgatae fuerunt die 12 augusti, neque longior terminus ad respondendum datus fuit, quam octo dierum, quibus praeterlapsis sententia expedita fuit. Contra res erat de causa in gradu appellationis, quocirca post dubiorum indictionem viginti dies praeterlabi debebant, antequam causa proponi posset. Si igitur tempus ad defensionem parandam decurtatum fuit, si proinde Bellemius in eam conditionem adductus fuit, ut jura deducere non potuisset, dubitari nequibat, quin revera violati termini substantiales judicii fuissent. Æquum itaque est restitutionem in integrum Bellemio concedere, ut cor. s. Rota defensionem illam exhiberet, quam cor. A. C. rationis praecipitantia exarare non potuit; uti in casu prorsus simili definitum fuit in *Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 2 *maii superioris anni* § *pariter et seq. cor. R. P. D. meo Arnaldi.*

§ 9. In quam sententiam eo pronius Patres mei conscenderunt, quia injustitia quoque resjudicata laborabat. Nullam revera declaravit exequutionem super bonis communibus pa-

tratam. Coeterum in § 1353 codicis praxeos sancitum est quod « *La comunione de' beni fra il debitore ed altre persone, non rende nullo il pignoramento: quando essa sia dimostrata, il giudice, o tribunale ordinerà che venga soprassieduto nella vendita sino all'esito del giudizio di divisione sull'istanza del compossessore o condomino* ». Nulla igitur non erat exequutio, sed in actis exequutoriis supersedendum tantum erat, donec divisionis judicium ad exitum perductum fuisset.

§ 10. Neque recte rationis patroni objiciebant, legem illam trahi non posse ad res sociales, quae quum non a sociis, sed a societate possideantur, exequutio nulla est tamquam commissa super bonis alterius quam debitoris. Nam hac gravissima praetermissa quaestione, illud perpensum fuit, quod inter bona sub exequutione posita recensebatur « *un giardino con numero quattro fabbricati, otto fontane, e spalliere di limoni lungo i muri colle loro coperture complete, e numero quattrocento vasi da una soma con loro piante di agrumi* », recensebatur quoque « *un fabbricato composto di piano terreno di due vani, e di un piano superiore di cinque vani abitato dal d. Carlo Giraldini avanti l'ingresso del giardino* »; recensebatur tandem « *una bottega ad uso di osteria con un vano superiore ritenuto in affitto da Giuseppe Bruni* ». Quae quidem bona communia erant inter fratres Giraldinios, sed minime socialia. Nam societas inita fuerat « *per la fabbricazione della cera* », nec non « *per negoziazione di droghe* », atque in eam summa scutorum 12000 immissa fuerat. Nulla lex igitur prohibebat, quominus hujusmodi res oppignorari possent; nulla lex hujus oppignorationis nullitatem declarabat.

§ 11. Quin rem mutaret, quod viridarium, et aedificia ad cerae confectionem necessaria fuissent. Nam primum haec necessitas minime aderat quoad olera acria, quae quum in vasis consita essent, humo minime inhaerebant, eoque minus concurrebat quoad domum a Carolo Giraldini habitatam, et quoad tabernam a Bruno conductam. Res hae non solum sociales non erant, verum etiam societati minime inserviebant, quocirca illarum oppignoratio valida certo certius fuit; deinde etiamsi viridarium, et alia aedificia cerae confectioni destinata fuissent, ex hac destinatione non sequebatur quod socialia fuissent, sed sequebatur tantum, quod usque ad exitum societatis, ratio Giraldinia privari ab acquirente eis nequibat. Si enim (uti rationis defensores contendebant) societas est ens moralis a sociis distinctus, aedificia, quae socialia non erant, nonnisi conductionis titulo detineri ab ea poterant. At regula praxis est, quod si exequutio patretur super rebus locatis, conductio usque ad illius exitum servanda est *ad text.* in § 1258 codicis praxeos « ibi » *Se il debitore, e la sua famiglia dimorava nel fondo prima del pignoramento, continuerà ad abitarvi fino alla vendita; rimarranno fermi i contratti di affitto, e di colonia fino al termine rispettivo* ». Quoad igitur aedificia sociali negotiationi inservientia excipienda non erat nullitatis postulatio, sed penes societatem relinqui debebant usque ad illius exitum.

Die 28 februarii 1845 « *Declaratio pro parte Bellem* ».

Procuratores — D. Augustinus Pagnoncelli — D. Ferdinandus Lenzi

---

Prot. 149/1844 R. P. D. LIPPI Decisio XIII.

Civitatis Castellanae Circumscriptionis

Jovis 6 Martii 1845

Argumentum

Habes in Dec. III. quae ad trutinam redit, et revocatur.

§ 1. Quemadmodum narrat praecedens R. P. D. mei Ferlisi decisio, in promiscua Civitatis Castellanae civica pascua Bernardinus Candelori alienigena plura immisit armenta, quibus, instante ejusdem Municipio, semel, iterumque sub pignore mancipatis, damnorum judicia contestata, atque absoluta fuere. Ex quo factum, ut illius civitatis Jacobus Franci asserens simplici societatis titulo apprehensum pecus Candelorum retinere, sibique uni ejus-

dem proprietatem pertinere, coram loci gubernatore judicium adversus communitatem instituerit, sese manuteneri postulans in quieta et pacifica possessione « *del pascolo dei beni comunali situati nel territorio di Civita Castellana* », ac pro manutentionis effectu decerni « *il rinvio delle pecore apprese, e ricondotte allo stabulario in due volte negli scorsi giorni . . . . ai pascoli comunali* », vel aliud fieri « *che convenga alla qualità del giudizio, e al fatto della citata Comune. . . . . con condanna a tutti i danni, e spese* ».

§ 2. Tunc Municipium declinatoriae exceptionem proposuit, qua tamen rejecta, actoris petitionem excepit gubernator « *per la conservazione del mero possesso semplice, e momentaneo su i pascoli medesimi, ordinando il rinvio delle bestie apprese, e ricondotte come sopra* », ac condemnatione insuper adjecta « *a tutti i danni, e spese da sperimentarsi, e liquidarsi in congruo e separato giudizio* ». Cujus post sententiae indictionem, interjecto per Municipium ad supremum nostrum Ordinem recursu pro circumscriptione omnium actorum, negativum responsum Patres dederunt in praeteritis comitiis diei 9 januarii, perinde ac si res esset de summarissimo possessorio, quod etsi Communitatis interesse respiceret, ad gubernatoris jurisdictionem pertinuisset. Sed res hodie meliori in luce posita, ac intimius perspecta, contrarium retinuerunt, quod nempe etiam in casu summarissimi possessorii gubernator jurisdictione caruisset judicium ferendi in causa municipali, quodque revera non de summarissimo possessorio, sed plenario actum fuerit. Quare edito rescripto « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram gubernatore Civitatis Castellanae cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis, PP. UU. JJ. SS.* », mihi commissum fuit munus decisionem vulgandi.

§ 3. Quodque reapse sine jurisdictione processerit ille gubernator, etiamsi de summarissimo possessorio actum fuisset, satis superque constat ex privilegio communitatibus competenti, quarum causae, ut illae fisci, et provinciarum, absque ullo discrimine, vel limitatione tribunalium civilium jurisdictioni subjicit vigentis codicis § 291, ubi generali dispositione praescriptum legitur « *Questi tribunali conoscono, e decidono in prima istanza. . . . le cause* DI QUALUNQUE SOMMA, *abbenchè non maggiore di duecento scudi, che riguardano l'interesse de' comuni e delle provincie* ». Nec facultas in § 287 gubernatoribus tributa de summarissimi possessorii judiciis etiam ultra scuta biscentum cognoscendi, ac decidendi, adeo late accipienda est, ut ad eas etiam causas extendatur, in quibus de municipiorum re agatur. Istae enim ex praedicti § 291 praescripto a tribunalibus tantum civilibus absque ulla limitatione sunt definiendae.

§ 4. Neque vera § 286 gubernatoribus jurisdictionem tribuit quoad eas omnes causas, quae scut. 200 summam minime praetergrediantur, salva tamen contraria § 291 dispositione; § vero 287 hanc eorum jurisdictionem quoad litis valorem ampliat, quoties agatur de summarissimi possessorii judiciis « *Conoscono pure e decidono sino a qualunque somma. . . . . . . le cause di momentaneo e sommarissimo possessorio* », quin ulla mentio fiat de personis fori privilegio suffultis. Integrum idcirco manet quidquid in § 291 continetur. Atqui hic § absque ulla limitatione a gubernatorum jurisdictione municipia eximit quacumque in causa, ac tribunalibus dumtaxat civilibus jus tribuit de iis omnibus controversiis judicandi, quae eadem respiciant. Idcirco patet controversum de pascendi jure judicium, utpote municipale interesse respiciens, haud quaquam coram gubernatore, sed civili tantum tribunali agitari, ac definiri debuisse.

§ 5. Nec dici valet quod, quum § 287 gubernatorum jurisdictioni eas omnes causas commiserit, quae super summarissimo possessorio versarentur, huic jurisdictioni subesse ipsa municipia debeant, non obstante § 291 sanctione, idque ex ea regula, quod generi per speciem derogetur. Ex hac quippe regula contrarium immo firmatur. Si enim recte utrique §§ perpendantur, ambos generalem aeque dispositionem continere patebit. Nam si § 287 omnes in genere summarissimi possessorii causas gubernatoribus tribuerit; item § 291, qui privilegio municipia donavit, ut eorum causae a civilibus tantum tribunalibus in prima instantia cognoscerentur, nullam adjecit limitationem quoad sum-

marissimi possessorii judicia. Videndum itaque erat quinam ex hisce §§ limitationem alteri afferre dicendus esset, ut concludi valeret, an primus, vel alter locum obtineret in causis summarissimi possessorii municipiorum interesse respicientibus. Ast rem dirimebat animadversio, quod etsi § 287 generalis sit ex materiae ratione, et § 291 generalis quidem dici debeat ob privilegii concessionem, specialis tamen hic est quoad genus personarum, ad quas dumtaxat refertur. Posita itaque generica § 287 dispositione, et speciali quoad personarum qualitatem posterioris § 291 sanctione, veluti per consectarium descendit, quod, ut hic alteri praecedenti limitationem facit, ita ex praedicta regula, quod generi per speciem derogetur, eidem praevalere debeat etiam in causis summarii possessorii, quae tamen communitatum, vel provinciarum interesse respiciant.

§ 6. Quapropter semel ac civilibus dumtsxat tribunalibus Municipia subjici lex praecipit, nulla facta inter causas distinctione, ob id ipsum a caeterorum judicum jurisdictione in quibuslibet causis eadem exempta fuere. Hinc ut in vim dicti § 287 haec quoque jurisdictio Gubernatoribus concessa dici posset, oporteret, ut eo modo, quo specialiter lex ab eorumdem jurisdictione municipia exemit, specialiter etiam quoad haec judicia competentiam ipsis tribuisset. Nam quemadmodum fiscus et clerici gubernatoribus non subsunt, etiamsi de summarissimi possessorii judiciis agatur, quia scilicet lex alterius tribunalis jurisdictioni ipsos generaliter, et absque ulla limitatione subjecit, idem dicendum est de municipiis, quorum privilegium fiscali aequiparatur ac ecclesiastico praeferretur. Eadem siquidem ratio quum adsit quoad municipium, ac fiscum, eadem juris adesse debet dispositio. Immo si ne clericus quidem gubernatoribus hisce in judiciis subsit, a fortiori jure dicendum est municipium pariter eidem non subjici, quum ecclesiasticum privilegium municipali cedat.

§ 7. Ex quo sequitur municipiorum privilegium cohiberi non posse ad causas tantum pecuniarias, ex eo quod relativus § 291 ita sit conceptus, ut jurisdictionem civilibus tribunalibus tribuat cognoscendi, et decidendi causas, quae municipia respiciant « *di qualunque somma abbenchè non maggiore di sc.* 200 »: ex legis quippe littera, et spiritu excluditur hujusmodi distinctio. Et primo ex littera. Lex enim ideo de litis valore mentionem fecit, quia, quum quaelibet causa pro competentia metiri debeat, valorem habere dicitur. Neque enim aliter tribunalium competentia dignosci posset, nisi litis valor exprimeretur. Atque hoc sub sensu procedit lectio universa « *Del foro competente in ordine al valore della lite* », sub qua comprehenduntur causae dignitatum, jurisdictionum, filiationis, adoptionum etc. quas certe nemo pecuniarias dixerit, ut nempe perspicuum esset causas istas tribunalium civilium jurisdictioni subesse. Quum igitur de litis valore mentio necessario facta fuerit eo in sensu, ut innotescat quousque tribunalium civilium jurisdictio extendatur, et valor significet quid relativum, consequens est, quod tribunalium eorumdem jurisdictio, quae alioqnin ad causas summam scut. 200 excedentes refertur, atque si agatur de re fiscali, aut municipali, ad inferiores etiam causas extenditur, ita accipienda sit, non ut legislator causas diceret 20, 30 scutorum, sed causas omnes in genere inferiores, in quibus scilicet res litigiosa inferiorem valorem praeseferret, ut nempe eas a caeteris tribunalibus excluderet, quorum jurisdictio ad biscentum scutatorum causas coercetur. Nam sicuti in prima instantia caeteris in causis civilia tribunalia adiri nequeunt, nisi de summa scut. biscentum excedente res sit, sic, ut clarum fieret in causis ad municipia spectantibus silere quacumque aliam jurisdictionem, ac solum tribunal civile absque ulla exceptione competens esse, praescribendum a legislatore erat, quemadmodum praescripsit, ut istius cognitioni subjicerentur « *Le cause di qualunque somma abbenchè non maggiori di scudi* 200 », quoties respicerent « *l' interesse dei comuni e delle provincie* ». Quum enim ex litis tantummodo valore de competentia judicari valeat, nullo alio clariore modo legislatòr poterat ad omnes quaslibet causas absque limitatione privilegium municipiis concessum extendere, praeter eum quem adhibuit, decernens, ut istud locum haberet in iis etiam causis, quae biscentum scutis inferiores essent. Si hoc ergo in

sensu accipienda sunt verba § 291, manifestum est, quod mentio certae summae stat demonstrative pro rei litigiosae demonstrando valore, minime vero taxative pro causis tantum pecuniariis.

§ 8. Ex legis vero spiritu probatur, municipale privilegium in quibuslibet causis absque limitatione vim suam exercere. Nam si communitatum privilegium ad pecuniarias tantum causas cobiberetur, ex eo quod lex ita concepta sit « *Le cause di qualunque somma, benchè non maggiori di sc.* 200, *che riguardano l'interesse de' comuni e delle provincie* »; duo maxima absurda inde orirentur. Primum, quod non modo municipii, sed etiam fisci causae, quae non pecuniariae, sed summarissimi possessorii essent, a gubernatoribus cognosci deberent, quum iisdem fero verbis privilegium fiscale concedatur in § 328 « *Le cause* DI QUALUNQUE SOMMA MAGGIORE O MINORE DI DUECENTO SCUDI, *che riguardano l'interesse dell'erario publico, saranno conosciute, e decise in primo grado dalli tribunali civili, ed in Roma dalla congregazione civile dell'A. C. composta di cinque giudici* ». Jamvero quum pari privilegio fruantur municipia, et fiscus, quumque identicis verbis ambo privilegia descripta sint, quomodo dici poterit municipale privilegium ad causas tantum pecuniarias cobiberi, non item fiscale, ex quo nemo dubitat incompetentem esse gubernatorem? A pari igitur ratione concludendum est, ne contra municipium quidem competentem esse.

§ 9. Praeterea si privatus contra clericum de summarissimo possessorio contenderet, nonne sileret hoc etiam in casu gubernatoris jurisdictio, et clericus coram vicario generali conveniendus esset? Si igitur fiscus, et clericus in his eisdem judiciis gubernatoribus non subjiciuntur, cur idem de municipiis dicendum non esset, cujus privilegium non modo fiscali aequiparatur, sed ecclesiasticum vincit? Postquam enim in § 358 episcopi, et vicarii jurisdictio constituta est « *Nelle cause di competenza del foro ecclesiastico sia per ragione di materia, sia per ragione di persone* » limitatio adjecta fuit in § 361 quoad fiscum « *Le cause del publico erario, comprese quelle, che si enunciano nel* § 334, *abbenchè riguardino persone o fondi ecclesiastici, sono eccettuate dalla regola generale contenuta nel* § 358 », et eamdem limitationem addens in § 263 quoad municipiorum causas « *Il disposto nel* § 361 *e* 362 *comprende pure le cause de' comuni, e delle provincie, e gli atti esecutori, che le riguardano* », scilicet quod ecclesiasticum privilegium, quemadmodum fiscali cedit, ita quoque cedat municipali. Si igitur non modo fiscus, sed etiam clericus hoc eodem in casu gubernatorum jurisdictioni minime subesset, et si clerici privilegium silet quoad municipium, nonne absurdum esset, quod istud subjiceretur judici illi, cui minus privilegiatus haudquaquam subjicitur?

§ 10. Tandem gravius etiam absurdum oriretur in eo consistens, quod si hoc admitteretur, jam actum fere esset de municipali privilegio. Enimvero dum pro solutione ex. gr. scutorum viginti, quae causa pecuniaria est, municipium pro suo privilegio coram civili tribunali conveniendum esset, deberet ipsum pro causa servitutis, in qua fundus serviens valorem scut. biscentum non praeseferret, pro causa vindicationis fundi ejusdem pretii, quae causae procul dubio pecuniariae dici non possunt, pedanei judicis jurisdictioni subjici. Quale igitur esset privilegium istud, quod in minimis tantum rebus locum haberet, haudquaquam vero in gravioribus? Privilegiatum ergo dicendum esset municipium in causis solutionis pusillae summae, non item privilegiatum in causis gravioribus, et quando de summarissimo possessorio in jure pascendi indeterminato agatur, unde maxima damna in concives omnes, turbae, incommoda gravissima manare possunt?

§ 11. Ex hactenus dictis colligitur, nullam prorsus ingerere difficultatem argumentum discretivae, cui praeterita decisio innititur, ex eo depromptum, quod lex limitationem adjecerit in § 286 quoad gubernatorum usque ad scuta biscentum competentiam, minime vero post § 287, ubi de privativa eorumdem jurisdictione agitur in causis alimentariis, possessoriis etc., quasi legislator nullam exceptionem in § 287 adjiciens, jurisdictionem nullis limitibus circumscriptam concedere voluerit, non obstante § 291 sanctione. Etenim quum lex a gubernatorum competentia in § 286 sine ulla limitatione causas omnes speciatim subduxerit, quae municipia respiciant, atque civili tribunali eas peculiariter commiserit, inutile

prorsus erat iterum in § 387 easdem a gubernatorum cognitione subducere. Legislator siquidem semel ac limitationem posuit in § 286, qui in genere de gubernatorum competentia agebat, limitatione eadem causas omnes ipsis concreditas percellere voluit. Jurisdictio enim, de qua in § 287 disponitur, ex materiae tantum ratione originem ducit. Privilegium vero, quod aliquibus tribuitur, ut specialibus judicibus subsint, ipsi personae inhaeret, quae semel ac fori privilegio suffulta est, caeterorum judicum jurisdictioni haud amplius in quovis causarum genere subjacet.

§ 12. Quae omnia ita clara, et perspicua sunt, ut nulli prorsus dubitationi locum relinquant, quod privilegium municipiis concessum exceptionem haud patiatur in summarissimi possessorii judiciis. At clariora etiam, et evidentiora fiunt, si veterum legum sanctiones perpendantur, quum novum in jure non sit vigentes leges per veteres interpretari, ac explicari. Jamvero etiam antiquitus municipiis ecclesiis, pupillisque comparata fuere, ita ut privativos judices, privilegiatas contractuum judiciorumque formas habuerint. Clemens vero VIII, Paulus V, Innocentius XI peculiares virorum eminentissimorum congregationes deputare, coram quibus de rebus ad municipia pertinentibus agendum, ac dijudicandum esset. Stabilibus etiam communitatum bonis prospexit Benedictus XIV, S. Boni Regiminis congregatione constituta, ubi privative de municipali interesse tum aeconomice, tum judicialiter ageretur. Atque adeo privative S. illius Congregationis jurisdictioni municipia subjiciebantur, ut quum ex civicis, et promiscuis pascuis uberrimos ipsa proventus perciperent, et frequentissime idcirco orirentur de pascuis contentiones, istas semper eadem congregatio definiverit, quemadmodum ex votis, ac decisionibus s. Rotae *de voto*, vel *cum voto* vulgatis colligere est. Quoniam vero facillime acciderit, ut inter communitatum contradictores clerici adessent fori ecclesiastici privilegio gaudentes, jamdiu disceptatum fuit, quodnam privilegium potioris haberetur, utrum municipale, an ecclesiasticum, ot municipale pluries faciendum esse definitum fuit.

§ 13. Pianis dein, et Leoninis legibus idem jus confirmatum fuit, atque anno 1831, postquam edictali lege diei 5 julii de municipiorum aeconomica administratione provisum est, abrogatis aliis quibuslibet jurisdictionibus quocumque privilegio donatis, praeter expressas in organico regimine diei 5 sequentis octobris, ideoque abrogata etiam s. Congregationis jurisdictione, generalissime cautum, nulla facta inter diversas causas distinctione, ut civilia tribunalia primi gradus de causis cognoscere deberent municipiorum interesse respicientibus. Idque pariter in transitoriis sanctionibus constitutum est super causarum resumptione in § 81 « *Le cause pendenti innanzi i giudici particolari, o privativi saranno riassunte nello stato, e termini avanti i giudici, o tribunali ordinarj competenti. Quelle pendenti in prima istanza, ed in appello innanzi la s. Congregazione del Buon Governo saranno riassunte, e decise dalla congregazione civile dell'A. C., o dalla Rota Romana a norma delle rispettive attribuzioni* », quin ulla facta fuerit distinctio inter causas diversae naturae, inter scilicet de pascuis, aliasque id genus contentiones, quae pariter coram ipsa agitabantur, ac nullis etiam aliis judicibus data potestate casdem causas definiendi, praeter civile tribunal, et s. Rotam. Quibus legum sanctionibus quum vigentes leges cohaereant, ambigendum non est, quod ita municipia a gubernatorum competentia exempta dici debeant, ut nulla prorsus adsit exceptione in summarissimi quidem possessorii judiciis, quemadmodum noster Ordo jam tenuit *in Romana, seu Veliterna circumscriptionis* 10 *maii* 1838 *cor. R. P. D. Conventati decano.* Si itaque ex recta §§ 286, 287, 291 explicatione, ac veterum legum sanctione fit manifestum, quod municipia coram civilibus tantum tribunalibus in jus vocari possint, non obstante § 287, necessario sequitur, gubernatorem absque ulla jurisdictione judicasse, etiamsi controversum judicium super summarissimo possessorio versatum fuisset.

§ 14. At gravius illud accedebat, quod actio coram gubernatore instituta a summarissimi possessorii judicio omnino abhorreret. Etenim § 530 vigentis praxeos praescribit, quod « *Le azioni possessorie di competenza de' governatori sono quelle, che si comprendono negl'interdetti pretorj diretti a conservare il possesso momentaneo, e di fatto* ». Jamvero cum hoc praetorium interdictum eo tantum tendat, ut momentanea, et facti possessio conservetur, non modo de causae merito quidpiam statuere non licet, sed necessario etiam re-

quiritur, ut qui eodem ut velit, in rei controversae possessione versetur. Idque adeo certum est, ut si dubium adsit utrum actor possideat, nec ne, incompetentem gubernator sese declarare debeat, et a judicando se abstinere. Ita quippe jubet § 534 « *Nel decidere le questioni di sommarissimo possessorio il giudice dovrà inoltre osservare le seguenti regole: 4.º se, avuto riguardo agli atti esercitati dai litiganti, rimane torbido il fatto del possesso attuale, e momentaneo, nè può conoscersi chiaramente chi fra essi lo ritenga, il giudice ordinerà, che le parti si valgano de' loro diritti in altro giudizio possessorio, o petitorio, ed innanzi al magistrato, che sarà competente* ». Quum igitur procul dubio sit quod hoc interdictum detur « *ne vis fiat ei qui possidet,* » quemadmodum ait *Ulpianus in l.* 1 § 4 *ff. uti possidetis,* eidem locus amplius non erit, quo casu possessio etiam per vim amissa fuerit; tunc enim aliud interdictum restitutorium competit *unde vi,* quod ut idem jurisconsultus ait, restituit vi amissam possessionem.

§ 15. Hisce praemissis, si perpendatur libellus judicii introductivus patebit, controversum judicium a summarissimi possessorii indole quam maxime distare. Francius enim vadimonium adversus communitatem dixit, ad effectum « *sentire ordinare la manutenzione dell'istante AL QUIETO E PACIFICO POSSESSO nei beni comunali situati nel territorio di Civita Castellana, e per l'effetto della manutenzione ordinare IL RINVIO DELLE PECORE APPRESE, e ricondotte allo stabulario in due diverse volte nei scorsi giorni, e delle quali si ha ragione nelle due distinte citazioni del primo corrente, trasmesse contro Bernardino Candelori supposto padrone delle bestie stesse, IL RINVIO, ripetesi AI PASCOLI COMUNALI, od altro fare, disporre, e decretare, che convenga alla qualità, e giudizio, ed al fatto della citata comune, domandandosi ogni opportuno ordine esecutorio, o ordini gravatorj, CON CONDANNA A TUTTI I DANNI* ». Porro ex hujus libelli tenore quum constet juris pascendi possessionem Francium haud amplius habuisse tempore institutae actionis, quia armentum sub pignore mancipatum, et ad publicum stabularium abductum fuerat, propositum ab ipso judicium, super summarissimo possessorio versari minime potuit, ad quod proponendum in primis requiritur, ut amissa non fuerit possessio.

§ 16. Eo autem minus summarissimi possessorii dici poterat institutum judicium, quum Francius petierit, judexque decreverit « *il rinvio delle pecore* ». Neque vera quum armentum a Francio datum Candelorio in societatem fuisset, qui utpote alienigena pascendi jure non fruebatur, quomodo pecudum redditio decerni poterat, quin eodem tempore decerneretur, aut armentum ad Francium civem, non ad Candelorium spectare, aut ob initam societatem jus esse Candelorio in communalibus pascuis armenta pascendi, praevia titulorum inspectione? Ast haec inspectio, utpote a summarissimi possessorii indole abhorrens, et ad possessorium plenarium spectans, a gubernatore fieri nequibat. Hujusce igitur judicii limites praetergressus iste fuit. Nec regeri valet, quod pecudum redditio decerni necessario deberet, ex eo quod institutae actionis consectarium esset. Eadem enim quum ad possessionem minime pertineret, decerni nequibat in summarissimi possessorii judicio, in quo nil aliud gubernatoribus licet, nisi meram facti momentaneam possessionem inspicere.

§ 17. Sed hujusce judicii limites eo magis gubernator excessit, per condemnationem ad damna in municipium prolatam. Haec enim condemnatio ferri non valebat, quin cognosceretur jure ne, an injuria mancipatum fuisset armentum, atque ad publicum stabularium abductum. Et sane si jure factum hoc fuisset, ad damna condemnatio locum habere nequibat; ideoque hac condemnatione prolata, judicatum a gubernatore fuit, armentum sub pignore mancipari, atque ad publicum stabularium abduci non potuisse, quod aeque ad possessorium dumtaxat plenarium referebatur. Nam licet in possessorio judicio quandoque ad damna condemnatio locum habeat, id tamen nunquam obtinet in summarissimo possessorio, quum in isto nulla fieri valeat titulorum, rationumque disquisitio. Nec rem mutat, quod gubernator dixerit se manutenere Francium in possessione « *per la conservazione nel mero possesso semplice, e momentaneo nei pascoli medesimi* »; nam pro dimetienda judicis competentia, non quid judicatum, sed quid petitum, non quid a judice dictum, sed quid ab ipso statutum sit unice attendi in comperto est.

§ 18. Quare cum de possessorio summarissimo gubernator minime cognoverit, altera

oriebatur actorum nullitas. Excepto namque casu, in quo de summarissimo possessorio agatur, gubernatorum jurisdictio ad causas cohibetur, quae summam scut. biscentum minime excedant, juxta vigentis praxeos §§ 285 et 286. Quum vero judicium a Francio institutum jus pascendi per universum Civitatis Castellanae territorium respiceret, quumque de hujusce juris possessione tuenda ageretur, consequens erat valorem causae dimetiendum esse ex uno fundi servientis valore, ad monitum §§ 456, et 457. At valor praediorum, quae juri pascendi subjiciuntur, seu ipsum pascendi jus communitati in censuariis tabulis adscriptum, summam biscentum scutorum longe praetergreditur. Evidens idcirco erat alter jurisdictionis defectus, quum actio coram gubernatore instituta non modo communitatem respexisset, quae civili dumtaxat tribunali ex legis praescripto suberat, sed inter summarissimi possessorii judicia ne recenseri quidem potuisset. Hinc quaquaversus res inspiceretur, acta coram eodem gesta circumscriptionis gladio erant delenda. Atque ita etc. Utraque parte viriliter dimicante jus redditum est.

Die 29 martii 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Candidus Tosi — D. Vincentius Lippi.

Prot. 269/1843 **R. P. D. LA GRUA VALDINA** DECISIO XIV.

FERRARIEN. CIRCUMSCIPTIONIS

Jovis 6 Martii 1845.

Argumentum

An exceptio rei judicatae hauriri possit ex rationibus decidendi sententiae, et deferri aliquando possit ad supremum tribunal Signaturae; an sententia lata extra petita, nullitatis, vel potius injustitiae vitio laboret.

§ 1. Cum Joseph et Angelus Costa domunculam possiderent in civitate Luci, adnexam, et conterminam nobilibus aedibus comitis Joannis Antonii Bolis, eamdem altius tollere duxerunt, ut comodiori modo familiae necessitatibus occurrerent. Vix autem ipsi novum istud opus inceperunt, comes Antonius fratres Costa contestata denunciatione monuit, ne quid innovarent, quod fenestrae lumen minuere posset vel stillicidium impedire, neve quid immitterent in proprium murum. Cum vero operis continuationem nihilominus videret, eosdem ante gubernatorem Luci rapuit; et petiit latiori sensu se manuteneri in pacifica possessione propriae domus, et pro hujusmodi effectu praefigi brevem terminum fratribus Costa, ad effectum demoliendi novum opus. Excepit gubernator petitionem comitis, imperavitque manutentionem illius in pacifica possessione « *del di lui muro, luce, ventilazione, e prospetto della fenestra* »; praefixit terminum octo dierum, ut fratres Costa res omnes in pristinum statum reducerent. Appellationem isti interposuerunt ad tribunal Ferrariae, quod sententiam gubernatoris confirmavit in ea parte, quae respiciebat manutentionem; revocavit autem in altera, quae de reductione rerum in pristinum statum agebat. Tum comes causam detulit ad tribunal appellationis Bononiae, atque judices illi, post accuratiorem rei cognitionem, repositionem in pristinum comiti denegarunt quoad stillicidium, prospectum, et ventilationem, cum de turbato rerum statu hac in parte non constaret; concesserunt vero quoad muros seu tigna immissa. Ab hac sententia reclamavit comes ad plenum appellationis tribunal, quod reclamationem istam plene rejecit. Hinc comes idem recursum interposuit ad supremum nostrum Ordinem pro circumscriptione sententiae tribunalis appellationis Bononiae. Patres autem hoc mane propositam postulationem rescripto « *Nihil* » rejecerunt.

§ 2. Duplici ex capite defensores comitis Bolis defectum jurisdictionis in tribunali appellationis bononiensi arguebant: et primum quidem, quia judices illi contra rem judicatam jam ortam pronunciarunt; deinde quia extra petita, et extra actum appellationis sententiam tulerunt. Ad primum vero quod attinet, dixit profecto tribunal bononiense

non constare de turbata possessione quoad stillicidium et prospectum; sed ex hoc animadvertebant Patres, nullimode posse deduci pugnantiam eum manutentione jam a rejudicata concessa. Aliud enim erat investigare de turbato rerum statu ad effectum manutenendi; aliud, prorsusque diversum de turbatione illa cognoscere ad effectum demoliendi, ac destruendi opus jam absolutum. Porro ut de reductione in pristinum statum judices bononienses sententiam ferrent, indago erat etiam ab ipsis instituenda super antiquo rerum statu, illumque debebant iidem cum recentiori conferre. Verum ex investigatione ista resjudicata, quae manutentionem imperaverat, nullimode infringebatur. Haud enim rationes, quae judicibus sententiam latam suaserunt rem judicatam constituunt, sed res judicata eadem ex partibus dispositivis sententiarum exurgit. Atque hinc est, quod exceptio rei judicatae ex dispositivis partibus istiusmedi, numquam vero ex argumentis, quae judicum animos ad decernendum impuleverunt, est deducenda. Cum itaque in themate partes dispositivae sententiarum tum gubernatoris Luci, tum judicum ferrariensium de manutentione solummodo loquutae fuerint, palam erat, bononiense appellationis tribunal contra remjudicatam nulla ratione peccasse, dum reductionem in pristinum denegavit, quae nil prorsus habebat cum imperata manutentione commune.

§ 3. Praeterea ad excludendum jurisdictionis defectum ob existentiam reijudicatae, occurrebat lex declaratoria diei 3 septembris 1836. Constitutum fuit in illa « *Appartiene esclusivamente a questi tribunali* (scilicet ad tribunalis ordinaria) *il conoscere e giudicare sulla esistenza della cosa giudicata* » atque adjectum « *Non è ammissibile il ricorso al tribunale supremo di Segnatura in via d'annullamento per difetto di giurisdizione, che nel solo caso di incompetenza in ragione delle persone, della materia, o della somma e valore della lite* ». Et rursus « *Qualunque eccezione desunta o dalla cosa giudicata o dalla perenzione ec. dedotta o non dedotta, non dà luogo a ricorso per annullamento al tribunale supremo di Segnatura. I ricorsi sono nulli di pieno dritto, e si ritengono come non avvenuti* ». Quod si controversiae omnes super existentia rei judicatae sunt ex recitata lege ad judices ordinarios deferendae, et si denuo exceptio quaevis ex rejudicata deducta, numquam tribuit facultatem interponendi recursus ad nostrum Ordinem, qui pleno jure nulli sunt habendi, reservata eidem Ordini nostro potestate imperandi circumscriptionem in solo casu incompetentiae; perspicuum fiebat eninque, exceptionem rei judicatae haud potuisse coram nobis proponi, atque propterea frustra ad ipsam defensores comitis Antonii confugisse.

§ 4. Neque erant ipsi audiendi, dum objiciebant, voluntatem legislatoria, rationemque legis in declaratione illa esse retinendam, haud vero inspiciendas generales clausulas et dictiones, quae in eadem continentur, et quae probibitionem recurrendi ad supremum tribunal videntur innuere. Verba enim legis, quae prohibebant, quominus recursus circumscriptionis ob exceptionem rei judicatae posset ad nostrum tribunal interponi, nimis clara erant, neque restrictiorem interpretationem poterant ulla ratione recipere. Porro imperavit legislator apertissime « *Qualunque eccezione desunta dalla cosa giudicata, dedotta o non dedotta non dà luogo a ricorso per annullamento al supremo tribunale* ». Interpretationem vero dictiones istae nullimode requirebant, atque idcirco Patres putarunt, veniam proponendi exceptionem rei judicatae coram Ordine nostro quacumque sub specie ab ipsis generali sermone prorsus adimi. Quin utiliter distingueretur inter appellabilitatem sententiae, peremptionemque appellationis, et violationem rei judicatae; perinde ac si quoad sententias tantum judicum appellationum, quae de illis loquutae sunt, recursum ad nostrum Ordinem lex illa vetasset, numquam vero quoad alias, quae rem judicatam praecedentem violassent. Defectus namque jurisdictionis ob violatam remjudicatam idem prorsus sonat, ac defectus jurisdictionis in sententia, quae pronunciaverit super rejudicata; ac propterea si aditus ad nostrum Ordinem intercipiebatur ob exceptionem existentis rei judicatae, intercipi quoque ob violatam rem judicatam manifestum erat.

§ 5. Et deterius opponebant comitis Antonii defensores, extra id quod in judicium deductum est judices bononienses pronunciasse. Ante omnia enim occurrebat, quod etiamsi haec ipsorum assertio vera esset, nunquam tamen ex hoc descendisset, circumscriptionem

actorum esse imperandam. In gravamen quippe resjudicata bononiensis incidisset, haud vero in nullitatem circumscriptionis gladio de medio auferendam. Profecto vetitum est judicibus, extra limites propositae petitionis vagari, judiciumque ferre super quaestionibus, quae nunquam eis a litigantibus fuerunt propositae. Verum si talia agant, leges quidem violant, quae hanc agendi rationem prohibuerunt, et injuste proinde se gerunt; sed non nulliter pronunciant, cum incompetentes ad judicium ferendum nulla ratione valeant declarari. Atque latum profecto inter injustitiam, et nullitatem intercedit discrimen. Hoc quippe postremo vitio seposito, circumscriptio nequit umquam sibi locum vindicare. Quibus constitutis retinendum prorsus erat in themate, quod licet judices bononienses extra petita sententiam tulissent, nihilominus haud potuisset ex hoc circumscriptio decerni, quemadmodum saepissimo jam firmavit tribunal nostrum in *Viterbien. circumscriptionis* 29 *novembris* 1841 *cor. Rmo P. D. meo Conventati*, et in *Romana circumscriptionis* 21 *julii* 1842 § 8 *cor. eodem.*

§ 6. Perpendebant demum Patres, haec omnia etiam posse seponi. In facto quippe constabat, judices bononienses extra petita nulla ratione pronunciasse. Quandoquidem ex aperta sanctione § 977 jurisdictio judicum appellationis a terminis initialis petitionis est dimetienda « *I tribunali di appello si ritengono surrogati ai giudici o tribunali di primo grado, riformando o revocando il precedente giudicato, giudicheranno ciò che sarà di ragione, ma non potranno oltrepassare i limiti dell'istanza proposta al primo giudice o tribunale* ». Simul ac igitur constabat, in petitione initiali judicii innovationes omnes, prospectus scilicet, stillicidii, et tigni fuisse comprehensae; patebat quoque de hisce universis potuisse judices bononienses decernere. Neque obstabat, unam reductionem in pristinum fuisse ad judices illos delatam. Fuit quippe petita ab ipsis reductio in pristinum innovationum omnium, atque hoc satis erat, ut de existentia innovationum earumdem, prospectus scilicet, stillicidii, et tigni deberent judices illi cognoscere. Ergo neque ultra, neque extra petita judices iidem sententiam tulerunt. Innovationes siquidem fuerant usque ab initio in judicium deductae, et fuerunt etiam deinde ad judices tertii gradus delatae. Unde perspectum fiebat, de ipsis quoque potuisse ac debuisse judices eosdem loqui. Nec juvabat demum comitis defensores exceptionem rei judicatae iterum adducere. Redibat quippe responsio, eamdem non posse coram Ordine nostro proponi, neque innovationes comprehendisse. Quibus omnibus demum erat addendum, quocumque in casu judices appellationis Bononiae numquam incapaces potuisse renunciari, atque idcirco nefas esse hodie comiti de defectu jurisdictionis eorumdem conqueri, postquam absque ulla nullitatum reservatione ab ipsarum sententia reclamaverat, illorumque competentiam propriis actis judicialibus agnoverat. Et ita etc. Utraque etc.

Die 21 augusti 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Carolus Brunetti.

Prot. 180/1844 R. P. D. FERRARI DECISIO XV.

BONONIEN. REDDITIONIS RATIONIS SUPER RECUSATIONE JUDICIS

Jovis 3 *Aprilis* 1845

Argumentum

In disceptationem venit quaenam inimicitia reddat judicem suspectum; an amicitia inter judicem et alterum ex litigatoribus, aut informationis denegatio, vel gravis reprehensio defensori in audientia publica a judice non praeside facta, sint legitimae recusationis causae; an denique justa suspicionis ratio contra unum deducta, si aliis ejusdem collegii judicibus sit communis, recusationis effectum gignere valeat.

§ 1. Gravissima, et magnis animis, jam a quinquennio, coram tribunali primae instantiae Bononiae agebatur lis, inter marchiones Josephum, Cajetanum, Guidum, aliosque Pe-

pulos, cum marchione Antonio Amorini Bolognini super approbatione rationum administrationis patrimonii Odoardi Pepoli ab eo gesta, quum Joseph, atque Cajetanus, interjecto recursu, veluti suspectum ob graves inimicitias apud Ordinem nostrum traduxerunt judicem Seraphinum Basili, petentes alterius judicis deputationem, quae tamen postulatio rejecta fuit rescriplo « NIHIL ».

§ 2. Licet enim Justinianus, *in leg. apertissimi cod. de judiciis*, litigatoribus potestatem fecerit judicem pro arbitrio recusandi, nulla suspicionis causa demonstrata, haec tamen lex ab usu reprobata fuit, ne in potestate privati esset judicem removere quem vellet, illius arbitrio magistratuum famam in discriminis aleam revocare, et ob nullas, aut vagas, atque ineptas plerumque suspicionum causas dignitate eos spoliare. Hinc summi Pontifices ad judicis recusationem justas voluerunt suspicionis causas, *ut ex cap. secundo acquirit extr. de appellat.* Quorum exemplum sequutus sacratissimus, quo laetamur, Princeps sancivit, ut judex recusari nequeat, nisi legitimae praesto essent suspicionis causae, quas singillatim numeravit, et extra quas vagandum prohibuit. Et summo jure. Nam extensiva interpretatio abhorret a legibus ordinis publici, et a legibus potissimum unde magistratuum existimatio, decus, atque fiducia pendent, uti animadvertit *Bicott. trattato delle nullità tom. 1 sess. 1.*

§ 3. Quibus positis Patres mei nullam legitimae suspicionis causam invenerunt, ob quam judex Basili recusari valeret. Sibi quidem inimicum Pepuli eum dicebant. At non quaelibet inimicitia judicem suspectum reddit, sed inimicitia gravis esse uportet. Sancitum enim est in § 1054 codicis praxeos, quod « *Sono motivi di legittimo sospetto le inimicizie gravi* ». Graves vero Basili inimicitias litigantes illos suscepisse minime demonstrabatur. Nam graves inimicitiae illae intelliguntur, quas Justinianus *capitales* appellat, uti post *Baldum ad leg. 3 ff. de adimendis legatis, tradunt Vinnius part. jur. lib. 4 cap. 31 § habent, Rich. lib. 1 tit. 22 § 2512, Gothofredus ad leg. 3 ff. de testibus, Cujac. comm. jur. tom. 5 p. 187.* Quamvis vero vox a Justiniano usurpata accipienda non sit in stricta romanorum jurisprudentum significatione, de illa nimirum capitali inimicitia, quae pertinet ad libertatem, civitatem, vel familiam, sed de inimicitia ex communi hominum existimatione, personarum etiam adjunctis considerationibus, duo tamen ad capitalem inimicitiam arguendam intervenire debent, vel accusatio criminalis, vel vis, atque injuria extra judicium illata, uti prosequitur *Vinnius loco citato;* quae duae inimicitiarum causae ab ipsis strenuis Pepulorum patronis ne excogitari quidem potuerunt, tuti in eo, ut ex aliis causis inimicitiam arguerent. Quod si neque accusatio criminalis inter Pepulos, et Basilium intervenit, si nulla vis, atque injuria illata fuit, deficiunt inimicitiae graves, deficit ita legitima suspicionis causa. Nam deficit odium, ac proinde ultionis causa; deficit itaque factum, ex quo inimicitia erumpat, quo deficiente neque inimicitia fingi potest, uti docent *De Angelis de delictis par. 2 cap. 136 num. 48, Ciriac. controv. 10 num. 35 et seqq.*

§ 4. Nihil itaque Patres movit, si Basilium vel Basili filium inter ac Amorinium amicitia intercedebat. Nam posito etiam in facto, quod ceteroquin non satis probatum videtur, inter recusationis causas amicitia neque aperte jure veteri, neque in praxeos codice recensita est. Usu quidem fori receptum erat, ut inter justas causas metuendi judicem, illa quoque enumeraretur, si amicus adversario fuisset. At non quaelibet amicitia satis erat, sed ingens esse debebat amor judicis erga adversarium, qui amor metiri debebat vel ex jure agnationis, aut affinitatis, vel ex beneficio accepto, aut communione muneris, uti docet *Vinn. part. jur. lib. 3 cap. 15.* Nulla tamen vel cognatio, vel affinitas inter Basilium, et Amorinum unquam intercessit. Nullum Basilius ab Amorino beneficium recepit, nullum munus commune habuerunt. Etiamsi igitur amicitia inter legitimas suspicionis causas recensenda esset, non ea tamen demonstrabatur amicitia, quae judicem suspectum reddere posset.

§ 5. Quin rem mutet quod amicus inimici mei habeatur uti inimicus meus. Nam illa summa exclusa familiaritate, quae judicem suspectum reddit, inimicitia quoque exulat quae ab ea argui vellet. Ex communi enim illa amicitia, quae inter homines honestos intercedit, levis, minime vero gravis, sive capitalis inimicitia sequeretur, ob quam tantum judex re-

pelli potest. Ut enim ait doctissimus *Voetus lib.* 5 *tit.* 1 § 46, repellendus non est judex eo solum, quod *apud alterutrum forte litigantium invitatus coenaverit pendente lite, quod conterraneus, quod spirituali cognatione junctus, quod durus, aut severus, aut verbis arctioribus in alterutrum invectus, quod familiaris illius, qui litigantis inimicus est.* Nam, uti concludit, *quaecumque sunt alia hujus generis plura, apud viros graves flocci facienda.* Si secus judicandum esset, quoties ob inimicitiam ex amicitia conjectando conjectata judices recusarentur, quod quantum eorum dignitati, ac etiam societati repugnet apertissimum est.

§ 6. Neque Basilius inimicus Pepulis fingi potest eo sub obtutu, quod in publica audientia gravissime reprehendit defensorem Guidonis. Nam judex clamavit pro tribunalis observantia, et decore. Et si praesidi non judici, ex disciplinae normis loqui, tantum concessum erat, vix ac ne vix quidem violata fuit disciplinaris forma, nunquam vero probata altera ex legitimis illis recusandi causis. Ceterum gravis inimicitia argui non potest, si judex *durus, aut severus, aut verbis arctioribus in alterutrum invectus fuerit,* uti animadvertit *Voet. loco citato;* deinde dura, atque severa verba, si quae pronunciata fuerunt, procuratorem inimicum fecissent, non alterum ex litigantibus, et absurdum esset judicem ex aliena inimicitia recusari. Nec illud praetereundum erat, quod post illam exprobrationem Pepuli documenta, atque defensiones exhibuere, ex quo taciti professi fuerunt, quod ex illo facto nulla legitimae suspicionis causa erumpebat.

§ 7. Ineptissime arguebatur, Basilium propter recusationis recursum inimicum Pepulis factum fuisse. Nam inimicitiae per alterum ex litigatoribus concitari non debent ad artem, unde recusandi praetextus postea quaeratur. Si contrarium obtineret, pauci, ac vix temperatissimi litigatores, se ab injuriis, contumeliis, maledictis in contrarium sibi judicem abstinerent. Nemini vero propria culpa patrocinari debet; quocirca legitima suspicionis causa non in recursu ponenda est, etiamsi ex hoc gravis inimicitia exorta fuisset, sed in aliis factis, quae post recursum capitalibus inimicitiis locum daro potuissent. At de capitalibus istis inimicitiis post interpositum recursum nullum in actorum processu invenitur vestigium, nulla vola reperitur in articulis, super quibus Pepuli testium examen poscebant.

§ 8. Objiciebatur quoque ostium negatum fuisse tum Pepulis, tum illorum defensoribus informantibus, id quod semper apud homines fuit odii inditium. Ex hoc tamen facto, etiamsi veritati innixum esset, de quo valde dubitatum fuit, vix ac ne vix quidem levis inimicitia argui poterat, praesertim quum in quinquennali judicio semel tantum informatio denegata fuisset; neque evincebatur alias quoque Pepulorum defensores impeditos fuisse, quominus cum judice alloquerentur; praesumi itaque nequit odio factum quod casu accidere potuit. Durum vero nimium esset judicem repellere, quia in longo quinque annorum judicio semel tantum suae domus ostium aperire prohibuit. Durissimum vero, quia informatio non ab uno judice Basilio, sed ab aliis duobus judicibus denegata quoque fuit, quocirca etiam isti inimici essent habendi, sed hoc in casu recusationi lex obstaculum pararet. Nam « *Non è ammissibile il ricorso concernente la ricusa contro un intiero tribunale civile* », quae verba sunt § 1056 *cod. praxeos.* Sini vero non debet, ut in fraudem legis, et ad illius effugiendam censuram ea suspicionis causa, quae omnibus communis est, unius tantum judicis propria fiat. Si enim omnes judices informationem denegassent, vel nullus suspectus esse debet, vel omnes sint oportet. Quocirca inimici non sunt praeses Fabri, et judex Mazza, neque inimicus fingi potest Basilius. Nam ex eodem facto eaedem consequentiae trahendae sunt.

§ 9. Neque gravem inimicitiam probant congressus, qui inter judices habiti dicuntur interveniente quoque praeside tribunalis appellationis comite Salina Amorinii affine. Nam etiamsi de hisce congressibus legitime constaret, hoc vero certum esset, quod non unus interfuisset Basilius, sed interfuissent quoque alii duo judices: proindeque recusandi causa communis fuisset universo tribunali. Urget, quod nullo pacto evincitur infenso animo congressus illos habitos fuisse, ut justitia violaretur, qui animus adeo iniquus in tres judices suspicari nequit. Gravis deinde inimicitia minime demonstratur, ex

quo delecti fuerunt Aldrovandius primum, ac deinde Cenisellius ad hoc, ut rationes ab Amorinio redditae ad trutinam revocarent. Nam causa haec omnibus judicibus communis fuisset; deinde vetitum non est, quominus judices pro eorum animorum instructione peritos extra judicium eligant, ut veritas magis magisque elucescat, atque hunc revera tribunalis animum fuisse ipsemet Aldrovandius probat, quamvis Pepulis addictus. Declarat enim « *Il tribunale avea riposto in me fiducia, che quantunque io fossi addetto al signor marchese Luigi Pepoli, non avrei altro scopo, come aveva il tribunale, che quello della verità e della giustizia* ». Tantum igitur abest quod illa deputatione infensum animum in Pepulos tribunal vel Basilius ostendisset, quantum certum est, veritatem attingere, atque jus suum unicuique tribuere voluisse.

§ 10. Sane vero illud s. Ordo perpendebat, quod non solum ex informatione denegata, ex congressibus penes Salina habitis, atque ex deputatione peritorum extrajudicialium gravis inimicitia, sed ne judicis quidem corruptela argui poterat, de qua et ipsius judicis Basilii, et universi tribunalis dignitati, atque integritati injuriosa nefas fuisse ferre judicium. Nam licet jure antiquo inter civiles recusationis causas etiam judicis corruptela recenseretur, novissimo tamen jure hujusmodi suspicionis causa, utpote gravissima, et quae crimen sapit, supremus Princeps in disciplinari regimine *tit. 2 della disciplina dei magistrati, ed officiali dell'ordine giudiziario* sibi reservavit, severissimis in codice criminali § 20 poenis sancitis contra judices, qui corruptelae rei declarati fuissent.

Et ita etc. Utraque etc.

Die 29 maii 1845 « *Esse locum recusationi judicis, et extendatur decisio per R. P. D. La Grua Valdina, et reproponatur* ».

Die 10 julii 1845 « *In secundo loco decisis* ».

D. Jacobus Ceccacci.

Procuratores — D. Petrus Proja. — D. Raphael Borghi.

D. Vincentius Binarelli.

Prot. 198/1844 R. P. D. FERRARI Decisio XVI.

Bononien. Deletionis Hypothecæ super Recusatione Judicis

Jovis 3 Aprilis 1845

Argumentum

Habes in superiori decisione XV redditionis rationis.

§ 1. Hypothecariam inscriptionem, usque ad ingentem vim scut. 100 millia, marchiones Pepoli susceperant super patrimonio marchionis Antonii Amorini, pro cujus deletione judicium hic egit coram tribunali primarum actionum Bononiae. In pervigilio vero evulgationis sententiae Guido Pepoli, suorum fratrum exemplum sequutus, recursum apud Ordinem nostrum interposuit, ut decerneretur propter graves inimicitias locum esse recusationi judicis Seraphini Basili; sed omnibus rerum adjunctis ad severam trutinam revocatis, rejectus ille fuit rescripto « nihil ».

§ 2. Nam in hac secundaria, et accessoria causa eadem concurrunt rationum momenta, quae in contemporanea decisione super redditione rationum evincunt, graves inimicitias inter Pepulos et Amorinium concitatas nunquam fuisse. Simile igitur dandum erat responsum, ne in causis, quae inter easdem personas aguntur, in una suspectus, in alia a qualibet suspicione immunis idem judex habeatur, et diversum feratur judicium.

Et ita etc.

Die 29 maii 1845 « *Esse locum recusationi judicis, et extendatur decisio per R. P. D. La Grua Valdina, et reproponatur* ».

Die 10 julii 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Raphael Borghi.

INTERAMNEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 3 *Aprilis* 1845.

Argumentum

Disputatur an forma Benedictinae constitutionis suppleri queat aequipollentibus; an ejusdem constitutionis praecepta reum tantum, vel etiam actorem, ac pariter ad causam vocatos imperio judicis respiciant; an tandem locum habere possit actorum circumscriptio postquam officio judicis ordinarii jam de medio ablata fuerunt.

§ 1. Egit Catharina Rossi, nupta Joanni Rossini interamnensi, anno 1839 coram curia episcopali ejusdem civitatis adversus fratrem suum Joannem Carolum Rossi, filium posthumum alterius Joannis Caroli, ut obtineret quotam haereditatis Annae Mariae Cousili matris suae, legatorum scutorum viginti quinque a sorore sibi relictum, et formationem status haereditatis paternae, ejusdemque haereditatis simbolam. Iverunt ad acta tum Joannes Carolus, tum curator illius Philippus Rossi, et juxta formam Benedictinae constitutionis jurisdictionem vicarii generalis Interamnensis prorogarunt. Tum institerunt coram judice illo, ut ad causam vocarentur fratres Petrus, et Joannes Carolus Rossi filii Thomae, qui patruus cum fuisset Joannis Caroli rei conventi, administrationem universam paterni, avitique Rossiorum patrimonii retinuerat. Interventus istorum ad causam fuit profecto ab judice impertitus: atque hinc Joannes Carolus petiit ab judice, ut terminus iisdem praefigeretur ad redditionem rationum patrimonii Rossi exhibendam. Adfuerunt judicio Petrus et Joannes Carolus filii Thomae, ac procuratorem constituerunt, priorique deinde novum subrogarunt, atque demum expostularunt, extra causam mitti, quam petitionem judex benigne excepit. Appellationem interposuit Joannes Carolus posthumus ad Rotam, atque tribunal illud interventum filiorum Thomae decrevit, iisdemque terminum ad reddendam rationem praefixit. Huc re perducta, filii Thomae recursum ad nostrum Ordinem interposuerunt pro circumscriptione actorum omnium gestorum tum coram vicario Interamnae, tum coram Rota. Patres vero hodie petitionem ipsorum, in vim recursus porrectam, rescripto « *Nihil* » dirimere censuerunt.

§ 2. Circumscribenda esse acta gesta tum coram curia ecclesiastica interamnensi, tum coram Rota, clamabant filiorum Thomae defensores, quia partes formam a Benedictina constitutione requisitam vel nullimode, vel minus recte servaverant. Verum quoad actricem Catharinam animadvertebant Patres, ipsam sensum suum aperte exhibuisse, cum judicem ecclesiasticum adiverit, atque idcirco quoad eamdem nullam solemnis ritus necessitatem requiri, quae pro uno reo convento fuit a constitutione Benedicti XIV inducta. Nullus enim actor, est actor invitus, prout monet *leg. unica cod. ut nemo invitus*, neque potest actor invitus, aut ignarus censeri, dum ad judicem provocat, qui in volentes tantum jurisdictionem suam exercet. Atque ita sane firmavit jam supremus Ordo noster in *Interamnen. circumscriptionis et appellationis* 11 *maii* 1826 § 5 *coram R. P. D. Alessi, et in Romana seu Albanen. circumscriptionis* 29 *julii* 1841 § 8 *coram rmo P. D. meo Conventati.* Neque dubium movebatur quoad consensum a reo convento Joanne Carolo praestitum. Comparuit siquidem ipse ad acta, et solemniter professus est se velle in jurisdictione vicarii generalis interamnensis consentire, quin obesset declarationem fuisse emissam coram eodem vicario interamnensi, haud vero coram proprio judice, prout Benedectina constitutio praecipit. Nam saepius fuit ab Ordine nostro resolutum, remissius esse in hujus voluntatis manifestatione inquirendum, prout docet laudata *decis. Romana seu Albanen. circumscriptionis* 21 *junii* 1841 § 8 *coram rmo P. D. meo Conventati,* et clarius etiam alia *Civitatis Castelli circumscr.* 21 *julii* 1843 § 10 *cor. Grossi.* Et multo minus poterat defectus duorum testium ad actam declarationis opponi; adfuerant quippe tum cancellarius episcopalis, tum Philippus Rossi. Quibus omnibus adjungebatur demum, quod nullitates istae respexisset commoditatem Catharinae, quan

de iisdem nullimode conquerebatur, et quod propterea easdem excipere nullimode datum erat filiis Thomae, ad quos nulla ratione spectabant.

§ 3. Hisce enucleatis, controversia reducebatur ad defectum consensus fratrum, Joannis Caroli, et Petri Rossi qui fuerant ad causam jussu judicis vocati, ut rationes redderent administrationis gestae patrimonii aviti, et paterni. Sed rursus perpendebant Patres, haud de interventu voluntario, sed de interventu necessario rem esse nostro in themate: profecto fratres Joannes Carolus, et Petrus Rossi fuerunt imperio judicis ad causam vocati. Hinc non in eorum voluntate erat positum, in judicis ejusdem jurisdictionem nullimode convenire, obtemperare quippe debebant mandato illius. Quod si nequibant ipsi a judicio abesse, et si denuo necessario debebant coram judice sistere; palam fiebat cuique, quod eorumdem consensus nulla ratione requirebatur, ac proinde, quod defectus consensu hujusmodi haud valebat jurisdictionem vicarii interamnensis labefactare. Hisce adjungebatur, causam excitatam adversus filios Thomae Rossi in vim imperati interventus super redditione rationum gestae administrationis potuisse, ac debuisse considerari tamquam judicium incidens, et dependens, habito respectu ad judicium principale familiae erciscundae, quod initio fuerat a Catharina instauratum. Ex quo quidem descendebat, illud fuisse omnimodo agendum coram eodem judice, qui debebat super negocio principali sententiam edere, ad ea quae expendit nostrum tribunal in *Tusculanen. unionis causarum* 26 *novemb.* 1829 *cor. Grossi*.

§ 4. Atque etiamsi placeret considerare judicium contra fratres Rossi actum tamquam principale, numquam tamen consequebatur esse circumscribenda acta facta coram judice ecclesiastico interamnensi. Scitum enim est, judicem ecclesiasticum respectu laici non esse incapacem, sed incompetentem solummodo, illiusque propterea jurisdictionem posse consensu prorogari, ad tradita per *Fontanell. de pact. nupt: claus.* 4 *gloss.* 13 *part.* 2 *num.* 21; *Squillant. de privil. cler. cap.* 7; *Rodriguez de exec. sent. cap.* 1 *art.* 2 *num.* 33; *et Gonzalez in lib.* 2 *tit.* 2 *decret. cap.* 18 *num.* 10. Sed ambo fratres Rossi tacitum saltem consensum in vicarii jurisdictionem praestiterunt; procuratorem quippe coram ipso constituerant, et procuratorem novum priori subrogarunt, et defensiones, monumentaque super merito causae praebuerunt, et demum reconveniendo coram eodem vicario institerunt, ut extra causam iterum ponerentur. Ergo jurisdictionem judicis illius prorogarunt, atque hoc satis erat, ut non possent amplius de defectu jurisdictionis ejusdem conqueri. Quod enim semel placuit postea displicere non potest, et nemini licet, contra factum proprium consurgere. Nec valebat opponere, consensum in proroganda ecclesiastici judicis jurisdictione ad formam Benedictinae constitutionis esse praestandum. Illius namque votum fratres Rossi actibus enumeratis superius, et ratihabitione mirifice adimpleverunt, atque cum apertius quam per indictam a Benedictina formam de eorumdem voluntate adeundi vicarium constaret, nil amplius requirendum Patres consuerunt. Spiritum namque constitutionis illius potiusquam corticem verborum tenendum esse judicarunt, juxta ea quae jam alias Ordo noster docuit in *Romana circumscriptionis, et restitutionis in integrum* 24 *junii* 1839 § 10 *coram R. P. D. Morichini*, et in *Ariminen circumscriptionis et restitutionis in integrum* 6 *junii* 1838 § 1 *coram Grossi*.

§ 5. Demum arrisit etiam Patribus ad circumscriptionem denegandam argumentum alterum, ductum ex ipsa sententia vicarii interamnensis. Hic in vim § 859 codicis Gregoriani, in quo statuitur « *Se i chiamati si opporranno all'intervento escludendo la prova, la sentenza che lo ammette si avrà come non avvenuta, e gli opponenti saranno posti fuori di causa,* » declaravit profecto, sententiam quae interventum jusserat, habendam esse ac si non fuisset lata, fratresque Rossi extra judicium posuit. Ergo medela quoad jurisdictionis defectum ex postremo ejusmodi vicarii decreto vel ipso allata est. Semel ac namque interventus ad causam de medio fuit ablatus, res ad primaevum statum redierunt, acta judicialia retinenda erant perinde, ac si numquam extitissent. Quo posito, Patres conjiciebant, nec ullum jurisdictionis defectum in actibus vicarii interamnensis jam nullis dari posse, nec posse quoad illos circumscriptionem imperari. Neque exinde magis de-

fectus iste poterat locum sibi vindicare quoad acta rotalia. In tribunali siquidem isto nulla datur inter personas litigatorum distinctio, et tam de laicis, quam de clericis potest sententiam ferre. Si itaque Rota filios etiam Thomae judicio comprehendit, illorumque interventum iterum decrevit, jurisdictione usa est, qua in omnes subditos pontificios indiscriminatim pollet, et quam proinde poterat quoque in filios Thomae exercere, neque in illius judicio ullum nullitatis indicium potest inveniri. Quod si post haec omnia aliqua adhuc difficultas superesset, putarunt Patres eam dirimi a generali regula in § 1047 constituta, quae praecipit, in quolibet dubio petitionem porrectam pro nullitate actorum esse semper reiiciendam, quia circumscriptionis querela est semper odiosissima et acerbissima, ad tradita etiam per *Gloss. in leg. a divo Pio ff. de rejud.; Coust. vot. decis.* 186 *num.* 14; *Altim. de nullit. quaest.* 2 *num.* 5 *et seqq.*; *ac Rota decis. num.* 1 *cor. Buratto*; *et in Ferentina circumscriptionis* 11 *maii* 1795 § 2 *cor. de Bayane*. Et ita etc. Utraque etc.

Die 8 maii 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Joseph Ugolini — D. Vincentius Binarelli.
D. Dominicus Salvati.

Prot. 230/1844 Rmo P. D. CONVENTATI Decano Decisio XVIII.

CENTUMCELLARUM CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 3 *Aprilis* 1845

Argumentum

Petita certa quantitate frumenti, sin minus pretii solutione in alio judicio liquidandi, incertum esse valorem litis proponitur. Jurisdictionis defectus propugnatur, eo quod in libello appellatorio actio cum exceptionibus in prima judicii sede deductis permixta fuit.

§ 1. Utili industrique operi colendi agros, benefacere volens summus pontifex Clemens VII felicis recordationis, ad imperium vix elevatus animum ad Tolphiae incolas vertit, quibus fere nihil ab impensis laboribus superesso movit, ob onera excedentia quibus ab iis premebantur, qui hominibus illis terras locandi munere fungebantur. Annuam igitur aequamque responsionem agricolarum universitati ejus ditionis imposuit reverendae Camerae apostolicae tribuendam, quam inde immortali Pio VI diminuere placuit, ita ut in perpetuam emphyteusim converterit coloniae contractus latifundiorum *Casale*, *Valcardosa*, ac *Bandita grande* eidem apostolicae Camerae pertinentium, concreto canone partim in pecunia, et partim in frumento quotannis in publicis dictae terrae horreis tradendo usque ad rubra centum quinquaginta ex iisdem praediis recollecto: quae directi dominii jura translata sunt in equitem Petrum Jollien, et Augustum Gauttier in Urbe argentarios. Anno superveniente 1842 renuerunt hi cereris partem accipere, cui ex imbrium nimietate lapsarum quid detrimenti obvenerat, quamvis ex iisdem arvis productae. Quare, blandia agricolarum modis spretis, hosce vadarunt coram aula civili Centumcellarum ad assequenda rubra septuaginta quinque, residuum canonis ejusdem anni, infra terminum indicendum, frumenti cribati ac mercatorii, quo elapso absque effectu, ut agricolae damnarentur ad mercis pretium inde in partiali judicio liquidandum. Injunctum fuit peritis ut referrent, an frumentum, quod subito agricolae exhibuerant, esset nec ne a dominis directis acceptandum, a quorum relatione rejectum, tribunal viginti dierum spatium agricolis concessit ad mensuram frumenti bonae qualitatis expostulatam instantibus tradendam, inadimpletoque onere, adigere citatos voluit pretium ut rependerent, in posterum liquidandum, quin universitatis reconventionalem libellum aliquid faceret, quo agricolae provocaverant ad illud recipiendum frumentum, ad instar pacti ex agris emphyteuticis collectum semper, et quandocumque paratum. Opus fuit agricolis appellationis remedio uti, quam ad Rotam detulerunt; verum judicii finibus melius cribratis ad civilem congregationem secundae sessionis A. C. sese converterunt. Interim data occasione incrementi pretii, requisita

fuit a judicibus A. C. frumenti venditio, veniaque tributa, usque ad scuta septem cum dimidio pro unoquoque rubro accidit, ut deposita merces venundaretur. Progressum inde in causa fuit, judiciumque in secundo jurisdictionis gradu expletum, quo compulsi fuerunt Jullien et Gauttier ad pecuniam ex deposito sumendam, quae ex oblato divendito frumento exacta fuerat. Ægre tulerunt directi domini sententiam, eamque proscribi facile posse arbitrati sunt. Hodie igitur ad Senatum nostrum conscensi, jurisdictionis defectum in A. C. congregatione fuisse clamaruut, proque actorum in ea gestorum circumscriptione institerunt. Patres vero aliter judicarunt, rescriptumque instantium votis infensum « *nihil* » mihi praebuerunt, ut argumenta promerem super quibus innixum manet, adversus quae victis jus est orationem iterum texere.

§ 2. Discordes inter se dimicantes erant in praelii aestu quanti frumentum valeret in exordio judicii. Domini directi extollebant; emphyteutae minori valore utebantur: illi ut jurisdictionem A. C. inficiarentur, hi ut eam firmarent. Patres vero utriusque partis momenta perpenderunt, magisque veritati consona extitisse duxerunt, quae per agricolas Tulphiae exhibebantur, quippe quae ex integro congregationis annonae testimonio proficiscebantur, ex quo frumenti contractus in eadem Tulphiae regione nedum a motae litis momento, verum usque ad totum sequentem annum 1843 non excessisse scuta sex cum dimidio pro quolibet rubro eruebatur. Porrecta igitur petitio a Jullien et Gauttier rubrorum septuaginta quinque frumenti adversus agricolas, inferior evadebat scutis quincentum; merito igitur ad congregationem A. C. per appellationem delata fuit, quin hodie coram ea gesta circumscribere Ordini nostro liceret. Extra thesim enim oratores Jullien et Gauttier proponebant hodie usque ad scuta septem et obul. 50 idem frumentum per provisionale decretum judicum A. C. divenditum fuisse: actum jam erat judicium in prima sede, et incohatum in secunda; junius labebatur anni 1844; jurisdictio constituta erat pro entitate judicii a die quo concepta ac trausmissa fuit primordialis instantia; quin fas sit de incremento rei petitae quaerere, quod in progressu judicii accidere contingat « *Nel fissare il valore delle cause non si avrà mai riguardo ai frutti, alle accessioni, ai danni ed interessi, che hanno luogo pendente il giudizio* » § 464. Audiri igitur nequibat vana hujusmodi eorum exceptio.

§ 3. Equidem non expectasseut Patres eos, qui pro circumscriptione orabant, dum pretium frumenti surrexisse ajebant ad scuta septem cum dimidio (quod satis erat ut quaestio vinceret jurisdictionem A. C.) adfirmare voluisse petitionem modiorum septuaginta quinque frumenti in incertum vagasse, proptereaque indefinitae entitatis fuisse. Quomodo enim majus judicium evasisset, si ineluctabilia eorum argumenta circa frumenti pretium emicuissent, ita inferius scutis quincentum per invictas agricolarum rationes enituit. In utroque tamen casu fateantur oportet quaesitum praetulisse valorem litis juxta canonem § 463 codicis praxis, minime vero anceps mansisse, quum de re ageretur, quae utpote promercalis certum, ac determinatum valorem praeseferebat; quam sententiam secuti sunt Patres, ne quod attinet jurisdictioni congregationis A. C. sine justitia detrahere visi fuissent.

§ 4. Pro actorum A. C. circumscriptione augebat oratio ex eo quod in instantia adjectum legebatur, elapso termino traditionis frumenti faciendae « *condannarsi alla valuta nella somma da liquidarsi in congruo separato giudizio, o l'opportuna sentenza emanarsi* »; se expedire agricolas non posse directi domini autbumabant ab illatione nullitatis, quatenus ea postremi libelli pars continebat entitatem judicii nullo calculo supputandam. Etenim actores jure institissent, ut liquidatio pretii frumenti porrigeretur ad illud incrementum, ad quod, durante mora debitorum, ascendisset, quorum petitionem absit, ut judices reijcere possent legibus urgentibus *textus in* § 13 § *ult. ff. de rei vindic. et in leg.* 14 *ff. de per. et com.* Et sane subdebant Jullien et Gauttier haud eos latuisse quid per hodiernam praxim insinuatur, ut ex instantia entitas judicii eruatur, verum limitationem apponere minime eis placuit « *Se il valore è incerto, la competenza può essere determinata dall'attore, allorchè domandi una somma in vece della cosa controversa* » § 463. Sese cohibuere

noluerunt quantitatem pecuniae expostulantes pro frumento a debitoribus negato, in animo eorum resedisse adfirmabant adigendos esse agricolas ad respondendum pretium, quod persistente mora in commercio auxisset. Conjiciebant igitur ea verba « *condannarsi alla valuta nella somma da liquidarsi* » indeterminata fuisse, ideoque considerandam esse quaestionem, ut innuit § 449 « *Avente un valore indeterminato, e della maggiore entità* », eo quod ejus valor ab instantia minime scatebat, nec a modis in sequentibus paragraphis adnotatis.

§ 5. Duplici capite oratio ipsa pendere penitus destituebatur. Primo enim judiciorum entitas in praecipua petitionis parte qua constituuntur sistit, absque eo quod cetera afficiant, quae velut sub hypothesi, vel secundario desiderantur. *Riminaldus in cons.* 374 *num.* 30, *Crotus in leg.* 1 *ff. de nov. oper. nunciat. num.* 22, *Pacionus de locat. cap.* 12 *n.* 13. Quorum doctorum auctoritate Patres jurisdictionem civilis congregationis A. C. metiti sunt ex principali instantiae parte, qua delata fuit petitio ad praebenda actoribus septuaginta quinque rubra frumenti, quorum valor scatebat ex publica Tulphiae ephemeride, non excedens scuta quincentum, ut superius definitum apparet; praetereuntes quae in postrema libelli parte sequebantur « *qual termine inutilmente scorso condannarsi alla valuta nella somma da liquidarsi in congruo separato giudizio* ». Quae si tamen jurisdictionem attingerent, Patres arbitrati sunt liquidationem in casu faciendam fines pretii transcendere non posse, quod frumento pertinebat eo die, quo judicium instauratum fuit. Dum enim frumentum exquirebatur, agricolis renuentibus, pecunia reddenda fuisset loco rei, quanti scilicet haec interesset tempore inchoati judicii. Nec agricolarum adversariis de more loqui licebat, statim ac nunquam debitores constituti in mora fuerant, neque in contractu explicata, vel saltem ea indicata fuit. Quod si intimius creditorum objectio scrutari vellet ex ipsa instantia, conjicitur ab actoribus judicium cohibitum fuisse ad consequenda duntaxat *rubra* septuaginta quinque frumenti. Superaddiderant utique « *condannarsi alla valuta nella somma* », modo autem « *da liquidarsi in congruo e separato giudizio* ». Excessus igitur pretii supra id quod in foro frumentum tunc venibat, speciem praebuisset novi judicii, quin de hoc quaerere pro determinanda jurisdictione A. C. tempus advenerit. Quo potiori argumento Patres alteram instantiae partem neglexerunt, proptereaque judicii entitatem superasse vim scutorum quincentum, sicque a jurisdictione A. C. abfuisse deducere noluerunt.

§ 6. Supererat adhuc Petro et Augusto sociis novo acumine contradicere jurisdictionem congregationis civilis A. C. Visum enim est eis agricolas adeo declinasse in appellatione a littera et sensu primi judicii, ut novum penitusque diversum instruere voluissent. Et sane ajebant, primam eorum petitionem versari duntaxat super traditione rubrorum septuaginta quinque frumenti, dum coram A. C. ab universitate immutabatur omnino, quatenus interrogati judices, an satis esset frumentum respondere ex agris emphyteuticis collectum, cujusque generis esset etiam ob inundantiam aquarum mucosum. Arguebant igitur prohibitos fuisse judices A. C. de iis noscere, quae in prima sede judicii nullatenus proposita fuerant, ideoque iis jurisdictionem defuisse, et quidem ex insanabili defectu, quod vulgo dicitur « *di materia* ». Dum haec loquebantur, nihili aestimabant adversariorum instantiam, quam, reconventionis gratia, ad Centumcellarum juridicos delatam fuisse fatebantur iis meritis plenam: in pretio vero eam Patres habuerunt, ne cum directis dominis sentirent novam diversamque a prima quaestionem judicibus appellationis subjectam fuisse. Centumcellis frumenti canon expetitus fuit, ibique de ejus specie disputatum, utrumque perpensum, & in sententia expressum. Singula haec ad A. C. delata ab appellationis judicibus discussa, et definita leguntur: eadem igitur, nec uno apice dissimilem controversiam in utroque gradu peractam fuisse Patres duxerunt. Profecto initialis litis libellus differt ab eo, quo appellatio promota, progressa fuit; sed in verborum extrinseco, haud vero in substantia: in secundo enim permixta actio habetur cum exceptionibus, cujus tamen natura, et propositum frumenti traditionis immutabile consistit. Nil magis, imo congruum in petitione frumenti quam ejus speciem, quae esse debeat quaerere, contendere, ac definire, ut uno actu jurgia omnia compescantur. Adeo igitur abest, ut in appellationis

sede diversa thesis judicibus A. C. ad enucleandum sit data, ut ex rerum comparatione eamdem esse, quae in prima disputata fuit nemo inficiari valeret, ac ita concinnata Patribus visa est, ut singula complecteretur, quae in quaestionis natura utilia et necessaria ad definiendum fuisse intelligebantur: eo minus igitur inanibus hisce clamoribus pro circumscriptione actorum A. C. Patres adhaerere potuissent, quo firmiori animo rescriberent « *Nihil* ». Et ita hinc inde arreptis armis jus redditum est.

Die 8 maii 1845 « *Declaratio pro parte D. Julien* ».

Procuratores — D. Antonius Fabj — D. Natalis De Witten.

Prot. 11/1845 R. P. D. LIPPI Decisio XIX.

Viterbien. Circumscriptionis

Jovis 3 Aprilis 1845

Argumentum

Agitur de circumscriptione gestorum in judicio petitionis haereditatis, eo quia institutum fuit coram judice loci ubi extabant bona, et ubi defunctus, haud morabatur, utpote qui pluribus fruebatur alibi domiciliis. Quaeritur praeterea an vicarius episcopi in causis quae respiciunt seminarii interesse, et negotia quibus extrajudicialiter ratione officii sese immiscere debuerat, possit recusari.

§ 1. Ultimo quo decessit voluntatis elogio omnus Bussi, suorum bonorum omnium haeredem instituit ven. viterbiense seminarium. At paucis vix diebus elapsis, postquam ipse fato cesserat, praesul Ascanius, Joannes Paulus, et Pius fratres Muti Bussi in quaedam bona utpote fideicommissaria jus sibi competere existimantes, coram primae sectionis A. C. judicibus possessionis ordinantiam postularunt, qua obtenta, cuncta Cardinalis bona occupavere. Quare seminarium, cognita illico illius tribunalis incompetentia, ex eo quod haereditaria bona non Romae, sed Viterbii reperirentur, pro ejusdem ordinantiae nullitate, seu circumscriptione, praevia oppositione, institit. Quae tamen minime admissa, atque edito contra quodam interlocutorio decreto, ad s. Rotae tribunal deventum est, ubi proposita instantia « *Ad videndum mandari circumscribi omnia et singula acta in causa de qua agitur coram primo turno civilis congregationis A. C. ex defectu jurisdictionis* », eamdem fratres Muti Bussi acceptarunt. Quam tamen acceptationem cum non expleverit Joannes Paulus, cumque idcirco quoad ipsum in circumscriptionis judicio fuerit processum, rotale prodiit rescriptum « *Quoad Joannem Paulum ad D. Ponentem juxta petita: quo vero ad caeteros provisum per declarationem* ».

§ 2. Deletis ita omnibus gestis coram A. C. judicibus, seminarium petitionis haereditatis judicium instituit coram vicario generali Viterbii, cum inter reos conventos praesul Ascanius recenseretur, et Viterbium esse locus aperturae successionis, quia major haereditariorum bonorum pars ibi reperiebatur. Hunc tamen judicem effugere fratres Muti Bussi satagentes eo fundamento innixi, quod « *Essendo un giudizio di petizione di eredità, a senso del* § 441 *doveva promuoversi avanti il tribunale del luogo, ove si è aperta la successione, che non si è potuta mai aprire in Viterbo non avendo ivi il defonto Porporato avuto in verun conto il suo domicilio* » ac etiam quia « *il giudice rendesi sospetto per varj motivi, e segnatamente per aver manifestato il suo parere nella causa della quale si tratta* »; recursum apud supremum nostrum tribunal interposuere, petentes, ut vel acta circumscriberentur, vel causae cognitio ad A. C. tribunal spectare declararetur. Sed haec eorum petitio rejecta penitus fuit rescripto « Nihil », commisso mihi munere decisionis vulgandae.

§ 3. Et jure quidem ita decisum est. Quoad enim petitam circumscriptionem illud semplicissimum erat investigandum, num scilicet defuncto Cardinali plura essent domicilia, inter quae illud etiam originis recenseretur, et ubinam, posita hac domiciliorum plu-

ralitate, aperta successio dici debuisset. Quodque revera tria domicilia, viterbiensem nempe, romanum, et beneventanum Cardinalis babuerit, res incontroversa videbatur. Atque praeprimis domicilium babuit Viterbii ratione originis. Ibi enim primam anno 1755 viderat diem; quin fortuito hoc contigisse dici valeat, quum in eadem civitate ipsius etiam fratres sororesque ortum babuerint. Ibidem insuper constat familiam Bussiam, quae inter viterbienses patricios recensebatur, lares semper fovisse, eosque retinuisse tum Cardinalis patrem, tum ipsummet Cardinalem, etsi postquam praelaturae honores, cardinalitiam dignitatem, sedemque episcopalem assequutus fuit, alibi se conferro debuerit.

§ 4. Licet enim officii ratione plures per annos absens e Viterbio fuerit, numquam tamen patriae domicilium deseruisse, plura evincunt documenta. Ipse enim non modo cuncta ipsius bona ibi servavit, sed domum etiam apertam retinuit. Praeterea non multo antequam fato cederet, ad se ipsum bonorum administrationem avocavit; ac denique in testamento, quod condidit, patriam Viterbium appellans, amoris ergo, quo ipsam semper prosequutus fuit: etsi ob exercenda munera alibi immorari debuisset, haeredem ipsius seminarium instituit. Romae pariter domicilium babuit, sive ante, sive post adeemptam cardinalitiam dignitatem. Ibi enim bonorum, officiorumque curriculum sequutus est; ibi praelaturam adeptus; ibi inter s. Rotae judices adlectus; ibi ad auditoris Camerae munus implendum destinatus; quae officia residentiam in Urbe requirebant. Dein vero in sacrum Collegium cooptatus romanum domicilium ex privilegio Cardinalibus concesso perpetuo acquisivit: tertium denique domicilium, habitationis nempe, Beneventi babebat, ubi episcopalis muneris ratione continuo residere tenebatur, stante illa conjunctione, quae episcopum inter, ecclesiamque intercedit, ut ille buic dicatur spiritualiter desponsatus.

§ 5. Nec dici valet per posteriora acquisita domicilia, romanum scilicet, et beneventanum, originarium domicilium amissum a Cardinale fuisse. Per acquisitionem enim posterioris domicilii, originis domicilium non amittitur, quum plura domicilia eodem tempore baberi possint *text. in leg. Labeo S. D. ad municip. leg. assumptio seq. § penult. ff. ad municip.; Cujac. tom.* 6 *colon.* 633 *litt. A. edit. Neapol.; Donellus comment. de jure civili lib.* 17 *cap.* 12 *num.* 4*; et Voet ad pand. lib.* 5 *tit.* 1 *num.* 92 *in med.* quumque posse quempiam plura domicilia insimul habere, pateat ex ipsius § 430 vigentis praxeos sanctione « *Il luogo dell'aperta successione è determinato dall'ultimo domicilio del defonto. Se all' epoca della morte aveva piu' domicilii, è determinato dalla situazione della maggior parte dei beni immobili* ». Ex cujus § praescripto manifeste colligitur, posse quempiam pluribus eodem tempore domiciliis gaudere. Nam si boc fieri nequiret, opus non erat, ut hanc lex ederet dispositionem eo in casu servandam, quo domiciliorum pluralitas adesset. Atque eo minus boc originis domicilium amisit propter romanum, quo tamquam Cardinalis gaudebat, quum privilegium istud quod cardinalibus competit, ideo ipsis tributum sit, quia veteribus senatoribus quodammodo aequiparantur, ex quo non modo romani, sed et universi status Ecclesiastici cives efficiuntur, ut tenuit *s. Rota in decis.* 366 *num.* 36 *cor. Ansaldo.* Ex novo igitur ratione dignitatis, acquisito domicilio, originarium ipsi hodie non amittunt, quemadmodum antea a veteribus senatoribus non amittebatur *leg. senatores ff. de senatoribus; Fierl. theoric. jur. celebr. theor.; Salic. ad leg. cunctos populos cod. de Summa Trinitate pag.* 137*; Cujac. controv. foren.* 291 *n.* 40*; Sabell. summa divers. § domicilium num.* 9*; et Ubert. cap.* 9 *num.* 47 *et seq.*

§ 6. Nec tandem originis domicilium amisit ex eo quod tamquam episcopus continuo residere Beneventi debuerit, nec plures per annos patriam petierit. Ad domicilium enim originis amittendum, non sufficit ut babitatio alibi transferatur, sed requiritur expressa animi declaratio, quemadmodum tradunt *Fierl. thoric. jur. celeb. theor.; Salicet. in leg. cunctos populos cod. de Summa Trinitate n.* 137*; card. De Luca de success. ab intest. disc.* 20 *n.* 7*; Ubert. de citat. cap.* 9 *num.* 48*; s. Rota decis.* 37 *num.* 10 *et* 11 *part.* 15 *recent.; decis.* 364 *part.* 13*; decis.* 31 *num.* 4 *cor. Durano; et decis.* 851 *num.* 5 *cor. Ansaldo.* Tantum vero abest, ut Cardinalis patriae domicilio valedixerit, ut imo animum semper babuerit ipsius servandi, quod eruitur, ut jam praedictum est, tum ex adaperta domo quam sibi retinuit, tum ex suscepta vel per se, vel per alium bonorum paulo ante obitum administratione, tum denique ex prae-

citati testamenti tenore. Hinc ipso praeter romanum, utpote Cardinalis, et beneventanum ex episcopatus ratione, viterbiense originis domicilium retinuit, quia quum istud naturale sit, immutabile dici debet, adeo ut personam ubicumque sequatur. Et sane non ne absurdum esset, quod quis ob episcopatus dignitatem jura cuilibet competentia, patriae domicilium, privilegia, et civitates amitteret, ut ei poenam potius, quam utilitatem eadem afferret. Dum e converso ecclesiasticae leges adeo originis domicilium in pretio habuerunt, ut clericis alterum domicilium acquirere posse permiserint ex habitationis et beneficii adepti ratione, vel ex suscepti muneris officio, quin originarium amittant; ita ut ratio deesset, cur de episcopis idem non esset dicendum, quum episcopatus nil aliud sit, nisi beneficium residentiale *Ubert. de citat. cap.* 11 *num.* 307 *et seq.; card. De Luca de jurisd., et fore compet. disc.* 99 *num.* 7; *et s. Rota in decis.* 2315 *num.* 9 *cor. Coccino.*

§ 7. Constituto itaque, quod Cardinalis tria domicilia, Viterbii nempe, Romae, et Beneventi habuerit, prono veluti alveo fluebat, Viterbium locum esse apertae successionis, ac viterbiense propterea tribunal adeundum fuisse. Etsi enim lex praecipiat in vigentis codicis § 430, ut successoria judicia ibi instituantur, ubi postremum defunctus domicilium retinuisset « *Il luogo dell'aperta successione è determinato dall' ultimo domicilio del defonto* »; ab hac tamen dispositione excipit casum quo plura domicilia idem habuerit. Tunc enim apertae successionis locum eum ipse statuit, in quo major haereditariorum bonorum pars reperiatur, veluti subdit idem § « *Se all'epoca della morte aveva più domicilj, è determinato* (locus scilicet apertae successionis) *dalla situazione della maggior parte dei beni immobili* ». Atqui Viterbii non modo habuit Cardinalis domicilium originis, sed ibi etiam majorem bonorum partem ab ipso relictam reperiri, nulla aderat inter partes controversia. Viterbium igitur erat locus apertae successionis, ibique ex legis praescripto haereditarium controversum judicium erat jure merito instituendum.

§ 8. Nec citatus § 430, qui si plura fuerint defuncti domicilia, ibi apertam esse successionem jubet, ubi major inveniatur bonorum pars, ita intelligi potest, ut hoc in loco institui judicium debeat, dummodo tamen residentiam in eo defunctus habuerit. Ex legis quippe littera et spiritu hujusmodi conditio excluditur. Et quidem ex littera. Lex enim nullam in illo § conditionem adjecit, sed ait simpliciter, ut plurium domiciliorum concursu « *Il luogo dell'aperta successione è determinato dalla situazione della maggior parte dei beni immobili* ». Concurrente itaque domiciliorum pluralitate, ut apertae successionis locus dignoscatur, id unum est attendendum, ubi major bonorum pars adsit. Quod si habitationem hoc in casu legislator concurrere voluisset in loco, ubi major bonorum pars reperiretur, alio modo se expressisset, rectius nempe apertae successionis locum non illum dumtaxat dixisset, in quo bona sita essent, sed illum, ubi defunctus et habitasset, et majorem bonorum partem possedisset. At quum nihil de habitatione, sed tantum de immobilibus rebus loquutus fuerit, evidens est ad competentiam hoc in casu statuendam id unum videndum esse, ubinam haereditariae substantiae major pars sita sit, cum neminem lateat quanta sit discretivae vis. Hinc quum aliud edixerit in casu quo unum fuerit defuncti domicilium, aliud vero ubi multiplex, diversa esse necessario debebat utriusque casus dispositio. Prima itaque in specie successionis locus a domicilio determinabitur; at in altera eruetur dumtaxat a simplici bonorum collocatione, nulla prorsus domicilii cujuslibet habita ratione scilicet « *dalla situazione della maggior parte dei beni* ».

§ 9. Ex legis vero spiritu haec etiam conditio excluditur. Ideo enim hoc in casu locum apertae successionis erui debere praescripsit ex loco ubi bona reperiuntur, ut nempe quodlibet dubium removeret. Quando enim adest unicum domicilium, quum nulla oriri quaestio possit, recte ibi apertam esse successionem legislator praescripsit, ubi habitationem defunctus retinuisset. Ast in altero casu, quum unum, vel alterum domicilium innui debuisset, ut in hoc potius, quam in illo successio aperiretur, amovendum erat quodlibet inter domicilia quaestionis incitamentum, ideoque nulla habitationis facta mentione, ibi successionem patere jussit, ubi pleraque sita essent immobilia bona. Atque eo magis certum est, nullam habitationis conditionem hoc in casu praescribere legislatorem voluisse; quod haec dispositio

juri communi congruat. Siquidem in *leg.* 50 § 1 *ff. de judiciis* legitur « *Multis constitutionibus cavetur, ut ibi petatur fideicommissum ubi major pars haereditatis est* », quin ulla de habitationis necessitate mentio facta sit. Quum igitur res facti, et procul a controversia esset, quod bona fere cuncta a Cardinali relicta Viterbii adsint, et plura ipse domicilia habuerit, romanum nempe ob cardinalitiam dignitatem, beneventanum incolatus, et viterbiense originis, hac postrema in civitate ipsius successionem apertam fuisse evidentissime constabat.

§ 10. Haec omnia manifestam faciunt civilis A. C. tribunalis incompetentiam. Etenim quum de casu agatur, quo plura adsunt domicilia, licet Cardinalis Romae domicilium retinuerit propter cardinalatus dignitatem, cum tamen haud Romae locus esset apertae successionis ex eo quod ipsius bona hac in civitate minime reperiantur, petitionis haereditatis judicium ibi institui nequaquam poterat. Multoque minus fratres Muti Bussi judicum A. C. jurisdictionem protueri valebant, cum ipsimet consensum praebuerint, ut acta coram iisdem judicibus gesta delerentur, quemadmodum deleta fuere. Quomodo hinc post acceptam circumscriptionis istantiam poterant adversus eorum factum insurgere, quo innocentianorum judicum incompetentiam fassi sunt? Frustra igitur tribunalis A. C. jurisdictionem vindicare studebant, cum et eorum acceptatio, et s. Rotae rescriptum obstent, quominus ad A. C. triumviros hujus causae cognitio deferatur. Haec enim res judicata jam ipsorum incompetentiam constituit, quam nec directe infringere, nec in dubium revocare licet, ex tritissimo axiomate, quod res judicata pro veritate habeatur.

§ 11. Haec quoad petitae circumscriptionis rejectionem. Modo superest, ut postrema pars recursus diluatur, quae vicarii viterbiensis, utpote suspecti judicis recusationem respicit. Duplici porro ex capite suspectus esse vicarius dicebatur, quod nempe de seminarii interesse ageretur, cui episcopus in vim suae auctoritatis praesit, ita ut ipsemet in judicio coram innocentianis A. C. judicibus et s. Rota antea stetisset; et quod vicarius sensum animi sui favore seminarii hac in causa jam antea pandidisset. At vero ad primum quod attinet, episcopum, qua patrem, tutorem, ac legitimum omnium piorum locorum administratorem conveniri etiam coram proprio vicario generali, et ab hoc judicari posse certi juris est. Nulla siquidem adest ratio, cur vicario jurisdictionem deesse dicatur in causis, quae non directe episcopum, sed indirecte ipsius qualitatem respiciant, quum nullum episcopo, multoque minus vicario emolumentum, aut detrimentum obventurum sit, prospere ne, an malo litis exitus cedat.

§ 12. Aliud est enim quod causa interesse episcopi personale respiciat, atque aliud longe aliud, quod ad ipsum indirecte tantum pertineat. Quidquid in primo casu obtinere valeat, certum est in altero recusari vicarium non posse. Verum accedit, quod ne in illis quidem causis, quae propriae episcopi sint, admittenda esset vicarii ob suspicionem recusatio, quemadmodum in causis ad mensam pertinentibus contingit, quas nedum vicarius, sed episcopus ipse cognoscere potest, idque unum requiritur, ut adjunctum sumat. Hujus rei ratio in eo est, quod licet mensae causa propria episcopi videatur, quia ad eum spectant fructus, injuria tamen a judicando removeretur, quum illius proprietarius non sit, et praevaricatio in ipso non praesumatur *Fagnan. in lib.* 1 *decretal. ad cap. nosti num.* 6, *et Baldus in leg.* 1 *num.* 3 *cod. ne quis in sua.* Jam vero si episcopus in his causis competens esset, etsi aliqua ei utilitas obventura sit, multo magis competens erit vicarius, quem res nullo modo respicit. Hinc semper obtinuit, ut vicarius in ipsis causis mensae procul a suspicione judicare queat, ut *Fagnan. lib.* 1 *decretal. ad cap. nosti num.* 21. Immo si consuetudo praesto sit, vicarius in mensae causis etiam sine adjuncto judicare potest, quia iste semper minus suspectus erit quam episcopus, ad quem litis commodum, vel incomodum pertinet, *Abb. in cap. nullus de foro compet. num.* 24; *Franc. in cap. postremo num.* 5 *de appellat.*

§ 13. Si igitur vicarius nulli suspicioni obnoxius fit, etiamsi de causis episcopi interesse respicientibus agatur, multo minus suspectus erit in iis, quae ad episcopum non spectent, et in quibus hic tutorio tantum, non proprio nomine in se judicio sistat. Caeterum absonum omnino esset non modo a canonum sanctione, sed etiam a juris communis littera,

quod vicarius a piorum locorum causis definiendis tamquam suspectus removeretur. Sepositis enim canonibus, atque episcoporum jurisdictionibus, in aprico erat ecclesiae, piarum institutionum, ac seminariorum causas pejores esse nequire causis fisci. Si igitur fisci praeses et judex in causa fisci, cur idem dicendum non erit de piis lociis episcoporum tutelae concreditis, ut nempe de iis cognoscere valeat episcopus, aut vicarius?

§ 14. Nec relevat, quod episcopus coram innocentianis A. C. judicibus, ac s. Rota insteterit. Hac enim vetare nequit, quominus vicarius competens hoc in judicio dici debeat, quum ipse licet jurisdictionem ab episcopo habuerit, semel ac tamen officium consequutus est, ordinaria potestate pollens, non delegata, suamque jurisdictionem exercet ab episcopo prorsus indipendenter *Gloss. in cap. Romana in vers. generaliter de appellat. in* 6, *cap. tua vers. vicarii, Extrav. de offic. vicar. in cap. perlectis* 12 *de offic. vicar. in* 6, *Fagnan. in lib.* 4 *decretal. a cap. quod nobis de clandestin. despons. num.* 45, *Carneo in consultat.* 48 *n.* 2 *et* 3 *vol.* 1. Haec siquidem jurisdictio vicariis competit non quod ab episcopo delegati sint, sed quia lex ipsa eamdem ipsis tribuit. Ita quippe vigentis praxeos § 358 « *I vescovi, e gli arcivescovi, e per essi i vicarii generali nelle diocesi rispettive son giudici di prima istanza* ». Hinc fit, ut jurisdictione non modo privari ab episcopis nequeant, sed eam exercere valeant, etiamsi ipsimet episcopi tamquam actores, aut rei judicio intersint, utpote in causis mensam respicientibus evenit *Fagnan. in lib.* 1 *decretalium ad cap. nosti de electione num.* 21 *et seq., Abb. in cap. nullus num.* 6 *de foro compet.* Quare si incompetens non esset vicarius etiamsi episcopus ipse tamquam actor, vel reus in judicio coram ipso adfuisset, multo minus incompetens dicendus erit ex eo quod iste eadem in causa actor antea fuerit coram alio tribunali. Caeterum haec omnia ad rem non pertinebant, quum in judicio, de quo agitur, non episcopus, sed seminarii oeconomus actor fuerit.

§ 15. Nullius vero etiam momenti erant quae de antea pandita a vicario favore seminarii opinione sacerdos quidam Pichius deponebat. Praeprimis enim haec depositio utpote ab unico teste emissa, attendi nequibat, quum scitissimum in jure sit adagium testis unius testis nullius, in *text. ad leg. jurisjurandi cod. de testibus.* Quo vero tempore colloquium cum vicario Pichius habuisse asserit mense scilicet octobris, nullam vicarius habere poterat causae cognitionem, nec suspicari valebat, quod in posterum haec causa ad se deferretur. Quocirca cum nullam causae cognitionem suscepisset, aut suscipere valuisset, sequitur vicarii sermonem referendum tantummodo esse vel ad causas jamdiu in s. Rota absolutas, vel academico tantum modo ad jura seminarii generatim. Idcirco opinio a vicario emissa talis non esset, ut ipsum suspectum redderet. Lex enim quae inter auspicionis causas opinionem a judice editam recenset, non de quacumque opinione intelligenda est, sed de ea tantummodo quae mature, omnibus circumstantiis sedulo perpensis reddatur. Aliter enim absurda procederetur. Neque vera si haec legis sanctio ad eas etiam opiniones extenderetur, quas obiter et perfunctorie judicem contingat, jam nemo amplius judicis officio perfungi legitime poterit, quum saepissime veniat, ut judices abstracte ab amicis, aliisve rogentur, quid de hac vel illa causa sentiant, quae ipsis deinde definienda proponatur. Num ex hoc judices recusabuntur? Num judicium postea ferre necessario debebunt, quemadmodum amico interroganti responderunt? Num actis probatisque sepositis, opinio ea, quam, re sedulo minime perpensa, aut falso etiam supposito ferri contingerit, illi judicio praevalere debebit, in quod re melius inspecta, et rationibus, momentisque apprime discussis, ire postea contingat? Ex quibus omnibus patebat non modo circumscriptioni, sed neque judicis recusationi locum fieri posse. Atque ita etc., inter acerrimum partium certamen jus redditum est.

Die 29 maii 1845 « *Quoad circumscriptionem in decisis. In reliquis esse locum recusationi judicis, et extendatur decisio per R. P. D. Janni, et quoad recusationem judicis reproponatur* ».

Die 24 julii 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Joannes Franciscus Vespasiani — D. Antonius Vasselli.

Alatrina Restitutionis in Integrum

Jovis 3 Aprilis 1845

Argumentum

Adversus sententiam quae ob patrocinatoris culpam in impropriam remjudicatam abivit; qua indebita fructuum solutio decreta fuit; quae posthabuit monumenta quamplurima quibus exceptio solutionis sortis principalis innitebatur; quaque tandem delatum fuit actori jusjurandum super alieno facto, petitur in integrum restitutio.

§ 1. Nuptiis anno 1785 Rosam inter Cianfrocca, et Gregorium Mortale alatrinos cives conciliatis, germani Rosae fratres, sacerdos Joseph, et Camillus, una cum communi matre Flavia dotem ei constituerunt in summa argenteorum *quingentum;* quam sese infra annum soluturos spopondere, conventis secus fructibus ad rationem « *del quattro per centinajo ad anno* ». Quoad *Camillum* pertinet, publicis anno 1789 signatis tabulis dotis semissem Rosae debitum is extinxit. Quo vero ad sacerdotem Josephum, immatura, ac violenta morte anno 1793 Gregorio perempto, tantam unicae illius filiolae, licet matris, vel aviae tutelae obnoxiae, curam avunculus amatissimus suscepit, ut illius nedum educationi, ac necessitatibus cunctis proprio aere, diuque prospexerit, verum occasione insuper conjugii, quod anno 1809 cum Jo. Baptista Speranza ea iniit, rusticum etiam praedium a perito viro aestimatum argenteis 289 et obol. 95 eidem donaverit; reservato sibi jure, quae sibi magis luberet vincula in supremo ejus voluntatis elogio eodem desuper iudicendi. Testamentariis autem anno 1823 conditis tabulis, nedum donationem hujusmodi numeris omnibus is confirmavit, unius vix sacri in singulos menses celebrandi onere ei injuncto, verum duplex insuper liberationis legatum, ejusdem favore scripsit, alterum scilicet « *di scudi 277. 30 per tanti spesi per dozzina pagata a questo ven. monastero, vestiario ed acconci fattigli durante la di lei educazione nel medesimo* »; atque alterum « *di scudi 45 dovutimi per tanti spesi nella lite sostenuta con la quondam Domenica Mortale di lei ava, onde difendere i di lei diritti* » hac tamen lege, et conditione adjecta, quod nullatenus Olivae liceret molestiam ullam universali ejus heredi inferre « *per qualunque siasi titolo, ragione e pretensione* ».

§ 2. Quamvis autem in iisdem tabulis nominatim, et expressim declarasset Joseph, reliquam dotis medietatem sorori suae, et Olivae matri ab anno usque 1816 defunctae debitam, fuisse jamdiu ab eo numeratam, solutis nimirum « *scudi duecento in danaro, ed un bove aratorio del valore di scudi 50 consegnato al di lei marito Gregorio Mortale da Pietro Mascoccia di mio ordine* »; eo tamen vix defuncto, Joannes Baptista Speranza uxoris suae Olivae nomine, et nuncium apud acta proprio lubitu misit duplici liberationis legato Olivae favore scripto, et judicio adversus Josephi heredes coram Frusinonis juridico egit solutionem urgens scutorum 395 « *nempe scuta 150 pro residuo dotis adsignatae quondam Rosae Cianfrocca, et scuta 245 pro fructibus usque adhuc decursis* ». Petitionem hujusmodi albo undique calculo frusinonensis excepit praetor, jurejurando vix actori quoad bovis traditionem delato. Provocatione vero interjecta, reique cognitione, secundum praxeos leges per id temporis vigentes, ad Ordinem nostrum in comitiis diei 24 augusti 1826 delata, facile quidem Josephi heredes impetrarunt, unanimi Patrum suffragio, interpositam appellationem *in suspensivo* servari, rescripto edito « de appellatione et amplius »; cui diuturnum postea successit litigatorum omnium silentium. Appellationis autem beneficio, ex urbani causidici negligentia, ac desidia, novissime perempto, redierunt li hodie ad nostrum Ordinem restitutionem in integrum adversus impropriam rem ortam judicatam postulantes, propitiumque illico retulerunt rescriptum « *de causis s. p. a. i. etiam quoad refectionem expensarum* », dato mihi munere decisionis vulgandae.

§ 3. Neque minus extrinseca, quam intrinseca causae momenta rescriptum hujusmodi

suomet veluti jure sibi vindicabant. Quod enim ad extrinseca pertinet, duo urgebant gravissima. In eo porro versabatur *primum*, quod *de impropria* rejudicata in themate agebatur, non aliter quidem orta, nisi ex culpa, et desidia unius urbani causidici, qui dum Josephi heredes litteris ab anno usque 1840 ad eos datis certiores faciebat de universis praxeos solemniis ad appellationem legitime prosequendam ad unguem impletis; omnia e contra singulari, ac vere crassa negligentia despexerat, talique pacto perimi omnino siverat suspensivae appellationis beneficium adversus Frusinonis praetoris sententiam concessum; in eo vero *alterum* residebat, quod ejusdem sententiae injustitia nostro Ordini rescripto in comitiis diei 24 augusti 1826 unanimi Patrum suffragio edito fuerat jamdiu comprobata. Nil enim hodie vulgatius in foro, quam facile quidem adversus improprias ejusmodi resjudicatas ex aliena plerumque negligentia ortas, restitutionis in integrum beneficium concedi, potissimum si de sententiis res sit sub anterioribus praxeos legibus vulgatis, quarum praesertim injustitia fuerit jamdiu alias cognita, ac degustata, ceu firmavit passim nostrum Tribunal, ac potissimum *in Praenestina restitutionis in integrum* 31 *maii* 1827 § 5 *coram R. P. D. Cioja, in Camerinen. restitutionis in integrum* 22 *decembris* 1836 *coram R. P. D. meo Conventati decano, et in Forolivien. restitutionis in integrum* 9 *aprilis* 1840 *coram R. P. D. Lippi.*

§ 4. Quo vero ad *intrinseca,* in invitos cujuslibet oculos erumpebat evidens rei editae judicatae injustitia. Constabat enim primum, in nuptialibus tabulis anni 1785 dotales fructus Rosam inter, ejusque virum Gregorium Mortale, ac germanos sponsae fratres non aliter fuisse conventos, nisi ad rationem « *del 4 per ogni centinajo ed anno* », eosque e contra ab frusinonensi praetore ad rationem quincuncem, prout cubitalibus verbis in ejus sententia is declaravit, fuisse comprobatos, quod unum hercle satis ad condemnationis hujus excessum probandum. Longe enim a veritate aberrabat, quod Olivae oggerebat defensor, *verbo* quidem ad quincuncem mensuram, *re* tamen vera ad trientem duntaxat rationem fructus dotales fuisse supputatos, cum ducto eorum calculo per integrum annorum *quadraginta et unius* spatium, ab anno scilicet 1785, quo dos fuit Rosae constituta, ad annum usque 1826, quo lis habuit exordium, eorumdem quantitas summam una simul attingeret scutor. 246. Ex tabulis siquidem exeunte anno 1789 cum Camillo obsignatis luculenter patebat, in eo temporis intervallo fructus aliquos fuisse jamdiu ab utroque Rosae fratre persolutos, neque fas proinde erat ad annum 1785 eorumdem calculum protrahere. Praeterea quod ad fructus pertinet, illud erat sedulo ponderandum, defuncto ab anno usque 1793 Gregorio Mortale Rosae viro, solutoque ex ejus obitu eorumdem connubio, eoque fortius Rosa ipsamet anno 1816 e vivis erepta, dotem anno 1785 ei constitutam, neque adhuc solutam, merum, simplexque pecuniarium, et sterile creditum mansisse, quod juxta saniorem receptam sententiam impar omnino erat procul a castrensium requisitorum interpellatione fructibus gignendis, eorumque proinde solutionem nequivisse amplius Olivam ejusdem heredem urgere, ad tradita per *Gratian. disc. for. cap.* 427 *num.* 1*; Boss. de dote cap.* 20 *num.* 77*; De Luca de dote disc.* 161 *num.* 59*; Constant. ad stat. urb. adn.* 34 *art.* 2 *num.* 176*; Post. resol.* 77 *num.* 1*; et Rot. cor. Coccino decis.* 572 *num.* 11*; cor. Cerro decis.* 457 *num.* 1*; in Caesenaten. dotis super restit. in integrum* 27 *februarii* 1758 § 4 *coram Ratta; in Anconitana seu Senogallien. fructuum dotis* 12 *junii* 1797 § 3 *cor. Acciajoli; in confirm.* 7 *martii* 1802 *per tot. cor. Cesarei; in Montis Alti, seu Firmana dotis super fructibus* 29 *jan.* 1821*; et* 10 *martii* 1823 *p.* 2 *cor. Bussi.*

§ 5. Nec minus nutabat frusinonensis praetoria sententia quoad sortem. Gravissimae siquidem praesto erant in themate conjecturae ad dotis solutionem arguendam, quam ceterum ex praesumptionibus etiam, et argumentis erui posse tralatitium in jure est, veluti post *text. in cap. afferte de praesumpt. statuunt Menoch. de praesumpt. lib.* 3 *praes.* 135 *n.* 1*; Maur. de solution. c.* 4*; Gratian. disc. for. cap.* 739 *n.* 38*; Cyriac. contr. for. cap.* 280 *n.* 1*; Sabell. summa divers. tract. verbo solutio* § 23 *n.* 5*; et Rot. dec.* 379 *n.* 13 *rec. ac dec.* 373 *n.* 7 *cor. Bichio.* Et praesto primum erat jugę, ac vere diuturnum annorum *plusquam triginta* silentium, quod ante contestatam litem, tum Rosa ipsamet, dum in humanis

fuit, tum ejus filia et heres Oliva perpetuo servarunt; cuique insuper silentium alterum annorum fere viginti post latam etiam accessit sententiam. Praesto rursus erat declaratio solemnis in supremo ejus voluntatis elogio, in quo mentiri haud facile homines solent, a sacerdote Josepho, viro ecclesiastico, et honestissimo emissa, qua nomen hujusmodi non generice quidem, sed speciatim asseruit ex integro prorsus fuisse ab eo extinctum, solutis « *scut.* 200 *in denaro, ed un bove aratorio del valore di scudi* 50 *consegnato al di lei marito Gregorio Mortale da Pietro Marcoccia di mio ordine* ». Quae sane defuncti declaratio in solemni adeo actu emissa majorem sibi fidem in themate vindicabat, cum ex Petri reapse Marcoccia testimonio, aliisque monumentis a Josephi heredibus adductis illius veritas ex parte saltem, sive quoad expletam bovis traditionem probata undique maneret. Quibus demum cunctis culmen, fastigiumque imponebant argumenta cetera hausta, *tum* ex alimentorum, litisque sumptuum credito, quo erga neptem pollebat Joseph, cujusque liberationem eidem legavit; *tum* ex praedii *Campello* donatione in nuptialibus tabulis anni 1809 ejusdem favore ab eo emissa, et in supremo voluntatis elogio expressim confirmata, quem utrumque aedepol liberalitatis actum in eam non contulisset Joseph, sed debitum potius persolvisset, si dotis reapse debitor adhuc mansisset; *tum* ex conditione demum legato injuncta nullam Josephi heredibus molestiam inferendi « *per qualunque siasi titolo, ragione, e pretensione* », quam ceterum legem nefas hodie erat ullatenus spernere sub renunciationis fuco liberationis legato ab Olivae viro emissae, quum renunciatio ea Olivam haud afficeret.

§ 6. Tot itaque, tantisque manifestae rei judicatae injustitiae argumentis in themate confluentibus, jure merito restitutionis in integrum beneficium elargiendum Patres censuere, potissimum quum juramentum ea Joanni Baptistae detulerit super bovis traditione *Gregorio Mortale* expleta; sive super *facto alieno*, quo nil sane concipi valet ab naturali etiam ratione magis alienum. Et ita etc. Utraque etc.

Dic 2 julii 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Cerica — D. Raphael Borghi.

Prot. 84/1844 Rm̃o P. D. CONVENTATI Decano Decisio XXI.

FIRMANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 17 *Aprilis* 1845

Argumentum

An concedenda sit restitutio in integrum adversus remjudicatam, quae contractum, usurae infectum pravitate, sancivit.

§ 1. Ad expensas, et judicii damna parcenda quae ei imminebant, Joannes Baptista Eugeni ex oppido S. Victoriae in Picoeno unum aes ex tribus mandatis a totidem collybi litteras conflatum, pro quibus ipse fidejusserat, in se constituit erga Pacificum Egidi, et Antonium Nicolaum Cristiani, quasi vices pro quodam Vincentio Cbellini anconitano gerentes, cui ut solidalis expromissor canonicus Pacificus Eugeni accessit. Per apocam privatam contractus perfectus fuit; ita tamen, ut cambialium quoto sumptus judiciales commercii simulque fructus copulati fuerint, clatumque debitum ad scuta 1043: 87. 5 quae gignere decunces usuras quotannis debebant: singrapha illa ad publicum instrumentum transferre oportebat, renuentibusque fratribus Eugeniis liberum erat creditoribus eos compellere, omni mora despecta ad solvenda scuta sexcentum octuaginta novem obulosque triginta octo, quae primordiali cambialium debito proficisci dicebantur. Minus Egidi et Cristiani intererat progressu temporis instrumenti celebrationem adhuc desiderari; ast plurimum fratres Eugeni a solvendis fructibus evadere iuertes, quos ad excitandos judicium sumpserunt, eosque coram ecclesiastica curia firmana vadarunt infra tempus praefiniendum ritu publico contractum stipulari, quo perperam elapso instantibus concedi mandata commercialia exequi

posse. Vadimonium excepit Index, definitoque post sex dierum spatium, quin rei conventi contractum solemniter perficissent, jus esse actoribus adigere per litterem fratres Eugeni ad solvenda scuta 689: 38, quae e sententiis commercialibus manare idem judex dicere non dubitavit. Appellatione ab hoc judicio interjecta, fratres Eugeni in repellendis adversariis distenti, qui nova quaestione fructus super fructus consequi jubiebant, obliti sunt de ejus peremptione, quare percussi a re judicata, beneficio restitutionis in integrum uti coacti sunt, quae adeo evidens Patribus visa est, ut illico hodie rescribere pro justitia voluerint « *de causis* s. p. rei judicatae etiam quoad *refectionem expensarum* » mihi onere decisionis edendae injuncto, quam adversus insurgere victis liberum erit.

§ 2. Pacifico Egidi, et Antonio Cristiani e vivis elatis, eorum heredes non minori impetu aggressi sunt fratres Eugeni, quos, omni spe medelae expoliare volentes, nitebantur suadere Patribus singulas repugnare leges, ut firmana auditoria Archiepiscopi sententia subiicere novis judicibus valeat. Otiose tamen. Nulli enim aliae rei judicatae propius restitutio in integrum decet quam praesenti. Recolendum est sub leoninis legibus judicium institutum perfectumque fuisse, quum res judicata nisi ab una, et altera in unum coalescente sententia non oriretur. Hoc dumtaxat argumento satis Patres dixissent de *causis*, firmissimi, ut jugiter in anteactis decisionibus perstiterunt, ne unquam ab una, sive sub piana, sive sub leonina praxi orta sententia, restitutio in integrum reiiceretur.

§ 3. Intrinsecus vero perspecta judicata, quamvis perfecta fuisset, adeo justitiae repugnabat ob legum violationes, novumque allatum documentum, ut salva relicta resistere oportuisset Principis imperio, quo Senatus noster impellitur, ad largiendam in integrum restitutionem una ex adductis conditionibus adstante. Et sane apoca illa, quam judex confirmavit redigendam esse ad publicum instrumentum, maximam usurae pravitatem continebat tum in fructuum enormitate, tum potius praepropere eorumdem fructuum solutione « *col pagarci però da oggi da semestre in semestre anticipatamente l'usura del dieci per cento, ed anno, MA QUESTO ANNO PERÒ DOVRÀ PAGARE ANTICIPATAMENTE L'USURA DELL'INTERO ANNO* ». Conventio inita inter fratres Eugeni ac eorum adversarios ad annum refertur 1828, quin ullum tunc temporis exemplum adduci queat, quo evincetur adeo inopem esse in Picoeno pecuniam, ut eruere ex ea fructus praeter ordinem liceret: vix enim reminisci quis potest, duriorem temporum vicissitudinem tulisse fructuum elationem ad denunceum ascendisse. Improba vero conditio a singulis civilibus, eo magis a canonicis legibus damnata, qua ad fructus in antecessum suppeditandos debitores Eugeni subjecti fuerunt. Tamen res judicata nihil contra bonos mores in contractu accidisse notavit, eumque imo, ut ad publicum instrumentum redigeretur sancivit.

§ 4. Dicere possent heredes Egidi, et Cristiani firmanam sententiam fratribus Eugeni quasi optionem obtulisse, prout etiam a contractu eruebatur, instrumenti adstipulatione non secuta, aes illud solvendum, quod a commercialibus mandatis deveniebat una cum fructibus qui ab iis praescribebantur. Animadverterunt vero Patres illicita pacta penitus foedare contractus, et nihil juris ex eis hauriri posse L. 3 § *leg. de pec. constit.* judicumque muneris esse sub nullo hypothesi ea probare, quae a jure damnantur: insuperque perpenderunt quotum scutorum 689: 39 haud esse compendium judiciorum commercialium; excedit enim in scutis 133 obul. 63 ab eo, quod a tribus sententiis Cbellinio, et pro eo Egidio, et Cristiano tribuebatur, quum una contineat scuta 201: 15, altera sc. 274: 49, tertia tandem scuta 80, sc. 201. 15
quae simul collectae cobibent debitum ad scuta 555: 64, ut ex marginali calculo demonstratur. » 274. 49
Abnormissima igitur quaquaversus inspicietur resjudicata consistit, et undique injustitiam redolet, » 80. —
nihil idcirco prudentius quam eam novo examini subiicere, ne e suis aemulis fratres Eugeni opprimeutur, quibus majora discrimina imminent, immodicas usuras solvendi sc. 555. 64
super debito inexistente.

§ 5. Judicem firmanum latebat, potiusquam Cbellinio, collybisticas litteras pertinuisse Pacifico Egidi, et Nicolao Cristiani, quorum cura secretum reseratum est. Ex sententia enim vicarii generalis anconitani, quem apud idem accusarunt canonicum Eugeni, patet, creditum ab iis tesseria derivantem, Egidium, et Cristianum dumtaxat respexisse, et Cbellinium

praeter nomen nil aliud praebuisse. Eae igitur cambiales super falso titulo nitebantur, dum originem haud ex trajectitia pecunia sumebant, utique vero ex mutuo ad gignendos fructos impari, quippe simulatus erat earum possessor, et nil magis quam *prestanome*. Injusta itaque conventio qua se fratres Eugenii devinxerunt ad fructus solvendos sine causa: injustissima ob excessivitatem eorumdem fructuum, cum nec ad mercatorios exigendos jus creditoribus erat. Praeter argumenta superius allata, culmen injustitiae ex novo documento rem judicatam attigisse Patribus visum est, qua in publicum instrumentum apocham convertere Eugeniis fratribus injunctum fuit.

§ 6. Quae a Patribus mihi suppeditata, fideliterque in decisione relata sunt, satis superque evincunt merito a fratribus Eugeniis in integrum restitutionem imploratam fuisse, multoque magis voti compotes eos hodie evasisse rescripto « *De causis S. P. reijudicatae* ».

Et ita conflictante utraque parte jus redditum est.

Die 29 maii 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Joseph Mancini Lombardi — D. Joannes Baptista Ruggeri.

Prot. 212/1844 R. P. D. ARNALDI DECISIO XXII.

INTERAMNEN. CIRCUMSCRIPTIONIS SEU RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 17 Aprilis 1845

Argumentum

Agitur de effectu interventus necessarii; de dubiis editis nulla pandita ratione cui innitantur; de productione testium super novis articulis post expletum, et clausum examinis processum; de arbitrio judicis circa sanctionem § 1059; *et de damnatione ad expensas favore illius, qui absque necessitate ad causam vocatus fuit, et ab observantia judicii dein absolutus abivit.*

§ 1. Adversus Antonium Morelli « *nella qualità di subappaltatore del dazio sulle carni suine nella città di Terni* » coram tribunali Spoleti postulaverat Joseph Cruciani restitutionem, vel reintegrationem vectigalis illius in scutis 53. 90, juxta capitula redemptorae, quorum vigore vectigal reddendum illis erat, qui solvissent, simulque probassent carnes suillas extra territorium perduxisse, commercii gratia, aliis in locis, divendendas. Oppugnavit actionem Morellius quaestionem praeponens, an esset reintegratio peragenda de universali carnium suillarum extra municipium eductione, vel potius adhibenda distinctio inter carnes recentes ab illis, quae sale plurimo ad avertendam corruptionem reparantur. Scite tribunal ad magistratum administrativum pro municipalium hujusmodi articulorum interpretatione quaestionem subjecit « *salvo di statuire in seguito ciò che di ragione* ».

§ 2. Contentiose per remjudicatam, quae sententiis exorta est moderatorum Spoleti, et municipalium negociorum rebus propositae sacrae Congregationis explanatum fuit « *Che il disposto del succennato articolo si estende, e si riferisce tanto alle carni suine fresche, quanto a quelle salate prosciugate, ed insaccate. . . . . . Si abbia diritto di ripetere lo importare del dazio pagato su dette carni, giustificata nelle debite forme legali per parte dell'estraente la quantità precisa estratta* ». Itaque ad ordinarios judices gressum repetivit Crucianus, relaturus damnationem Antonii ea in summa ipsi redemptorae, tempore nimirum *anno* 1834 persolutae, quae ad carnium suillarum extra territorium venditarum redibat. Tunc novam exceptionem opposuit Antonius, haud sibi solutionem fuisse gestam, verum Aloysio Venturini praecedenti vectigalis conductori, quod demonstratum esse contendebat ex stigmate carnibus inusto litteris *L. V.* nomen illius denotantibus. Tribunal formale testium examen indixit; deinceps « *atteso che possa avervi interesse l'antecedente appaltatore* » interlocutorio decreto jussit ad causam vocandum esse Venturinium. Alii ex

testibus Morellium haud alio usum signaculo, quam proprio. Alii eo ipso tempore, vel etiam illud Venturini innstum fuisse carnibus exportandis affirmabant. Hoc in conflictu, quo actori Cruciano sive a Morellio, sive a Venturinio reddendum fuisset datium, sententia dicta est, quae Morellium plenarie absolvit; Venturinius ab ordinatoria judicii dimissus est; Crucianusque ad expensarum refectionem utriusque favore damnatus.

§ 3. Priori congregationis A. C. sectioni delata est causa in gradu appellationis. Haec licet, ut primum opinionem praesetulisset « *di confermare la sentenza del tribunale di Spoleto del 11 luglio 1843 rapporto al Morelli, e di revocarla rapporto a Venturini condannandolo al richiesto rimborzo insieme alle spese* » quin tamen ullam ederet rationem dubii, opinionisque fundamentum edoceret ullum; deinceps « *previa la revoca dell' opinamento quanto al Venturini* » omnibus ex partibus spoletanam sententiam confirmavit cum condemnatione Cruciani in ulterioribus expensis, tam pro Morellio, quam pro Venturinio. Ita ab alterutro post longam litem vacuus dimissus Crucianus, supremo tribunali recursum subjecit « *pro circumscriptione omnium gestorum coram tribunali Spoleti post diem sextam februarii 1840 cum omnibus inde secutis ex defectu jurisdictionis* », vel saltem pro restitutione in integrum adversus exortam remjudicatam. Haud sane in omnibus res ei male cessit. Nam circumscriptionis postulato « *utatur jure suo* » *Patres domini* respondere arbitrati sunt; restitutionem tantum in integrum elargientes rescripto « *de causis restitutionis in integrum sine praejudicio reijudicatae, etiam quoad expensas* ».

§ 4. Quoad enim circumscriptionem actorum *post diem sextam mensis februarii* in eo versabantur adducti tituli, quod post editam ab administrativo consilio resolutionem, nequibat tribunal Morellium absolvere, sed illum absque ulla indagine ad vectigalis reintegrationem compellere: tum quia haec ipsa super ineunda reintegratione quaestio haud contentiosae, sed administrativae potestati attineret, hisce de rebus a judicio ferendo abstinere se Patres DD. existimarunt, cum haec messis speciali Signaturae delegata sit ex edicto 25 julii 1835 § 8, et ideo duxere satius rem integram, intactamque relinquere, per praedictum editum rescriptum « u. j. s. ».

§ 5. Posita autem implicita validitate actorum, plura tam extrinseca, quam intrinseca occurrebant requisita restitutionem in integrum reposcentia. Ac primum, quia cum recte, ac valide Venturinii interventum fuisset decretum « *per statuire in concorso del medesimo sul merito della controversia* ». Ac disceptatio esset an a Morellio, vel Venturinio Crucianus esset de controverso vectigali instaurandus; cum absolvere tribunal censuerit Morellium, de Venturinii quoque vel absolutione, vel condemnatione erat statuendum, neque per absolutionem illius a simplici ordinatoria, illud scindere judicium fas erat, quod ex decreto reijudicatae vires assecuto, oportebat pro re nata, quod vel per alterutrius, vel utrorumque absolutionem, vel condemnationem absolvi debuisset, alias imperfectum judicium non sine absurditate prodibat; nec magis est, quam ab absurditate legis abhorreat.

§ 6. Minime autem ea subsistit animadversio, quod a Cruciano haud fuisset actio ulla promota in Venturinium; nam virtute interventus necessarii recte, ac valide a tribunali ex officio imperati, eadem illa ipsa originaria petitio vires in vocatum exerebat, aeque ac adversus principaliter vocatum exordio judicii, ex cognito utriusque praecipuo interesse. Cessabat praeterea ex facto, nam ad tramites decreti, diem Crucianus obtulit etiam Venturinio « *a comparire dopo otto giorni, ed attesi i motivi nella sentenza spiegati, intervenire nella causa; sentire su di essa pronunciare come sarà di ragione* ». Quae quidem cum toto processu conjuncta, efficiebat ut eam etiam petitionem adversus Venturinium propositam defecisse, haud recte dici potuisset. Itaque inferenda erat impugnatio facti, quod jus, ac recta foveret ratio; simulque veritati ex processu proficiscenti officeret.

§ 7. Momentosa accedebat violatio legis in prolatione dubiorum. Nam causa ad secundum gradum ascensa ex provocatione etiam in Venturinium interposita, nulla dubitandi ratio, seu decidendi fundamentum allatum est, quo pacto Venturinius fuisset ad solutionem adigendus, multandusque vel etiam ad expensas. Consilii ratio Cruciano expedire poterat ut ex ea nosceret an recte, ac juste assequi, indubie sibi debitam restitutionem a

Venturinio potius, quam a Morellio, et expensas judicii ab uno potius, quam ab altero repetere. Praesto lex est, quae nuncupat « *violazione di legge ad effetto di accordare la restituzione in intero, se i tribunali non hanno dato per iscritto le ragioni di dubitare, e di decidere* ».

§ 8. Quod si satis essent extrinseca merita ad concedendum in vota Crucianii, eo virilius militare videntur intrinseca. Indubium namque erat, atque a rejudicata administrativa sancitum, Cruciano restituendam esse a vectigalis redemptore quantitatem solutam pro carne suina, laniata quidem Interamnae, sed extra territorium ad nundinas deinde traducta, atque divendita. Jamvero de peracta solutione vectigalis a Crucianio nulla erat quaestio; id unum spectandum, an ex diverso stigmate, quae praecedentem vectigalis conductorem ostendebat, hic, vel Morellius, qui vectigalis redemptor erat tempore solutionis, ad restitutionem esset adigendus. Nemo alius aderat medius. Sane vero, utrumque absolvi; vacuisque manibus creditorem certum et exploratum erga alterutrum repelli e judicio, nisi per evidentem injustitiam haud poterat.

§ 9. Nec movet, quod ex solemni testium examine id videatur esse ostensum, nimirum, quod Morellius toto conductionis suae tempore, nunquam stigmate Venturino usum, sed proprio, nomen suum initialibus litteris designantibus; et ideo Venturinium potius condemnari debitorem debuisse, ac rite recteque absolutum dimissum Morellium, praesertim cum Venturinius ab una solummodo ordinatoria judicii palmam obtinuisset: haec nullius roboris aestimari decet. Principio, ex ipsis testibus societatem quamdam Morellium cum Venturinio in illa ipsa redemptura adfuisse elucet, ac nova de hoc exhibita sunt a Cruciano documenta, quamobrem maxime in auspicionem veniat creditoris ludibrio collusionem fuisse concinnatam. Nec refert quod post publicata testium dicta, alii non audiantur, expiscati quae praesumuntur. Nam super hoc articulo testes fere omnes societatis factum neque inficiantur, neque affirmant, ignorationem solummodo de hoc profitentur suam. Exploratum est autem non audiendos imo esse testes, qui adversus dicta in publicato processu producuntur, haud vero qui super novis articulis, magisque praecisis affirmant adversus negativos faciunt fidem, ut tradit *Bartol. in autent. An qui semel, numer.* 24. *cod. de probat.; Soccin. num.* 21. *artic. de testibus; Rot. cor. Buratt. decis.* 924. *num.* 4. Ex juris axiomate, quod partis probatio, probationem alterius non excludit.

§ 10. Verum illud urget maxime, quod uterque ex illis, salva justitia, absolvi non poterat; evidensque juris conculcatio illa, quod, cum in pari causa alteruter adesset, pari, correspectivoque jure recenseri oportebat, sive absolvendus, sive condemnandus. Siquidem, sive in unum, sive in alterum reum vocatos judicio, licet respective, triplex tamen concurrebat identitas, actionis scilicet, rei, et personae, quo in praecipuo themate, ubi caeptum, simulque coujunctum, congrue vel etiam terminari judicium idem necesse erat; ne subinde diversitas judicum, vel prolixitatem, vel sententiarum discrepantiam induceret: ut puta, quod unus absolvere putaret, dum alius condemnare judicaverit, *ad legem ubi coeptum ff. de jud. § et quoniam, autent. de testibus; atque argumento ex leg. si cujusd. crimin. cod. de accus. et inscript.; Felin. in cap. ex ten. num.* 19. *de rescrip. vers. in prax. lib.* 2.

§ 11. Neque erat praetereunda alia evidens injustitia in condemnatione Crucianii pro expensarum refectione favore utrorumque debitorum, cum quoad Venturinium ex officio vocatum ad causam, ac forte debitorem riservari saltem debuissent. Atque etc. utraque etc.

Die 12 junii 1845 « *Quoad circumscriptionem in decisis, in reliquis nihil, et extendatur decisio per R. P. D. Ferlisi et reproponatur* ».

Die 24 julii 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Binarelli — D. Bartholomaeus Belli
D. Pontianus Desantis

ROMANA UNIONIS, ET AVOCATIONIS

Jovis 17 Aprilis 1845.

Argumentum

De causis praejudicialibus, et connexis, nec non de illarum unione, et avocatione, cum simul pendeant coram diversis S. Rotae Auditoribus.

§ 1. Contestata lite apud S. Rotam inter Ducem Marinum Torlonia, Marchionem Camillum Pizzardi, et Dominicum Benucci ex una, atque D. Aloysium Pancaldi ex altera super nullitate transactionis ab iisdem initae occasione redempturae salis et tabacii, quaesitum fuit « *An constet de nullitate, vel sit locus rescissioni contractus diei* 30 *augusti* 1831, *ita ut, et quomodo, et in qua centesimorum quota sit locus traditioni utilium, et quomodo, et pro qua summa relaxandum mandatum in casu etc.* » Cui rogationis formulae semel, iterumque datum est responsum « *Negative in omnibus* ». Mutata verum alea judicii rescriptum tertio prodiit « *Quoad transactionem recedendum a decisis; quo vero ad reliqua videatur particulariter* ».

§ 2. Prout itaque ferebat praxis S. Rotae, duo ex uno effecta sunt judicia, eaque seorsim acta coram R. P. D. Albergbini, qui proinde distinctam super unoquoque sententiam tulit, altera decernens nullitatem transactionis, altera constituens centesima sex utilium cum dimidio Pancaldio deberi cum lege tamen, ut in bisce computandis ratio haberetur onerum superventorum. Prior illa non arrisit socii; baec Pancaldio minus placuit: quare omnes respective provocarunt, sed ad judicem diversum, nempe diversum auditorem sacrae Rotae. Socii primum ad R. P. D. Bonini, Pancaldius deinde ad R. P. D. Marini. Factum binc est, ut socii postularint a nostro Ordine unionem causarum, earumque remissionem R. P. D. Bonini. Quod cum aequius visum fuerit, Patres rescripserunt « *Eidem R. P. D. Bonini in statu, et terminis* », et rationes hujus rescripti mihi datum est singillatim referre.

§ 3. Prima, sed levior dispositionis pars erat super unione. Contendebat Pancaldius, nullam extare necessitatem uniendi causas, quas S. Rota non modo diviserat et sejunctim definiverat, sed quarum altera usque ad exitum alterius, quemadmodum socii rogaverant, differendi rationem non invenit. Negabat caeterum intrinsecus, causam nullitatis esse praejudicialem alteri super traditione utilium; quoniam in materia unionis non quodlibet praejudicium attendendum, sed illud solummodo quod est in exceptione rei judicatae, cum nempe judicium in una redditum prohibeat aliam causam secus definiri. Quo posito, ratiocinabatur, sententiam contra sententiam, id est exceptionem rei judicatae numquam oriturum, si unio denegetur. Utcumque etenim transactio corruat vel subsistat, resjudicata super traditione utilium impedimento esse nequit quominus alterutrum decidatur. Equidem si nulla, manet resjudicata, quae adscripsisse Pancaldio ea lucra socialia utpote petita in sequelam nullitatis. E contra si valida, tunc eadem resjudicata uti accessoria, et corollarium, absorpta et circumducta remaneret *ad text. in leg.* 178 *ff de R. J.* « *Cum causa principalis non constitit, nec ea quae sequuntur locum habent* ».

§ 4. Ingeniosam vero plusquam solidam banc sermocinationem Patres invenerunt, quae si momento consisteret actum videretur de causis praejudicialibus. Ita sane de petitione baereditatis priusquam de baeredis qualitate pronunciari posse dicendum esset; nam si deinde constiterit, petitorem non esse baeredem, delata cum boc supposito baereditas auferetur. Eadem ratione immissio in specie concedi valeret antequam immissio in genere tribuatur, quoniam ista denegata illa specialis haberetur ac si nondum fuisset concessa. Sed baec, et similia saperent in jure totidem absurda, quoniam ideo causae praejudiciales dicuntur, quia una ab alterius definitione dependet, quemadmodum in casu. Adeo autem quaestio traditionis utilium pendet ab alia nullitatis transactionis, ut donac transactio consistit, actio deficiat pro consequutione lucrorum socialium, quae Pancaldius abjecit transigendo; idque vel magis eruitur ab ipso libello, quo petiit primum declarari « *nullo, e come non avvenuto per*

vizio di lesione enormissima, e per altra causa da dedursi il contratto di pretesa transazione ec. » mox vero « *per conseguenza ordinare, che previa la dichiarazione di nullità saranno i citati solidalmente, ed in qualunque evento* pro virili, *condannati a consegnare all'istante per l' intero dodicennio dell' amministrazione cointeressata il risultato dei suddetti lucri netti di sei centesimi, e mezzo nella somma dai bilanci risultante* ».

§ 5. Quod si de utraque libelli parte seorsim cognoscere duxit S. Rota, non ideo judicii naturam mutavit, et quod consequens erat effecit aeque principale, adeo ut aliud sine alio posset absque praejudicio definiri. Nec mirum si sejunxit; quoniam ex laudabili per quam veteri suo instituto quoties plures controversiae una olim *Commissione*, modo unico libello comprehensae altiorem indaginem singulae requirunt, toties maturiori, ac distinctu examini reservat, quod nihil officit actioni. Ita nec refert, fuisse ab eadem S. Rota denegatam supersessoriam quoad non resoluta usque ad exitum causae principalis. Non novum quippe est in laudato Tribunali quod simul proponantur, sed coram eodem auditore causae inter se connexae, quod tamen baud impedit, ut alterius definitio semper ab altera dependeat. Praejudicium tunc extaret, si primum accessoria, quam principalis, vel si haec ab uno, illa ab alio judice absolveretur.

§ 6. Ad exceptionem quod attinet reijudicatae, quam oriri nunquam posse Pancaldius contendebat utcumque causae deciderentur, persuasum fuit Patribus etiam ex jurisprudentia bactenus recepta, ad concedendam unionem causarum sufficere eas esse praejudiciales, baud posse videlicet unam seorsim ab alia, vel prius quam alia definiri attenta earumdem continentia quin opus sit ea triplici identitate rei, actionis, et personae, quae juxta Pancaldium in themate desideraretur, uti argumento ducto a § 1050 tenuit noster Ordo *in Romana avocationis causae* 21 *aprilis* 1831 *num.* 4 *coram Grossi, in Bonon. union. causar.* 7 *maii* 1833 *num.* 8 *coram eodem, in Bononien. avocationis et unionis causarum* 4 *augusti* 1833 *num.* 5 *coram nunc Emo Vannicelli Casoni, in Camerinen. unionis causarum* 17 *junii* 1841 *num.* 4 *coram Grossi,* et in specie diversitatis personarum *in Romana unionis et avocat.* 6 *maii* 1841 *num.* 5 *coram R. P. D. La Grua Valdina.* Quin recte opponerentur aliae nostri Ordinis resolutiones, quae ordinarium cum executivo, petitorium cum possessorio judicio conjungere noluerunt. Prudentissime siquidem invectum est, ut donec de illegittimo titulo, vel possessione constet, nequeat obligatio in suspenso relinqui, vel quis interim a possessione deiici, ne liberum sit debitoribus et usurpatoribus quibuscumque creditores, possessoresque legitimos fraudare, turbare asserendo dumtaxat, quod nullam babeant causam crediti, vel pessessionis. Illud proinde, quod supponitur praejudicium inter bas causas, actu revera non extat; exerit enim titulus, aut possessio vires suas, donec contrarium judicetur, aut vitium quod opponitur ex ventre nascatur, et incontinenti appareat, *ut in specie decis. Ravennaten. unionis* 17 *septembris* 1835 *coram laud. Emo Vannicelli, et Bononien. unionis causarum* 2 *maii* 1844 *cor. R. P. D. Ferlisi.*

§ 7. Levior nibilominus, uti praemissum fuit, erat super unione disputatio. Potissima enim quaestio fiebat coram quo causae uniri deberent R. P. D. Bonini, vel R. P. D. Marini. Occurrebat verumtamen in ipso vestibulo, unionem, et avocationem causarum, de quibus agitur, fuisse postulatam dumtaxat a sociis, ideoque earumdem cognitionem remitti non posse R. P. D. Marinio, ceu Pancaldius emisso libello rogabat. Ponderabant insuper Patres, dato quod liceret instantiam Pancaldii supponere, causas nibilominus uniendas esse apud R. P. D. Bonini, sive quia judicem praeventum, sive quia ad eum delatum fuerat negocium principale, id est nullitas transactionis, quae ad se trahebat comparticipationem utilium tamquam accessorium, sive demum quod causa nullitatis potior alia videretur, proindeque locum sibi apprime vindicaret dispositio § 1051, nempe causas remittendas esse « *al giudice, o tribunale, che sarà stato prevenuto nella causa di entità maggiore* ».

§ 8. Concedebat baec omnia Pancaldius, sed extranea prorsus esso affirmabat tribunali S. Rotae, ubi ex mutatione sedium interdum accidit, ut in gradu appellationis redeant iidem judices, qui suffragium tulerunt in primo gradu. Quod cum grave appellanti baud esse nequeat, inolevit ab antiquo stylus subrogandi alium ponentem qui nova ferat suffragia, eadem

ratione qua appellatio a sententia rotali committenda venit ultimo corresponsali ejusdem turni, vel alteri auditori immediate sequenti *« ut detur locus votandi novis omnibus corresponsalibus »*, quemadmodum refert Card. Petra *ad constit.* 14 *Joannis XXII*, Emerix junior, olim Rotae decanus, in opere inedito *tractatus, seu notitia S. Rotae Romanae*, et Villettius in sua notissima quamvis anonima *Prattica della Curia Romana pag.* 177. Quamobrem cum R. P. D. Bonini, attenta hodierna sedium occupatione, respondeant duo veteres auditores RR. PP. DD. Albergbini, et De Avellà, causae nequeunt eidem remitti, sed potius avocari ad R. P. D. Marini, quo ponente nova omnia haberentur suffragia, unico tantum excepto ponentis ipsius, qui consilium praebuit in superiori gradu.

§ 9. Sed difficultas hujusmodi, elicita ex consuetudine S. Rotae alioquin probatissima, et in bonore babita etiam diebus nostris teste § 1044, plures responsiones invenit. Primo nimirum ex citatis auctoribus dubitari posse, num consuetudo locum obtineat etiam cum ponenti non respondeant omnes, vel plerique veterum auditorum; in casu autem duo tantum ex quinque redirent. Insuper vero cum sedes proxime repleantur, et contingat in Rota mutatio antequam sit locus propositioni causarum, omne scrupulum evanescere, quippe veteres corresponsales eunt in aliam partem, unde res incidit in eum statum, a quo incipere potuisset. Nec recte objiceretur *l.* 29 *ff. de R. J. «Quod initio vitiosum est non potest tractu temporis convalescere »*, quoniam probibitionis causa non est perpetua, sed temporaria, quatenus nimirum sedeant in eo loco veteres auditores. Quae limitatio praefatae regulae non immerito eruebatur *a leg.* 41 *ff. de pign. act., leg.* 22 *ff. de pignor., leg.* 22 *ff. de usucap., leg. ult. ff. commun. praed., leg.* 1 *cod. de contract. judic., leg.* 4, *et* 27 *ff. de ritu nupt., leg.* 7 *ff. de senator.*, eoque magis in themate admittenda erat, quum agatur de re in futurum collata, ad diem nimirum propositionis causae, *leg.* 3, *et* 4 *ff. de reg. Caton., leg.* 41 § 2 *ff. de legatis, leg.* 2 *de excusat. tutor.*

§ 10. Missis caeterum hisce omnibus proponebatur dilemma. Fas erat sociis, vel nefas appellare ad R. P. D. Bonini? Si id vetitum absolute erat propter consuetudinem rotalem, acta nullitatis vitio laborarent, eaque delere oporteret media circumscriptione, quam implorare Pancaldius abstinuit. Si verum stricto jure licebat, at consulebatur appellato per subrogationem ponentis; tunc loco adeundi Signaturam, Pancaldius debuisset meliori consilio sese convertere ad R̃mum Decanum S. Rotae, ut alium ponentem subrogaret, cui novi auditores responderent. Numquam enim Signatura hanc facultatem sibi arrogavit, quae pertinet exclusive ad tribunal S. Rotae. Et ita partibus strenue dimicantibus, resolutum fuit etc. Die 7 maii 1845 *« Declaratio pro parte D. Pancaldi »*.

Procuratores — D. Carolus Brunetti — D. Vincentius Binarelli.
D. Antonius Pagnoncelli
D. Aloysius Nardini.

Prot. 57/1844 R. P. D. FERLISI DECISIO XXIV.

BONONIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS VEL RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 8 *Maii* 1845.

Argumentum

Petitur circumscriptio vel restitutio in integrum ob omissam citationis insertionem in publica ephemeride; ob serotinam ejus transmissionem ad alienigenam; ob injustam coarctationem termini ad comparendum; ob excedentiam petitionis quoad sortem crediti; ob indebitam condemnationem ad solvendos fructus collybisticae tesserae, cum praemissa non fuerit solemnis protestatio, quam mercatoriae leges praecipiunt.

§ 1. Merces plures ab Venetiarum civitate, ubi mercaturam exercet Prosperus Vaudiere, bononiensi negociatori Vincentio Bedini vendendas commiserat, pluresque una simul collybi litteras ex earum pretio dissolvendas ad eum dederat, spondens sese eidem suppedi-

taturum « *a scadenza i fondi nel caso che le vendite delle merci per mio conto* (quas infra constitutum pretium fieri vetuit) *non potessero pareggiarle* ». Collybisticas tesseras cunctas a Prospero obsignatas, acceptas jamdiu habuerat Bedinius, easque partim etiam extinxerat; dum, ceterarum solutione imminente, diem urgenti ritu coram bononiensi mercatorio tribunali Prospero in Venetiarum civitate commoranti dixit; eoque sub obtentu, quod ejusdem creditor ipsemet foret pro tesseris cunctis, vel solidalis, vel adhuc dimittendis, in egregia vi scutorum 4780, pretium autem ex mercibus interea temporis divìdentis argenteos haud excederet nummos 1945, obulosque 41, iisque proinde deductis reliquum ipsius creditum attingeret summam argenteorum 2834, et obul. 59, breve temporis spatium praefigi, ei petiit ad ceteras reluendas merces adhuc extantes « *nelle mani del signor istante* » cum contextuali tamen solutione « *dell'enunciata somma di romani scudi* 2834: 59, *e dei relativi interessi a ragione del sei per cento* » dictoque termino inutiliter effluxo postulavit, merces ipsas sub basta divendi, ut ex earum inde pretio satis sibi fieret « *del suddetto suo credito* ».

§ 2. Vadimonium bujusmodi, sub die 3 novembris 1841 Bononiae affixum, et Eminentissimo provinciae Legato secundum praxeos leges traditum, ex mercatorii tribunalis praesidis venia in audientia diei 23 ejusdem mensis propositum est, et albo undique calculo exceptum. Sententiae itaque huic contumaciali fretus Bedinius, termino vix effluxo ad reluendas merces, summamque scut. 2834: 59 praeter fructus sibi rependendam Prospero praestituto, civile primarum instantiarum ejusdem civitatis adiit tribunal; eoque coram exequutoria acta pro judiciali mercium venditione incohavit. Ad exitum vero exequutoria acta pro judiciali mercium venditione nondum pervenerant, cum actarum tandem rerum nuncio ad Prosperum delato, honestissimo bononiensi causidico Nicolao Cocchi ad diem 13 februarii 1843 speciale procurae dedit mandatum « *abilitandolo a rappresentarmi in giudizio........ nella causa contro il signor Vincenzo Bedini* ». Cujus quidem mandati legi obsequens Cocchius, sub die 21 ejusdem mensis apud civile primarum instantiarum stetit tribunal; et domicilium uedum domi suae pro Prospero alienigena elegit, verum exequutoria etiam acta cuncta coram juridicis iis interea temporis gesta ex crediti potissimum defectu, aliisque capitibus petiit deleri. Inimica vero illius tribunalis sententia sub die tandem 29 julii ejusdem anni repulsus, ad Bononiae quidem appellationis tribunal provocavit, eoque coram acriter, strenueque pugnavit; et novum una simul judicium coram mercatorio collegio Prosperi nomine ex integro instituit, rationes a Bedinio poscens ceterarum mercium ab eo venditarum; et subbastationis interim actis ex suspensivae appellationis moderatione imperata coram civili primarum instantiarum collegio rursus resumptis, eorum primum nullitatem, mox vero attentatorum purgationem flagitavit. Universis vero ejusdem petitionibus rejectis, extremam tabulam arripiendam is censuit; ac recursum sub die 21 februarii insequentis anni 1844 ad Ordinem nostrum interposuit, acta cuncta in contumaciali judicio anni 1841 coram mercatorio tribunali gesta poscens deleri, vel restitutionis saltem in integrum beneficium implorans adversus unicam ejusdem tribunalis sententiam, quae ex fatalium interim lapsu in rem impropriam abierat judicatam. Et licet vadimonium, Prospero in comitiis diei 20 februarii labentis anni desereute utrumque ejus postulatum fuerit omnino rejectum, veluti contumacialis ostendit decisio ab R̃mo P. D. meo Conventati decano ad eam diem edita, pugna tamen hodie reintegrata, judicii alea ex parte saltem mutata illico est. Rescriptum siquidem tulerunt Patres « *quoad circumscriptionem in decisis; in reliquis de causis* S. P. R. I. *etiam quoad refectionem expensarum* » dato mihi munere novae decisionis divulgandae, tertioque super restitutione in integrum secundum novissimas leges indicto certamine.

§ 3. Et quod ad circumscriptionem primum spectat, eo nervos, conatusque omnes Prosperi hodie tendebat orator, ut citationis carperet defectum, tum ob ejus insertionem in publica ephemeride secundum sanctionem §§. 483 et 485 *greg. cod.* haud expletam; tum ob terminum in vadimoniis adversus exteros indicendis lege praescriptum, ad unguem in themate haud servatum, sed ex tribunalis praesidis venia non leviter coangustatum; tum ob judicii demum nuncium in Venetiarum civitate ad Prosperum haud delatum, nisi januario ineunte mense anni 1843, sivo quatuordecim fere mensibus post illud jam absolutum effluxis. Verum quod

ad postrema duo pertinet nullitatis capita, mole equidem sua facile eadem ruebant. Quidquid enim sub anterioribus obtineret legibus, quas potissimum respiciebant auctoritates singulae sine delectu a Prosperi defensoribus congestae, ex novissima, qua in praesens utimur praxi, si religiose, et ad unguem substantiales judicii termini, quos inter terminus ad comparendum dubio procul recensetur, sub urgentiae fuco haud fuerint servati, non actorum aedepol oritur nullitas, sed vel suspensivae appellationis, vel restitutionis in integrum beneficium suum sibi vindicat locum, testibus §§ 1008 *num.* 1, *et* 1059 *num.* 3 *vigentis codicis,* quibus supremum etiam concinit tribunal in *Nullius seu Farfen. circumscriptionis* 12 *julii* 1832 § 12 *coram Grossi.* Quidquid autem de serotino judicii nuncio in Venetiarum civitate ad Prosperum delato ejusdem oggerebat orator, neque satis probatum ex veneti regiminis praesidis manebat testimonio, quod non speciatim quidem de Bedinii meminit vadimonio, sed generatim dumtaxat loquitur « DI ALCUNI ATTI GIUDIZIALI » ; neque judicii insuper validitati aliquid detrahebat. Cetera siquidem inter onus utique gregorianae leges actori imposuere, ubi de vadandis exteris res foret, alterum ex vadimonii exemplis exhibendi « *al preside della provincia, ed in Roma all'assessore generale di polizia* » ; quod religiose implevit Bedinius; non ei vero, sed his dumtaxat indicta lex est, exemplar hujusmodi ad Eminentissimum ab arcanis Status postea mittendi « *affinchè per la via ministeriale, e senza alcuna formalità di giudizio pervenga nelle mani dell' estero.* » Licet hinc paulisper fingeres, tantam reapse moram fuisse postea interpositam, ut ex aliorum culpa instituti a Bedinio judicii nuncius nonnisi januario ineunte mense anni 1843 ad Prosperum pervenerit, nulla tamen aequitatis, et justitiae ratio ferebat, ut aliorum culpa, vel factum Bedinio noceret, qui legis praescripto ad unguem paruerat. Haud enim decipi decet, qui jus sequitur ad *text. in leg.* 116 § 1 *ff. de reg. jur.*

§ 4. Utroque hinc seposito id genus nullitatis capite, unum supererat citationis vitium ex omissa ejus insertione in ephemeride profluens. Licet autem bononienses reapse ephemerides, quae de insertionis veritate fidem perhiberent, temporis angustias, locorumque causatus distantiam, in hodiernis comitiis, quibus novum hujusmodi nullitatis vitium propositum est, Bedinii haud exhiberet orator, supervacaneum tamen Patres censuere de ejusdem defectu maturius inquirere, cum ex innumeris ipsius Prosperi factis, actisque judicialibus a speciali ejus procuratore in diuturno integri anni spatio coram bononiensibus tribunalibus gestis luculenter pateret, si quid vitii in primordiali vadimonio inerat coram mercatorio collegio sibi indicto, fuisse ab eo omnino consanatum. Et constat reapse, judicii nuncio vix accepto speciale procurae mandatum alteri ex honestioribus Bononiae causidicis Prosperum ipsum dedisse, non ut actorum quidem nullitatem provocaret, sed ut judicio sisteret (prout reapse Cocchius gessit) *nella causa contro il signor Vincenzo Bedini » ;* quod unum aedepol satis erat, superque, ne citationis amplius defectum fas esset eidem proponere. Praeterea constabat pariter, procuratorem a Prospero constitutum acerrimam primum litem excitasse non super nullitate quidem mercatorii judicii, sed super nullitate actorum, quae in illius sequelam, et exequutionem coram civili tribunali gerebantur; mox vero novam ex integro adversus Bedinium causam instaurasse pro redditione rationum mercium venditarum, in aeque solemniter etiam repetiisse singula mercatorii judicii acta, de quibus praesens fervebat contentio, talique pacto ea, veluti propria, eumdem fecisse; constabat demum incidentes controversias plures in subhastationis judicio coram ordinariis judicibus eum proposuisse, earumque etiam cognitionem ad appellationis tribunal detulisse, antequam recursum pro mercatorii judicii circumscriptione exeunte tandem februario mense anni 1844 apud acta interponeret.

§ 5. Incivile itaque erat, post tot, tantaque acta gesta, diuturnamque integri anni pugnam super mercatorii tribunalis sententiae EXEQUUTIONE coram ordinariis judicibus actam, ipsius sententiae validitatem ex citationis defectu in discrimen hodie coram Ordine nostro Prosperum adducere conari. Scitum quippe est, citationis defectum remissum omnino censeri, si vel reus conventus, aut nullo modo, aut nulliter lacessitus, vel judicio steterit, vel ab inimica provocaverit sententia « SENZA ALLEGARNE LA NUL-

LITA' »; prout cautum *in* § 784 *greg. cod.* Quod sane locum aeque obtinebat in themate, licet Prosperi comparitio, actaque cuncta ab eo gesta, non mercatorium ipsum respicerent judicium, de cujus nullitate hodie quaerebatur, sed subhastationis potius causam, in ejus sequelam, et exequutionem coram ordinariis judicibus institutam. Fuisset enim omnino ludicrum, et inane, tot tantasque lites in exequutorio judicio excitare, nisi valida, et firma anterioris acta Prosperus agnovisset, factoque suo rata undique habuisset, ceu in simillima specie supremum statuit tribunal *in Romana circumscriptionis* 12 *julii* 1839 § 2 *cor. R. P. D. meo La Grua Valdina.*

§ 6. Perperam autem, studioque omnino perdito presidium Prosperi mutuabatur orator ex salutaribus clausulis in citatione diei 21 novembris 1843 ab ejus procuratore adjectis; quibus venditionis die jam imminente programmatum nullitatem coram primarum instantiarum judicibus postulavit « *senza pregiudizio non solo della lite pendente avanti il supremo tribunale civile di Bologna per la nullità, o per la revoca della sentenza proferita da questo eccellentissimo tribunale, e turno nell' udienza* 29 *luglio* 1843, *e sulla nullità degli atti precedenti, ma benanche dell' esercizio di qualsiasi altra più profittevole azione, diritto, ed eccezione da dedurre ec.* » Initio enim reservatio haec exequutoria dumtaxat respiciebat acta coram civili primarum instantiarum tribunali gesta, quorum reapse nullitatem per id temporis apud appellationis tribunal Prosperus jam provocaverat; neque constabat insuper, adjectam aeque eamdem fuisse in vadimoniis ceteris longe ante eam diem, et a februarii usque mense ejusdem anni a Prospero indictis. Praeterea illud rem conficiebat, non meram simplicemque *protestationem* sat esse, ut integrum reo convento jus maneat, citationis defectum, aut nullitatem invocandi, sed illud expressim requiritur, quod vel una simul, dum judicio scilicet sistit, vel ab inimica provocat sententia; vel rebus saltem adhuc integris, et anteaquam ordinaria judicii acta prosequatur, nullitatem ipsam in medium is proferat, et in judicium deducat, ita ferente *cit.* § 784 *greg. cod.* Secus quippe aut protestatio ipsa, tamquam cum comparationis et defensionis facto pugnans, irrita, nulliusque roboris manet; aut judicii acta prosequens reus posteriori ejus facto eam prorsus deserere videtur. Vulgatissimum quippe in foro est, extraordinario circumscriptionis remedio nuncium perpetuo missum censeri, quoties querela ea, sibi antea licet reservata, omnino seposita, ordinaria judicii acta aliquis prosequatur, veluti passim docuit nostrum tribunal *in Nullius, seu Sublacen. petitionis haereditatis* 8 *junii* 1826 § 4 *coram Olivieri, et in Caesenaten. circumscriptionis* 15 *martii* 1832 § 5 *cor. R. P. D Alessi.*

§ 7. At si jure merito ex iis, quae hactenus enucleavimus, albo undique calculo comprobandam, Patres hodie censuere praeteritam nostri Ordinis decisionem, quae propositam circumscriptionis querelam omnino rejecerat, potiori hercle jure beneficium restitutionis in integrum adversus mercatorii tribunalis sententiam in rem interim judicatam prolapsam Prospero tribuerunt. Initio enim de re judicata agebatur mere *impropria, et contumaciali, adversus assentem,* longeque antea quam instituti judicii nuncius ad eum perveniret, edita; quae sane gravissima extrinseca beneficium hujusmodi ex recepta nostri Ordinis consuetudine pronius sibi vindicabant. Hisce autem accedebat insuper illud vere peremptorium, *substantialem* primordialis citationis terminum, quem adversus exteros in finitima regione commorantes ad integrum QUADRAGINTA dierum spatium legislator ampliavit, ad dies vix *viginti* cohibitum in themate fuissse; quod unum aedepol satis erat, superque ad aequissimam Prosperi petitionem omnino excipiendam, scripta quippe lex est omnino aperta, ac diserta in § 1059 *ejusdem codicis,* quod « *La inosservanza delle forme prescritte dalle leggi di procedura potrà ritenersi dal tribunale supremo come violazione di legge, all' effetto di accordare la restituzione in intiero* » potissimum « *se non furono osservati* I TERMINI SOSTANZIALI DEL GIUDIZIO » prout in themate adamussim usuvenit.

§ 8. Nec recte Bedinii confugiebat orator ad sanctionem alteram § 478 quae ordinariis judicibus facultatem tribuit, citationis terminos coangustandi « *nei casi che richieggono celerità* ». Misso enim, nullam legitimam *urgentiae* causam praesto in themate fuisse, (neque enim de vendendis mercibus res erat, quae diu adhuc sine interitus periculo servari nequi-

rent; sed de mera potius adversus Prosperum solutione consequenda agebat Bedinius) illud sedulo ponderarunt Patres, superius relatam legis dispositionem citationes dumtaxat respicere adversus subditos, vel incolas, eorum *personae* aut *domi* indicendas, de quibus tantum praecedens loquitur § 477, porrigi vero nullatenus eam posse ad citationes ceteras, quae adversus *exteros*, in alieno commorantes imperio, in Pontificia AFFIGUNTUR ditione, ac de quibus nominatim agit subsequens § 479. Idque luculenter suadebat, nedum materialis legis ordo, verum apertissima etiam, quae utrumque inter casum occurrit, discriminis ratio. Dum enim vel *personae*, vel *domi* alicui vadimonium indicitur, ejusdem dubio procul is habet, adeoque licet *brevior*, ei ad comparendum terminus urgentiae causa concedebatur, defensionis tamen remedium nullatenus eidem adimitur, potissimum cum lex ipsamet jubeat, sarctum tectumque perpetuo servari « *l'aumento proporzionato alla distanza de'luoghi* », neque sub urgentiae fuco liceat actori, ab novo adversus contumacem vadimonio renovando sese eximere. Secus vero obtinet in vadimoniis per affixionem adversus exteros indictis. Quum enim majus adeo temporis spatium necessarium legislator censuerit, ut institutum judicium tali pacto, ac etiam « *per la via ministeriale* » ad eorum notitiam pervenire valeat, nullumque insuper adversus eos sibi vindicet locum citatio altera, quam adversus contumaces renovari praxeos jubent leges; si in judicum acdepol maneret arbitrio terminum adversus eos etiam proprio lubitu coangustare, illud saepissime eveniret absurdi, quod in hac adamussim accidit contentione, quod defensione nimirum sua exterus omnino privaretur, atque antea quidem ipsemet damnaretur, quam instituti adversus eum judicii fieret certior, quod ceterum nullatenus ferendum; prout unum ab altero discriminans casu universa pragmaticorum edocet turba, ac potissimum *Ubertus de citat. cap.* 7 *num.* 285, *et p.* 3 *de citat. ordinar. pag.* 74, tradiditque *S. Rota in dec.* 150 *lib.* 3 *cor. Puteo, in Januen. separationis thori* 16 *febr.* 1632 *num.* 14 *cor. Coccino.*

§ 9. Culmen demum, fastigiumque rei imponebat intima rei judicatae injustitia. Non aliter enim facultatem ea Prospero fecit merces apud Bedinium adhuc extantes reluendi, nisi contextuali solutione peracta scutorum 2834 et obul. 59 eorumque fructuum; quod utrumque manifestam redolebat iniquitatem. Et quod ad solutionem primum pertinet scut. 2834 et obul. 52 in primordiali judicii libello asseruerat utique Bedinius, atque ex dati acceptique syllabo apud judicii acta ab eodem exhibito scatebat, Prosperi creditorem in conspicua vi scut. 4780 sese eum renunciasse « *per l'importare di lettere di cambio accettate per conto del signor Vandiere tanto scadute che da scadere* »; summam vero argenteorum dumtaxat 1945 et obul. 41 haustam ab eodem fuisse ex mercium venditione sibi commissa, iisque proinde deductis reliquum ejusdem creditum superesse in argenteis nummis 2934 et obul. 59, quot mercatorium reapse probavit tribunal. Tum ex authenticis vero ipsius Bedinii epistoliis, tum ex testimonio Francisci Gayetty luculenter patebat, priores quinque collybi tesseras in exhibitis rationibus sibi credito adscripsisse Bedinius, et acceptas, et solutas ab eodem fuisse non nomine quidem proprio, sed unius lugdunensis mercatoriae rationis Gayetty, et Deyme. Quin imo, et illud insuper pro rei veritate testabatur Gayettius, si quid in eam causam persolvit Bedinius, fuisse eum ex integro prorsus « *rimborsato ed accreditato nei conti colla nostra ditta Gayetty Deyme d'ogni sua esposizione e sborso* ».

§ 10. Iis itaque omnino sepositis, et a Bedinii credito prorsus expunctis, singulae collybi tesserae, quas proprio nomine acceptas Bedinius habuerat, atque ex parte etiam ad diem instituti judicii persolverat, non summam quidem aequabat argenteorum 4780, quot sibi credito in dati acceptique rationibus ipsemet adscripsit, sed ad argenteos tantum cohibebantur nummos 3010, quot reapse tum Prosperus in ejus epistolio diei 8 julii 1841, tum Bedinius pariter in epistolio altero diei 15 ejusdem mensis singillatim recensere; ad eamque dumtaxat pecuniae vim Prosperi referebatur obligatio in praecitato epistolio diei 18 julii 1841 suscepta, et a Bedinio pro judicii fundamento invecta, suppeditandi nimirum « *a scadenza i fondi nel caso, che le vendite delle merci per mio conto non potessero pareggiarle* ». Praeterea et illud pariter ex authentico ejusdem Bedinii epistolio, sub die 14 augusti 1841 ad Prosperum dato, compertum undique erat, praeter merces nimirum ad vim usque scu-

tor. 1946 obolorumque 41 in dati, acceptique syllabo descriptas, merces etiam alias in senogalliensibus nundinis Prosperi nomine fuisse ab eodem divenditas, quarum spopondit quidem Bedinius sese daturum inde « *il conto vendita* », nulla vero in exhibito apud mercatorium tribunal syllabo habita unquam est ratio. Si utrumque itaque hujusmodi nomen detrahatur, *tum* pretii scilicet hausti ex mercibus in senogalliensibus nundinis divenditis, tum collybi tesserarum unam rationem Gayetty, et Deyme respicentium, reliquum Bedinii creditum, vel leves prorsus abit in auras, vel non leviter saltem cohibetur. Fuit hinc res edita judicata evidenter injusta, dum assertum scut. 2834 et obol. 59 creditum Bedinii favore probavit, illiusque solutionem, vel in pecunia numerata, vel ex mercium pretio imperavit; eaque proinde dubio procul restitutionis in integrum beneficium suomet veluti sibi vindicat jure. Maxime vero quum rationibus de mercibus in senogalliensibus nundinis divenditis a Bedinio haud exhibitis, nullum ei jus foret actionem ullam adversus Prosperum experiundi. Translatitium quippe in jure est, alienae substantiae administratorem, vel gestorem, quousque gestionis suae haud exhibuerit rationes, neque creditorem neque debitorem renunciari ullatenus posse, ad vulgatissimam regulam, quam firmavit perpetuo S. Rotae auditorium in *dec.* 86 *num.* 5 *cor. Malvasia, dec.* 54 *num.* 4 *coram Marco, dec.* 3 *num.* 4 *cor. Emo Patrizi, in Romana cauthelae Angeli* 31 *jan.* 1759 *cor. Ratta, et in Romana assignamentorum quoad scut.* 17500 29 *jan.* 1841 § *ult. cor. Emo Corsi.*

§ 11. At si manifesta undique injustitia laborat res edita judicata quoad *sortis* solutionem, meridiana quoque luce splendior ejusdem injustitia emicat quoad FRUCTUS, quos nullo prorsus jure mercatorium tribunal addixit Bedinio. Licet enim collybisticae tesserae possessori, si stata die eam debitor non extinguat, mercatoriae leges jus tribuant ejusdem fructus condicendi post solemnem tamen emissam protestationem, ac « *computando dal giorno* DEL PROTESTO » *teste* § 178 *mercatorii cod.*; jus tamen hujusmodi (si *argentarios* duntaxat excipias) porrigi dubio procul ad eos nequit, qui tesseram, sub futurae licet numerationis spe, semel acceptam, proprio aere postea persolverint. Quum sterile enim, et pecuniarium iis adversus trahentem creditum praeseferant, procul a castrensibus cautionibus nullas valeat sibi usuras vindicare. Quin themati huic congrueret sanctio § 153 *ejusd. cod.* cavens, quod « *Quegli che paga una lettera di cambio* PER INTERVENTO, È SURROGATO NEI DIRITTI DEL PRESENTATORE, *ed è obbligato agli stessi doveri per le formalità d'adempirsi* ». Non aliter enim sanctio ea suum obtinet locum, nisi res sit « *di una lettera* DI CAMBIO PROTESTATA », ita ut « *l'intervento, ed il pagamento* » probari debeat « NELL'ATTO DEL PROTESTO, O DOPO IL MEDESIMO »; et collybi insuper tesseram, non illius quidem debitor rependat, qui acceptam eam jamdiu habuerit, sed *tertius* potius, qui « *intervenga pel traente, o per uno dei giranti* », prout cubitalibus scriptum est verbis in anteriori § 152. Tertius siquidem in hujusmodi casu nomen ipsum, ex emissa protestatione natura sua *frugiferum*, tali pacto emere quodammodo videtur, quod in tesserae debitore, et ante ejus praesertim protestationem nullatenus obtinet. Quibus demum illud adstipulatur in themate, nedum tesseras plures, quas sibi credito Bedinius adscripsit, ad diem instituti judicii solutas ab eo nondum fuisse, verum neque earum quidem solutionis diem adhuc venisse, ita ut propudiosum eo vel fortius foret, earumdem etiam usuras Bedinium condicere conari. Et ita in acerrimo partium conflictu jus redditum est.

(Vide Decis. XI).

Die 10 julii 1845 « *In secundo loco decisis.* »

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Carolus Brunetti.

Setina Restitutionis in integrum

Jovis die 8 *Maii* 1845

Argumentum

Duo, inter alias, notatu dignae pertractantur quaestiones: an scilicet concedenda sit restitutio in integrum, cum judex, rejudicata posthabita, in idem pronunciaverit: vel si certam et absolutam condemnationem tulerit super instantia pro redditione rationum, non praemissa concessione mandati de gravando.

§ 1. Anno 1812 obiit Petrus Rapini, haeredibus ex aequa parte institutis tribus filiabus Rosa, Theresia, et Catharina, quarta ususfructus parta uxori Mariannae Pratilli relicta, cui filiorum tutelam commisit, hac lege adjecta, ut si ea ad secundas nuptias convolasset, tutelae munus ab altero etiam viro exerceretur. Inventario rite confecto, patuit haereditaria defuncti bona a peritis viris aestimata, deducto aere alieno, ad vim scutor. 4173. 27 conscendere, quae constituebantur ex domestica suppellectile, linteis, vestibus, quadam negotiatione ex conductitiis vaccis exercita, nec non cursuariis equis. Insequenti anno 1813 Pratilla novas inivit nuptias cum Severino Jucci, qui tutelae administrationem ab hoc anno una cum ipsa exercuit, usque ad annum 1817, quo a latronibus, dum iter agebat aggressus, eorum telis miserrime succubuit, unica relicta trimula filiola Clotilde, quae ad ejus successionem ex lege vocata fuit. Defuncto Juccio, praedictae sorores Rapiniae, quin prius ad alterum inventarium procederent, de rebus haereditariis disponere coeperunt. Non modo enim ex plurium venditione negotiationem olearium, ac frumentariam instituerunt, sed plurimas res pretiosas, lintea, vestes, suppellectiles, quae omnia inventarii partem constituebant, in propriam utilitatem converterunt.

§ 2. Post haec anno 1818 eaedem sorores Rapiniae vadimonium adversus Pratillam tum nomine proprio, tum qua Clotildis tutricem coram phrusinonensi tribunali dixerunt, ad obtinendam super ipsarum bonis inscriptionem pro summa scut. 6000 in tutelae causam, amicamque retulere sententiam, quae hypothecam pro dicta summa concessit. Aliud deinde anno 1820 judicium coram eodem tribunali instituerunt, ut Pratilla, ac Clotildes Jucci filia gestae administrationis rationes reddere tenerentur, et sententia prodiit, quae hanc rationum redditionem intra mensem fieri jussit, gravatorio aliter mandato contra easdem concesso, quae sententia ex lapsu fatalium in rem transiit judicatam. Sed quum postea setinus episcopus deputatus a Summo Pontifice fuerit ad ignoscendas causas inter patrimonium Jucci, ac creditores, tertium judicium coram ipsius pro-vicario eaedem sorores Rapiniae instituerunt pro rationum redditione, vel solutione scut. 8000 iterum instantes. Hinc sententiam pro-vicarius tulit, qua Pratillam, ac Jucciam ad reddendas intra mensem rationes damnavit, quod nisi fieret, mandatum adversus ipsas relaxavit pro summa scut. 8000, licet ex judiciali Rapiniarum confessione, et ex haereditariae substantiae ab ipsarum patre relictae inventario constaret, ad multo minorem summam hanc substantiam cohiberi. At hanc quoque pro-vicarii sententiam ex lapsu fatalium in remjudicatam impropriam transactam, quum vellent Rapiniae post duodecim annorum silentium executioni mandare, recursum Clotildes apud supremum nostrum tribunal interposuit, ut ab ea in integrum restitueretur. Quod beneficium cum RR. PP. concessarint rescripto « *De causis sine praejudicio reijudicatae* », mihi commissum fuit munus decisionem vulgandi.

§ 3. Reque vera tum ab extrinseco, tum et eo magis ab intrinseco implorata in integrum restitutio fuit concessa. Quoad extrinsecum attinet, PP. animadverterunt sententiam, quae in rem impropriam judicatam transiit, latam fuisse anno 1827, quo tempore adversus hujusmodi resjudicatas fere nunquam extraordinarium hoc beneficium ad succumbentis solatium denegabatur. Atque hodiernis etiam moribus obtinet, ut multo faciliori

studio adversus remjudicatam impropriam concedatur, quam si de rejudicata res sit. Cum enim maxima inter utramque differentia intercedat, adversus rem propriam judicatam in integrum restitutio non conceditur, nisi de manifesta ipsius injustitia constet. At quando de impropria rejudicata agitur, mitius profecto proceditur, adeo ut pro novo jurium examine concedendo sufficiat eamdem fore profuturam, ut noster Ordo jam tenuit in *Camerinen. restitutionis in integrum* 2 *aprilis* 1835 *cor. R. P. D. Conventati* § 2, *in Spoletana restitutionis in integrum* 25 *jan.* 1838 *cor. R. P. D. Amici num.* 3, *ac in Anconit. circumscript. et restitut. in integrum* 21 *junii* 1835 *cor. eodem.* Quod locum vindicare videbatur praesertim in themate, ubi sorores ipsae Rapiniae post hanc remjudicatam executioni commissam, ac plura pignori judiciali praedia subjecta, quasi mali proprii juris scientia coactae per duodecim annorum spatium siluerunt.

§ 4. Praeterea nullo pacto valebat pro-vicarius de hac causa cognoscere, multoque minus praedictam sententiam ferre, quum idem rationum judicium definitum jam fuisset a phrusinonensi tribunali, quod Clotildem ad rationes intra mensem reddendas damnaverat, gravatorio aliter mandato adversus eam concesso ad tria quotidie argentea persolvenda. Re igitur semel definita, atque immo orta ob temporis lapsum rejudicata, nequibat iterum de eadem amplius disputari, novumque judicium institui, perinde ac si nullum unquam extitisset judicatum. At e contra pro-vicarius, qui remjudicatam servare tenebatur, eam omnino postbabuit, quum de rationum redditione iterum cognoscens, ejusdem sententiae dispositionem prorsus immutaverit condemnatione in Jucciam lata aut ad reddendas intra mensem rationes, aut ad scut. 8000 persolvenda. Quibus et illuc etiam accedebat, quod haec pro-vicarii sententia lata fuerit in Clotildem, quin haec judicio adstiterit. Nam licet ipsius tutor ad comparendum vadatus fuerit, hunc tamen defensionem suscepisse non constat, ita ut Clotildes indefensa prorsus damnata fuisse videatur. Hinc hujuscemodi resjudicata ea etiam justitiae praesumptione carebat, quae ex unica sententia oritur, ubi acriter hinc inde dimicetur, et sua quilibet jura adducat. Quum igitur nulla adesset justitiae pro rejudicata praesumptio, nulla pariter adesse poterat ratio, propter quam restitutio in integrum non esset concedenda.

§ 5. Quoad intrinsecum vero non una tantum injustitiae nota pro-vicarii sententia laborabat. Ac primo quidem nulla facta fuit distinctio temporis, quo Juccius administrationem minime gessit. Animadvertendum siquidem erat a pro-vicario, Juccium Clotildis patrem administrationem non anno 1812, quemadmodum Marianua Pratilla, suscepisse, sed anno 1813, quo matrimonium cum ista iniit, ab eademque cessasse anno 1817, quo violenta nece periit. Quamobrem a justitia prorsus abhorrebat, ut ejus filia ad reddendas rationes ab anno 1812, et post annum 1817 damnaretur, quum nemo ad reddendas rationes teneatur pro eo tempore quo administrationem non gesserit. Nec relevat quod a Petri Rapini testamento praescribatur, ut si ejus uxor secundas nuptias celebratura fuisset, alter vir ad tutelae munus cum ipsa exercendum, ac propterea ad rationes reddendas teneretur. Testator enim utique ad rationum redditionem alterum Pratillae virum propter susceptam tutelam obligavit, sed quatenus administrasset. Nam pro eo tempore, quo administrationem hic non gessit, nequaquam dici potest ex testamento ad rationum redditionem obligatus, quum id testator nec voluisset, nec praescribere potuisset.

§ 6. Multo autem minus condemnatio in Jucciam ferri valebat ad scut. 8000 rependenda, quo casu rationes intra mensem non reddidisset. Haec enim condemnatio excedens omnino erat sive ex Rapiniarum-met confessione, sive ex inventario, quod post ipsarum patris mortem confectum fuit. Et quidem ex earum confessione. Nam in primo judicio ab ipsis anno 1818 coram phrusinonensi tribunali instituto, quum propria jura sarta tectaque servari vellent, hypothecam super Pratillae, ac Jucciae bonis non pro summa scut. 8000, sed pro 6000 dumtaxat postularunt, atque tribunal petitam inscriptionem pro hac postrema summa concessit. Jamvero si hypotheca pro summa scut. 6000 sufficere tunc poterat ad earum patrimonii securitatem, manifestum est ex ipsa earum confessione istud patrimonium valorem scut. 6000 minime praetergredi; secus enim in hypotheca ab ipsis pe-

tita sufficiens securitas non fuisset. Neminem praeterea latet inscriptionem pro quolibet credito peti semper, ac concedi in majori quantitate quam quae revera debeatur. Quomodo igitur Rapiniae a praecedenti ipsarum judiciali facto recedentes condemnationem in Juccism ad multo majorem summam petere valebant? Quomodo pro-vicarius poterat contra hoc ipsum earum factum graviorem condemnationem decernere?

§ 7. Quod si ex inventario patrimonii a Petro Rapinio relicti ejusdem valor deduci vellet, evidens etiam erat reijudicatae injustitia. Ex hoc enim patebat integrum patrimonium a Rapinio relictum ad summam tantummodo scut. 7443 conscendere, aere alieno nondum deducto. Etiamsi igitur nullum ex hac summa aes alienum deducendum fuisset, resjudicata gravamen Juccise nihilominus attulisset pro quantitate scut. 557. Sed a praedicta summa plura erant debita detrahenda, ita ut activa haereditas ad multo minorem vim scut. 4173. 27 cohiberetur. Si igitur hanc tantummodo summam Juccius administravit, nequaquam poterat ipsius filia ad scut. 8000 solvenda damnari, quum ex Rapiniarum confessione, et ex inventario excludatur ad hanc vim controversum patrimonium conscendisse.

§ 8. Neque haec condemnatio ferri in Clotildem valebat ex eo quod inventarium ab ipsius patre confectum non fuerit, antequam administrationem susciperet. Ex hac enim inventarii omissione id unum oriri poterat consectarium, ut si patrimonium a Petro Rapinio relictum imminutum fuisset inter diem, qua hic decessit, et diem, qua Juccius administrationem suscepit, hujus diminutionis damnum ab ipsomet Juccio ob propriam negligentiam ferendum esset, ut scilicet hic teneretur pro integra summa, ad quam inventarium haereditariae substantiae conscenderat. Nequaquam vero licebat cerebrosam omnino condemnationem in Clotildem ferre, ac summam, ad quam solvendam ista teneretur statuere longe majorem illa, ad quam patrimonium administratum tum ex Rapiniarum judiciali confessione, tum ex inventario conscenderat.

§ 9. Quod tamen de hac patrimonii diminutione ob inventarii defectum teneri Juccius posset, opus erat, ut ipsae Rapiniae post Juccii obitum aliud inventarium confici curarent, a quo de diminutione constaret. Quod si facere neglexerunt, quomodo asserere hodie poterant, in ipsarum patrimonii administratione male Juccium versatum fuisse? At non modo ad hoc inventarium non processere, sed post Juccii obitum de re domestica illico disponere incipientes plura distraxere, aliaque plura in proprium usum converterunt. Compertum siquidem erat, ex pecudum, equorumque venditione negotiationem olesriam ac frumentariam ipsas instituisse, ac propterea nonnulla ruralia instrumenta, et plures muliebres vestes, resque mobiles, ac pretiosas, quae omnia haereditatis partem constituebant, in suos usus Rosam Rapiniam convertisse, quo tempore matrimonium iniit. Hinc factum est, ut non modo propter inventarii omissionem, quod cum praecedenti compararetur, sciri nequiret, utrum ex Juccii facto patrimonium imminutum fuerit, sed immo propter earum de re domestica gestionem praesumptio potius adsit recte eumdem administrasse, quia secus, ut propriae indemnitati prospicerent, inventarii confectionem certe non omisissent, et ad praedictarum rerum alienationem, ac in proprii usus conversionem non processissent. Utcumque vero sit, postquam ipsae procul ab inventario in rei domesticae administratione versatae sunt, in eam se injecere conditionem, ut malam Juccii administrationem probare amplius nequirent. Nullo igitur pacto condemnatio in Clotildem lata substineri valebat, tum quia ex Rapiniarum facto, et ex inventario constabat haereditatem a Rapinio relictam ad vim scut. 8000 nequaquam conscendisse, tum quia per eas steterit, quominus probari amplius non potuisset ipsarum patrimonium fuisse a Juccio imminutum.

§ 10. Hinc regeri nullo pacto valebat potuisse Clotildem Jucciam hanc condemnationem vitare per rationum redditionem. Praeterquamquod deerant Juccise documenta, quibus rationum redditio niteretur, et non contemnendae afferebantur probationes, quod haec a Rapiniis natu majoribus capta fuissent, potiusquam a Clotilde trimula, nunquam tamen poterat haec condemnatio ferri etiamsi rationes intra mensem redditae non fuissent. Haec enim condemnatio irregularis prorsus erat, ac contra legis praescriptum. Nam id

unum pro-vicario licebat, ut mandatum de gravando concederet, quo casu rationes redditae non fuissent, prout phrusinonense tribunal judicaverat. Quod si hoc mandatum nil profecisset, tunc jusjurandum aestimatorium, periti relatio, aliaque remedia supererant, ut Juccia ad reddendas rationes adigeretur, sed nunquam certam, absolutamque condemnationem ferri licebat. Etsi igitur praecedens phrusinonensis tribunalis sententia minime extitisset, etsi pro-vicarius ex integro judicare debuisset, semper tamen legem ipse posthabuit, condemnatione in Jucciam lata ad scut. 8000 rependenda, injusta Rapisiarum instantia admissa, atque omnibus documentis argumentisque pessumdatis, quod a legibus prorsus devium erat, quum aestimatio quanti interest non cerebrose a litigantibus, aut a judice facienda sit, sed iis normis servatis, quas et lex, et ratio expostulat. Quapropter nullum adesse poterat dubium, quin adversus remjudicatam petita in integrum restitutio esset concedenda. Atque ita etc. in partium certamine jus redditum est.

Die 26 junii 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Joseph Mancini Lombardi — D. Hieronymus Marini.

Prot. 198/1844 R. P. D. LA GRUA VALDINA Decisio XXVI.

Bononien. Deletionis Hypothecae super Recusatione Judicis

Jovis 29 *Maii* 1845

Argumentum

Habes in Decisione XV.

§ 1. Jamdiu controversia agebatur inter marchiones Josephum, Cajetanum, et Guidum Thaddaeum Pepoli, ac marchionem Antonium Amorini super redditione rationum administrationis ab Amorinio gestae quoad haereditatem Odoardi Pepoli, nec non super deletione hypothecae scutorum centum millium, quam Pepoli super patrimonio Amorini susceperant, cum marchiones Joseph et Cajetanus primum in judicio redditionis rationum, et deinde post bimestre spatium marchio Guido Thaddaeus in alio deletionis hypothecae binos recursus ad nostrum Ordinem interposuerunt super recusatione judicis Seraphini Basili, qui ambo fuerunt sub die 3 praeteriti aprilis rescripto « *Nihil* » dimissi, quemadmodum ex decisionibus ab R. P. D. meo Ferrari sub ea die evulgatis fit clarum. Hodie vero ad severiorem discussionem controversia revocata, a concepta et pandita sententia Patres recesserunt, et quoad recursum posteriorem in judicio deletionis hypothecae interpositum congruum duxerunt respondere « *Esse locum recusationi judicis* ».

§ 2. Fiebat porro juxta censuram *legis apertissimi cod. de judiciis* litigatoribus quibuscumque potestas judices pro arbitrio recusandi, licet nullam recusationis causam adduxerint, eratque legis ratio potissima, ut lites omnes sine suspicione procederent. Et quamvis deinde isthacc recusandi libertas fuerit a jure canonico *in cap. secundo requiris de appellat. in* 6 ita cohibita, ut suspicionis causae debuissent adduci; nihilominus tam late patuit adhuc recusationis arbitrium, ut levissimae quoque causae ad eam inducendam satis essent, et doctores easdem usque ad septuaginta quinque, atque etiam nonaginta tres numeraverint *Bertacch. Praepos. Mediol. et Anfrenus.* Arbitrium sane istud inter angustiores limites gregoriana praxis coercuit: praecepit quippe sub §§ 1053 et 1054 « *Ha luogo il ricorso perchè venga ammessa la ricusa, quando sia fondata sopra un motivo di legittimo sospetto. Sono motivi di legittimo sospetto* 1°. *le questioni pendenti ec.;* 2°. *le inimicizie gravi;* 3°. *l'interesse nella causa;* 4°. *il parere manifestato ec.; la parentela ec.* ». Animadvertebant vero Patres, quod ubi praeceptum hoc praxis novissimae intelligentiam dubiam exhiberet, erat semper extensiva et latior interpretatio capienda, quae sententiae et principiis legum antiquiorum responderet. Scitum namque est, antiquiores etiam leges ad posteriores trahi, et posteriores leges ad priores ita pertinere, ut mutua eaedem interpre-

latione conjunguntur *leg.* 26 *et* 27 *ff. de leg.*, *Bruneman. ad leg.* 26 *de leg. num.* 1, *et Donnell. de jur. civ. lib.* 1 *cap.* 13 *num.* 15 *et* 16.

§ 3. Cum itaque in themate recusationem judicis Basili marchiones Pepoli invocarent ob inimicitias, quae inter ipsos judicemque illum intercesserant, eo reducebatur controversia, ut cognosceretur utrum inimicitiae istiusmodi vere graves possent juxta sensum § 1054 gregorianae praxis nuncupari, seu potius qualitate ista, quam lex ad legitimam suspicionem in judice inducendam requirit, destituerentur. Quod quidem negocium universum arbitrio judicis committitur, qui juxta factorum adjuncta, et personarum qualitates illud absolvit, ceu tradunt *Menoch. de arbitr. quaest.* 110 *num.* 2, *et Baron. de inimicitiae effectibus in praelud. num.* 22. Atque in controversia hac dirimenda rursus perpendebant Patres, gravitatem inimicitiarum in casibus recusationis judicis ex eo potissimum esse arguendam, quod tales ipsae appareant, ut judicem reddant suspectum, eidemque illam adimant animi integritatem, quae in judiciis ferendis necessario requiritur. Graves enim semper habendae sunt inimicitiae, quoties ipsae suspicionem ingerant in judice, et prohibeant quominus hic recte jus suum unicuique tribuat. Neque erat in casu despicienda ratio antiquiorum legum. Haec nos fuit in recusationibus admittendis, ut judicia sine suspicione procederent. Simul ac itaque inimicitiae ejus sunt naturae, ut nequeat judex a legittima suspicione liberari, illico graves eaedem in causa recusationis renuncientur oportet. Haud debet enim lex posterior a dispositione legis prioris sejungi, atque idcirco dum haec legittimam suspicionem in recusatione necessariam a gravibus inimicitiis deducit, retinendum est, de gravitate illa loquutam fuisse, quae juxta legem antiquiorem ad recusationem decernendam fuisset accomodata.

§ 4. Neque verum Patres bodie deprehenderunt, quod in praeterito experimento ipsis arridere visum est, nimirum graves inimicitias eas esse intelligendas, quas Justinianus capitales appellat, et ad quas arguendas vel accusatio criminalis, vel via atque injuria extra judicium illata debent intervenire. Cum namque judicis arbitrio permittatur de gravitate inimicitiarum ad effectum recusationis cognoscere, sponte consequitur, inimicitias graves esse oppido sejungendas ab inimicitiis capitalibus, quae certa requirunt vel accusationis criminalis, vel vis atque injuriae extrema, ut valeant probari. Quod si aliquando doctores baec duo inimicitiarum capitalium scilicet et gravium genera confundere visi sunt, id factum est, ubi de testibus ipsi loquuti sunt. Dicta vero illorum nequibant ad judicem suspectum trahi. Cum namque facilius sit plures judices utrinque confidentes invenire, quam unum testem de eadem re deponentem, jurisprudentia pro testibus rejiciendis invecta nullimode poterat judici recusando aptari. Quandoquidem summus est rigor servandus in exceptionibus adversus testes, ne reus vel debitor a probatione criminis vel debiti facili negocio liberetur, atque idcirco dum de exceptionibus istis admittendis res est inimicitiae graves requiruntur, quae sint etiam capitales, facilique negotio inimicitiae graves cum capitalibus potuerunt confundi. Cum autem de judicibus recusandis agatur, diversimode prorsus se res habet; minor quippe requiritur causa ut judex repellatur, quam testis, ac propterea licet lex ad recusationem inducendam inimicitias graves requirat, non exinde debent locum sibi vindicare extrema illa, quae pro evincenda inimicitia capitali sunt necessaria, neque sunt inimicitiae graves cum capitalibus commiscendae, ad tradita per Constant. *ad stat. urb. annot.* 2 *num.* 164, *Guil. lib.* 1 *observ.* 33, *Baron. de effect. inimicit.* 116 *num.* 7.

§ 5. Hisce constitutis in jure, apertissime consequebatur, judicem Basilium esse in specie nostra recusandum. Inimicitiae quippe illius cum marchionibus Pepoli perspicue demonstrabantur; atque eaedem graves omnimode erunt renunciandae, juxtaque legis censuram ad recusationem evincendam accomodatae. Et primum sane occurrebat amicitia inter judicem Basili atque Amorinium, quae arcta adeo erat, ut familiariasime judex cum ipso uteretur. Quae quidem amicitia et familiaritas cum alia parte fuit semper causa sufficiens ad judicem recusandum habita, prout docent *Donnell. de jur. civ. lib.* 17 *cap.* 25 *num.* 1; *Constant. ad stat. urb. annot.* 2 *num.* 220; *Fontanell. decis.* 15 *num.* 3; *Richer.*

lib. 4 *de judic.* § 1759. Nec diversimode erat bodie de ipsa amicitia sentiendum, licet gregoriana praxis haud de amicitia cum parte contraria recusanti, bene vero de inimicitia cum ipso recusante loquatur; commensalis namque et amicus inimici mei inimicus et ipse praesumitur, prout ad rem concludit *Rittersut. in novell. part.* 9 *num.* 86, *et Baron. in praelud. num.* 118. Praeterea constabat de congressibus et allocutionibus a judice Basilio cum Amorinio illiusque defensoribus babitis; atque ex boc amicitiae vinculum inter ipsum et Amorinium denuo deducebatur, inimicitiaeque probatio cum marchionibus Pepoli denuo exurgebat. Hisce accedebat factum deputationis peritorum, quod inimicitiam judicis Basili clarius etiam evincebat. Porro erat indubium, Basilium peritos ratiocinatores interrogasse super merito causae; iisdem etiam mercede ex officio promissa; atque hoc egisse, dum petitiones a marchionibus Pepoli porrectae pro obtinenda deputatione istiusmodi rejiciebantur. Ergo inimicitia illius apparebat; excludebat siquidem peritos ab Pepolis requisitos, dum facto profitebatur, eorumdem deputationem esse necessariam. Accedebat praeterea factum aliud denegatae informationis, quod unum erat inimicitiae indicium satis apertum; nam usque ab antiquissimis temporibus ei intercedebatur domus, cum quo amicitia dirimebatur *Tacit.* 6 *annal., Svet. de clar. grammat.*, atque perpetuo justa fuit habita recusationis causa, si judex noluerit advocatum partis audire, *Rittersut. part.* 9 *num.* 97, *Marant. specul. aur. part.* 6 *num.* 72. Atque accedebant demum admonitiones nimis acerbae a Basilio factae Pepulorum patrono, dum judicis partes fungebatur, adversus enim illius animus erga Pepulos apertissime ex iisdem conjiciebatur.

§ 6. Quae omnia si separatim sumpta ad inimicitias Basili probandas vel maxime faciebant, eo vel magis simul collecta ad easdem constituendas ducebant. Praesertim cum inimicitia res sit in animo existens, quae non videtur nec cognoscitur per exteriora, atque idcirco necessario debeat conjecturis probari, ceu monent *Farinacc. num.* 13, *Honded. cons.* 87 *n.* 10, *Peregrin. cons.* 2 n. 25, *Gratian. discept.* 133 *n.* 4, *Menoch. praesumpt.* 45 *n.* 3. Atque inimicitiae istae judicis Basili contra Pepulos graves procul dubio erant ad sensum etiam gregorianae praxis declarandae. Indignationem namque judicis ejusdem probabant, et talem illius animi statum, ut nullimode posset amplius justitiam recte administrare. Quod satis erat ad legittimam recusationis causam constituendam ad ea, quae firmavit etiam nostrum tribunal in *Bononien. recusationis judicis* 22 *decembris* 1836 § 13 *cor. Grossi.* Neque Patres movit, quod plura ex enumeratis inimicitiae iudiciis essent communis cum reliquis tribunalis judicibus; unde arguebant Amorini defensores nullo in pretio eadem esse habenda, eo quia nequit ex § 1056 legis integrum tribunal recusari. Nam respondebatur primum, quod minime par erat cum Basilio reliquorum judicum conditio, cum nullus ex ipsis tanta familiaritate cum Amorinio uteretur, nullus peritos confidentiales rogaverit, nullusque tandem domum suam Pepolis interdixerit. Praeterea nullimode legebatur in lege, quod non posset judex aliquis recusari, dum causae recusationis essent cum aliis judicibus ejusdem tribunalis communes, sed solummodo vetuit, integrum tribunal suspectum declarare. Etiamsi igitur causae recusationis tales essent, ut judicibus omnibus possent opponi, nihilominus, seposita integri tribunalis recusatione, liberum apparebat litigatori cuicumque alterum ex suspectis judicibus seligere, et in ipsum suspiciones cumulare, ut eumdem saltem valeret a ferenda sententia removere. Et deterius opponebant Amorinii defensores, causas adversus Basilium adductas praevaricationem potius illius probare, quam recusationem inducere. Haud quippe vetitum Pepulis visum est, mitius agere in Basilium, cumque tamquam suspectum recusare, quem noluerunt aut putarunt non posse praevaricatorem insectari. Demum erant defensores iidem penitus rejiciendi, dum contra facta sive denegatae informationis, sive congressuum, sive deputationis peritorum consurgebant. Ipsi namque facta eadem admiserant, dum coram nostro ordine de examine testium actum est, atque impermissum erat ipsis illud bodie, quod olim confirmaverant, denegare, multo magis cum post decretum nostrum examen testium rejiciens non posset amplius bodie Pepoli ex censura § 1104 examen illud iterum invocare.

§ 7. Quod si haec omnia etiam deessent, et ex indiciis adductis posset adhuc de

inimicitia Basilii dubitari, perspectum habuerunt Patres, dubitationem istam hodie prorsus evanescere. Post priorem quippe recursum recusationis a marchionibus Josepho, et Cajetano Pepoli in causa redditionis rationum interpositum, debuit necessario Basilius Pepulis omnibus inimicus fieri, cum impossibile prorsus sit, quod judex ob recusationem priorem indignatus amicus partis recusantis maneat. Profecto marchio Thaddaeus sub die 18 octobris in causa deletionis hypothecae recursum recusationis interposuit, postquam alium recursum ejusdem generis Joseph et Cajetanus die 27 augusti interjecerant. Opposuit proinde Thaddaeus inimicitias, dum alii ad sententiam jam a judice panditam causas recusationis cohibuerant, dixitque expresse inimicitias ex priori recursu necessario auctas in animo judicis esse retinendas. Atque inimicitiam istam tanti sane Patres habuerunt, ut putarent post ipsam recusationem non posse amplius denegari; natura siquidem actorum, et praecedens interpositus recursus id procul dubio secumferebant, quod judex non posset amplius insuspectus renunciari. Quin valeret utiliter opponi, consulto ac callide fuisse priorem recursum interpositum, ut deinceps in alio posset inimicitiarum causa allegari. Diversa siquidem fuerunt judicia, in quibus uterque recursus locum habuit, alterum nempe redditionis rationum, alterum deletionis hypothecae, ac diversae personae, quae recursus interposuerunt, priorem nempe marchiones Cajetanus et Joseph, alterum marchio Thaddaeus. Neque inter personas hasce ulla patebat fraudis aut collusionis conjectura. Cum itaque indicium nullum calliditatis appareret, nequibat profecto ipsa admitti, ac propterea inimicitia ex vetustiori recursu orta erat in themate confirmanda, quae sola etiam satis erat ad recusationem suadendam, cum nequeat concipi, quod post tot dissentiones, inter judicem et litigatores intercessas, judicium possit libere, et sine suspicione procedere. Et ita etc. utrasque etc.

(Vide Decis. XVI).

Die 10 julii 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Raphael Borghi.

Prot. 213/1844 **R. P. D. ARNALDI** DECISIO XXVII.

ANCONITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 29 Maii 1845

Argumentum

In disceptationem venit an et quando ante diem creditum petere liceat. Disputatur praeterea de juribus lite pendente superventis; et de expensis factis a marito pro diuturna, extremaque uxoris infirmitate.

§ 1. Conciliatis nuptiis anno 1811 Theresiae Beducci cum Josepho Gulinellio cive anconitano, huic dos tradita fuit a patre, patruoque sponsae ad vim argenteorum 725: 65, quo ex connubio duo adnati sunt liberi *Fridericus*, et *Caesar*. Infauste tamen labente anno 1817 Thaeresia caepit afflictari nervorum motibus, qui praesertim cerebrum assultant; atque ita acriores vehementioresque in dies effecti, ut commotam traduxerint mentem, eum in statum, quem phisici judicant « *di vera mania furiosa* »: Itaque, medicorum consilio, in hospitio anconitano collocata est a marito, qui ut uxor decenti cultu, curaque frueretur, menstruae scutatorum novem pensioni se subscripsit. Vicennio ea in conditione fuit Theresia, quin unquam convalesceret. De solutione autem assignationis illius ex multae auctoritatis fido vicarii generalis, ac nosocomii praepositi scatet, post augusti mensem anni 1835 onus illud suscepisse Catherinam mentecaptae sororem, quae tamen mense februario anni 1837 ab instituto descivit; ac Josephum rursum satisfactioni navasse operam, fere altero biennio nimirum usque ad mensem aprilis anni 1839, quo Theresia mortem oppetiit morbo a medicis designato « *menengite cerebro spinale* » qui tamen eo anno Anconae grassabatur.

§ 2. Fridericus alter ex filiis emancipatus, debitis obsequiis implens, tres fere menses a materno funere, patrem in jus rapuit ad civile tribunal Anconae pro restitutione dimidiae dotis in scutis 367: 12 aliisque quinquaginta, ex aequa parte, legati centum, quod a patruo matri obvenerat, ac pater exegerat. Dica illa nunciata est die decimaoctava julii cautionem praeseferens *« di restringere, ampliare, modificare l'istanza »* bifariam Joseph contra nitebatur actionem temere fuisse institutam; quia leges, a dissoluto matrimonio ad dotem repetendam, annalem dilationem decernant, tum in dotem imputandos esse sumptus reclusionis, quos ultra fructus illius in immani vi fecerat ab anno 1819 ad annum 1839; ac praesertim eodem perseverante morbo, in quo uxor occubuit postremae infirmitatis expensas ab haereditate defunctae esse detrahendas. Exceptioni de judicii ordine, altera dica, occurrebat actor; et praetensam dilationem, nonnisi, quam cautione data, ex lege pariter proficisci, concedendam, contendebat, idcirco terminum constituendum, in quo, cautione non exhibita, solutioni dotis esse locum.

§ 3. Judicio diu dislato sententiam tandem tribunal dixit die *decimaoctava augusti* 1840, qua creditum dotis pro Friderico in dimidio scutatorum 362: 81 probavit; de quo ad solutionem biscentum quadraginta unius damnavit patrem, retento reliquo pro usufructu, praefixoque termino ad hypotecam offerendam; damnavit praeterea Josephum ad solutionem scutorum quinquaginta aequae partis legati a matre assecuti, compensatis expensis judicii. Ast superior maceratensis aula, cui provocatio causam detulit clementius habuit patrem reformata sententia. Quippe ab integra summa dotis una cum quota legati, (utpote quod partem dotis afficeret in tabulis nuptialibus a patruo pollicitam) supputandam esse decrevit quantitatem pensionis a Josepho repensam hospitio, ex fere biennio ante obitum uxoris, imputatis dotis fructibus; de hoc autem reliquo, quod ad summam redibat *biscentum octuaginta octo*, dimidium numerandum statim, alterum retinendum a patre pro usufructu ei debito, ex materna successione, ab emancipato; pro quo absolvit a cautione, itemque, patrem inter ac filium dispnnxit expensas. Nihilominus haud hac sua sorte contentus Joseph, supremo Ordini nostro, suppetias rogavit restitutionis in integrum, quas tamen afferre negativo responso « NIHIL » PP.DD. censuerunt ex juribus et rationibus, quae hoc in priori certamine, animum, mentemque ab elargiendo beneficio alienarunt.

§ 4. Quae enim duo proponebantur fundamenta de legum aperta infractione ob actionem *ante diem* promotam, ac ob denegatam imputationem in dotem sumptuum longe fructus excedentium, positorumque in diuturna, postremaque uxoris infirmitate tanti ponderis, momentique habita haud sunt, quanti per legem haberi debeant. Sit prius sermo de priori capite. Male agere, qui ante diem agit; debitorem conventum, dum adversus plus tempore petatur, absolvendum esse ab ordinatoria, vel saltem indebite pulsato expensas, quae olim sub sportularum nomine veniebant, reficiendas esse: sunt quippe generalia principia, quae immota maneant, oportet; neque ab hisce ob rectum servandum judiciorum ordinem abscendendum est. Itemque actori, contestata lite, inconstantem esse licere minime, etiamsi in priori proposito libello id sibi faciendum reservaverit. Cum enim a lege terminus, modusque praefinitus agendi sit, nec ultra progredi, nec diversimode peragi, adhibitis vel etiam protestationibus, ullo haud jure possumus; contrariae enim legibus protestationes haud valeant *l. alimenta ff. de negot. gest. cap. inter dilectos de fide fratrum*; *Celsus Ugo tract. de clausul. pag.* 504; *Barbosa eodem*; *card. Albitius de inconstan. in judic. cap.* 19 *num.* 39.

§ 5. Non hic Rhodus, neque hic saltandum: verum, etsi tam gallicis legibus quarum sub astris nuptiales taedae accensae sunt, quam justinianeo jure in *leg. unica* § 7 *C. de rei uxor. act.* cui leges illae se referunt, a dissoluto matrimonio anni tempus concedatur ad persolvendam dotem; nihilominus quaestio illa occurrit, an *ante diem* a creditore dotis agi possit. Et sane, haud improbata ea doctrina est, quod utique possit, ut tamen solvatur in tempore. Huic opinioni resjudicata adhaesit, cum aliud sit tempus quod obligationi, ac pacto alligetur; aliud quod indulgentiae, miserationisque causa contineatur in lege. In priori thesi actio nondum enata repellit ab agendo, pactique violatio ad paenas temere

litigantium actorem amandat. In altera vivit actio, licet beneficio legis, exactionis dies sit expectandus. Quibus praejactis, minime impedimento esse, quominus si, pendente judicio, dilationis tempus perficiatur absque ulla cunctatione, restitutio dotis decernenda sit. Tum quia pendente judicio purificata conditione creditor recte egisse dicatur, nec ullam in paenam debeat incidere juxta distinctionem *Bartoli ad leg.* 94 *ff. de verb. obligat.*; *Jason. ad leg. pecuniam ff. si cert. petat*; *Afflict. decis.* 279 *n.* 3. Tum quia jus superveniens actori, pendente lite, ex causa de praeterito prosit ad victoriam *ex leg. si rem ff. de pign. act.* Tum ad evitandum inanem circuitum, non esse prolatandam solutionem, quae si negetur hodie, cras praecipienda sit; uti ad rem supremus Ordo in *Fanen. avocationis causarum* 17 *maii* 1830 § 9 *cor. Celestini.* Tum exceptio non deberi quod ante diem petitur, luxuriet, cum advento die, praesto sit jus. Si quae demum paena actori fuisset irroganda, illa quidem, prout usu fori consuevit de emendandis expensis, patrem inter, et filium exulare civilis ratio jubeat.

§ 6. Quocirca, cum id temporis, ab obitu Theresiae ad diem, quo condemnatio lata est, annus, octoque menses effluxerint, quidquid subtiliter in hujusce judicii ordine disceptari possit, in comperto est tamen, quod manifesta, atque evidenti legum violatione, notari res judicata nequeat, si dotis solutionem ineundam esse jusserit; dum in summa rerum legittima dilatio locum habuit; satius pleniusque sit Joseph beneficio legis gavisus; ac dum, vel etiam in dubiis juris locis, implicatisque quaestionibus rejudicatae potius servanda sit opinio, et interpretatio neque aditus extraordinario restitutionis in integrum remedio aperiatur: ut saepissime proclamatum est signanter in *Bononien. rest. in integ.* 5 *februarii* 1824 *cor. Galimberti, et restit. in integrum* 28 *febr.* 1833 *coram Grossi.*

§ 7. Jam vero, quoad alterum caput de imputatione in dote sumptuum, quos ultra vires fructuum illius substinuit Joseph, tum inspecta qualitate morbi et sumptuum ex speciali jure et taxativa dispositione; tum quia de expensis postremae infirmitatis licet dinturnae ageretur, argumenta aedepol erant, quae nullo in calculo haberi poterant. Jus speciale desumebatur ex *lege* 22 § 8 *ff. solut. matrimon.* Verumtamen aptari nequibat casui, a quo species longe abesset. In eo siquidem, ex supposita permissione divortii, maritus callidissime retinens dotem, quae conspicua videtur esse, uxoris furiosae spernens infelicitatem, nullam ei curam competentem inferens, adigi lex jubet, ad omnem mulieris substentationem exhibendam secundum quantitatem dotis. Quid vero ad rem de viro, in consortio omnis vitae, alimenta et medicamina praestare adstricto, qui suo quoque quodammodo commodo prospiciens, ne furiosam detineat domi, ibique ea quae suppeditare debuisset, hospitio dederit. Absit hercle, quod ex recitato textu, ea thesis inhumana derivet, quod si uxor incidat in furorem, non ultra teneatur vir, quam ad exhibitionem juxta dotis quantitatem, et posteriora despicienda sint jura sancita in *leg.* 3 *c. de negot. gest.* « *Quod in uxorem tuam aegram erogasti non a socero repetere* » ibique glossa « *quod maritus tenetur uxori infirmae subvenire de alimentis, et medicinis et omnibus necessariis. Nam cum duret matrimonium tenetur subire onera et si non subiit nec ex pacto nec ex statuto potest litem lucrari* ». Quae obtineat sive tenuis, sive gravis dos intercesserit; imo vero, et si nulla prorsus; nam uxori pauperi prorsusque indotatae debeantur, *Bruneman. ad dict. leg. quod in uxorem.*

§ 8. Nec reponas, domi non adfuisse uxorem ad praestanda maritalia obsequia. Nam, non ex divortio, vel separatione thori hospitio manebat uxor; verum ratione infirmitatis quo in statu cujusque speciei fuerit, acerbissimum, et inhumanum, ut illis omnibus adjumentis destitui debuisset uxor, quibus vir domi subjacere devinctus esset; cum non concubitus, nuptias faciat, eademque viri, et uxoris bonorum communicatio perseveret *leg.* 1 *ff. de ritu nuptiar.* Et « *quid tam humanum est* (ait lex 22 § 7 ff. soluto matrimonio) *quam fortuitis casibus, mulieris maritum, vel uxorem viri, participem esse* ».

§ 9. At enim, sumptus pro diuturna infirmitate, longe fructus dotis excedentes, praesertim, si de ultima infirmitate agatur, posse virum repetere, ac deducere in restitutione dotis sentiunt Surdus, Bossius, Menochius aliique doctores. Observandum est tamen, hanc doctrinam versari in casu legis 22 § 8 *ff. de soluto matrimonio*, quae ad controversiam,

de qua agitur, non attinet; nimirum in casu divortii, vel separationis ut sunt praecipua verba *Surdi « si domo excedat »*: insuper contradicitur auctoritate legum posteriorum praesertim dictae *legis « quod in uxorem C. de neg. gestis »*. Ex quibus quonsque vivit uxor, viro oneri est eam alere, vitaeque suppeditare praesidia, inter quae expensae infirmitatis, ac vel diuturnae, vel etiam postremae recensentur ad firmata per *sac. Rotam decis.* 38 *p.* 9 *Recen. Urbinaten. seu S. Marini immissionis* 2 *januarii* 1817 § 7 *coram Bussi. Romana seu Perusina legitimae* 28 *feb.* 1823 *coram Emo Corsi, et in confirmatoria diei* 28 *junii* 1823 § 7 *coram eodem.*

§ 10. Neque longe est repetenda ratio, si vir ultra quam facere potuerit, effecit, ob conjugalem affectum pietatemque id gessisse intelligitur; ac pietatis causa vetat, solutum repetere; ipsaque naturalis ratio, et obligatio impedimento est, quominus, quod ex naturali communicatione jurium exhibitum sit, imputetur. Quemadmodum scitissime *Donnellus in comment. ad l.* 1 *c. de condic. indeb.*; *Brunemann. ad dictam legem quod in uxorem*; *Peretius ad tit. C. de negoc. gest. num.* 12; *Voet. in comment. n.* 4 *et* 8; *Gaspar. Ant. thesaur. quaest. forens. lib.* 2 § 52 *per tot.*; *Fontanell. de pact. nuptial. glos.* 2 § 2 *num.* 189.

§ 11. Redeunt igitur quae superius monita sunt; neque hoc sub articulo violatam legem in viridi dici posse; neque in discrimen adduci remjudicatam, si in unam potius quam alteram sententiam inclinaverit. Quin imo vero, spectata intimius rei veritate, dum alimentorum loco, quae domi uxori debebat vir, hospitio pensitationem menstruam *scutatorum novem* suppeditaret; idemque esset *« possidente ed impiegato presso questa amministrazione de' sali e tabacchi »* ut ex publico instrumento emancipationis eruitur; potius, quam ultra faceret, juxta statum conditionemque suam ita peragere debuisse dicendus Joseph: quid minus enim viro tali, menstruis scutatis novem alimenta, cultusque uxoris domi valuissent? Potissimum, quia reliquis sumptibus linteaminum, vestium, munditiaeque Catherina dementis soror perpetuo providerit *Summ. Friderici num.* 2.

§ 12. Insuper infirmitas extrema ea dicitur, quae immediata fuit causa mortis. Defecit actor in probatione; nam morbus, ex quo Theresia occubuit *« costituzionalmente correva in città »* adeo, ut quivis etiam sanae mentis in eum incidere potuisset. Ostendere idcirco oportebat quod illa, attento morbo maniaco, quo afficiebatur, ab grassante lue evadere omnino haud valuisset. Ut repudietur actio, sat res anceps ac dubia sit; neque argumenta de probabili satisfaciunt; probationem siquidem actoris necessario, non de contingenti esse debere, seu non probat hoc esse, quod ab hoc, etiam quandoque potest abesse, docent elementa prima ex *textu in l. sciant C. de probat.* Etsi vero postrema infirmitas habenda sit, nihilominus titulo postremae hujusce infirmitatis ne assem adjecit Joseph, imo vel onesta parentalia recusavit, totum inesset in mensili subministratione, in qua cum alimentis, extremae etiam illius infirmitatis sumptus cumulabantur.

§ 13. Postremo si illa opinio sequenda sit, quod in praestationibus inter conjunctos, praesumatur donandi animus, nec repetendi voluntas, donec contrarius actus eliciatur; satis quidem, superque obtinuit Joseph ex altera tribunalis appellationis sententia, quae imputationem in dotem decrevit subministrationis hospitio peractae, biennio circiter ante obitum Theresiae, quo tempore abjuratam pensitationem, quamvis voluntarie Joseph resumpserit, tamen, ex allatis documentis, coactam fuisse internoscitur, atque juris praesumptionem contrariis effusis animi sensibus, quodammodo debilitatam.

§ 14. Quibus omnibus sedulo animadversis restitutio in integrum jure meritoque denegata est; ne potius, quam patrem inter ac filium, in altero benevolentia, in altero obsequium, ac reverentia excitetur, jurgia nil profutura confoveantur.

At ita etc. Utraque etc.

Die 24 julii 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Joannes Baptista Ugolini — D. Philippus M. Salini.

Prot. 180 / 1844 R. P. D. LA GRUA VALDINA DECISIO XXVIII.

BONONIEN. REDDITIONIS RATIONIS SUPER RECUSATIONE JUDICIS

Jovis 29 *Maii* 1845.

Argumentum

Habes in Dec. XV.

§ 1. Quemadmodum in judicio deletionis hypothecae fuit interpositus recursus recusationis a marchione Taddaeo Pepoli, de quo agit coeva decisio, ita jam antea in judicio alio redditionis rationis recursus idem ex parte marchionum Josephi et Cajetani locum habuerat; atque licet hic aeque ac alter in comitiis diei 3 aprilis praeteriti fuerit dimissus rescripto « *Nihil* », hodie tamen fuit a Patribus exceptus, qui responderunt « *esse locum recusationi judicis.* »

§ 2. Neque diversum sane Patres poterant ferre judicium. Fere omnia namque rationum momenta, quae in causa contemporanea super deletione hypothecae suadebant, inimicitias graves inter Pepulos et Basilium intercessisse, in hac etiam inimicitias easdem probabant, ex quibus necessitas recusationis exurgebat. Porro ubi eaedem concurrebant rationes, simile erat judicium ferendum, neque poterat in causis inter easdem personas actis modo suspectus idem judex, modo qualibet suspicione immunis renunciari. Et ita utraque etc.

(Vide Decis. XV).

Die 10 julii 1845 « *In secundo loco decisis.* »

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Jacobus Ceccacci
D. Raphael Borghi
D. Vincentius Binarelli

Prot. 224 / 1844 R̃mo P. D. CONVENTATI Decano DECISIO XXIX.

REATINA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 29 *Maii* 1845

Argumentum

De praescriptione: et de monumentis quae ad malam fidem probandam in judicio requiruntur.

§ 1. Nuptiis usque ab anno 1783 inter Franciscum Blasetti ex finitima Neapolitana ditione, et Annam Staffa Reatis celebratis illico sponsus consequi ab uxoris patre debebat scuta quingentum, demensoque altero anno a Cosimo patruo scuta mille in extinctionem dotis per instrumentum publicum promissae, absque tamen ullo onere fructuum « *senza alcun pagamento di frutti* ». Decesserunt e vita Bonifacius parens, et Cosmas patruus; ipsa Anna filia, et nepos Staffa, et tandem conjux Franciscus Blasetti, quin unquam in tanto annorum trigintaquinque periodo quaerela pro dote assequenda excitaretur, licet gens Staffa ceteris Reatis familiis comodior esset. Vita functis quibus de extinctione monumentum adducere arduum non erat, iisque quorum conscientia pecuniam receptam iterum velle terruisset, filii et haeredes conjugum Blasetti ex quadam declaratione per superstites Staffa in actis emissa allecti, quamvis ea excusari possit, nihil ex quinquaginta septem annorum silentio praescriptionem timentes, vadarunt tum Antonium, et Josephum Staffa, tum natos Dominici Perotti, velut canonici Camilli alterius patrui defuncti haeredes proprietarios, ad sibi repetendam matris dotem, simulque scuta 4262 obul. 75 pro ejus fructibus ex lege debitis, et numquam reprehesentatis. Documenta ad excitatam actionem impugnandam deerant; testes afferre, si qui fuissent, obierant; quibus legibus inniti, se tueri posse rei conventi ignorabant; pene indefensi igitur condemnati fuerunt a judicibus reatinis, a quorum sententia appellatione neglecta, evenit, ut infensissimam rem judicatam subire coacti sint. Ne in tanta

clade postremum diffugium deserere viderentur, alacres ad senatum nostrum ipsi devenerunt, et hoc mane pro restitutione in integrum deprecantes voti compotes facti sunt. Nam « *De causis S. P. rei judicatae etiam quoad refectionem expensarum* » Patres responderunt, mihi onere injuncto decisionem edendi, ut inde quaestio iterum Signaturae subjiciatur.

§ 2. Nullum novum documentum fratribus Staffa eruere licuit ad injustitiam astruendam rei judicatae. In tanta necessitudine cum gente Blasetti de qua eorum majores gloriabantur ante Annae matrimonium, majori effecta post nuptias, quid inter unam, et alteros intercesserit in solutione dotis nesciverant; ad quos confugere ut testimonium perhiberent post annorum longissimum spatium, quin mors eos absumpsisset, impossibile prorsus erat: omni igitur probatione destituebantur, quare nec Patribus eam exhibuerunt.

§ 3. Super violatione legum tota versabatur oratio Josephi Staffa ad vim infringendam rei judicatae, ex eaque Patres hodie restitutionem in integrum concedere duxerunt. Nutiale instrumentum actum fuit vigente statuto Reatis, per quod actionum praescriptio cohibebatur ad annos sexdecim « *Si quis fuerit negligens vel remissus in petendo aliquod debitum, vel siluerit per tempus sexdecim annorum postea petere non possit, sed sibi efficaciter obstet praescriptio temporis praecitati L. 2 cap. 12 de praescriptione.* » Impediebantur igitur fratres Blasetti quominus avunculos suos Staffa in judicio pulsarent ad eorum matris dotem requirendam, nequibant judices sine ejus legis contemptu vota instantium amplecti, quorum definitioni magis obest jus comune pessumdatum fuisse, quo statuitur ultra triginta annorum spatium actiones minime protendi *cod. de praescription. L.* 3. Praescriptio igitur etiam matri, antequam obiisset, cadente anno 1814, obstabat; eo magis filiis dum post annum quinquagesimumsextum illius dotem eos vindicare non puduit.

§ 4. Ad justitiam rei judicatae tuendam Blasetti orator sapientiora juris canonici dogmata Patribus afferebat, quibus quotquot annorum lapsus, nisi bona fide debitoris continuatus, immunis a praescriptione sancitur *cap. vigilanti V de praescript.* indeque ex ipsis fratribus Staffa documenta manantia recitabat, qui non semel dotis amitae Annae sese debitores esse fassi sunt, colligebatque clientum suorum jus adhuc vivere. Alexander tertius in ea lege malae fidei *possessores*, numquam debitores complexus est, ut plane eruitur ex ejus littera, ac sensu. Ad puniendam enim eorum negligentiam quibus interest credita exigere jus civile praescriptionem constituit, in qua parte a canonico correctum non legitur.

§ 5. Attamen Patres investigare non renuerunt argumenta, super quibus Blasetti innitebantur, adeo ut mala fides fratrum Staffa emicaret. Obtestabantur tum gallorum praefecto, tum eminentissimo pro-thesaurario inesse in eorum patrimonio aes alienum dotium. Tres erant foeminae cum Anna quibus gens Staffa dotem spopondit, quae essent earum creditrices non innuerunt; argui igitur nequit se ad debitum cum Anna retulisse; haud unius dotis, sed alterius etiam aes vigere fassi sunt; attamen de ceterarum extinctione auteacta, quam profiterentur eas adhuc deberi invictissimis argumentis probarunt. Insuper quae gallorum tempore fratres Staffa loquuti sunt patet derivasse ad eximendum canonici patrimonium in exilium pro fide expulsi ab inimicorum direptione: quae recentius exposuerunt a judicio sumpserunt per Blasetti incohato, cujus exitu adhuc incerto, noluissent subjacere taxae successionis pro rata dotis atque fructuum, quae a defuncti fratris quota auferenda esset, vel etiam ad minus tributum Principi solvendum induci potuissent, quod coram senatui nostro in disputationem non venit. Adeo tandem infirmum est argumentum ad statuendam malam fidem ex utraque fratrum Staffa professione, ut una differat ab altera praesertim quoad fructus, pauciores in prima, elatiores in secunda. Mala autem fides non admittitur, est enim delictum, nisi certis rationibus concludatur. Testamentum vero Antonii Staffa nihil afficit. Is enim rerum suarum haeredes statuebat nepotes ex duabus sororibus, quos inter recensebantur Blasetti, qui, ne adversus consobrinos Zapparelli cohaeredes unquam insurgerent, ab iisque dotem Annae, ac fructus impeterent in tabulis testamentariis statuit « *dichiaro e voglio che nella porzione, nella quale ho istituiti eredi i fratelli Blasetti debba esservi compreso tuttociò che si deve ad essi per la dote e frutti relativi della fu Anna Staffa* ». Praemiserat enim Antonius « *Voglio poi che della detta mia eredità siano fatte due porzioni*

eguali, in una delle quali istituisco e nomino i (nipoti) *Zapparelli, e nell'altra i Blasetti* (pure nipoti). » Dum in aequas partes testator dividebat emolumentum suae haereditatis opus erat, ut compesceret nepotes Blasetti, ne jus aliquod experiretur in cohaeredes Zapparelli. Edita jam fuerat sententia civilis tribunalis Reatis, quae instantiam Blasetti pro dote eorum matris, et fructibus exceperat. Abuti igitur iis non licebat avunculi testamento, cui memoriae agere gratias potius debuissent Blasetti, quam eum arguere tamquam malae fidei debitorem, ut ceteros Staffa, dotis Annae, ejusque fructuum.

§ 6. Supervacuum visum est Patribus aliquid addere de re judicata una dumtaxat sententia firmata, quum praecipue ob legum violationem restitutio in integrum elargita sit; insuper de injustitia ipsius rei judicatae circa naturam, fructuumque progressum ultro a sententia reatina exceptorum, quum a moto jure dotis percipiendae sponte sua corruunt fructus. Ac judicata injustitiam redolente ob legum spretum, quin canonico jure excusari valeat praesertim mala fide fratrum Staffa nullis fulcimentis suffulta, opus erat hodie respondere « *De causis etc.* » Et ita ex utraque parte arreptis armis jus redditum est.

Die 7 Augusti 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Fridericus Rosa — D. Franciscus Lasagni.

Prot. 11 / 1845 R. P. D. JANNI Decisio XXX.

Viterbien. Circumscriptionis et Recusationis Judicis

Jovis 29 Maii 1845

Argumentum

Habes in Dec. XIX.

§ 1. Romanus origine, viterbiensis natu, dignitate Cardinalis tituli s. Pancratii, munere archiepiscopus beneventanus Joannes Baptista Bussi pridie kalendas februarias anni 1844 rara senectute decessit instituens sibi haeredem ven. seminarium Viterbii. Quo in loco petenda esset haereditas, non levis controversiae subjectum constituit. Nam cum ex hodierno regimine judiciario ejusmodi actiones instituendae sint « *avanti il tribunale del luogo dell' aperta successione* » (§ 441); cumque locus apertae successionis ex censura alterius § 430 constituatur « *dall' ultimo domicilio del defonto* » vel si tempore mortis plura domicilia defunctus habere inveniatur « *dalla situazione della maggior parte de' beni immobili* »; arguebant bino marchiones Joannes-Paulus, Pius, et praesul Ascanius fratres Muti-Bussi, perperam a seminario fuisse petitam haereditatem coram viterbiensi vicario eo quod locus apertae successionis videri ea civitas non posset, in qua cardinalis fortuito natus nunquam habuit animum residendi.

§ 2. Seminarium vicissim reponebat, non unum, sed plura fuisse mortis tempore cardinalis domicilia; illud urbis certissime ratione tituli, cum in eo habeant cardinales residentiam, et jurisdictionem quasi episcopalem, ut fuse prae omnibus colligitur ab eruditissima disceptatione cardinalis Albitii *de jurisdictione, quam habent S. R. E. Cardinales in eccl. suor. titulor. num.* 29, *et seq.*; aliud non minus evidens Beneventi utpote qui eam sedem nonnisi per mortem reliquit; tertium denique Viterbii ratione nativitatis, et administrationis bonorum: unde inferebat, judicium petitionis haereditatis Viterbii omnino institui oportuisse: nam sive dispositio § 430 accipiatur ut jacet, et tunc satis esset, cardinalem habuisse plura domicilia, excluso etiam illo Viterbii; quippe in concursu unius, alteriusque domicilii ibi censetur aperta successio ubi extat « *la maggior parte de' beni immobili* », quam haud controvertitur sitam esse in viterbiensi districtu. Si vero eadem dispositio ita interpretari velit, ut sola bonorum existentia sine domicilio minimo constituat locum apertae successionis, et rite petitam haereditatem fuisse Viterbii jugiter apparebit, cum illud extiterit natale solum cardinalis, qui propterea saltem originis domicilium in ea civitate custodisse videretur *arg. a leg.* 11 *ff de senator.*

§ 3. Eo ipso autem quod marchiones Muti nulliter actum fuisse Viterbii contendebant, de eo etiam querebantur quod vicarius generalis, cui delatum erat negocium, haud careret suspicione, judicium laturum favore seminarii, praesertim « *per aver manifestato il suo parere nella causa, di cui si tratta* ». Postulabant idcirco in subsidium quatenus acta Viterbii consistere censeretur, admitti recusationem judicis, ut lis agi posset sine suspicione. Sed neutrum initio Patres concedere maluerunt. Haud quidem circumscriptionem actorum; nam etsi esset in propatulo, cardinalem vel nullum, vel haud certe postremum domicilium habuisse Viterbii; quoniam tamen mortis tempore duplex aliud domicilium illi non deerat, Romae propter titulum cardinalatus, et Beneventi ratione episcopatus, locum apertae successionis determinare oportebat juxta regulam traditam in § 430 nimirum « *Se il defunto all' epoca della morte aveva più domicilii, è determinato dalla situazione della maggior parte de' beni immobili* », ceu optime innuit praecedens decisio R. P. D. Lippi §§ 8 et 9.

§ 4. Nec similiter concedere valuerunt recusationem judicis, quoniam de sensu antea ab eodem pandito deponebat unicus testis, uti observat *citat. decis.* § 15, praesertim autem cum nec ipsi marchiones Muti, vel eorum defensores integritatem, et probitatem viterbiensis vicarii aliquod in discrimen adducerent. Satius itaque existimarunt recursum dimittere rescripto « *nihil* » quemadmodum exhibet, praefata decisio R. P. D. Lippi. Sed nova monumenta, quibus hodie succumbentes utebantur in contrariam sententiam tribunal pro parte abire fecerunt, cum non dubitaverit continuo rescribere « *quoad circumscriptionem in decisis; in reliquis esse locum recusationi judicis* », dato mihi munere edendi novam decisionem in ea parte, quae priorem infirmat, veluti ab initio hujusce anni in foro observatur.

§ 5. Lites esse coram judicibus sine suspicione agitandas ratione vel ipsa naturali dictante, receptum omni aevo fuit jure tum civili, cum canonico, posse suspectum judicem recusari, *leg. apertissimi* 16., *et cum specialis ult. cod. de judic., cap. cum speciali* 61, *de appellat., cap. causam* 17, *cap. insinuante* 25, *cap. suspicionis* 39 *de offic., et potest. jud. deleg., cap. si contra* 4, *et judex* 5 *eod. tit. in sext.*, ac tantus erat recusationis favor, ut secundum jus civile nullam suspicionis causam assignare teneretur, qui judicem recusare volebat: cum tamen hoc arbitrium, ut de omnibus accidit, tractu temporis in licentiam processerit, Innocentius III in concilio lateranensi constituit, neminem deinde posse recusare judicem nisi *causam justae suspicionis assignet*, uti legitur *in cit. cap.* 61, *de appellat.* ea videlicet aequissima ratione, ut dum litigatoribus consulitur etiam *debitus honor deferatur judicibus*, quemadmodum licet arguere ex verbis ejusdem Pontificis *in cap.* 49 *eod. tit.*

§ 6. Justae suspicionis causas quamplurimas canonistae enumerabant, ut videre est apud *Hostien. in Summ. tit. de recus.* § *quae sunt causae*, *Panorm. in cap. cum speciali de appell., Joa. Andr. in cap. legit. eod. tit. in* 6. Sed hodierna praxis breviori locutione eas ita recensuit in § 1054 « *Sono motivo di legittimo sospetto* 1.° *le questioni pendenti in giudizio tra il giudice, ed una delle parti.* 2.° *le inimicizie gravi.* 3.° *l' interesse nella causa.* 4.° *il parere manifestato dal giudice in voce, od in iscritto nella causa stessa, l' averla conosciuta come giudice, o in altro grado di giurisdizione, o come arbitro, e l'averla difesa come procuratore, od avvocato.* 5.° *la parentela ec.* » Jam vero Patres despiciebant, unam, vel alteram ex causis quarto loco recensitis in themate non deesse, ut legittima censeri debeat recusatio viterbiensis vicarii, et pauditum praecipue ab eo animi sensum erga seminarium priusquam lis introducta fuisset.

§ 7. Id autem eruebatur primum a testimonio canonici Philippi Pichi, qui cum ad exitum superioris octobris vicarius viterbiensis urbem petiisset, et sermonem invicem habuissent de relata controversia inter seminarium, et marchiones Muti, deponit in haec verba « *il medesimo* (scilicet vicarius) *mi assicurò, che le maggiori ragioni sembravano essere a favore del sullodato ven. seminario, indicandomi alcuni articoli, e circostanze, che io non rammento; ma che sentendole anch' io rimasi quasi persuaso della ragione a favore del sullodato venerabil seminario* ». Quod si testimonium hujusmodi nullam vim exerere

valuit in priori disputatione utpote ab unico teste prolatum, maximi momenti Patres faciebant in praesens, cum aliae adducerentur ejusdem facti probationes erutae a duabus epistolis tempore non suspecto, et longe ante motam litem datis Viterbii ab Andrea Saveri ad marchionissam Mariannam Muti contendentium matrem in urbem; epistolis caeteroquin autographis, et utriusque diribitorii litterarum Romae, ac Viterbii signo munitis, quod certam diem praesefert.

§ 8. Aperiebant jam vero memoratae epistolae viterbiensem vicarium non modo praeoccupatum favore seminarii animum ostendisse, sed tamquam curatorem illius vigilantissimum quodlibet ejusdem negocium praenoscere, tractare, componere, ac tueri. Legebatur siquidem in una « *Questo mons. vicario giunto a sapere essere io il procuratore, e l' agente delli signori marchesi Muti Bussi, venne jeri sera da me per tenermi proposito di una memoria avanzata dall' affittuario di Castiglione per ottenere emenda di pretesi danni.... Lo stesso monsignore discorso facendo sull' eredità del cardinale, mi esternò desiderio vicissimo, in che sarebbe egli, ed il seminario di veder conciliata in via amichevole, ed anche di compromesso sanzionato dal Papa ogni vertenza .... anzi profittò di tale discorso per assicurarmi, che anche subito avrebbe consentito a trattare le cose in modo amichevole, e conciliatorio* », dummodo interim « *venisse tutta la eredità amministrata da persona di comune fiducia; e per convalidare queste sue assicurazioni aggiunse, che ben persuaso della buona scelta da lei fatta col deputarmi suo procuratore, ed agente, non avrebbe avuto difficoltà alcuna di uniformarsi in ciò al di lei parere col convenire, che io fossi l'amministratore da ambe le parti eletto ... nel lasciarmi poi insistè, che io le avessi oggi scritto, informandola di tutto ...* »

§ 9. In alia similiter occurrebat « *Il decreto dell' A. C. del 15 corrente già era a cognizione di monsignor vicario, e del seminario; ma pare, che non le sia piaciuto, mentre sento, che vogliano da quello appellare .... Sono andato da monsignor vicario, ed ho preso motivo d' interpellarlo sulle determinazioni del seminario riguardo all' accettare, o no quel decreto, e mi ha fatto conoscere, che doveva dai curiali, ed avvocati tenersi un congresso sul partito da seguirsi .... ha conchiuso, che quand' anche il seminario accettasse il decreto, la rinunzia al possesso, come l'amministrazione decretata dall'A. C. per modo di semplice provvisione, deve essere estesa, e deve comprendere tutti li beni, che sono inclusi nel fidecommisso, e primogenitura* ». Redibat hinc fides etiam uuperrimae informationi, quam Saverius dabat marchionissae respondens illi « *È un fatto incontrastabile che mons. vicario Petocchi sia conscio, ed anzi regoli gli affari del seminario; che assista, e presieda alle congregazioni in mancanza del vescovo, e che l'economo del seminario, agisca sempre previa l'informazione, e colla di lui intesa* », et fidem augebat verisimilitudo cum haereditas cardinalis Bussi, quae modo petitur Viterbii nomine oeconomi illius seminarii, fuerit primum in urbe petita nomine, et mandato eminentissimi viterbiensis episcopi, ut ostendit judicium, cujus meminit record. decis. R. P. D. Lippi § 14.

§ 10. Ex his omnibus idcirco erat compertissimum, vicarium suscepisse partes seminarii, licet istud ei ad honorem redundet, cum interloquutus nondum fuerit *uti judex* in causa, pro qua suspectus adducitur. Ad confirmandum nihilominus favorem vicarii erga seminarium, examen plurimorum testium fuit a marchionibus postulatum; tum etiam exhibitae positiones ejusdem seminarii oeconomo. Quin tamen Patres decisionem comperendinarent ad diem qua de hisce incidentibus cognoscere valuissent majori probatione non indigere existimaruut, ut annuerent recusationi judicis, qui justam suspicionem ex hactenus perpensis ingerere videbatur. Observabant caeterum, in quolibet dubio pro recusatione judicis respondendum esse ad monitum *Constant. ad stat. urb. adnot.* 24 *num.* 1 *et sequent., et Reiffenst. in lib.* 5 *decretal. tit.* 1 *num.* 418, cum nuperrimas leges haud effecisse putandum sit, ut quod jugiter favorabile habitum fuerat tale statim esse desierit, maxime autem ex regula, qua docemur, posteriores leges ab anterioribus interpretationem recipere *leg.* 26 *et* 27 *ff de leg.*, Et ita etc. Utraque etc.

(Vide Decis. XIX).

Die 29 Julii 1845. « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Jo. Franciscus Vespasiani — D Antonius Vasselli.

FERRARIEN. AVOCATIONIS

Jovis 29 Maii 1845

Argumentum

Postulatur avocatio et unio causarum, quarum altera super actione hypothecaria versatur in limine expeditionis, altera super nullitate hypothecariae inscriptionis vix contestata est.

§ 1. Absolutissima rejudicata presbyter Antonius Soldatus damnatus fuit ad persolvenda honestissimo causarum patrono Vincentio Binarelli scuta 220 eidem debita pro totidem impensis in lite, quam pro eo contra Antonium Zagatti coram Ordine nostro oraverat. Suscepta contra debitorem die 18 maii 1841 hypothecaria inscriptione creditor coactus fuit, vadato quoque Soldato, judicio agere coram vicario generali Ferrariae contra Augustinum Viola, cui Soldatus interea temporis bona sua cesserat, ut vel summam scut. 220 persolveret, vel dira praeconis voce decerneretur venditio annui canonis scut. 15: 75 ad principalem debitorem pertinentis. Positiones tunc Augustinus detulit Vincentio; quae illuc spectabant ut declararet utrum animum habuisset defendendi paraeciam s. Agnetis, vel unam Soldati personam illius ecclesiae parochum. Quibus positionibus quum Vincentius respondisset, Soldatum, minime vero paraeciam a se defensam fuisse; nihil aliud supererat, quam ad causae absolutionem ipsius favore properare.

§ 2. Tunc vero Augustinus judicium instituit coram tribunali primarum actionum Ferrariae, petens ut decerneretur, « *la nullità ed inefficacia della ipoteca iscritta li* 18 *maggio* 1841 » sin minus postulans declarari « *ristretta la ipoteca* 18 *maggio* 1841 *ai soli beni, che l'iscritto possiede nella sua qualifica di vicario di s. Agnese, esclusi tutti gli altri beni, ed effetti, che sono di esclusiva proprietà dello stesso sig. D. Soldati* ». Protinus recursum apud Ordinem nostrum interposuit ad hoc ut haec causa a tribunali primarum actionum avocaretur, et alteri causae super actione hypothecaria uniretur coram curia archiepiscopali introductae. Hinc quum Vincentius institisset pro hujus recursus rejectione vadimonio Augustino deserente responsum fuit « *Nihil de avocatione et unione* ».

§ 3. Nunquam enim locus est avocationi et unioni causarum si alterutra causa ita ad exitum appropinquet, ut nonnisi ad illius absolutionem sententiae evulgatio supersit, sicuti sancitum est in nuperrimo cod. § 1052. « *Non è ammissibile il ricorso per l'avocazione e riunione delle cause quando l'una e l'altra causa si trovi in stato di esser decisa a termini del* § 906 » quando nimirum « *ne sia compiuta anteriormente la discussione, e non rimanga che la sola pronuncia della sentenza* ». Jam vero in causa coram vicario generali Ferrariae post responsiones a Vincentio datas positionibus ei oblatis nihil aliud supererat, quam sententiam ferre ejus votis consonam. Contra altera causa super nullitate inscriptionis hypothecariae tempore interpositi recursus, vix ac ne vix quidem contestata dici poterat. Si igitur una ex causis in limine erat expeditionis, altera vero in primo erat initio, unionem lex apertissime vetabat.

§ 4. Urgebat et illud quod unio rejici debet, si suspicari possit, recursum interpositum fuisse ad cursum alterutrius judicii intercipiendum ad ea, quae sacratissimus Princeps imperavit eodem § 1052 « *Non è ammissibile il ricorso per l'avocazione o riunione delle cause, quando avuto riguardo alle circostanze, ed alla qualità dei giudizj rispettivi si riconosca, che il ricorso è diretto ad impedire, o ritardare il corso dell'uno e dell'altro* ». Plura autem suadebant unionem in hunc revera finem postulatam fuisse. Nam Augustinus inscriptionis nullitatem minime postulavit vix actio hypothecaria contra eum instituta fuit, sed post responsa positionibus data, quum nempe sententia condemnatoria in eum imminebat; quam caeteroquin nullo pacto avertere potuisset. Nam Vincentii creditum contra Soldatum prodibat a re judicata, qua occasione disputatum fuit, utrum ex propria persona ab ipso functiones, et expensae essent persolvendae. Si itaque Augustinus novum instituit judicium, quo petebat ut inscriptio cohiberetur ad bona paraeciae, eamdem instauravit quaestionem, quae rejudicata

absoluta fuerat. Quocirca dubitari non poterat animo tantum differendi solutionem avocationem et unionem petitas fuisse. Neque aliam revera Augustini mentem fuisse patebat quoque « *dalla qualità dei giudizj rispettivi* ». Judicium enim coram curia archiepiscopali non solum exequutivum erat, sed nullam merebatur juris, vel facti investigationem. Constito enim de credito, et hypotheca (de quibus ne dubitari quidem poterat) nihil aliud inquirendum erat. Contra judicium alterum coram tribunali primarum actionum ordinarium erat. Facilem quidem definitionem habuisset; nam (uti superius animadversum fuit) rejudicata jam definitum fuerat Soldatum ex propria persona ad summam scutor. 220 persolvendam obstrictum esse; nihilotamen secius longum tempus ad illius absolutionem requiri PP. prospiciebant. Nam ordinaria methodo tractandum erat, ad listam amandandum, dubia pandenda, et aliae praxeos regulae servandae, quae a judiciis exequutivis extorres sunt. Si igitur judicium coram tribunali laico diuturnam methodum poscebat, evidens erat, ut « *avuto riguardo alla qualità dei giudizj* » recursus interpositus fuerat ad finem judicii exequutivi intercipiendum, et ad retardandam liquidissimi debiti solutionem. Et ita altera etc.

(Nondum reproposita).

Procuratores — D. Joseph Caramelli — D. Vincentius Binarelli.

Prot. 245 / 1844 **R. P. D. FERRARI** Decisio XXXII.

Ariminen. Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 12 Junii 1845.

Argumentum

De litis contestatione - De clerici ad causam vocatione - De causa in quam cedat pecuniae solutio, quae ex diversis obligationibus debetur - De exceptionibus altam requirentibus indaginem in executivo judicio prolatis; et de requisitis pro exercitio actionis hypothecariae contra tertium possessorem.

§ 1. Solemnibus tabulis diei 24 februarii 1829 comes Octavius Lettimi dotem ejus filiae Juliae nupturae Joanni Baptistae Calisti constituit in summa sc. 4000 quorum scuta 1000 numeravit, pro reliqua vero summa scuta termille nec non pro triennii fructibus ad rationem sc. 5 pro quolibet centenario, et anno, hypothecae subjecit duo praedia nimirum « *il Casino* » et praedium « *Costa Pradella* » quam hypothecam in publico tabulario conjuges illi inscribere non praetermiserunt. Hinc cum debitor in solutione fructuum moram facere caepisset, sententia tribunalis Forolivii damnatus fuit ad solvendam vim sc. 450. Ductis postea die 4 aprilis 1854 dati, et accepti rationibus patuit quod conjuges Calisti tum ex dotali credito scutorum 3000 tum ex fructibus decursis a die factae morae ad diem 24 februarii 1834 credito pollebant sc. 3600 quod ut persolveret Octavius in solutum dedit creditoribus praedium « *il Casino* » a viris peritis in summa scutor. 3855: 08. 7 aestimatum, accollato eisdem debito, quod vim attingebat sc. 550: 83 proindeque creditum superfuit in sc. 295: 74. 3, quae nunquam a debitore penitus decocto obtinere potuerunt.

§ 2. Coacti igitur fuerunt actionem hypothecariam instituere contra haeredes Friderici Carradori, qui praedium *Costa Pradella* ab Octavio Lettimi acquisiverant, ut vel summam sc. 295: 74. 3 persolverent, vel praedium licitationi exponeretur. Quod judicium die 30 aprilis anni 1834 ad inanes vitandos circuitus introductum fuit coram vicario generali ariminensi, quia jam innotuerat quoad Carradori liberationem a molestiis erant postulaturi contra Joannem Mattioli sacerdotali dignitate insignitum. Revera triduo post antequam lis contestaretur, rei conventi coram eodem vicario diem Mattiolio dixerunt, ut eos a molestiis liberaret. Hisce duabus causis a judice unitis res judicata prodiit qua declinatoria fori exceptione rejecta, actio hypothecaria probata fuit; neque tertiis possessoribus juvit circumscriptionem, vel saltem restitutionem in integrum postulavisse.

Nam PP. mei re sedulo perpensa propositum recursum rejecerunt rescripto « *Nihil de circumscriptione et restitutione in integrum* ».

§ 3. Nam si semper in quolibet dubio pro actorum validitate judicandum est, valida existimata fuit resjudicata in qua nullus occurrebat neque citationis, neque mandati, neque jurisdictionis defectus. Requevera, neque citatio neque mandatum desiderabantur. Ecclesiastici autem judicia jurisdictio manifestissima erat. Nam processus incaeptus, et ad exitum perductus fuit judicio stante sacerdote Joanne Mattioli, qui ecclesiastici fori privilegio perfruebatur. Non solum igitur vicarius ariminensis jurisdictione in illa causa pollebat, sed judex necessarius erat, ipseque unus litem dirimere poterat.

§ 4. Neque obstare visum fuit litem actam initio fuisse cor. vicario a laico contra laicum, nullo, ad formam Benedectinae Constitutionis *Romanae Curiae praestantiam*, praestito in illius jurisdictionem consensu. Nam antequam lis contestaretur Carradorii coram eodem vicario sacerdotem Mattioli provocaverunt, ut eos ab illatis molestiis liberaret. Unus igitur judex ecclesiasticus in illa causa jurisdictione pollebat, nam clerici ad causam vocatio judici laico jurisdictionem omnem adimit, atque ictu fulminis eam defert judici ecclesiastico, uti sancitum est in codice gregoriano § 862 « ibi » *Se il garante, o l'obbligato alla liberazione dalle molestie è soggetto al foro ecclesiastico si osserverà il disposto della seconda parte del* § 857 » quo in § sancitum est quod si judices laici « *riconoscono che la causa non può decidersi senza il loro intervento dovranno rimetterla per ufficio al giudice ecclesiastico* ».

§ 5. Grave autem habitum non fuit, si Carradorii judicium prout debuissent coram judice laico non introduxerunt ut illud postea ad causam clerico accito coram vicario prosequeretur. Nam id non fuisset quam inanis circuitus qui vitari semper debet et voluerunt hoc in casu litigantes vitare. Consulto revera triduo postea dicam a conjugibus Calisti missam clericus ad causam vocatus fuit; lis itaque coram vicario contestata fuit, quum clericus judicio jam aderat. Ex simplici enim citatione a conjugibus Calisti indicta res in judicium deducta non fuerat. Tunc siquidem lis contestata videtur cum judex per narrationem negotii causam audire coeperit, quae verba sunt Imperatoris in *L. 1 cod. de litis contestatione.* Ante litis contestationem non datur vera lis nec judicium sed praeparatio ad litem futuram ut docent *Cujac. lib. 4 cod. tit. consert. pag.* 397 *edit. Mut. et in decret. de lite contest. tit.* 6; *Constantin. vot. dec.* 40 *num.* 6; *Rota in Reatina immissionis* 6 *junii* 1806 *coram Tassoni, et noster Ordo in Romana circumscriptionis* 18 *augusti* 1842 § 11 *cor. Grossi* ». Quum igitur in facto certissimum sit quod vicarius causam noscere coepit postquam judicio venit sacerdos Mattioli, hinc sequitur quod lis cum clerico contestata fuit, sequitur quoque, quod vicarii jurisdictio rite recteque excitata fuit et quod valide sententiam tulit.

§ 6. Post haec extranea PP. existimarunt ea omnia quae de Benedictina Constitutione *Romanae Curiae praestantiam* disputata fuerunt. Nam necessarium minime putarunt ad vicarii jurisdictionem prorogandam litigantium consensum in curia laica coram duobus testibus exprimendum statim ac causae initio litis, et ante ejus contestationem ad forum ecclesiasticum pertinebant, neque ullo opus erat partium consensu, ut vicarius judicium ferre posset super utraque. Nam tempore contestationis jurisdictione pollebat a lege ei data, quam proinde declinare Carradorii nequibant, praesertim quum conjunctim contestatae fuerint, pari passu semper progressae, ipsius vicarii decretis, litigatoribus renuentibus unitae, atque unica tantum sententia absolutae. Absurdum hinc fuisset pro una ad vicarii jurisdictionem excitandam litigantium assensum requiri, qui caeteroquin in alia minime necessarium erat.

§ 7. Neque restitutionem in integrum PP. concedendam esse duxerunt. Non solum enim extrema illa quae ad hoc beneficium assequendum requiruntur legis nimirum violatio, vel praeteritio, vel decisiva nuperrime reperta documenta omnino desiderabantur, sed imo rei judicatae justitia manifesta visa fuit. Nam certum in facto est conjuges Calisti hypothecam tam pro summa sc. termillium quantitativae dotis caput, quam pro fructi-

bus triennii inscripsisse, super praedio *Costa Pradella,* antequam Octavius Lettimius Carraderiis in solutum illud dedisset. Quum itaque de credito in residua quantitate scutor. 295: 74: 3, et de hypotheca dubitari non posset, summo jure meritoque res judicata Carradorios coegit aut ad summam persolvendam scutor. 295: 74: 3 aut ad sinendam ejusdem praedii licitationem, uti jugiter definivit *S. Rota in Fanen. subhastationis* 4 *julii* 1817 § 3 *cor. Zinanni; in Romana crediti, et hypothecae super dimissione fundi* 5 *jun.* 1826 § 3 *cor. Emo Spada; et in Ferrarien. actionis hypothecariae* 15 *jan.* 1836 § 2 *cor. De Avellà.*

§ 8. Immerito Carraderii contendebant creditum conjugum Calisti promanare non ex detali capite, sed ex fructibus in hypothecaria inscriptione minime comprehensis. Nam solemnibus tabulis diei 4 aprilis 1834 creditores declarati fuerunt in summa sc. 3600. Datum quidem in solutum eis fuit praedium « *il Casino* » cujus valor vim attingebat scutor. 3855: 08: 7. Sed simul cessionarii, debitum in summa sc. 550: 83 suscipere in se debuerunt, ita ut ductis calculis etiam post dationem in solutum creditores superfuerunt in sc. 295: 74: 3. Quod creditum ad sortem, minime vero ad fructus referendum est. Nam in tabulis instrumentariis, quibus praedium Lettimius cessit, minime indigitavit utrum facta illa solutio in causam fructuum potiusquam sortis cedere debuisset, qua declaratione praetermissa solutio in fructuum satisfactionem referenda atque imputanda est *ad text. in l.* 1 *cod. de solution.* « *In potestate ejus est qui ex pluribus contractibus pecuniam debet tempore solutionis exprimere in quam causam reddat. Quod si debitor id non fecit convertitur electio ad eum qui accepit. Si neuter voluntatem suam expressit, prius in usuras id quod solvitur, deinde in sortem accepto feretur* ».

§ 9. Deterius quoque objiciebatur tum dotis constitutionem, tum dationem in solutum in fraudem creditorum simulatas fuisse, ideoque nullitate laborantes. Nam nullum novum allatum fuit documentum, quod nullitatem demonstraret; id quod satis esset, ut hujusmodi exceptio in hoc restitutionis in integrum judicio sperni debuisset; deinde conjuges Calisti virtute solemnium tabularum agunt, quae, praeterquam quod validitatis praesumptionem habent, respuunt exceptiones omnes simulationis, et nullitatis, altam requirentes indaginem, et expendendas in congrue et separato judicio. Tandem exceptio in facto penitus corruebat. Nam pater Juliae eamdem quam caeteris filiabus dotem constituit; praedium vero « *il Casino* » licet conjuges Calisti oblatores publicis edictis excitavisset, tamen in illius venditione jacturam facere debuerunt in summa sc. 555: 07. Sicuti itaque damnum ex datione in solutum retulerunt; ita vel fraudis umbra exclusa erat.

§ 10. Neque immorandum PP. censuerunt in altera exceptione, instrumentum nimirum, quo praedium *Costa Pradella* in solutum Carradoriis datum fuit, nullum esse quia celebratum despectis solemnitatibus in contractibus mulierum atque minorum a lege requisitis. Nam si instrumentum nullum est, si laesi Carradorii fuerunt, agant contra Lettimium ut nullum decernatur; at donec praedium illud possident actionis hypothecariae effectus effugere nequeunt. Crediter enim de vitio cessionis sollicitus esse non debet. Sat superque ei sunt creditum et hypotheca, ut actionem suam contra tertium possessorem experiri valeat, quin de possessionis titulo inquirere debeat. Et ita utraque etc.

Die 21 augusti 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Petronius Calamari — D. Casimirus Janni.

Prot. 212 / 1844 R. P. D. LIPPI Decisio XXXIII.

Interamnen. Circumscriptionis seu Restitutionis in Integrum

Jovis 12 *Junii* 1845.

Argumentum

Habes in Decisione XXII, quae infirmatur.

§ 1. Quemadmodum narrat praecedens R. P. D. mei Arnaldi decisio, Josephus Cruciani judicium instituit adversus Antonium Morelli redemptorem ab anno 1834 ad 1835

vectigalis, quod Interamnae solvitur pro salitis suinis carnibus, petiitque restitutionem scutor. 53. 90, quae persolvisse Morellio contendebat pro libellis 13473 earumdem salitarum suinarum carnium, quas ipse tunc temporis ab ea civitate ad externa emporia eduxerat, quo casu solutum vectigal restituendum a redemptore esse juxta appaltus pactiones ajebat. Cumque ageretur de re a fisco derivante, spoletani judices tribunali administrativo, ut par erat, hanc pactorum interpretationem subjecere « *salvo di statuire in seguito ciò che di ragione* ». Quod Tribunal constituit jus in genere Cruciano salsamentario competere restitutionem eatenus obtinendi, quatenus probasset se vectigal solvisse relate « *tanto alle carni fresche, quanto a quelle salate, prosciugate, ed insaccate* », quas ad exteras nundinas tulisset, idemque a congregatione rebus guberni spoletani praeposita confirmatum est.

§ 2. Hoc itaque per remjudicatam constituto, Crucianius causam ad spoletanum tribunal iterum detulit, ut a Morellio praedictorum scut. 53 et obul. 90 solutionem obtineret. At ipsum non modo Morellium plenarie absolvit, sed etiam Venturinium, qui fuerat tamquam praecedens redemptor ad causam vocatus, ab observantia judicii dimisit, condemnatione ad expensas favore utriusque in Crucianium lata. Cumque hujusmodi sententia a priori congregationis A. C. sectione confirmata fuerit, ad supremum Signaturae tribunal Crucianius sese convertit circumscriptionem petens omnium gestorum coram tribunali Spoleti post diem 6 februarii 1840 cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis, vel saltem restitutionis in integrum beneficium. Quam postulationem RR. PP. in praeteritis comitiis diei 17 aprilis ita exceperunt, ut circumscriptionis petitione rejecta, restitutionis in integrum remedium indulserint. Sed hodie renovato experimento, ac re intimius perspecta, aliud hoc rescriptum prodiit « *Quoad circumscriptionem in decisis; in reliquis nihil* », commisso mihi munere decisionis vulgandae.

§ 3. Redeunt quoad circumscriptionem eadem rationum momenta, quibus praeterita nitebatur decisio. Quoad vero in integrum restitutionem non videbatur magni ponderis quod etsi ex rejudicata constaret jus in genere Cruciano competere vectigalis restitutionem consequendi; neuter tamen, scilicet nec Morellius, nec Venturinius ad hanc restitutionem fuerint damnati, ita ut manibus vacuis creditor certus, et exploratus repulsus e judicio fuerit. Praeprimis enim de hac crediti certitudine nulla aderat probatio, cum nunquam a Cruciano producta fuerit syngrapha de recepto, vulgo « *bolletta* », quae ad probandam vectigalis solutionem tradi debuisset. Atque haec syngraphae deficientia eo gravior erat, quod ex ipsius examine sciri illico potuisset num, et quo tempore solutum reapse fuerit controversum vectigal, atque ideo num hoc Morellius, vel Venturinius restituere deberet. Hinc fiebat, ut nulla nec in Morellium, nec in Venturinium condemnatio ferri valeret. Non in Morellium, quum non probaretur suinas, de quibus agitur, carnes mactatas, salitasque fuisse quo tempore ipse vectigalis redempturam exercuit, immo hoc excluderetur ex eo quod in eisdem carnibus impressum fuerit nomen non Morellii, sed Aloysii Venturini per siglas L. V. Quod factum aperte ostendit vectigal solutum Morellio non fuisse, quum constet ex plurium testium depositione nunquam ipsum hoc stigmate usum fuisse, sed diverso A. M.

§ 4. Nec pariter Venturinius condemnandus erat, licet carnibus impressum fuerit stigma L. V. ipsius nomini respondens, ex quo sequeretur controversum vectigal solutum ipsi fuisse, ita ut hoc restituere deberet. Nam cum Crucianius nullam in eum actionem intendisset, nulla pariter in eum concipi condemnatio valebat. Nec dici potest debuisse nihilominus condemnari, quia fuit ad causam vocatus. Ipsius quippe in causa interventus non modo necessarius non fuerat, sed immo contra legem decretus. Enimvero cujuslibet ad causam vocationem non licet judicibus ex arbitrio indicere, vel parti ad lubitum petere, sed lex certos casus designat, in quibus ea possit decerni, aut postulari. Postquam enim in § 855 lex ait « *L'intervento è necessario, primo quando i giudici a richiesta di una delle parti, od anche per officio ordineranno la chiamata di un terzo : . . .* § 856; statim subdit « *Non potranno i giudici ordinare l'intervento, se non è provato che l'azione principale è comune al terzo da chiamarsi in giudizio sia per officio, sia per istanza della parte* ». Porro quum Cru-

cianius actionem adversus Morellium instituerit pro vectigalis anno 1834 ad 1835 persoluti restitutione, quo tempore Venturinius vectigalis redempturam minime exercuit, nil commune haec actio habere poterat cum Venturinio, atque idcirco omnis prorsus deerat interventus decernendi non modo necessitas, sed et facultas. Non igitur ex principali omnino diversa postulatione ad diversissimum alterum valuisset Venturinius damnari, nec petitionem in hunc ob jussum interventum protendere licuisset, nisi judiciorum ordine subverso.

§ 5. Sed licet admitteretur Venturinii interventum necessarium fuisse, atque etiam condemnationem in eum ferri potuisse, prudentius tamen judices, ac cautius egerunt, dum, ab observantia judicii Venturinium absolventes, salva nihilominus jura Crucianio reliquere, videlicet acionem, prout de jure, adversus ipsum experiendi. Ex quo fit, ut nulla adsit ratio, propter quam Crucianius de rejudicata conqueratur, quum haec nullum ipsi damnum attulerit, nulloque eum jure privaverit. Non enim resjudicata definitivo Venturinium absolvit, sed eum dumtaxat a judicii observantia dimisit, idque non quia de credito non constaret, sed quia « *niuna dimanda è stata contro di esso spiegata sia per parte del Cruciani, sia per parte del Morelli* », idcoque, ita legitur in sententia « *lo ha posto e pone fuori di causa, assolvendolo dall'osservanza del presente giudizio, salva però, e riservata al Cruciani predetto ogni sua azione, e ragione esperibile, se e come di diritto in giudizio separato, e non diversamente* ». Hinc verum non est fuisse Crucianium vacuis manibus dimissum, sed potius edoctus fuit qua ratione agere adversus Venturinium deberet. Quum igitur salva semper ipsi remaneant jura adversus Venturinium agendi, quum ipsi pateat via ordinaria, locum habere nequit extraordinarium restitutionis in integrum remedium.

§ 6. Inani vero prorsus studio regerebatur, non potuisse Morellium, ac Venturinium absolvi, ex eo quod constaret societatem quamdam inter ipsos in redemptura, de qua agitur, adfuisse, ita ut suspicari posset ludibrio initam fuisse. Etenim testes ab ipso Crucianio adducti hanc societatem neque iuficiantur, neque affirmant, et ignorantiam tantummodo de hoc profitentur suam, ita ut probatio ab ipso tentata exclusa fuerit. Hinc despiciendi prorsus erant alii testes, quos hac de re Crucianius iterum adducebat. Nam quum de hac societate jam formale examen locum habuerit, nequibant alii testes post illud explotum, et clausum produci, ad monitum § 672 vigentis praxeos « *È vietato al tribunale il permettere l'esame di altri testimoni dopo chiuso il processo. Questo divieto ha luogo pure nel caso, in cui debba procedersi a nuovo esame, atteso l'annullamento del primo* ». Quamobrem inutile prorsus esset, quod restitutio in integrum concederetur ex eo quod novi adsint testes de hac societate fidem facturi. Quamquam enim Crucianius adversus remjudicatam restitueretur, attamen s. Rota, cui lege vetante, formale testium examen reiterare non licet, nec de societate, nec de quocumque alio articulo facti, super quo jam examinati testes fuerint, quaerere posset.

§ 7. Sed etiamsi ex hoc novo testium examine probari posset remjudicatam minus justam esse, non ideo tamen extraordinario restitutionis beneficio locus esse valeret. Nam vigentis praxeos §§ 1057 et 1058 praescribunt, ut ad hoc beneficium obtinendum non qualisqualis injustitia sufficiat, sed ea requiratur, quae manifestam alicujus legis violationem, aut praeteritionem praeseferat. Porro quum hoc in casu reijudicatae justitia, aut injustitia ex facto pendeat, ex solutione scilicet facta, aut infecta vectigalis, cujus restitutio quaeritur, ad hoc probandum non testium depositiones, sed juxta legis ipsius sanctionem nova, ac quidem decisiva documenta requiruntur, quae cum in themate absint, omnis deficit ratio petitum beneficium concedendi.

§ 8. Nec pariter difficultatem ingerere valet, quod Venturinius fuerit a judicii observantia dimissus, non panditis antea dubiis, ita ut ex hac dubiorum omissione oriatur necessitas restitutionis adversus remjudicatam concedendae ex legis § 1059 « *Potrà ritenersi dal tribunale supremo come violazione di legge, all'effetto di accordare la restituzione in intiero* ». Animadvertendum siquidem est, legem non absolute praecipere, ut propter hanc dubiorum omissionem restitutio in integrum concedenda sit, sed facultative tantummodo hoc a lege

judicum arbitrio, prudentiaeque relinqui. Non enim lex imperat, ut debeat, sed ait, ut possit boc in casu restitutio concedi, dummodo nempe aliae adsint rationes, quae saltem profuturum boc beneficium demonstrent. Nam si resjudicata sit coeteroquin justissima, nulla ratio adest, ut ob neglectas formas extrinsecas restitutio concedatur, quae nil aliud parere posset, nisi ut inutiles sumptus, atque acerbitates judicii renoventur, cujus exitus baud diversus futurus erit ab illo, quem resjudicata extrinsecus incusata constituit. Omnem vero bac de re quaestionem dirimebat animadversio, quod quum in Venturinium nulla concipi posset condemnatio, quia nulla adversus ipsum actio instituta fuerat, ita nec pariter dubiis locus esse valebat, quum dubiorum prolatio tunc tantum requiratur, quum de aliqua re inter collitigantes disceptetur.

§ 9. Tandem nulla adest injustitia in condemnatione ad expensas adversus Crucianium lata favore tum Morellii, tum Venturinii, nec dici potest debuisse quoad hunc postremum expensarum condemnationem saltem reservari. Nam quum Venturinius absolutus fuerit ab observantia judicii, hoc aperte innuit fuisse ipsum male conventum, ac posse utique rursus citari, sed minime persequi illo ipso libello, quo judicium inceptum fuit. Quamobrem semel ac judicium per absolutionem ab ipsius observantia finem habuit, non est amplius judex, cujus jurisdictioni reservari valeat condemnatio in expensas, quae idcirco pronuncianda est ab eo ipso, qui finem judicio imponit, ut in cunctis definitivis sententiis evenit, ita jubente lege § 604 « *Nella parte dispositiva della sentenza. . . . . se l'azione non è proposta regolarmente, i giudici dichiarano che nello stato delle cose non è ammissibile la dimanda, salvo il diritto all'attore di riproporla con le norme stabilite dalla legge. Ogni sentenza definitiva condannerà il soccombente alle spese* ». Ex quibus omnibus patet petitae in integrum restitutioni locum fieri nequivisse. Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicante jus redditum est.

(Vide Decis. XXII).

Die 24 julii 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Binarelli — D. Bartholomaeus Belli
D. Pontianus Desantis.

Prot. 43/1845 Rmo P. D. CONVENTATI Decano DECISIO XXXIV.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS PERTINENTIÆ ET UNIONIS

Jovis 12 Junii 1845

Argumentum

Agitur de recursu, in quo commixtae fuerunt circumscriptio, pertinentia, et unio causarum; de exceptionibus ex lege diffamari, *et ex lege* si contendat; *et de requisitis ad societatem mercatoriam constituendam.*

§ 1. Licitationi typographiae cameralis redemptura proxime ferenda Carolus marchio Stephanoni inivit cum Salviucci societatem, qui in eadem susceperunt Bernardinum Molinari ad ipsius societatis facessenda negotia, depacta ei quodammodo mercede consequendi ex novem utilium partibus una « *finalmente un nono* (degli utili netti) *al signor Bernardino Molinari come sollecitatore degli affari relativi alla società* » Salviuccio, cujus nomine marchio usus est juxta apocae conditionem, redemptura ipsa concessa fuit. Sine querela societas instituta progrediebatur, quin tamen assis de utilibus Molinario tribueretur, qui sociorum moram patienter tulit usque ad finem alterius anni. Eo elapso jura sua experiri caepit coram civili congregatione A. C. in primo turno, et vadavit tum marchionem tum fratres Salviucci, ut adigerentur ad computa exhibenda, ex iisque, quidquid utilium proflueret, nonae partis ipse particeps fieret. Contestata lis fuit variisque vicibus discussa, quum extemplo Stephanonius, ut judicii curriculum impediret, exceptionem perbibendam judicibus A. C. ad aulam commercii detulit, arbitratusque se eamdem, vel novam, vel aliquam regendam instantiam excitasse, illico recursum interjecit

in eoque circumscriptionem, pertinentiam, atque unionem commiscuit. Ad senatum nostrum inde conscendit. Adeo implexa, et abnormis marchionis instantia Patribus visa fuit, ut ejus definitionem ad hodierna comitia distulerint, in quibus mihi onus edendi decisionem injunxerunt super rescripto « *nihil et causam spectare ad A. C.* » victo liberum erit Signaturam iterum adeundi.

§ 2. Prima facie circumscriptionem Stephanonii instantia praeseferebat, et quidem ob singulos defectus necessariam, citationis nempe jurisdictionis, atque mandati; suadebatque, ut primus actus judicii A. C. penitus proscinderetur cum ceteris subsecutis: mox se poenitens rogabat, ut ipsa causa circumscribenda remitteretur ad tribunal commercii, ut competens: sin minus, ut causarum unio fieret, quae procederent, et expedirentur ad formam recursus. Valedicebat igitur marchio circumscriptioni statim ac subjungebat, ut ea ipsa causa, cujus actus deleri voluisset, remitteretur ad aulam commercii. Nequibant ergo Patres revocatae actoris petitioni conformius respondere quoad circumscriptionem, quam « *nihil* ».

§ 3. Opus erat ut Patres inde expenderent, utrum praeferendum foret tribunal commercii congregationi civili A. C. incumbuerunt igitur ad investigandam utriusque partis actionum naturam. Ea quae pendebat coram A. C. dirigebatur ad cogendum Stephanonium, ac Salviucci, ut ii producerent computum societatis, ex quo, si exurgerent, lucra sua Molinarius exigeret: quae vero delata fuerat ad commerciales judices exceptionem continebat eidem actioni pertinentem expliratae in A. C., verum extra locum adductam, legibus incognitam. Non esset igitur ambigendum, cur Patres respondere detrectarent « *causam spectare ad A. C.* »

§ 4. Occurrere quodammodo oratores marchionis difficultati sategerunt. Ex lege *diffamari*, vel potius ex alia *si contendat*, ajebant, prohibitum non esse ab exceptionibus quaestionem conficere, quare subdebant jure eorum clientem adivisse commerciales judices, meritoque denegasse computa, ac libros exhibendos esse, ita ut adversarii Molinari jactanctia rejiceretur. Utique Patres convenerunt ex allatis legibus exordiri posse judicium ab exceptionibus, sed norunt etiam id permitti quum res integra, et actio adhuc non sit promota. Quod quum absit a marchione, qui adversus actionem a Molinario per bimestrem ante in A. C. concitatam procuratorem constituerat, pluriesque siverat discussionem, fieri apertissime lege obstante nefas erat Patribus ejus orationem amplecti « *non potranno ritenersi come diffamazioni gli atti relativi . . . . ad azioni, o eccezioni già proposte in giudizio: colui, che per tali atti pretende essere leso dovrà valersi delle sue ragioni nei modi determinati dalla legge* » (§ 1430 *cod. judiciarii*). Patribus non pertinet marchionem docere quonam modo se tueri potuisset adversus Molinarium; satis eis est hodie Stephanonio innuere legi resistere controversiam ad commercium delatam. Sicque impune, imo necessario eam penitus a Signatura nostra spretam fuisse videat ita ut judicium Molinari dumtaxat validum admitti oporteret.

§ 5. Ex qua evidentia alia scatebat ratio cur Patres abjicere marchionis instantiam praemebantur. Saltem ab initio quaestionis per Molinarium actae adversarius suam movisset ante mercatorium tribunal. Expectavit imo unius alteriusque mensis spatium, sistit coram A. C., disputavit non semel, non bis, non ter, sed quinquies; ne judicium progrederetur ad commercium cucurrit; recursum interponere festinavit, hodie victoriam referre tentavit. Absit a Patribus legum vindicibus, ut eam obliviscerentur, qua praemonentur « *non è ammissibile il ricorso per l'avocazione, o riunione delle cause . . . . quando avuto riguardo alle circostanze ed alla qualità dei giudizi rispettivi, il ricorso è diretto* AD IMPEDIRE, *o ritardare il corso dell'uno, o dell'altro* ». Dum elucebat totum fuisse Stephanonium ad progressum impediendum judicii adversarii, majori alacritate Patribus decebat, obstaculum submovere, et recursum omnino repellere justissimo rescripto « *nihil et causam spectare ad A. C.* »

§ 6. Esset nec ne societas commercialis redemptura cameralis typographiae uterque defensor sudavit, et alsit: ad probandum unus, alter ad inficiandum. Et sane perlectis

articulis contractus adeo cobibita sociorum libertas colligitur, ut praecipua nota desit commercii, dum praefigitur praetium impressionum, et ad nutum Reverendae Camerae praesto esse debet typographiae redemptor. Contractus inter socios quid singulis pertineat definit: Salviuccius typis praesit ut jussui Camerae subsit; marchio arcam pecuniarium custodiat: Molinarius in gerendis societatis negociis se praestet, utiliumque nonam partem pro emolumento babeat; videntur singulos vacare a commercio. Insuper solemniis caret contractus a lege indictis, ut renunciari valeat societas mercatoria, quibus deficientibus vapulat ipsa commercii societas « *tali formalità saranno osservate sotto pena di nullità riguardo agl' interessati* » art. 41 cod. comm. Haec omnia Patribus dubia ingesserunt, utrum commercii aulae spectet de bujusmodi societate quaerere, investigare, et definire. Animadverterunt itaque se justius expedire posse lege duce, si praeferrent civilem congregationem A. C. « *dovrà sempre ritenersi competente il tribunale civile* » § 431 et in sequenti « *se nasce dubbio intorno alla competenza de' tribunali di commercio* ». Hoc postremo argumento tandem tutiores rescripserunt « *causam spectare ad A. C.* »

Et ita bis arrepto ab utraque parte certamine hodie jus redditum est.

Die 24 julii 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Carolus Brunetti — D. Antonius Pagnoncelli.

Prot. 31 / 1845 R. P. D. LIPPI DECISIO XXXV.

SPOLETANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET PERTINENTIÆ

Jovis 12 Junii 1845

Argumentum

De litis valore in causis cursum aquarum respicientibus. De damnorum petitione indeterminate sed principaliter facta; et de intelligentia § 1049 gregoriani codicis, quoad contemporaneam litis pendentiam, ac jurisdictionis aequalitatem.

§ 1. Familia Sbarretta possidet moletrinam frumentariam sitam in territorio Molleani prope Spoletum, cujus aqua ortum habens desuper moleudinum familiae Fedeli ex hoc defluit in moletrinam Sbarretti ab immemorabili per canalem manufactum nunc depressum, nunc elatum, et idcirco aggeribus munitum. Caeteros inter conterminos fundos, in quibus canal insidet, et aqua fluit quidam recensetur ad ecclesiam divi Laurentii Mollcani pertinens, cujus rector et administrator est Stephanus Bocchino, qui et canalis aggeres colere sensim coepit, ac nonnihil aquae ad Sbarrettium spectantis, et in canali defluentis detrahere ausus esse dicitur. Quamobrem Sbarrettius eumdem coram tribunali ecclesiastico spoletano vadatus est, ut ab aggere excolendo, ac a subtrahenda aqua cessaret, et una simul ut ad expensas, et damna in genere Bocchino imputanda condemnaretur.

§ 2. Vix introducta lite parrochus excipere coepit causam utpote minorem fuisse agendam breviori praxi, quae in causis inferioribus scutis biscentum a lege praescribitur. Sed quum Sbarrettus replicasset firmiter causam utpote valoris indeterminati fuisse agendam solemniori ritu, Bocchinius a proposita destitit exceptione, et deinde causa uti major dicta habitaque fuit, usque dum vicarius generalis decretum tulit pro periti deputatione. Ab hoc interlocutorio decreto appellationem Bocchinius apud Auditorem Camerae introduxit. Sbarrettius e contra apud Rotam in appellationis sequelam institit, petens, ut praedictum ecclesiastici tribunalis decretum confirmaretur. Hinc factum est, ut quum eadem quaestio tum apud Camerae Auditorem, tum apud Rotam pendens reperiretur, recursum pro pertinentia apud supremum nostrum tribunal Sbarrettius interposuerit, postulans, ut acta coram Auditore Camerae gesta circumscriberentur, actorumque prosecutio in Rota decerneretur, atque hanc postulationem RR. PP. hodiernis in comitiis exceperunt, rescri-

bentes « *Causam spectare ad Rotam, circumscriptis omnibus gestis coram Auditore Camerae* », decisionis evulgandae mihi munere facto.

§ 3. Et merito quidem ita decisum est. Tota enim quaestio in eo versabatur, num libellus judicii introductivus valorem praeseferret indeterminatum, ita ut de ea causa ageretur, quae inter majores recensenda esset. Porro omnem hac de re controversiam dirimebat animadversio, quod ex libello nosci nequiret nec pretium aggeris, qui fertur a Bocchinio « *illegalmente occupato* », nec similiter aquae pretium, quae ab eo dicitur clam deviata, atque eo minus damnorum expensarumque quantitas, quae ex aggeris ruina, ac reparatione oriri possent. Atqui vigentis praxeos § 449 praecipit, ut inter majores causas illae recenseri debeant, quae indeterminatum praeseferant valorem « *sono considerate come aventi un valore indeterminato, e della maggiore entità . . . . . le cause il cui valore non risulti dalla dimanda dell' attore, nè dai modi di determinarlo, che saranno indicati nei §§ seguenti* » qui subsequentes §§ de controversa specie minime loquuntur. Ergo nullum dubium quod ageretur de causa majori, cujusque idcirco cognitio ad Rotam pertineret.

§ 4. Perperam objiciebatur quaestionem esse de servitute aquaeductus, ac proinde litis valorem ex fundi servientis pretio inferri ex legis praescripto debere. Nam verum utique est servitutis causas ex fundi servientis valore dimetiendas esse, sed quum res non esset de servitute, a themate prorsus exulabant quae de hujuscemodi causis opponebantur. Quidquid enim sit de prima libelli parte, quae de impedimento culturae aggerum canalis, illorumque reintegratione concepta est, ex duabus tamen aliis omnino excluditur quaestionem esse de servitute. In secunda quippe libelli parte Sbarrettus non servitutem aquaeductus, sed aquam propriam in aquaeductu contentam, ac defluentem vindicare sibi proposuit a subtractionibus, quas clam sibi fieri a Bocchinio contendebat. Quaestio igitur respiciens vindicationem aquae nil commune habet cum servitute aquaeductus, quia in hoc quaeritur de aquae dominio exclusivo, et non de servitute ulla, cum fundus ecclesiae servitutem quidem habet aquaeductus, quo titulo servitutis cultura aggerum impediatur, et uno jure servitutis, sed dominii aqua defluens in aquaeductu vindicatur, atque ideo cum aquae valorem nemo possit definire ex normis a lege praescriptis, fit inde ut praesentis controversiae valor incertus atque indeterminatus evadat.

§ 5. Reque vera vigentis legis art. 538 causas aquarum cursum respicientes aequiparat causis nunciationis novi operis. Atqui istae, utpote incerti valoris, inter majores causas enumerantur, quemadmodum noster Ordo jam tenuit in *Romana circumscriptionis* 11 *julii* 1844 *coram R. P. D. Decano; in Bononien. circumscriptionis* 18 *julii dicti anni cor. Ferlisi, Sabinen. circumscriptionis* 20 *februarii hujus anni;* ergo etiam illae incertum praeseferunt valorem, ac proinde majores inter causas recenseri debent. Quod si lex voluisset, ut causae, quae super aquarum cursu versentur, dimetiendae essent ex fundi servientis valore, easdem incertum habere valorem non dixisset, scilicet inter causas nunciationis novi operis non adnumerasset. Nam si hoc in casu litis valor ex fundi pretio statuendus esset, jam lis ipsa incertum valorem habere desineret, atque otiose lex comparationem cum causis nunciationis novi operis instituisset. Semel ac enim lis ex fundo existimari deberet, nulla amplius adesset valoris causae incertitudo.

§ 6. Accedit insuper quod in libello petita indefinite tertio loco fuerit condemnatio ad damna, et ad expensas, quae ad aggeres instaurandos necessariae fuissent. Hinc quum nec petita fuerit, nec peti potuerit certa ad damna, expensasque condemnatio, quia nec praevideri poterat quantum impendii aggerum instauratio allatura fuisset, et absque periti relatione ignoraretur quot, quaeve damna moletrinae ob aquae derivationem jam obvenissent, incerta pariter erat condemnatio ferenda, ita ut ob hanc etiam damnorum petitionem inter majores causas quaestio, de qua agitur, recensenda esset. Nec obstat legis praescriptum in § 464, ut in calculo non habeatur damnorum accessoria petitio, quorum quantitas certa, ac liquida non sit. Cum enim hic § de accessoria damnorum petitione loquatur, applicari non poterat in themate, ubi non accessorie, sed principaliter petita fuerint.

Quod si in hoc casu eveniat, ut damna, licet in genere certa, ad quam tamen sum-

mam consecudant sciri nequeat nisi post periti relationem, ex hoc fiet non ut damnorum nulla ratio habeatur, quod esset injustissimum, sed ut causa incertum valorem praeseferens inter eas recenseatur, quae majores ex legis praescripto appellantur. Quapropter sive ratio habeatur ad petitionem de aquae cursu non diviando concepta, sive ad damnorum, expensarumque postulatam sarcitionem, procul erat a dubio rem minime fuisse de servitute, in qua litis valor ex fundi servientis aestimatione inferri debeat, sed litem, de qua agitur, utpote incerti, atque indeterminati valoris inter majores causas adnumerari debuisse, atque idcirco ejusdem cognitionem ad Rotam in secundo gradu pertinuisse.

§ 7. Hinc frustra sibi praesidium Bocchinius quaerebat ex legis § 1049 « *Ha luogo il ricorso per determinare la competenza quando una medesima causa è introdotta simultaneamente innanzi più giudici, o tribunali di eguale giurisdizione* », ex quo inferre satagebat competentiam decerni non posse, quia ambo judicia introducta non fuerint « *simultaneamente* », ac etiam quia tribunal Auditoris Camerae pari jurisdictione non polleat, ac Rota, quemadmodum lex praecipit. Ad primum enim quod attinet, absurdum est legis cortici ita inhaerere, ut jussisse dicatur non aliter competentiam esse decernendam, nisi eodem momento judicia incaepta fuerint. Nam quum ideo lex de competentia lata fuerit, ut judiciorum nullitati obviam iretur, propositum suum lex plerumque non assequeretur, si opus esset, ut judicia eodem momento initium habuerint. Ad evitandum igitur absurdum interpretatione opus est, ut competentiae decernendae necessitas cum legis verbo concilietur, quod facillimum est, si adverbium « *simultaneamente* » non ad demonstrandum eodem temporis momento litis initium, sed ad simultaneam utriusque judicii pendentiam referri dicatur.

§ 8. Neque ob id quod lex aequalem ad hunc effectum jurisdictionem praescribat, concludi posset in themate competentiam non esse decernendam ex eo quod pari jurisdictione non polleant Auditor Camerae, ac Rota. Ista enim aequalis jurisdictio intelligenda est in gradu; non in facultatibus majoribus, aut minoribus, quia secus idem § 1049 pugnantia inter se contineret. Nam dum juberet acta deleri, ac nulla declarari ex jurisdictionis defectu, eam conditionem adjiceret, juxta quam actorum nullitas adesse nunquam posset, quia nunquam jurisdictionis defectus verificaretur. Si enim ambo tribunalia aequali in hisce quaestionibus definiendis jurisdictione pollere deberent non in gradu, sed in facultatibus, jam neutrum amplius tribunal incompetens esset, nullaque idcirco ratio afferri valeret, propter quam acta alterutrius circumscriptionis gladio delerentur, atque alter prae alio judex anteponeretur ad prosequendam causam. Scilicet ubi jurisdictio adesset, ibi competentia deesse nequiret. Quum igitur haec par jurisdictio, de qua lex loquitur, intelligenda sit de jurisdictione in gradu, palam est omnia in themate concurrere ad competentiam decernendam, causae scilicet identitatem; de qua nulla adest controversia, simultaneam litis coram duobus tribunalibus pendentiam, quum a neutro prolata sententia adhuc fuerit; aequalem in ambobus tribunalibus jurisdictionem, quum Auditor Camerae sit judex secundi gradus pro causis fori ecclesiastici, quae in prima instantia coram vicariis generalibus agitatae fuerint, idemque dicendum sit de Rotae tribunali, coram quo judicium in secunda jurisdictionis sede contestatum fuit, quodque revera est secundi gradus tribunal.

§ 9. Ex hisce omnibus sequitur perperam regeri, quod fundus serviens valorem sc. 13 et obul 60 minime praetergrediatur, atque ex fundo ipso, molendino, domuncula adnexa, atque aggeribus una simul collectis summa in totum prodeat dumtaxat scut. 113, ita ut nunquam competens esse valeat Rotae tribunal, utpote quod in secundo gradu adiri nequeat, nisi de causis valorem scut. 500 excedentibus agatur. Nam hoc in casu non de servitute quaestio est, in qua lis ex fundi servientis valore dimetiatur, sed de causa incerti, indeterminatique valoris, quae ex legis praescripto inter majores enumeranda est. Quare ejusdem cognitio pertinere minime poterat ad Auditorem Camerae, cujus jurisdictio ad minores tantummodo causas cohibetur, sed ad Rotae auditorium, quod unice competens in secundo gradu a lege statuitur ad cognoscendas causas, quae inter majores enumerantur.

§ 10. Praeterea eo magis haec causa utpote major haberi debebat, quia hac de re di-

sputatum jam fuerat coram vicario generali spoletano. Proposita enim apud vicarium instantia cum termino octo dierum ad comparendum, quo tribunalia, non gubernatores utuntur, Bocchinius sese opposuit objiciens causam agendam fuisse cum praxi breviore, quemadmodum penes gubernatores obtinet. Sed quum Sbarrettius excepisset causam, utpote indeterminati valoris, tamquam majorem habendam esse, Bocchinius ab omni contradictione cessavit, ac proinde in causa processum fuit eodem modo, qui in majoribus servatur. Quibus et illud accedit, ut etiam in dubio Rotae auditorio causae, de qua agitur, cognitio deferenda nihilominus esset, utpote tribunali superiori, veluti ex legis § 431 colligitur « *Quando apparisce dubbia la competenza dei governatori, od altri giusdicenti, sia per ragione della materia, sia per ragione della somma o valore della causa dovrà sempre ritenersi competente il tribunale civile* ». A pari igitur ratione quum agatur de competentia inter auditorem Camerae, ac Rotam, hoc postremum utpote superius tribunal competens habendum erit, eique causae cognitio in quovis dubio committenda aeque fuisset. Atque ita etc. Utraque parte dimicante decisum est.

Die 24 julii 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Binarelli — D. Pontianus Desantis.

Prot. 228/1843 R. P. D. ARNALDI Decisio XXXVI.

Cæsenaten. Circumsciptionis

Jovis 12 Junii 1845

Argumentum

Sub obtentu fiscalis interesse in causa, actor qui judicium instituerat coram tribunali ordinario, appellatione pendente, petit actorum circumscriptionem.

§ 1. Feudum Massae olim in urbinatensi, nunc in forolivensi provincia, in marchionatum erectum a summo Pontifice Pio II, translatum jamdiu fuerat in comites Bernardini, onere « *unam cerae libram* » homagii, vel tributi titulo rependendi quolibet anno; a qua praestatione, Bernardinii cum defecissent in congregatione tributorum anni 1819, favore Camerae Apostolicae feudum illud devolutum fuit. Jam vero notissimus Pontificis Pii septimi motus proprius die sexta julii anno 1816 evulgatus, omnia quaevis baronalia jura abrogaverat, tantumque ea reliquerat jura « *il godimento de' quali può essere comune ad altri, indipendentemente dalla qualità baronale* » cupiens nihilominus vir eximius *Joannes Mazzacurati*, marchionis titulo decorari; a benignitate clementissimi principis, quem diu sospitet Deus Gregorii XVI, investituram illius feudi cum titulo marchionatus impetravit, annua praestatione depacta calicis ex argento inaurato, valoris viginti sûpra centum scutatorum, annuo beatorum Principum Apostolorum festo, in camera tributorum exequenda « *salve però sempre le disposizioni contenute nel moto proprio del* 6 *luglio* 1816 *della s. m. di Pio VII. nostro predecessore; e senza, che dalla nostra Camera si assuma verun'obbligo di manutenzione* ».

§ 2. Hisce rebus perfectis, assecutum honorem in ephemeridibus nunciavit marchio; indigenasque castri commonuit, ut ipsum agnoscerent « *per padrone feudale, ed essere perciò tenuti a corrispondergli quanto debbono o dovranno per titolo di feudo* ». Nec satis: singulos possidentes, ac bona detinentes in castro, in jus rapuit apud foroliviense tribunal primae judiciorum sedis, a quo ea universa, quae rerum gestarum diario interseruerat, tantaque celebritate nunciaverat, probari, reosque conventos, ad ea observanda, esse adstrictos per sententiam contumacialem obtinuit.

§ 3. Ab hujusmodi pronunciatione, quae « *per padrone feudale* » marchionem agnoscere, ac baronali jurisdictioni parere bonorum possessores adigebat, provocarunt hi ad tribunal appellationis Bononiae, ubi etiam contestata lis fuit. Ast marchio Joannes, con-

tendens, hoc in negotio, interesse Camerae Apostolicae obversari, ad hoc ut *« i diritti ancora di vassallaggio siano conservati, e mantenuti integri in ogni sua parte »* recursum porrexit supremo Ordini pro circumscriptione gestorum in aula bononiensi, et ablegatione causae ad plenam cameram. Hoc vero in priori agone, petitio, nigro est excepta lapillo; incunctanter edito responso NIHIL.

§ 4. Diverse quidem judicari haud poterat, quandoquidem, nullus erat fons, ex quo, nullitas, ex jurisdictionis defectu potuisset exhauriri. Contendebant siquidem defensores marchionis ob interesse camerale jurisdictione destitutum esse tribunal Bononiae ob fisci, privilegium. Verum, nonne confragrosam illam postulationem adversus cunctos possessores in castro idem marchio, seposito fisco, ad tribunal ordinarium detulerat? Absurdum ergo sane in gradu appellationis plenae camerae ablegandum esse judicium, quod a tribunali ordinario in prima sede fuerat absolutum; idem enim vigor, et validitas de jurisdictione aeque militat in hoc altero provocationis judicio, quemadmodum in priore, etiamsi aliquod in causa interesse haberet fiscus; noto enim est notius rem inter alios actam vel etiam judicatam nocere nemini.

§ 5. Verumtamen nil controversiam attinere ad aerarium Camerae, docent acta, ac praeterea intrinseca rei veritas. Excitato enim fisco ad praesens circumscriptionis, et avocationis judicium, nil putavit adducere, quod quidem solertes ac jura solide callentes illius patroni haud omisissent, si vel a longe camerale aliquod interesse prospexissent. Veritas autem, si pretio habeatur, ea sibi jura, actione promota in Massenses blanditur Joannes marchio, quae ex propatula reservatione *« salve però sempre le disposizioni contenute nel moto proprio 6 luglio 1816 »* exclusit penitus pontificia de feudo ei gesta concessio; nam sanctio illa universa baronalia, et feudalia jura penitus abrogavit. Quamobrem neque ullum fiscus habere potest interesse, quo carere ex piana dispositione chirographum concessionis feudi docet, neque ullam pertimescere molestiam possit, cum ex reservatione ea fuerint exclusa jura, apertisque verbis gesta concessio *« senza alcun obligo di manutenzione. »* Cum ergo, haud ulla possint notari labe acta prosecuta ex ordine judiciorum in tribunali appellationis Bononiae; neque existat ratio, cur causa ad tribunalia Camerae remitti oporteat. Etenim nullum interesse pollet in controversia pontificium aerarium, ac licet haberet, nullum ipsi praejudicium afferret res inter alios acta: merito Patres domini reijciendum esse postulatum censuerunt. Et ita etc. Utraque etc. Die 2 julii 1845 *« Declaratio pro parte D. Mazzacurati »*.

Procuratores — D. Jacobus Ceccacci — D. Petrus Amici
D. Vincentius Cini.

Prot. 30 / 1845 R. P. D. LA GRUA VALDINA DECIS. XXXVII.

MACERATEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 10 Julii 1845.

Argumentum

An causa super jure redimendi determinatum valorem praebeat, nec ne.

§ 1. Cum anno volvente 1816 Bernardinus Camajoni, illiusque nepotes Franciscus et Michael Camajoni, tria terrae frustula in via *« della Punta »* Carolo Valori vendidissent, quorum pretia in unum collecta ad summam scutorum centum quinquagintasex surrexerunt, adjecto pacto fundos venditos non ante sex annos redimendi; et cum rursus Valorius anno 1824 fundos eosdem pro pretio scutorum 280, in Æmygdium Cosenza transtulisset, qui demum in Philippum Panichi migrarunt; expergefacti demum Camajonii diem dixerunt anno 1840 haeredibus Caroli Valori, aeque ac Cosenza coram tribunali asculano, ut jus ipsorum redimendi fundos venditos integrum adhuc et incolume renunciaretur (soluto sive reddito ab iisdem emptoribus pretio scutorum centum quinquagintasex) quod in contractum

ceciderat. Petitionem Camajonorum pronis auribus excepit asculanum tribunal quo coram Æmygdius petitionem pro liberatione a molestiis contra Valorios proposuit, illiusque tribunalis sententia quoad sanctionem juris redimendi promeruit confirmari a maceratensibus appellationis judicibus, quibus controversia in secundo jurisdictionis gradu delata est vocato quoque ad causam Panichio postremo fundorum emptore. Contra hanc itaque remjudicatam plura alia primum tentavit Æmygdius ordinaria remedia. Cum autem in irritum ipsa cessissent, recursum demum interposuit ad nostrum Ordinem pro obtinenda circumscriptione actorum omnium coram asculano tribunali gestorum, cui quidem postulationi hodie Patres « *Nihil* » respondere congruum duxerunt.

§ 2. Animadvertebant quippe ipsi ante omnia, controversiam coram tribunali asculano fuisse actam super exercitio juris redimendi fundos venditos, atque idcirco valorem prorsus indeterminatum eamdem praeseferre. Nullus enim suberat modus, exercitium juris illius aestimandi. Porro expostulaverunt Camajonii, ut decerneretur sibi competere « *il diritto di ricuperare i fondi posti nel territorio di Spinetoli contrada Punta* ». Verum nemo valebat ex petitione ista certum propriumque litis valorem deducere. Ergo valor iste utpote indeterminatus et majoris entitatis erat necessario ad civile tribunal deferendus, neque quidquam proinde in Camajonorum agendi ratione poterat redarguendum inveniri; scriptum est siquidem in codice praxeos § 449 num. 3 « *sono considerate come aventi un valore indeterminato e della maggiore entità le cause, il di cui valore non risulti dalla domanda dell'attore* ». Ex hisce autem eruebatur perspicue, circumscriptionis querelam ab Æmygdio excitatam esse prorsus rejiciendam. Quod quidem multo magis esse retinendum Patres censuerunt, eo quia Camajonii actores in petitione adjunxerant, quod jus ipsorum non excedebat valorem scutorum tercentum « *essendo in dritto gli istanti di ricuperare i terreni venduti, il di cui valore non supera gli scudi* 300 ». Sermone nam istiusmodi declaraverant ipsi, ad scuta saltem plusquam biscenta valorem illum evehi, quod satis erat ut tribunal civile esset adeundum.

§ 3. Neque utiliter opponebant Æmygdii defensores, Camajonios in petitione sese promptos declarasse ad persolvendum pretium a Valorio in emptione persolutum, quod a scutis 156 constituebatur. Ex hoc quippe nullimode poterat litis valor deduci. Quandoquidem dum Camajonii jus redimendi insectabantur, pretium debebant offerre, quod in contractum emptionis ceciderat; sed pretium istud nihil habebat cum valore litis commune. Oblatio namque istbaec scutorum centum quinquagintasex fuit medium ad obtinendam recuperationem fundorum necessario adhibitum; nulla vero ratione poterat ab ipso valor litis sive juris redimendi in contractum deducti cognosci vel erui. Ut nimirum valor iste definiretur, erat solummodo inspiciendum, quid fuisset a Camajonis petitum. Ipsi autem haud pretium pro redemptione debitum, bene vero jus redemptionis ejusdem petierant. Nimirum litis subjectum fuit jus redimendi, neque subjectum istud cum medio idem obtinendi erat confundendum. Patebat itaque, summam scutorum centum quinquagintasex nullum potuisse locum in themate ad constituendum litis valorem sibi vindicare. Praesertim cum Æmygdius vel ipse coram judicibus primi et secundi gradus mordicus semper tenuerit, haud inferiorem summam scutorum centum quinquagintasex, sed potius integra scuta biscentum octoginta pro pretio redemptionis sibi esse refundenda, quot ipse in emptione fundorum Valorio repraesentaverat.

§ 4. Et deteriori consilio ad censuram § 457 codicis gregoriani Æmygdius confugebat, perinde ac si de actione reali sive mixta ageretur, in qua valor causae ex valore fundorum esset deducendus. Occurrebat namque prae primis, actionem a Camajonis instauratam, pro exercendo jure redimendi, utpote quae ex stipulatu descendit, personalem omnino esse habendam, quemadmodum docent *Cujac. in tit.* 59 *de pact. etc. lib.* 4 *cod.; Brunemann. comment. in cod. tit.* 54 *de pact. inter empt. et vend. etc. Leg. si fundum num.* 1 *et* 2; *Voet ad pand. lib.* 18 *tit.* 2 *num.* 7. Unde descendebat apprime, paragraphum legis ab Æmygdio invocatum, qui de actionibus realibus vel mixtis loquitur, nullimode esse ad speciem nostram accomodandum. Atque hisce adjungebatur, quod cum de personali actione res esset neque poterat Æmygdius a summa scutorum centum quinquaginta sex in contractum vendi-

tionis deducta adjameotum quaerere. Ex receptissima siquidem regola retioendum erat, pactum redemptioois rei venditae valorem in tertia parte minuisse, ad tradita per *Mant. de tac. et amb. lib.* 4 *tit.* 20 *num.* 4; *Gratian. discept.* 600 *num.* 8; *et Rota decis.* 444 *num.* 10 *part.* 4 *decis.* 2 *num.* 9 *part.* 15; *et decis.* 364 *num.* 12 *part.* 17 *recent.*; ac propterea ad verum realemque fuodorum valorem constitueodum, summam illam io venditionem deductam tertia parte erat iterum augendam. Quo posito perspicuum fiebat, eamdem ad scuta biscentum et octo evehi, quae ad jurisdictionem tribonalis asculaoi viodicandam satis eraot superque.

§ 5. Haud demum despicieudum Patribus visum est quod Camajooii animadvertebaot nimirum actionem fuisse adversus Bernardinum et Aloysium Valori uti filios et haeredes Caroli patris fundorum emptoris iotroductam, et de divisiooe bonorum inter fratres, quae fuerit ad exitum perducta, nullimode constare. Ex hoc namque sequebatur, juxta praescriptum praxis gregoriaoae § 441 *num.* 3 instauratam controversiam ad tribuoal asculanum debuisse necessario deferri. Actiones quippe creditorum contra haeredes et bona haereditaria dooec de divisione non constet in vim dispositioois illius ad tribunalia civilia semper spectant, prout firmavit noster Ordo in *Romana circumscriptionis* 23 *januarii* 1840 § 4 *coram me.* Quio obesset in casu Camajonios haud posse creditores renunciari; creditores quippe non ii tantum dicuntur, quibus pecuoia debeatur, sed etiam alii quibus aliquid ex quacumque causa debeatur, ceu post *text. in l.* 10, 11 *et* 12 *ff de verb. signif.* tenuit etiam idem Ordo noster in *Verulana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 17 *julii superioris anni* § 5 *coram. R. P. D. meo Arnaldi.* Post quae omnia urgebat etiam, in quolibet dubio causam ad tribunal asculanum potius quam ad judicem singularem fuisse deferendam. Perspicue namque monet § 431 vigentis praxis, quod ubi incerta maneat competentia gubernatorum aliorumqoe jusdicentium, tribuoal civile est semper competeos reouociandum. Atque urgebat deouo, quod cum insanabilis oullitas haud luculeoter ab Æmygdio probaretur, erat semper pro actorum validitate rescribendum, quippe § 1047 ejusdem gregoriaoae praxis aperte praecipit, quod ubi dubietas aliqua io causis nullitatis superest, est semper querela circumscriptionis rejicieoda. Et ita etc. Utraque etc.

Die 21 augusti 1845 « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali civili asculano cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis pp. uu. jj. ss., et extendatur decisio per R. P. D. Lippi, et reproponatur* ».

Die 13 Februarii 1846 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Jo. Baptista Ugolini — D. Alexander Piccinini.

Prot. 2747/1842 R. P. D. JANNI Decisio XXXVIII.

Ferrarien. Restitutionis in integrum

Jovis 10 *Julii* 1845

Argumentum

Cum judex, absque necessitate ad interpretationem confugiens, rei non dubiae significationem everterit, quaeritur an interpretationis fucus ab injustitiae manifestae vitio rem judicatam salvam facere possit.

§ 1. Administratiooem « *dello stabilimento di Comacchio e Mesola* » pro anno 1830 inita societate a rev. Camera Apostolica obtinuernot comites Vioceotius, et Galeatius fratres Massari, Joannes Baptista Grazioli, et Joseph Barilari, qui inter leges societatis post consequutam administrationem descriptas in art. 6 eam qooque dixeruot « *che qualunque contratto relativo allo stabilimento di Comacchio, e Mesola venisse proposto dalla rev. Camera Apostolica, o procurato da uno di essi, non potrà questi escluder gli altri, che dovranno essere interpellati* ». Lucrum evideos, quod sociis redibat, naturaliter effecit, ut prorogatiooem contractus ad venientem quoque annum averent; ac revera Massarii, qui administrationem

ex pacto dirigebant ineunte anno 1831 literas e civitate Ferrariae dabant advocato Grazioli in urbem significantes « *che è stato risoluto di continuare nell'attuale provvisoria amministrazione, il che ci sia di norma, andando ella a scrivere altrettanto al fratello per quelli indispensabili concerti da prendersi in questo stato di cose* ». Et pressius kalendis februarii « *Noi colla presente lo facoltizziamo per parte nostra d'interpellare la Tesoreria, ed anche se occorre in iscritto per combinare se non è possibile a migliori condizioni delle passate la proroga dell'attuale amministrazione provvisoria ancora per il corrente anno* 1831. *Ella parli adunque e per se e per noi ec.* ».

§ 2. Nulla, si res publicae postridie non perturbarentur, fuisset exinde disputatio quoad continuationem societatis inter Gratiolium, et Massarios. Accidit verumtamen, et in ea potissimum regione tumultus, cujus nacti occasionem auctores Comaclensium quoque, ac Mesulae vallium administratione potiti fuerunt, Massariis ultro concedentibus. At ordine quam primum, legibusque restitutis fratres Massari, qui anxie pridem urgebant prorogationem contractus, modo vallium administrationem resumere nolle ostentabant animo excludendi socios a participatione lucrorum, quae contra bonam, datamque fidem sibi integre addicere voluissent. Scribebat hinc aerarii praefectus ad pro-legatum Ferrariae « *non trovo ragione, per la quale i sigg. Massari si ricusino di riassumere l'amministrazione* »; sed ratio cur detrectarent facile patuit cum die 4 maji 1831 procul a nomine sociali stipulati fuerint prorogationem administrationis ad eumdem annum, quae haberet idcirco « *effetto retroattivo al primo gennajo* ».

§ 3. Haud statim Gratiolio id innotuit, quod obtestatus fuit solemniter sese velle esse participem hujus negocii vigore jam initae societatis; et particeps reapse extitit renunciatus rejudicata rotali signata post decis. *Ferrarien. societatis in re commerciali* 22 *julii* 1836 *cor. nunc eminentissimo Zacchia*, cui alia insuper accessit resjudicata quoad solutionem utilium, quam similiter praeivit *decis. Romana seu Ferrarien. societatis quoad solutionem utilium in re commerciali* 4 *augusti* 1843 *cor. R. P. D. Muzzarelli*. Renovata nihilominus pugna est relate ad administrationem sequioris anni 1832, quam nova prorogatione contractus Massarii obtinuerunt. Sed diversum inopinato exitum habuit, cum tribunal commercii Ferrariae, aliudque appellationis Bononiae rejecerint Gratiolii postulatum. Tentavit ipse idcirco unicum remedium, quod adversum rem inique judicatam supererat, et noster Ordo censuit incunctanter eidem subvenire rescripto « *De causis sine praejudicio reijudicatae etiam quoad refectionem expensarum* ».

§ 4. Duplici edita resolutio innititur fundamento, violationi legum apertissimae, et monumentis noviter repertis. Pactum socii inierant, ut nemo clanculum sibi compararet, vel accepto, si proponeretur, haberet quemlibet contractum relate ad procurationem supradictarum vallium « *qualunque contratto relativo allo stabilimento di Comacchio, e Mesola venisse proposto dalla rev. Camera Apostolica, o procurato da uno di essi, non possa questi escluder gli altri, che dovranno essere interpellati* ». Nefas igitur erat fratribus Massari Gratiolium excludere a participatione contractus anni 1832, et jus illi vicissim cogendi socios in vim pacti ad communicationem rei socialis. Manifeste propterea in legem peccavit resjudicata, quae cum ad implementum fidei cogere Massarios debuisset, eosdem invicem absolvit ab observantia pacti, quo sese erga Gratiolium adstrinxerunt. Jure etenim sive naturae, sive gentium civili, aut canonico, tum praesentis aevi cum praeteriti tenentur omnes homines exonerare fidem suam, quin insit judicibus potestas eos, qui sese obligaverunt liberandi, nisi forte obligatio ipsa legibus, aut moribus adversetur.

§ 5. Inutiliter autem invocabatur monitum Signaturae, quod non debeat in integrum restitui, qui remjudicatam passus est in re dubia, et conjecturali cum sine legis offensione unam potius quam aliam opinionem judex sequi potuerit ex animadversis in *decis. Rom. seu Æsina rest. in int.* 7 *dec.* 1837 *cor. R. P. D. Ferlisi; Ferrarien. rest. in integrum* 21 *junii* 1838 *cor. Amici; Romana circumsc. et rest. in int.* 12 *julii* 1838 *cor. eod.; Senogallien. rest. in int.* 23 *martii* 1840 *cor. Grossi; Bononien. rest. in int.* 16 *mart.* 1843 *cor. eod.; et Rom. seu Viterbien. rest. in int.* 8 *augusti* 1844 *cor. R. P. D. Lippi*, citatis a fra-

tribus Massari. Relatae siquidem decisiunes, et quotquot aliae similes possent adduci loquuntur de re vere dubia, de controversiis nimirum, in quibus judex necesse habet ad conjecturas, atque interpretationem confugere. At quando pactum nullam ambiguitatem, vel obscuritatem praesefert, nequit fieri locus interpretationi « *cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio* » ad textum expressum in *leg.* 25 *ff. de legat.* 3, juxta quem respondit *Cujac. in consult.* 34 *tom.* 10 *col.* 1767; *Surd. in cons.* 426 *num.* 44, et passim *s. Rota in recent. decis.* 697 *num.* 7 *par.* 4 *t.* 3; *decis.* 291 *n.* 23 *par.* 10; *decis.* 78 *n.* 10 *par.* 11; *decis.* 453 *n.* 7 *par.* 19 *t.* 2; *decis.* 411 *n.* 22 *cor. Merlino*, et missis innumeris in *decis.* 93 *n.* 3 *par.* 3 *nuperr.*; *decis.* 176 *n.* 11 *cor. Malvasia, et decis.* 88 *n.* 7 *cor. Odescalchi.*

§ 6. Unde sequitur, non quodlibet irrationabile dubium, et inane, sed solidum adesse oportere, ut judex ad interpretationem confugiat; illud uno verbo, quod caderet in prudentem virum, *arg. a leg.* 184 *ff. de reg. jur.* Hanc autem dubietatem ingerere non poterat socialis conventio de qua supra meminit, quippe clarioribus verbis exprimi nequivisset voluntas sociorum communicandi singulis « *qualunque contratto relativo allo stabilimento di Comacchio, e Mesola. . . . proposto. . . . o procurato da uno di essi* ». Quamobrem si juridici ferrarienses, ac bononienses, posthabita significatione verborum, contrarium illi omnino sensum tenuerunt, id potius quam ab interpretatione pacti, repetendum videtur a conculcatione legum, quae non modo illius observantiam praecipiunt, sed vetant insuper fieri quaestionem voluntatis in re clara adeo ut etiam transactiones super illa evadant inutiles, *leg.* 12 *cod. et leg. ff. de transact.* Quod si secus diceretur, numquam restitutioni in integrum aditus pateret, cum praesto semper esset responsum, ita leges, aut conventiones judicem fuisse interpretatum.

§ 7. Ad haec Patres animadvertebant, procul ab omni scrupulo pactum ita intelligi debuisse, cum extaret resjudicata s. Rotae quoad gestionem anni 1831. Nam si definitum per eam extitit, contractum anni 1831 utut a Massariis propriu nomine stipulatum etiam ad Gratiolium pertinere, deerat judicibus potestas contrarium decernendi relate ad negocium anni 1832 ob identitatem rei, actionis, et personarum. Quam identitatem frustra Massariorum defensores conabantur excludere, vel quia post effectum semel habitum vis pacti porrigenda non esset ad futuros annos, ne in aeternum societas coita videretur contra monitum *legis* 71 *ff. pro socio;* vel quia anno 1832 procuratio Mesulae distracta fuerit ab illa Comacli, vel quia die 20 martii 1832 caput sociale Gratiolius recuperaverit, vel tandem quia alter ex sociis Vincentius Massari interim defecerit.

§ 8. Primo etenim haud subsistit, societatem in aevum duraturam, si vis pacti extendatur ultra primum annum; nam quilibet sociorum potest si velit non esse particeps contractus, qui furet « *proposto, o procurato da uno di essi* ». Diversissimae plane sunt obligationes manendi jugiter in societate, et communicandi sociis eamdem rem, quam finita societate unus vel alter peculiari suo nomine obtineat. Prior quidem inefficax, quoniam adversatur libertati; altera autem validissima, quippe libertatem non adimit, sed impedit solummodo, ne quaestus communi ingenio, vel ope comparatos alter ex sociis sibi dumtaxat in posterum conetur addicere, quod tum bonae fidei, tum sapientissimis legibus repugnat, ut optime innuit *cit. decis. Rom. societatis in re commerciali* 22 *julii* 1836 § 4 *cor. nunc eminentissimo Zacchia.* Exulat idcirco praecipuum discrimen, quod ferebatur adesse inter administrationem anni 1831, aliamque anni 1832, et propterea etiam ratio, qua resjudicata bononiensis Gratiolium excluserit a participatione contractus anni 1832, dum alia praecedens s. Rotae definiverat constare de societate quoad annum 1831.

§ 9. Ita nihil immutat anno 1832 sublatam ab administratione fuisse piscationem in vallibus Mesulae propter cessionem ejusdem « *alla cassa di ammortizzazione del Debito Pubblico* ». Supererant enim valles Comacli, et idcirco pars ejusdem rei, quae pacto contineebatur, et subjectum constituerat prioris judicii. Jamvero nihil notius idem de parte jus esse, quod de toto *ad leg.* 8 *et* 22 *ff. de legat.* 1, *leg.* 7 *ff. de except. reijud.*, *leg.* 113 *ff. de reg. jur.* Deterius etiam praeteosum discrimen eruebatur ex eo, quod Gratiolius mense

martio 1832 caput sociale recuperaverit, quasi hoc ipso valedixisset societati. Futilitatem namque hujusce conjecturae demonstrant non modo reservationes amplissimae, quibus a Gratiolio fuit recepta pecunia, sed ipsa ratio naturalis, quoniam res erat de lucro certissimo, et conspicuo, cui neminem sanae mentis renuntiare censetur. Pro administratione porro vallium comaclensium fiscus concedebat « *il dieci per cento sull'entrata sporca dello stabilimento* » praeter reintegrationem « *di tutte le spese, e pagamenti fatti dagli amministratori* ». Ex qua concessione quantum socii lucrarentur colligi potest a *decis. Rom. seu Ferrarien. societatis quoad solutionem utilium in re commerciali* 4 *augusti* 1843 *cor. R. P. D. Muzzarelli.*

§ 10. Desperatum tandem erat rationem discriminis in morte socii collocare, quippe neminem latet, societates vectigalium cum haeredibus continuari *ad text. in leg.* 59 *ff. pro socio*, prout in casu simillimo etiam nuperrime docuit *s. Rota in Romana societatis* 1 *julii* 1832 § 18 *et* 19 *cor. Ruspoli.* Hisce omnibus autem accedebant nova monumenta, quae apertissime revincunt, contractum anni 1832 non fuisse nisi *prorogationem* alterius anni 1831, quemadmodum is fuerat prorogatio illius initi de anno 1830. Adducebantur hodie siquidem geminae epistolae contextim datae ab aerarii praefecto ad pro-legatum Ferrariae, et fratres Massari, in quibus explicite annuit contractui « *di proroga per l'intero esercizio dell'anno* 1832 » ac « *nel modo come dai medesimi si è esercitato per lo spirato anno* 1831 ».

§ 11. Non modo itaque ex rei natura, sed ex mente ipsa contrahentium, et praesertim fisci, contractus anni 1832 renunciandus est simplex antecedentis prorogatio; quod unum sufficit, ne inter unius, alteriusque anni administrationem discrimen inveniatur, cum prorogare nihil aliud sit, quam contractum in longius tempus producere cum omnibus suis qualitatibus, et firma ejusdem causa, *leg.* 5 *ff. de precar.*; *Vinn. select. jur. quaest. lib.* 2 *cap.* 42; *s. Rot. in Corana, seu Veliter. salviani* 5 *maji* 1819 § 5 *et* 6 *coram Marco, et decis.* 55 *num.* 5 *coram Isoard.* Quamobrem auctores reijudicatae non solum temere judicarunt contra leges quae pactorum implementum inculcant, sed contra illas etiam quae adversus rem prius judicatam aliquid pronunciare non sinunt, ne quaestiones jam decisae ad vitam quocumque praetextu revocentur, *leg.* 1 *cod. quando provoc.*, *leg.* 9 *cod. de senten.*, *leg.* 6 *cod. de execut. reijud.* Atque ita in strenuo partium conflictu resolutum est, dato mihi munere vulgandae decisionis. Die 21 augusti 1845 « *Nihil, et extendatur decisio per R. P. D. La Grua, et reproponatur* ». Die 5 Februarii 1846 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Candidus Tosi — D. Augustinus Pagnoncelli.

Prot. 57/1845 R. P. D. FERRARI Decisio XXXIX.

Romana Circumscriptionis et Restitutionis in integrum

Jovis 10 *Julii* 1845

Argumentum

An conductores latifundiorum agri romani inter negociatores recenseantur, ac proinde commerciali jurisdictioni sint obnoxii.

§ 1. Ovium et caprarum gregem, quem Petrus Cartoni possidebat, publicis tabulis diei 19 octobris 1840 venditionis titulo transtulit in Petrum Corazzi pretio sc. 8122. Pactum fuit quod summa illa numeranda esset duobus temporibus, dimidium nimirum die 31 decembris 1841, et alterum dimidium postrema die anni 1842, fructibus conventis ad quincuncem rationem pro quolibet centenario et anno. Venditor vero non solum dominium super grege sibi reservavit, sed specialem hypothecam super aliquot bonis ad debitorem pertinentibus inscribere curavit. Adventa prima solutionis die Coratius moram fecit, et nonnisi post contumacialem tribunalis commercii sententiam, qua damnatus fuerat ad summam numerandam sc. 4056 25, non solum hanc pecuniae quantitatem, sed aliam insuper vim scut. 1943 75 persolvit « *in conto del prezzo del bestiame venduto* ».

§ 2. Debitor itaque Coratius supererat in scut. 2122, quae quum stata die non numeravisset, Cartonius pro obtinenda solutione judicio eum provocavit coram tribunali consulari. Excepit debitor tribunal illud tum ratione personae, tum ratione rei jurisdictione destitutum esse, sed hac exceptione rejecta, Cartonii actionem probavit sententia diei 7 martii 1843. Appellationem tam in ea parte quae competentiam, quam in altera quae creditum respiciebat, Coratius interposuit, quam appellationem licet s. Rota servandam esse in devolutivo decrevisset, tamen ob illius desertionem, sententia tribunalis consularis in rem judicatam transitum fecit. Coactus igitur fuit ad nostrum Ordinem confugere, ut vel circumscriptionis gladio acta gesta coram tribunali commercii delerentur, vel restitutio in integrum concederetur. Et Patres mei excipiendum recursum duxerunt dato responso « *circumscriptis per viam nullitatis ex defectu jurisdictionis omnibus gestis coram tribunali commercii urbis cum omnibus inde sequutis partes utantur juribus suis.* »

§ 3. Et summo jure, meritoque. Nam Coratius simplex erat agricultor, qui latifundium *Conca* a pia domo s. Officii conduxerat, ut campestribus adhibitis operibus, et laboribus fructus colligeret, eosque postea venderet. Nullam igitur industriam commercialem exercebat in eo positam, ut qui ei vacat emat res, quas natura vel industria gignit, ut eas postea vendat, permutet, aut alibi mittat. Contra agricultor sive in proprio, sive in alieno fundo nihil aliud agit quam aut naturales, aut industriales fructus colligere: verbo ea facit, quae quilibet agri possessor gerere solet, ut a propriis terris fructus percipiat. Tribunal itaque commercii jurisdictione eum carebat *ad text. in* § 296 codicis gregoriani « ibi » *i tribunali di commercio sono tribunali di eccezione: conoscono e decidono in prima istanza quelle cause soltanto, che sono ad essi attribuite dal titolo unico lib. IV. del regolamento commerciale, abbenchè il valore delle medesime non ecceda la somma di dugento scudi* ». Jam vero in hoc titulo non solum conductores agrorum jurisdictioni tribunalium commercialium subjecti non sunt, sed imo apertissime ab ea immunes declarantur, uti sancitum est § 608 « ibi » *non saranno di competenza dei tribunali di commercio le azioni promosse contro un proprietario, conduttore, socio parziario, o coltivatore per vendita di derrate provenienti dal suo fondo* ». Cui articulo innixa s. Rota re ex professo discussa judicavit tribunalia commercialia jurisdictione in agricultores destituta esse *in Romana decoctionis quoad competentiam* 26 *aprilis* 1816 *cor. Serlupi, et in confirmat.* post expeditam sententiam rotalem 2 *junii* 1817 *coram Piccolomini, et in Romana pecuniaria* 18 *Octobris* 1827 *coram eminentissimo De Cursiis.*

§ 4. Neque rem mutabat insequens § 297 cit. codicis, quo subjiciuntur « *ai tribunali di commercio i negozianti di tutte le classi, da cui si traggono i membri della camera commerciale di Roma in conformità dello speciale regolamento per la stessa camera, approvato dal Governo il* 9 *gennaro* 1832 », in quo habetur « *i quindici membri, che compongono la camera di commercio sono presi dai seguenti rami del commercio di Roma, e con la seguente proporzione cioè banchieri, agricoltura, arti, e manifatture, coloniali, e ripali, generi diversi* », unde Cartonii contendebat Coratium, qui agriculturae vacabat, inter negociatores recensendum esse. Nam perpenderunt voluisse quidem legumlatorem seligendos esse « *i membri della camera di commercio* » ex illis designatis classibus, sed minime voluisse, ut ii omnes, qui ad eam pertinebant, essent negociatores censendi. Nam potest aliquis agriculturam exercere quin commercium in ea faciat. Et revera rusticorum praediorum possessores, colunt agros, rei agrariae libenter incumbunt, fructus vendunt, neque aliquis invenietur, qui inter negociatores eos recenseri velit. Nec dissimiles sunt latifundiorum conductores. Ea quidem colunt, fructus colligunt, atque vendunt; sed nullum commercialem actum in sensu juris exercent. Nam non ii sunt, qui merces emunt, ut carius postea eas vendant, vel de loco ad locum transmittant, permutent, in aliam formam convertant, atque ita quaestum lucrumque faciant, sed utilitatem tantum ex labore, et industria percipiant extra studiosos negociationis calculos. Isti itaque inter negociatores recenseri nequeunt. Nam praeterquamquod illi tantum « *sono commercianti che esercitano atti di commercio, e ne fanno la loro professione abituale* » illud momentosissimum urgebat, praediorum conductores a consulari jurisdictione immunes declaratos fuisse. De agricultoribus igitur certo certius non intellexit « *il regolamento per la stessa camera* »; secus

enim inter negociatores recensuisset eos, quos in codice commercii minime comprehenderat, et ita inter utramque legem manifestissima antinomya reperiretur, quae in sapientissimo legumlatore ne fingi quidem potest.

§ 5. Quum igitur lex designavit *l' agricoltura* inter classes, a quibus eligendi sunt *i membri della camera di commercio*, de iis negociatoribus loquuta certe fuit, qui commercium faciunt de rebus ad agriculturam pertinentibus, de iis nimirum, qui licet nec proprios, nec conductos agros habeant, frumentum, oleum, et alia genera, quae a terra nascuntur, emunt, ut postea ea cariori pretio vendant lucri faciendi causa. Multi sunt profecto negociatores rerum agrestium, quia dant operam commercio, sed non agricultores, utpote qui agriculturae minime vacant. De primis igitur sentiit tantum legislator; secus enim omnes agri possessores, et conductores contra ea, quae sancita sunt in codice commerciali *artic.* 608 negociatores essent; neque commercialis jurisdictio ullum haberet limitem. Nam illam exerceret in pictorem, sculptorem, omnesque, qui alicui arti dant operam; nam ex artibus quoque seligendi sunt « *i membri della camera di consiglio* », in omnes vero, si porrigeretur « *ai generi diversi*: » in hoc enim latissimo vocabulo omnes comprehenderentur, qui locum non invenirent in amplissimis aliis classibus. Concludendum igitur est eligendos esse quindecim viros ex illis classibus, qui commercio operam revera dant, minime vero negociatorem esse unumquemque ad easdem classes pertinentem.

§ 6. Immerito hinc contendebatur conductores latifundiorum romanorum adeo commercio esse addictos, ut vocentur « *mercanti di campagna* ». Nam non verborum cortex, sed rei natura inspicienda est, ut rectum proferri possit judicium; inspiciendum nimirum est, utrum actus commercii ipsi exerceant, atque ex propriae vitae, et instituti ratione habitualiter, atque in dies gerere consuescant; quod quum in agricultoribus non obtineat, arbitraria, atque impropria illa locutio « *mercanti di campagna* » nihil facienda est, quum referri possit ad ea negotia, quae necessario gerere debent, dum incumbunt agrariis negotiis, ad emptiones videlicet earum rerum, quae inserviunt culturae, et ad venditionem fructuum, qui ex campestri industria redeunt, uti statuit S. Rota in citata *Romana decoctionis quoad competentiam* 26 *aprilis* 1816 § 11 *cor. Serlupi, et* 2 *junii* 1817 § 10 *cor. Piccolomini.*

§ 7. Neque PP. fugit, quod actus a Coratio gestus commercialis non erat. Obvium revera, et caprarum gregem ipse coemit, non ut illum postea venderet, sed ut latifundium ab eo conductum instrueret; sicuti conventum fuerat in instrumento locationis, in quo obligationem suscepit in illud immittendi « *dodici mila scudi di bestiame* ». Emit igitur ratione agri culturae, ut fructus majores assequeretur; non emit vero ut aliis, vel alibi carius venderet. Actum igitur commercii minime gessit, sed actum mere civilem. Contractus revera traditus fuit publicae, solemnique stipulationi, in qua ne partem quidem habuerunt collybisticae litterae. Venditor super grege *specialem hypothecam* sibi reservavit, nec satis super emptoris bonis hypothecariam inscriptionem suscepit, ut ita de pretio gregis, quod subito non persolvebatur tutus esset. Contractus igitur a Coratio initus nullam commercialem speciem exhibebat; proindeque a consulari jurisdictione omnino immunis *ad text. in* § 608 legis commercialis « *ibi* » *Non saranno di competenza dei tribunali di commercio le azioni promosse contro un commerciante per pagamento di derrate*, o *mercanzie comprate per il suo uso particolare* ». Neque commercii actus vocari poterant lactis, et lanae venditiones. Nam hujusmodi contractus sunt accessorii, ac consectarii artis agrariae. Agriculturam enim campestribus operibus, et fructuum perceptionibus, quos terra gignit, circumscripta non est, sed protenditur quoque ad armentorum administrationem, quae agriculturae pars est, uti docet *Pardessus corso di dritto mercantile par.* I § 12 *num.* 14.

§ 8. Neque obstare visa fuit sententia tribunalis commercialis in remjudicatam transacta, qua Coratius damnatus fuit ad primam pretii ratam persolvendam, quasi statum pro obtinenda ab eodem tribunali condemnatione ad secundam ratam facere potuisset. Nam sicuti haec res judicata manifestissima nullitate laborat, ita nullum habere potest vigorem, neque statum facere; deinde Coratius non solum exceptionem fori declinatoriam minime deduxit, sed insuper vadimonium deseruit, atque nulla mora summam persolvit scut. 6000

plus eo, quod debebat. Si igitur tunc jura deducere praetermisit, impeditus hodie non est, quominus ab Ordine nostro circumscriptionem obtinere possit alterius sententiae insanabili nullitate coinquinatae. Et ita etc. Utraque etc.

Die 21 Augusti 1845 « *Nihil, et extendatur decisio per R. P. D. Janni, et reproponatur* ».
Die 4 decembris 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Augustinus Pagnoncelli — D. Carolus Alcioni.

Prot. 46 / 1845 R. P. D. ARNALDI DECISIO XL.

TUSCANEN. PRÆTENSÆ RECUSATIONIS JUDICIS

Jovis 10 *Julii* 1845.

Argumentum

Vicarius episcopi in causa respiciente Xenodochii interesse, cujus episcopus ipse legittimus est administrator, tamquam suspectus recusatur.

§ 1. Nonnulla praedia, inter quae alterum vulgo « *Guade cinto* » Xenodochium Sanctae Crucis Tuscaniae locaverat Thomae Quarantotto, qui ob moram in persolvenda pensione, potius quam ejectionis e fundis judicium sufferet, ex die vigesimaquarta augusti 1839 consultius putavit repudium conductioni mittere « *lasciando il medesimo luogo pio proprietario in piena libertà di poterlo nuovamente locare, o livellare a chiunque, rinunciando a qualunque pretensione potessi io avere ec.* » Itaque praedictum praedium a pio instituto locatum est Philippo Rosio. Verum, cum adversus hunc acconomico judicio ageret hospitium idem pro repetendo censu in levissima summa de recollectis fabulis mense julio anni 1844, eodem ipso tempore Thomas Quarantotto coram gubernatorem Roscum in jus accivit, ut sibi traderet « *staja otto, favuccia, o favetta* » pro censu sibi debito ex collectione facta in ipso praedio, juxta locationem peractam pro ratione anni 1844 ad messem anni 1845.

§ 2. Protinus Rosius ad vicarium generalem Tuscaniae adversus Xenodochium judicium liberationis a molestiis instituit, quae cum rite fuissent nunciatae a juredicundo se abstinuit gubernator, ac triangulari certamine actum est coram vicario, de postulato Thomae in Roseum, ac de hujusce molestiis adversus Xenodochium, nonnulla orta etiam interlocutoria decreta, signanter quod Thomas de locationis contractu doceret. Tandem judex sententiam dixit, qua censuit, Roseum damnandum esse ad petitam fabellae mensuram Thomae consignandam; reservato jure pro Xenodochio experiundi titulum proprietatis fundi illius in petitorio judicio.

§ 3. Ad tramites reservationis, libellum Thomae obtulit Xenodochium *pro reintegratione ad possessionem praedii, utpote eidem spectantis.* Binos per menses peracta causa est, productis juribus, et dilationibus datis ad proferendum judicium. Suspendi hoc tamen necesse fuit, ut professus est judex « *ha sospeso la decisione della causa* », attento recursu, quem Thomae placuit interponere pro recusatione judicis, tamquam suspecti; quem tamen PP. DD., eodem actore deserente pugnam, reijciendum putarunt, edito rescripto « *Non esse locum recusationi* » ex rationibus, quae hoc in priori certamine subjiciuntur.

§ 4. Quae enim afferebantur causae, prior « *per l'interesse, che può avere in causa;* » rursum « *per il parere già manifestato* » nullius prorsus momenti esse comperiebantur. Principio, cum coram judice contestata lis fuerit, hinc jura producta, pluriesque coram eodem partes sistere haud dubitaverint, discussa demum controversia, in limine esset sententiae prolatio, causae vero illae educantur modo post binos menses ab incaepto peractoque judicio; neque novae, vel nuper detectae cum ab initio constitissent, aperta est sanctio legis, quae minime admittendas jubeat esse ex § 1056 num. 2 « *Non è ammissibile il ricorso concernente la ricusa contro qualunque giudice, allorchè il ricusante ha proposto le eccezioni sul merito della causa, se il sospetto non è avvenuto posteriormente* ».

§ 5. Rursum perridicula ea erat enunciatio « *per l'interesse che può avere in causa.* » Actor enim haud ex contingibili, sed ex positiva, certa probataque causa, intentionem suam, demonstrare tenetur. Praeterea falso adjiciebatur « *come capo della congregazione economica dell' ospedale stesso, e come promotore della causa.* » Princeps quippe consessus illius Episcopus est, utpote tutor, ac legittimus omnium locorum piorum administrator. Atque isthaec qualitas nullam omnino inducere potest suspicionem in persona vicarii generalis; cum nullum episcopus, multoque minus vicarius, directe sibi aliquod lucrum, vel emolumentum expectent, veluti ad rem docent *Fagnan. in lib.* 1 *decretal. ad cap. nostri num.* 6; *Baldus in l.* 1 *num.* 3 *C. ne quis in sua; Abbas in cap. nullius de foro competenti num.* 21; *Franc. in cap. postremo num.* 5 *de appellat.* Et adamussim recentissime supremum tribunal *in Viterbien. circumscriptionis, et recusationis judicis* 3 *aprilis* 1845 *coram R. P. D. meo Lippi* § 11 *et seq.*

§ 6. Despiciendae tandem erant iocusationes reliquae, promotorem fuisse litis, senteotiamque in antecessum suam aperuisse vicarium; quia non aliss, quam in puris, purisque assertionibus consistebant. Haec autem haud verbis, sed factis, ac legittimis documentis demonstranda sunt, deque hujusmodi causis, nulla suffultis praesumptione juris, imo a contraria conflictatis, adeo liquido per apertas, certasque probationes constare debet, ut, cum in genere, tum in specie, rectam indubiamque animi convinctionem eliciant; aliter penitus spernendae sunt; praesertim, si in expeditionis causae limine, ad illius decisionem frsudandam excogitatae videaotur. Et ita etc. altera etc.

Die 15 januarii 1846 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Camillus Bianconi — D. Bernardinus Giudici.

Prot. 106/1845 **R. P. D. LA GRUA VALDINA** Decisio XLI.

Romana Circumscriptionis et Competentiæ

Jovis 24 *Julii* 1845

Argumentum

Quomodo litis pendentia in gradu appellationis inducatur; et quomodo appellatus circa prosecutionem illius sibi consulere possit.

§ 1. Fervente quaestiooe super declaratiooe modi cujusdam, quem Rota adjunxerat super executione mandati favore Nicolai De Romanis, et adversus Philippum De Romanis fratem illius relaxati, provisiones, quas interim Nicolaus ipse pro secura crediti soi solutione implorabat, judices innocentiani pluribus senteotiis exceperunt. Acta ista ob pendentiam super modi declsrstione attentate gesta accusavit Philippus, atquo controversis super attentatis sub die 7 aprilis superioris fuit in Rota coram praesule Alberghini definita rescripto « *nihil de attentatis* ». Appellationem ab hoc decreto ioterposuit Philippus coram praesule Muzzarellio, quam appellstionem Nicolao denunciavit sub die 16 aprilis. Sub die autem 25 aprilis ejusdem, quae erat prima post octo, tum Nicolaus detulit ad acta denuociationem appellatioois a Philippo corsm Muzzarelli sibi indictam et procuratorem constituit, tum Philippus, priorem deserens, appellatiouem novam interposuit coram Quaglia, atque eamdem, illiusque denunciatiooem die 29 aprilis produxit et deinde prosequutus est; quemadmodum Nicolaus in appellatione coram Muzzarelli processit, productionem ejusdem sub die 26 aprilis Philippo denuocians, et moderationem appellationis expostulans, pro qua fuit Rota diei 6 junii destinata. Hinc duplex pendentia causse super attentatis orta est, atque binae petitiones fuerunt nostro Ordioi porrectae, altera oempe a Nicolao ut praevia circumscriptiooe actorum factorum coram Qoaglia declararetur causam spectare ad praesulem Mozzarelli, alters a Philippo, ut e contra circumscriberentur acta coram Muzzarelli, et causa ad praesulem Quaglia remitteretur.

Petitiones itaque istas Ordo noster hodie dimisit rescripto « *serventur acta coram D. auditore Rotae Muzzarelli, circumscriptis omnibus gestis coram D. Quaglia* ».

§ 2. Haud erat dubium ante omnia, quin interpositi ab utroque fratre recursus ad judicum sive tribunalis competentiam constituendam spectarent. Cum namque coram utroque ponente Muzzarelli et Quaglia de purgatione attentatorum inter easdem personas, et in eodem gradu appellationis ageretur, planum erat, de una eademque causa rem esse, quae fuerat coram diversis judicibus aequalis jurisdictionis instaurata. Unde perspectum etiam fiebat, unum recursum competentiae locum sibi posse in themate vindicare; perfectissime siquidem recursum istum cum casu nostro cohaerere probabat satis praxeos codex, in quo sub § 1049 is ita describitur « *ha luogo il ricorso per determinare la competenza, quando una medesima causa è introdotta simultaneamente innanzi più giudici o tribunali di eguale giurisdizione* ». Hisce autem positis, utrumque sponte consequebatur, quod in rescripto supremi nostri Ordinis fuit imperatum, tum nimirum acta coram Muzzarelli esse servanda, tum alia gesta coram Quaglia esse ex defectu jurisdictionis, circumscriptionis gladio delenda. Quoad primum namque occurrebat, judicium attentatorum fuisse a Philippo coram Muzzarelli antea instauratum, atque hoc satis erat, ut acta facta coram eodem essent servanda.

§ 3. Quandoquidem appellationem interposuit Philippus ante praesulem illum sub die 16 aprilis, eademque die interpositam appellationem Nicolao denunciavit, et infra terminum constitutum post octo dierum, sive die 25 aprilis Nicolaus comparuit ad acta, ac procuratorem constituit, dicque postera constitutionem istam procuratoris Philippo indixit. Ex hisce itaque lis introducta extitit coram Muzzarellio, et coram eodem idcirco pendens non poterat amplius ab ipso auferri; regula enim legalis nos docet, quod ubi incaeptum semel fuit judicium, ibi et finem habere debet, nec valet lis coram judice semel introducta, coram altero contestari, ad text. in *l. sed et si susceperit ff. de iud.* postquam *Marant. in prax. part.* 6 *tit. de except. n.* 1; *Scaccia de judic. cap.* 101 *num.* 8. Quin utiliter opponeret Philippus, eadem die 25 aprilis novum ipsum appellationis actum coram Quaglia interposuisse, ac proinde acta coram Muzzarelli haud esse integra servanda, quae ipse deseruit. Haud enim in facultate illius erat positum judicem electum relinquere, et ad alium convolare; sed postquam ipse causam ad praesulem Muzzarelli detulerat, nequibat amplius eamdem ad praesulem Quaglia deferre. Retinuerunt quippe Patres, ipsum in judice eligendo cum Nicolao contraxisse, ac propterea statim ac hic comparens in electione consensit, nullum adhuc reliquum fuisse Philippo perfugium, ex quo posset jurisdictionem judicis electi declinare.

§ 4. Patebat itaque, acta omnia coram Muzzarellio gesta post judicium in gradu appellationis coram eodem contestatum esse omnimode servanda. Quo constituto, necessario descendebat, alia acta facta coram Quaglia esse circumscriptionis ope de medio auferenda. Cum enim unum idemque fuerit judicium super purgatione attentatorum tum coram Muzzarellio tum coram Quaglia instauratum, planum et perspectum fiebat, quod declarata competentia praesulis Muzzarelli, nequibat eadem controversia sub jurisdictione alterius judicis etiam relinqui. Illud namque potuisset evenire omnium absurdissimum, quod controversia eadem a diversis judicibus diversimode dirimeretur. Ad quod vitandum erat necessario circumscriptio actorum coram Quaglia imperanda. Praesertim cum id expressissime lex ipsa juberet in § 1049 codicis gregoriani « *Il tribunale supremo ordinerà che la causa si prosegua innanzi al giudice, o tribunale, che sarà dichiarato competente, annullando gli atti degli altri giudici o tribunali* ». Post quae legis verba nequibat profecto, cum in recursu competentiae versaremur, de necessitate circumscribendi acta facta coram Quaglia dubitari; quam porro viam tenuit semper Ordo noster, et praesertim in *Romana competentiae* 17 *septembris* 1840 § 5 *coram me, et in Assisien. circumscriptionis et competentiae* 22 *aprilis* 1841 § 2 *aeque coram me.*

§ 5. Neque movebantur Patres ex eo quod Philippus objiciebat, nimirum litis contestationem ex sola Nicolai productione haud fuisse ortam, unde arguebat iterum liberum sibi fuisse judicem alterum adire. Alienum enim ab hodierna specie putarunt, quando

contestata lis haberi debeat nec ne. Et primum quidem quia de competentiae quaestione agebatur. In sanctionibus namque omnibus, quae recursus competentiae spectant, numquam lex de causa contestata loquuta est, sed nuice de lite introducta, et pendenti; atque scitum est, latissimum inter introductionem, pendentiamque litis, et contestationem illius discrimen intercedere. Deinde, quia de pendentia causae in gradu appellationis coram Rota res erat. In ipsa namque antiqua praxi quando ex commissione Rota procedebat, toties lis introducta, et pendens, et firmata illius jurisdictio dicebatur, quoties praeter commissionis traditionem, vel sola citatio partis adfuisset ad acta deducta, veluti tradunt *March. de commiss. part.* 1 *cap.* 3 *num.* 34, *Vital de jure Signat. cap.* 1 *pag.* 69, *et Ordo noster in dec.* 64 *num.* 5 *tom.* 1 *inter collect.* In vigenti vero praxi, cum actus appellationis commissioni respondeat, illius ad acta deductio una cum citatione coram electo ponente, causam introductam, firmatamque jurisdictionem probat.

§ 6. Futilius autem opponebatur, haud licuisse appellato Nicolao, actum appellationis una cum citatione appellationis Philippi ad acta rotalia deferre, et ita causam coram electo ponente introducere; sed hoc uni appellanti licere, qui possit idcirco appellationis actum deserere, novumque alium, quando velit, etiam coram diverso ponente transmittere. Hujusmodi namque licentiae quoad appellantem, ac tollerantiae quoad appellatum, nulla adsunt in codice praxeos vestigia. Quin imo contraria est omnino illius dispositio, cum de denunciatione actus appellationis quoad appellatum, numquam vero de sequuta illius productione lex semper loquatur. Atque contraria isthaec sanctio expresse confirmatur in § 972 in quo de sola denunciatione appellationis fit mentio, conceditur que appellato facultas prosequendi statim appellationem per verbum « *immediatamente* »; eamque prosequutionem communem esse appellanti disponitur. Unde patet apertissime, post interpositam, et denunciatam appellationem, utrumque posse eamdem prosequi. Ac ratio legis aequissima perspicitur, ne secus in arbitrio appellantis sit, per novas successive interpositiones appellationis manus appellato ligare, quin ipse possit statim per prosequutionem appellationis sibi consulere. Minusque demum officiebat, Nicolaum haud Philippo denunciationem appellationis indixisse, bene vero illius procuratori, de cujus constitutione in actis non apparebat. Simul ac namque jurisdictio per simplicem productionem actus appellationis radicata apparebat coram Muzzarelli, inutile prorsus erat de nullitate, vel validitate citationis illius inquirere, qua etiam abjecta, nequibat amplius causa ab judice illo divelli. Et ita etc. utraque etc.

Die 11 septembris 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Ferdinandus Bufalini — D. Camillus Ciabatta.

Prot. 77/1845 R. P. D. LIPPI Decisio XLII.

Romana Unionis Causarum

Jovis 24 *Julii* 1845

Argumentum

Jam satis ex titulo patet.

§ 1. Ultimo, quo decessit, elogio Philippus Falconi praecepit, ut omnia ipsius bona sub hasta ponerentur, pretiumque erogaretur in loca montis sancti Petri, ad hoc, ut « *Colle rendite si dotassero le zitelle più prossime, che giustificassero essere del suo lignaggio, colla dote di scudi* 400 *per quelle, che si vorranno maritare, e di scudi* 500 *per quelle, che volessero monacarsi* ». Statuit praeterea, ut annui fructus, ex dictis locis montium retrahendi, exigerentur a ven. confraternitate SSmi Rosarii in S. Maria supra Minervam, cui dotium collationem juxta praedictam legem commisit, quamque nominavit « *A maggiore abbondanza per padrona esecutrice di questa fondazione, ed opera pia* ». Ob temporum dein calamitates,

memorata loca montium valde imminuta, annuum redditum bodie vix pariunt scutor. 66, et obul. 74, ita ut ad unam dotem saecularem conficiendam, sex circiter annorum lapsus requiratur, atque annorum fere octo, si de monastica dote pensitanda agatur. Quum itaque postremam dotem assequuta fuerit Magdalena Triulzi anno 1840, duo adhuc, aut tres circiter anni requiruntur, antequam alia dos saecularis, vel monastica confici, et repeti valeat.

§ 2. Contigit porro, ut quum plures hodierna die adsint faeminae ex Philippi prosapia descendentes, ipsarum unaquaeque penes archiconfraternitatem instet pro dote assequenda. Atque nunc res ita sese habet, ut quaedam Aloysia Lucidi, usque a mense novembris 1842 libellum eidem iadixerit coram R. P. D. Camerae auditore « *Per sentirsi condannare al pagamento di scudi 400 all'istante dovuti per la dote proveniente dalla eredità del fu Filippo Falconi, che alla medesima appartiene come discendente dal lignaggio di esso testatore* ». Similiter aliae plures coram eodem auditore Camerae dotem exposcunt, usque ab elapso anno 1844. At e converso coram R. P. D. Vicegerente aliae postmodum faeminae institere, contendentes jus sibi esse ejusdem dotis obtinendae. Hinc factum est, ut quum alter ex judicibus judicare possit favore unius, alter vero favore alterius, dum uni tantum dos est assignanda, ad supremum nostrum Tribunal laudata archiconfraternitas recursum interposuerit, unionem causarum apud unum tribunal postulans. Atque hanc instantiam, quibusdam ex memoratis faeminis acquiescentibus, quibusdam vero silentibus, RR. PP. DD. exceperunt rescribentes « *Eidem R. P. D. auditori Camerae in statu, et terminis* », decisionis evulgandae munere mihi commisso.

§ 3. Et merito quidem. Nam quoties inter causas avocandas, et uniendas adeo stricta est connexio, ut si a diversis judicibus eaedem definiantur, pugnantium sententiarum periculum adsit, tunc obtinet quod a lege praescribitur, ut scilicet istae causae avocentur, et uniantur ad sententiarum antinomiam vitandam. Cautum quippe est in gregoriano, quo vivimus, codice sub § 1050, quod « *Quando una causa medesima, ovvero più cause fra di loro connesse, o l'una dall'altra dipendenti sono introdotte avanti diversi giudici, o tribunali, ha luogo il ricorso per l'avocazione, e riunione di esse avanti un solo giudice, o tribunale, affinchè da uno solo siano decise. Sono connesse, e dipendenti quelle cause, che hanno una stessa continenza, cosicchè il farle decidere da diversi giudici, o tribunali produrrebbe contrarietà di giudicati* ».

§ 4. Quibus in jure positis, patebat, fieri non potuisse quin causarum, de quibus agitur, avocatio, et unio decerneretur. Omnes siquidem unum idemque subjectum respiciunt, seu dotem ab haereditate Philippi Falconi provenientem. Jamvero nisi causae ab uno eodemque judice cognoscerentur, contingere facillime potest, ut ex separata earumdem definitione sententia contra sententiam oriretur. Nam certum est, uni tantummodo ex omnibus faeminis contendentibus, ex testatoris voluntate dotem esse opportuno tempore solvendam. Atqui si duo judices de hisce cognoscerent, id facile eveniret, ut unus pro una judicaret, alter pro alia, atque ita duabus dos tribueretur; quod repugnantiam contineret, quia si una ad dotem assequendam admittitur, caeterae aliae excludi debent. Ergo ad hanc discrepantiam effugiendam, uni dumtaxat ex judicibus committenda erat causarum cognitio.

§ 5. Illud praeterea momentosum accedebat, quod ex testatoris voluntate illi tantum ex faeminis a sua familia descendentibus conferenda dos sit, quae demonstret se esse testatori proximiorem. Porro nunquam sano consilio statui valeret quaenam uti proximior habenda sit, nisi perpensis titulis, ac mature delibatis rationibus, quibus unaquaeque nitatur. Id autem obtineri nequit, nisi omnes se sistant coram uno eodemque judice, qui jura unicuique competentia cognoscat, ac dotem ei conferat, ad quam spectet. Denique contemnenda non erat ratio multiplicitatis judiciorum, quibus pius locus divexatur, quod praecaveri poteat, una simul in eodem judicio vocatis omnibus interesse habentibus.

§ 6. Ex hactenus dictis patebat, causas omnes coram uno, eodemque judice uniri debuisse. Hinc quum prius causae coram R. P. D. auditore Camerae institutae fuerint, posterius vero coram Vicegerente, fiebat, ut ad Camerae auditorem causae omnes deferen-

dae essent juxta vigentis praxeos § 1051 « *Nel caso del § precedente il tribunale Supremo riunirà le cause, e le rimetterà al giudice, o tribunale, che sarà prevenuto* ». Atque ita etc. Die 21 Augusti 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Pius Bossi — D. Joannes Laurentius Popolla
D. Joannes Franciscus Vespasiani
D. Cajetanus Sellini

Prot. 71 / 1845 Rmo P. D. CONVENTATI Decano Decisio XLIII.

Romana Restitutionis in integrum

Jovis 24 Julii 1845

Argumentum

De evacuatione a conductore petita adversus subconductorem suum, qui voluntate domini rem locatam possidebat; et de inefficacia disdictae, disceptatur.

§ 1. Ædem, cui apotheca subest *via della Palombella* in urbe, Joannes Antonius Egistì possidet. Utramque Sancti Cherubini locavit annua depacta mercede scutor. nonaginta, interposita conditione, ut nisi semestralis disdicta ante finem contractus praecessisset, ad aliud quadriennium locatio ipsa prosequeretur. Impar Cherubinus ad salsamentarii negotium, ad quem usum apothecam susceperat, vel animo potius lucrandi eam sublocavit Lucae Moroni, una cum binis superioribus cubiculis, pro annuis scutis quinque supra octoginta, instrumentis adjectis arti necessariis, vulgo « *stigli* », quae de proprio aere Cherubinius confecerat. Quum Moronius uti litteris arbitraretur patentibus ad munus salsamentarii ab annonae praefectura relatis quas Cherubinius ei tradiderat, rescivit inanes esse, elapsi ut erant dies quadraginta ab earum concessione. Opus igitur Moronio fuit, ut novas expediret, et quidem suomet nomini demandatas, quibus munus suum exercere jure potuit. Praecedenti anno 1843, quo cum Cherubinio locatio absolutura erat, Egistius e re sua duxit in posterum concedere aedem cum apotheca eidem Moronio, annua pensione scutorum nonaginta haud immutata. Sollicitus inde fuit etiam ante diem conventum Cherubinio disdictam nunciare, qui adversus eam quamdam protestationem nullius roboris adjecit. Fine locationis advento, Egistius ad quaestiones cum Cherubinio praecidendas saniori consilio, ut qui eum vadare potuisset ad domum, cum apotheca reddendum, eximere ab bujusmodi actu meluit, atque accedente intimatione Cherubinio patefecit, se loco restitutionis recipiendae praetulisse traditionem domus, ac apothecae quam Moronius perfectam habuerat, quin quid ultro Cherubinius responderet. Qui iterum aliam inanem protestationem Egistio repetiit. Sententiam inde mutavit, actionemque suam adversus Moronium explicavit, eumque coram tribunali Commercii arripuit « *Per sentirsi decretare la evacuazione della bottega, ed annessi al medesimo affittati in via della Palombella numero 41, 42; non che restituire contemporaneamente tutti, e singoli stigli in essi esistenti, ed al medesimo consegnati, nell'istessa qualità, quantità, e valore, unitamente alle patenti consegnate al citato* ». Sententia lata est, qua praeter instrumentorum restitutionem, sive eorum pretium, quae nec a Moronio denegabatur, caeterae instantiae partes sunt penitus rejectae. Nec Cherubinio profuit appellatio: nam Rotae senatus confirmavit quae in primo jurisdictionis gradu definita sunt. Adhuc pertinax Cherubinius recursum interjecit, et pro restitutione in integrum certamen paravit. Sed ejus despecto desiderio Patres bodie rescripserunt « *Nihil* ». Hac per me edita decisione argumenta patent, quare ab hoc beneficio Cherubinius repulsus sit, cui tamen arma sumere tempus superest in novis comitiis.

§ 2. Adeo infirmum Cherubinii jus ejus etiam oratori visum est, ut potiusquam de eo aliquid diceret, deprecari hodie Patres praetulit, ut different judicium, usquedum monumenta exquisiverit, super quibus defensionem inniti valeret pro petita in integrum

restitutione; quae causa magis impulit Patres ad rescriptum promendum; quippe qui animadvertebant usque ab aprili proxime elapso Cherubinium adversus rem judicatam in actis misisse querelam, quin adhuc sive in jure, sive in facto quid iuvenerit ad suam thesim propugnandam. Constat ex hoc igitur nullum possidere, vel invenire ei liceat novum, ac validum documentum, cujus vi injustitiam rei judicatae saltem innuere ei contingat. Unam igitur partem a lege distinctam jam fatetur Cherubinius sibi deesse ad restitutionem in integrum assequendam, nempe « *La ingiustizia manifesta dee risultare o dall'essersi giudicato sopra documenti riconosciuti in appresso come falsi, o dall'essersi rinvenuti documenti dubblici, o privati, coi quali si provino fatti nuovi, e decisivi* » § 1058 cod. prax.

§ 3. Patribus supererat, ut inspicerent utrum ea quae sub eodem paragrapho lex affert, ad subjiciendam novo judicio quaestionem quodammodo innotescerent « *Dal non essersi nelle sentenze avuto ragione di qualche legge, o dall' essersi espressamente contravenuto ad una legge in vigore* ». Utramque sententiam, a qua res judicata constituta fuit, maxime Patres perpenderunt, adeoque sobriam, ac rimatam aestimarunt, ut nihil primae, alteriusque jurisdictionis judicibus effugisse, et ad unguem non servasse dici posset. Et sane. Cherubinius contendebat, Moronium ab apothecae evacuatione absolvi non posse, quatenus initus sublocationis contractus ad finem pervenerat, eique titulus deerat, cur iu possessione aedis, ac apothecae persisteret. Viri periti commercialis aulae legem Zenonis praeterire dedignati sunt, quin responderent Cherubinio primo conductori vetitum esse persequi Moronium subconductorem suum, qui voluntate domini rem locatam, ideoque novo, ac potiori titulo possidebat. Argui igitur judices nequeunt legem praeteriisse quaestioni congruam « *dal non essersi nella sentenza avuto ragione di qualche legge* ».

§ 4. Clamores extulit Cherubinius ante Rotae praesules, Egistium locationem sibi prorogasse verbis validissimis, antequam cum Moronio de ea egisset. Miserunt Patres Moroni apocham regestro munitam ex lege praeferendam esse cuicumque contractui, de quo Cherubinius jactare se posset, etiamsi scriptis mandatus fuisset. Id animadverterunt, quod secundi judices, ne inauditum eum repellerent, benigne aures ejus orationi praebuerunt; quam tamen, omni probatione penitus expertem, ad a se fictam contractus prorogationem demonstrandam amplecti minime quiverunt, testibus spretis, quibus Cherubinius utebatur, utpote suspectis, invicem contradicentibus, nullaque fide dignis. Quod si ex inefficacia disdictae novum argumentum texere Cherubinius maluit aliud quadriennium juxta pactum cum Egistio produci, non ideo praesules rotales ullam legem fregerunt, et hoc alterum diffugium reprobantes. Nisi enim die praestituto intimatio disdictae ad acta delata fuit substantiali formae Egistius minime defuit, statim ac ad notitiam Cherubinii disdicta ipsa pervenerit, quod legis fini respondet. Insuper Cherubinius cuicumque nullitati valedixerat, quum protestatus fuit se velle in perseverantia contractus, haud ex invaliditate disdictae, verum ex renovatione os ad os cum Egistio peracta. Singulis bis in themidis lance libratis, merito judices Cherubinii cavillationes deseruerunt, quibus nec respondere potuissent, quatenus potius adversus Egistium proponi oportuissent, quam adversus Moronium, cui nullatenus pertinebat verbalis contractus, transmissaque disdicta.

§ 5. Postremum de re judicata Cherubinius conquerere arbitrabatur, quae Moronium absolvit a restitutione litterarum patentalium. Perperam tamen. Eae enim quas ipse Moronio tradidit, omni robore destitutae erant, praeterlapsi ut erant nedum quadraginta dies, quin iis usus fuisset ad legis edictalis formam, verum etiam quinque menses: adeoque ineluctabile hoc argumentum sistit, ut Moronio opus fuit quaerere ab annonae praefectura, et regionis praeside novas litteras, iisque muniri, ut in apotheca subconducta salsamentarii artem ipse exercere valeret.

§ 6. Sileat igitur Cherubinius, neque pudeat hujusmodi instruere judicia, ne vacuus ab iis jugiter evadat, quin speret inde posse iterum ea suscitare remedio restitutionis in integrum, quod nisi ad aemulum suum defatigandum reperire hodie studuit, quodque vero a justitia Patrum merito denegatum fuit rescripto « *Nihil* ». Et ita etc.

Die 21 augusti 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Apollonj — D. Severinus Tirelli

Romana seu Praenestina Appellationis

Jovis 24 Julii 1845

Argumentum

Agitur de transitione ab veteri ad neotericam praxim, circa appellationes, et improprias resjudicatas.

§ 1. Ex jure pascendi, quod princeps Barberini, et Consulatus artis agrariae sibi adserebant in territorio praenestino, facultatem quoque sibi inesse autumabant prohibendi, possessores agrorum ne eosdem sepirent. Cum anno 1805 monitorium hoc desuper expediissent adversus Capitulum Massae Antiquae Praenestis, istud vicissim petiit, et obtinuit ab A. C. Pelagallo, praevia moderatione monitorii « *Manuteneri in quieta, libera, pacifica, ac immemorabili possessione juris restringendi semper, et quandocumque claudendi foveis, circumdandi sepibus, murisque, alioque quocumque modo pro arbitrio muniendi proprios agros, terrenosque cujuscumque generis culturae, ac speciei in universo territorio praenestino existen.; eosque sic restrictos, circumdatos, ac clausos ad arbitrium pariter colendi, pascuis, herbisque ibi enascentibus utendi, pascendi, aut vendendi, aliaque in iis libere, et ad placitum gerendi* ».

§ 2. Post latam ejusmodi sententiam, quae diem praefert 20 februarii 1807, Consulatus artis agrariae, sub fuco cujusdam privilegii, resumere tentavit eamdem causam, licet definitam coram eminentissimo Camerario in civilibus, indicto vadimonio praeter Capitulum, etiam DD. De Cesaris, Jacobo Petrini, et litis. Sed urgente Capitulo, causam remitti ad S. Rotam in gradu appellationis, auditor Sanctissimi die 13 augusti 1808 tulit sequens decretum « *Obtinuit ut supra quoad instantem, quo vero ad alios citatos remisit eidem auditori Rotae tamquam in prima, cum facultatibus A. C.* ». Decretum sequuta fuit commissio, juxta quam ob lapsum fatalium disputatum videtur dubium « *An constet de rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum* », cui sub die 26 junii 1816 responsum fuit « *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam* » et elapso deinde anno, videlicet sub die 2 junii 1817 « *In decisis* » ut patet ex decisionibus earumdem dierum coram Cesarei, quibus in congregatione rotali diei 1 augusti subsequentis accessit rescriptum « *Expediatur* ».

§ 3. Decennium post haec erat proximo periturum, cum exequutioni demandatum fuit idem rescriptum ab R. P. D. nunc eminentissimo De Cursiis. Quo vix denunciato, Consules artis agrariae transactionem cum Capitulo inire duxerunt; econtra princeps Barberini appellationem interposuit, instans una simul apud Signaturam, ceu tunc moris erat « *Declarari esse locum observantiae appellationis in suspensivo sub banca* ». Quae instantia die 19 novembris 1827 ablegata fuit ad plenum tribunal, destinata quarta signatura; habuitque locum deinde etiam descriptio causae in albo, et activa transmissio commissionis. Profundissima quies in hoc rerum statu supervenit, quae perseveravit ad primam usque diem martii volventis anni, cum princeps Barberini petiit « *Subrogari alium ponentem in locum cl. me. R. P. D. Oddi Baglioni, nec non destinari signaturam ad effectum proponendi causam de qua agitur* ». Rei cognitione hac mane delata ad nostrum Ordinem, rescriptum prodiit favore capituli « *Nihil de appellatione* ».

§ 4. Quamquam juxta veterem praxim resjudicata constare deberet tribus conformibus, et proinde a duabus concederetur, uti forenses nuncupabant, appellatio *sub banca;* distinctio nihilominus erat, uti nunc, inter appellationes ordinarias, et extraordinarias. Permissum quidem erat jure veteri bis appellare; verum deserta appellatione, aut ejusdem prosequutione, sententia quamvis unica in remjudicatam transibat, quam etiam nunc dicunt *impropriam*. Fatalia non minus pro hodiernis, quam pro veteribus judiciis erant constituta eo tantum discrimine, quod olim latiores termini, modo angustiores; et dum antea opus erat reum pluries admonere de lapsu fatalium, hodie debet ipse vigilare, ne excur-

rant, et cadat suo jure. Manet idcirco quovis tempore, ob desertionem appellationis sententiam abiisse in remjudicatam, et exequutioni demandari potuisse, *leg.* 8 *cod. de appellat.; Ridolfin. prax. judic. par.* 1 *cap.* 13 n. 637 *et seq.; Rot. in dec.* 81 *num.* 1 *par.* 1 *recent.*

§ 5. Adversus autem resjudicatas, sive proprias, sive improprias, nemo valet nisi extra ordinem audiri, impetrato antea nimirum beneficio restitutionis in integrum, idque etiam ex veteri praxi, prout suadebant in themate verba commissionis « *Actis vero transportatis praefixe alio brevi, et competenti termino ad docendum de appellatione, ejusque legitima prosequutione, ac de praetensis causis restitutionis in integrum* » et maxime formula dubii disputata in S. Rota « *An constet de rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum* ». Quibus positis consequens videbatur, obtenta jam appellatione extraordinaria, nullum aliud principi Barberinio remedium superesse, cum inauditum non minus sit, quam legibus vetitum, ab extraordinario remedio ad ordinarium redire, quemadmodum fieret, si daretur appellatio a sententia lata in gradu restitutionis in integrum, *leg.* 1, *et* 3 *cod. si saepius in int. restit. postul.*

§ 6. Nec profuit animadvertere, quod impropriae reijudicatae non esset olim ea, quae nunc vis, nisi quoad executionem, cum relate ad bonum jus de stilo tam Rotae, quam Signaturae, sententia, quae in remjudicatam transierat ob lapsum fatalium, reciperet appellationem devolutivam. Seposita enim hac indagine Patres observabant, jure veteri appellationes fuisse utcumque impetrandas, et potuisse recusari quoties non constaret de sententiae gravamine, *c. cum in ecclesia de appellat.; Rot. decis.* 36 *numer.* 8 *part.* 10 *recent.* Quod si eo temporis denegabatur ex hoc capite appellatio, etiam a sententia in judicatum transacta ob desertionem, *Rot. decis.* 117 *numer.* 9 *part.* 9 *recent.*, censuerunt eo magis posse denegari a sententia, quae remjudicatam impropriam confirmavit, cum evidentius inde erumpat hujusce justitia.

§ 7. Et re sane vera praetensum jus prohibendi restrictus in agro praenestino, quod princeps Barberinius, et Consulatus artis agrariae sibi asserebant, uti consectarium juris pascendi in terrenis apertis, ac semine vacuis, eliminabat omnino, praeter innumeras testium depositiones, jugis ipsa restringendi consuetudo, agnita, et probata a Consulibus artis agrariae, et a rebus interdum judicatis favore nonnullorum civium pro sarcitione sepium, et emendatione damnorum, verbo pro manutentione in possessione juris restringendi, ceu latius ex decisionibus 26 *junii* 1816, *et* 2 *junii* 1817 *coram Cesarei*, quae nullius roboris invenerunt eadem ipsa monumenta, quibus hodie princeps utebatur ad appellationem consequendam. Nullum propterea gravamen utraque sententia praeferebat, quod nova appellatione, quatenus eam in statu rerum impertiri liceret, levari debuissent.

§ 8. Fastigium hisce omnibus imponere videbantur nuperrimae sanctiones, quae certum terminum constituerunt ad interponendam, aut prosequendam appellationem; nominatim vero lex edictalis diei 30 augusti 1835, quae « *Gli appelli interposti, ed intimati anteriormente al primo gennaje scorso* » jussit « *saranno proseguiti nel termine di un semestre dal primo settembre prossimo* » quo termino elapso « *ha luoge la perenzione a forma del* § 991 » videlicet « *di piene diritto, senza bisogno di giudiziale interpellazione* ». Cum namque appellatio de qua agitur extitisset denunciata usque ab anno 1827, et nondum deinde prosequuta, eo ipso censeri debet perempta. Nec refert, fuisse descriptam causam in albo, ac transmissam commissionem; nam praeterea necesse videbatur, ut appellatio vere prosequuta dici posset, causam intra terminum proponere, ne contra mentem legislatoris alicui obdormire liceret, et ad lubitum deinde expergisci sub obtutu, quod appellatio adhuc sub judice maneat, quamquam ejus culpae hoc sit unice imputandum. Et ita etc. Utraque etc.

Die 4 septembris 1845 « *Servetur appellatio, et extendatur decisio per R. P. D. Janni, et reproponatur* ».

Die 18 decembris 1845 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Franciscus Xaverius Borghi — D. Antonius Vasselli.

Prot. 75/1845 R. P. D. FERRARI Decisio XLV.

Romana Restitutionis in integrum

Jovis 7 Augusti 1845

Argumentum

Disputatur, de pignoris, et pecuniae ex illius venditione perceptae dominio, nec non de eorum fructibus; de damnis ex procrastinatione judicii graduationis alterius culpa subortis; et de renovatione inscriptionis hypothecariae.

§ 1. Inter Sodalitium Deiparae ab Angelo salutatae, marchionem Lugdovicum Potenziani, atque Alexandrum, et Vincentium fratres Sartori coram congregatione camerali A. C. decertabatur super distributione pretii, quod ex licitatione domus ad sorores Crespias pertinentis redierat, quum marchio Lugdovicus Potentiani, solemnibus tabulis diei 14 februarii 1832, privilegiatum canonum creditum, sodalitio nunquam solutorum, in ingenti summa scut. 1646: 39 ½ praeter judicii expensas in aliis scut. 73: 41, ab illius loci pii moderatoribus comparavit. Hinc castrensia requisita primum interpellavit, postea petiit, ut pecunia deposita sibi traderetur, ad effectum investiendi, qua tribunali probata, marchio die 14 septembris anni 1832 promisit investimento se fore collocaturum vim scut. 2040, « *proveniente dalla subasta, e delibera della casa una volta Crespi, e di pagare i frutti del* 5 *per* 100 *in caso di non seguito rinvestimento, ed a favore di chi di ragione* ».

§ 2. Diu post haec litigatum fuit super quantitate canonum, qui Sodalitio, sive Potentiano ejus cessionario forent numerandi. Disputatum quoque fuit de praelevationibus, de sede cuique creditori tribuenda, et utrum pensiones post pignus praetorium a domo perceptae, et fructus pecuniae investimento collocatae, efficerent caput distinctum favore omnium creditorum distribuendum, utrum potius quasi capitis accessiones marchioni privilegio, et gradu pollenti essent adjudicandi. Quaestiones has omnes diremerunt duae sententiae, altera congregationis cameralis A. C., altera tribunalis Plenae Camerae. Quum vero marchio existimavisset rem hanc judicatam aut nullitate laboravisse, aut legem manifeste violasse *ex eo quod concessit Sartoriis fructus sortis ipsis in graduatione attributis*, circumscriptionem, sin minus restitutionem in integrum postulavit. Abjecta hinc circumscriptionis querela, de restitutione in integrum tantum in hodiernis comitiis quaesitum fuit, sed Patres interpositum recursum rejiciendum duxerunt rescripto « nihil ».

§ 3. Animadvertebant enim restitutionis in integrum beneficium concedi non posse, nisi manifesta pateat rei judicatae injustitia, quae injustitia erumpere debet « *O dall'essersi giudicato sopra documenti riconosciuti in appresso falsi, o dall'essersi rinvenuti documenti pubblici, o privati, con i quali si provino fatti nuovi decisivi, o dal non essersi avuto ragione nella sentenza di qualche legge, o dall' essersi contravenuto espressamente ad una legge in vigore* ». Atqui haec omnia in themate omnino exulabant. Res enim judicata neque falsis documentis innitebatur, neque nova afferebantur factorum monumenta, quae illius injustitiam arguerent, nulla insuper in judicando aut praetermissa, aut pessumdata fuit lex. Contendebat quidem marchio Lugdovicus legem violatam fuisse, quia res judicata fructus ex pretio licitatae domus perceptos non sibi attribuerat, qui ex sodalitii cessione primum in graduatione locum obtinuerat, sed massae creditorum, proindeque fratribus Sartoriis concesserat, qui in secunda sede positi fuerant. Verum neque in toto Romanorum jure, neque in nuperrimo praxis codice lex ulla indigitabatur a re judicata pessumdata.

§ 4. Sunt quidem fructus capitis accessiones, idem quoque de fructibus, atque de capite judicium ferendum est, ad ea quae sancita sunt *in leg.* 35 § 1, *et leg.* 49 § 1 *ff de rei vindicat.*, *in leg.* 12 § 3 *ff ad exhibendum*, *leg.* 22 *cod. de rei vindicat.* Sententia quoque retrahitur ad diem incoepti judicii, quippe quia judices nullum jus tribuunt, sed illud declarant *ad text. in leg.* 20 *ff de rei vindicat.*, sed res judicata leges istas minime violavit. Pignoris enim dominium non ad Potentianum, sed ad debitorem pertinebat; quum jus pi-

gnoris domininm exclndat; res euim sua nemini servit « *Pignus in bonis debitoris permanere, ideoque ipsi perire in dubium non oenit* » quae verba sunt *text. in leg.* 9 *cod. de pignorat. act.* Quod si rei pignoratae domininm ad debitnrem spectat, fructus quoque ad eum pertinere debent, utpote qui suot capitis accessiones, ideoque communem massam inter creditores distribuendam augere debent, ad *text. express. in leg.* 1 *cod. de pignorat act.* « ibi » *Ex pignore percepti fructus imputantur in debitum, qui si sufficiunt ad totum debitum, soloitur actio, et redditur pignus* » et consonat codex gregorianus § 1378 « ibi » *I frutti, e le utilità prodotte dai mobili, che ne sono capaci, ed il reddito dei beni immobili aumenteranno la somma da distribuirsi: i depositarj, o sequestratarj giudiziali dooranno esibirne il conto giustificato* ». Si igitnr res judicata fructus debitori, sive creditoribus omnibus tribuit, non solum leges, quae constituunt fructns accessiones capitis esse, minime violavit, sed eas imo optime casui nostro aptavit, statim ac fructus tribuit debitori, ad qnem caput pertinebat.

§ 5. Quam jurisprudentiam extraneam perperam marchionis defensores contendebant, quia non agitur de fructibus pignoris, sed de frnctibus pecuniae ex venditione pignoris perceptae. Nam nulla in corpore juris reperitur distinctio inter pignoris, et pecuniae frnctus; neque ulla distinctio fieri poterat. Nam etiam pecuniae dominium ad debitorem pertinet. Ipsa enim succedit loco pignoris, illudque repraesentat, qnod adeo verum est, ut super pecunia bypothecae transferuntur, ad ea quae caventur in § 1366 cod. praxeos « ibi » *Se la istanza per la nullità non viene presentata nel termine di venti giorni dalla notifica del processo di vendita, l'acquirente, o aggiudicatario dei beni immobili, che ha depositato l'intiero prezzo, potrà chiedere al tribunale il cancellamento delle iscrizioni del fondo, o fondi venduti. Il tribunale ammettendo tale dimanda dichiarerà, che le ipoteche sono trasferite sul prezzo depositato* ». Si igitur bypothecae super pecunia deposita transferuntur, manifestum visnm fuit, creditores super pretio pignoria nullo pollere dominio, eornmque jus ad hypothecam tantum cohiberi, qnum dominium, et bypotheca super nna, eademque re concipi nequeant; unum enim alterum prorsus excludit.

§ 6. Ceterum, pignoris pretium penes debitorem usque ad illius distributionem permanere, ex eo quoque Patres arguebant, quod per traditionem rerum dominia acquiruntur; proindeque, donec marchioni per graduationem non tradebatur, in ejus dominium non perveniebat, sed penes debitorem manebat: arguebant quoque ex eo, qnod pecunia quae superest debitori restituenda est « *Se pagato* (ita in § 1289) *il credito, e le spese rimanesse una somma presso il depositario, il giudice, o tribunale, nella stessa sentenza di consegna ordinerà, che questa venga restituita al debitore* ». Neque aecus sancitum erat *in l.* 1 *cod. de pignorat. act.* « *Si fructus debitum excedant, qui supersunt redduntur, videlicet mota actione pignoratitia* » et pressins *in leg.* 29 *cod. de distract. pign.* « ibi « *Secundum placiti fidem, si nihil convenit specialiter, pignoribus a creditori majore, quam ei debentur, pretio distractis, licet ex eo fundus comparatus sit, non super hoc in rem, sed in personam, id est pignoratitia de superfluo competit actio* ». Quod si snperfluum ad debitorem redire debet, boc ipso demonstratum est, pecuniae domininm nnnquam amisisse, proindeque ad eum ejusmodi pecuniae accessiones tribnendas esse.

§ 7. Ita extraneae qnoqno sunt leges super sententiarum retrotractione ad quas marchionis patroni confugiebant. Nam die, quo pretii distributio petita fuit, nullum alind jus ille babebat, quam obtinendi pro capite graduationem praelative quoad caeteros creditores. Fructus vero ea die ad debitorem pertinebant. Retrotractio igitur sententiae nullum jus ei tribnebat, nulla itaque injnria irrogata fuit si fructus denegati fuerunt. Nam donec pecunia ei per graduationem non tradebatur, neque ad frnctns jns ullum erat. Si ex multis, quae exarsernnt, quaestionibus, dilatum cum ipsius damno fuit graduationis judicium; si creditores fructuum perceptione locupletiores facti sunt, aut haec omnia eorum culpa propter litigandi proterviam locum habnerunt, et marchio agere poterit pro damnorum emendatione, uti decisum fuit a s. Rota *in Perusina seu Florentina restitutionis in integrum* 4 *junii* 1832 § 7 *cor. Bofondi*, aut ex implexa qualitate judicii evenerunt, et boc rei adjunctum facere non potest, ut fructus eos suos faciat, qui in debitoris utilitatem cedere debent.

§ 8. Neque casui nostro aptari possunt decisiones s. Rotae *in Caesenaten. graduationis coram Pianatti, Isoard, et Ruspoli*. Nam illa causa inspectis gallorum legibus judicata fuit, quae creditoribus, qui ad pretii distributionem sedem utilem assequuti erant, ejusdem pretii fructus tribuebant, uti manifestum est ex pragmatico eorum codice art. 757, 767, et 770, ex doctoribus, et ex innumeris gallorum tribunalium decisionibus. Ceterum decisio diei 18 aprilis 1828 coram Ruspoli profitetur, *quod rem primum dubitationi paullum obnoxiam, extra controversiam posuit pragmaticus gallorum codex*. Quod si res dubitationi obnoxia erat, res judicata male forsan leges romanas interpretata fuit, sed illas minime violavit. At ex minus recta interpretatione restitutioni in integrum locus non est, uti pluries ab Ordine nostro definitum fuit, et praesertim *in Ariminen. restitutionis in integrum* 19 *decembris* 1833 § 13 *coram R. P. D. Alessi, in Ferrarien. restitutionis in integrum* 15 *maii* 1834 *cor. Galimberti, et in Caesenaten. restitutionis in integrum* 21 *augusti* 1834 § 15 *cor. R. P. D. Piccolomini Amadori*.

§ 9. Post haec, vix immorandum PP. censuerunt in aliis querelis, propter quas restitutionem in integrum marchio petebat. Nam recursus cohibitus fuerat ad illud tantum, quod resjudicata *concessit Sartoriis fructus census*, proindeque ea omnia, quae disputabantur de interpellatione requisitorum castrensium, de nullitate renovationis inscriptionis a Sartoriis susceptae, de existentia Joannis Baptistae fratris Vincentii, et Alexandri, nullo in pretio habenda esse duxerunt. Nam de iis tantum querelarum causis investigationem supremus Ordo suscipit, quae in recursu comprehensae sunt; ceterae posthabitae jugiter fuerunt.

§ 10. Animadverterunt tamen PP., quod requisitorum castrensium interpellatio jure, meritoque spreta fuit; nam substantiale deficiebat eorum requisitum, in debitoris mora positum. Canonis enim creditum liquidum non erat; quin imo multis implexum quaestionibus, ad quas dirimendas perito curiali opus fuit; insuper fratres Sartori justam habuerunt causam litigandi pro eorum liquidatione; nam per transactionem in scutis hiscentum imminutum fuit. Deficiente autem mora, nunquam perceptioni fructuum locus est. Valida quoque renovatio inscriptionis hypothecariae existimata fuit. Nam licet designatae in ea non fuissent debitoris patria, et domicilium, haec tamen omissio incertam debitoris personam non reddebat. Sartorii enim relationem habuerunt ad primaevam inscriptionem, in qua Jacobus Crespi designatus fuerat « *capo mastro falegname, domiciliato in Roma via de' Delfini num.* 17 », et relationem habuerunt ad instrumentum, ubi apparebat debitoris patria, et domicilium. Quum itaque de persona debitoris dubitari non posset, valida erat inscriptio. Nam in articulo 46 edictalis legis diei 6 julii 1816 sancitum est, quod « *La mancanza, o la erroneità di alcuna delle indicazioni espresse nell'art.* 43, *non porterebbe nullità della iscrizione, che nel solo caso in cui rendesse sostanzialmente incerta la persona, rispetto alla quale aveva luogo l'iscrizione* ».

§ 11. Nihili tandem PP. fecerunt existentiam Joannis Baptistae Sartori, alterius litigantium fratris. Nam creditum ad communem patrem pertinebat, et ab unis Alexandro, et Vincentio judicium pro illius assequutione actum semper fuit, neque ad illud Joannes Baptista unquam venit. Si igitur sui crediti symbolam non postulavit marchio, antequam pretium ex licitatione assequutum, Alexandro, et Vincentio traderetur, cautionem postulare debebat pro tertia crediti parte, sed pecuniae traditionem remorare nequibat, uti decisum fuit a S. Rota *cor. Royas dec.* 374 *num.* 1, *cor. Celso dec.* 92 *num.* 14, *rec. part.* 2 *dec.* 148 *num.* 13, *et cor. Emerix jun. dec.* 162 *num.* 4. Quum itaque ordinario remedio consulere marchio sibi potuisset, ad extraordinarium restitutionis in integrum beneficium confugere nequibat. Et ita in acerrimo litigantium conflictu decisum fuit.

Die 11 septembris 1845 « *De causis sine praejudicio reijudicatae, etiam quoad refectionem expensarum, et extendatur decisio per reverendissimum decanum* ».

Die 18 decembris 1845 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Bartholomaeus Belli — D. Constantinus Brioni.

Prot. 26/1845 Rmo P. D. CONVENTATI Decano DECISIO XLVI.

PISAURENSIS UNIONIS ET AVOCATIONIS CAUSARUM

Jovis 7 Augusti 1845.

Argumentum

Petitur unio causarum, quarum altera executionem contractus mulieris, altera ejusdem nullitatem respicit ex defectu solemnium.

§ 1. Litterarum imperita Caecilia Bartolini, folium signo crucis munierat erga Antonium Pistoja advocatum pisaurensem, quo suum jus ei cesserat repetendi a quibusdam Ruffiniis scuta 242, et obul. 34, ad liquidum perducta in vim judicialis victoriae adversus eosdem relatae, insuperque alia scuta 47 promiserat soluta, ac obulor. 83, statim ac coetera mandata rotalia mulier executa fuisset contra ipsos Ruffinios. Quam integram pecuniam scutorum 290. 27 Caecilia fatebatur debitam advocato ob impensas, suique muneris labores adbibitos in judiciali conflictu cum iisdem Ruffiniis, a quo ipsa victrix excessit; quas dum advocatus persequebatur, ut exigeret scuta biscentum quadragintaduo, foemina ducens se esse deceptam, judicium movit adversus Pistoja, et coram aula civili Pisauri petiit, chartam illam nullius roboris, et inefficacem fieri, praecipue ob solemnitatum defectum, quae a lege requiruntur ad validitatem contractuum cujusque mulieris. Tum advocatus Andreae Bruscolini scuta illa septem supra quadraginta cessit, quae Bartolinia rependere ei debuisset, vix a Ruffiniis retulisset compendium mandatorum rotalium. Cessionarius prodiit inde, vadansque cedentem ac Caeciliam coram vicario generali Pisauri, ut foeminae dies constitueretur ad executionem eorumdem mandatorum perficiendam. Ad judicii discrimen effugiendum, advocatus molestias Bartoliniae indixit, ut una ipsa de iis responderet. Ne causae dividerentur, eveniretque sententiarum discrepantia, Bartolinia ad Ordinem nostrum sese confugit, expectans a Patrum justitia, ut quaestio super nullitate apochae copularetur cum altera, quae ab advocato suscitata, eam cohibet ad molestias per Bruscolinium illatas sustinendas. Nec se fefellit; Patres enim hodie rescripserunt « *Eidem vicario generali Pisauri in statu, et terminis* » extensa per me decisione, qua evulgata, post viginti dies quaestio iterum discutiatur.

§ 2. Agit Caecilia coram tribunali civili Pisauri, ut evanescat contractus, quo se erga advocatum Pistoja devinxit, tribuens ei jus exigendi scuta 290. 27, quae a Ruffiniis eidem foeminae debebantur. Advocatus adigit Bartoliniam ad molestias suscipiendas, quae a cessionario Bruscolinio ei inferuntur, ne scuta quadraginta septem super quibusdam rotalibus mandatis, ab ipsa foemina per eamdem stipulationem obligata, percipienda remorentur, verum ante judicem ecclesiasticum ejusdem civitatis. Nihil facilius, quam ex diversa hominum mente, absolvatur a contractu Bartolinia ab uno; damnetur ad illum exequendum ab altero. Stat igitur legis ratio, cur sub uno eodemque judice divisae instantiae copulentur, ne sententiae huc illuc edantur, quae inter se collidi possent « *Cosicchè il farlo decidere da diversi giudici, o tribunali produrrebbe contrarietà di giudicati* » § 1050 codicis praxeos.

§ 3. Dum connexionem arctissimam inter unum alterumque judicium inesse patebat, ab diversa eorum natura unionis impossibilitas statui ab Andreae oratore volebat. Etenim actionem foemina deduxerat ordinariam ad civilea judices Pisauri, executivam ad ecclesiasticum Bruscolinius. Quam exceptionem Patres ipsi invenerunt ne, quod exequi statim debet, praepediretur a quaestionibus implicatis, diuturnis, atque altioris indaginis. Utique hanc doctrinam praeseferunt nonnullae Ordinis nostri decisiones, verum eam haud umquam usurparunt, quum nullitatis exceptio in continenti probata, scateret ex ipso titulo, vel fonte, a quo executiva actio manabat. Animadverterunt insuper Patres adeo inanem esse obligationem Bartoliniae, ut nibil per eam advocatus experiri valeret. Foemina enim quidquid spondeat, praeter solemnia a lege praescripta, vanum est, et prorsus invalidum. Provocata

igitur a Caecilia nullitate contractus, consistere eo magis nequibat ejus executio, quin saltem sub uno, eodemque judice controversiae conjungerentur.

§ 4. Nec Patribus lex erat decretum a tribunali civili Pisauri prolatum, quo, Ruffiniis instantibus, ne ad subbastationem pignoris Pistoja progrederetur usquedum instantia Bartoliniae pro nullitate contractus indefinita penderet, rejectum fuit unam quaestionem ab altera suspendi, ita ut executiva citius procedat, ordinaria terminos a jure datos expectet. Senserint bene ac male ii judices nihil Patres afficit, quibus ad unionem indulgendam sat est, periculum imminere sententiarum discrepantia. Attamen Patres non sine valida ratione aliter quam pisaurenses judices arbitrati sunt hodie respondendum esse. Advocatus vices gerebat Bartoliniae, hujusque nomine subhastationem impetebat. Ruffinii debitores impedire satagebant progressum actorum, et quidem executorialium: juribus foeminae uti ii nequibant: merito igitur horum petitio rejecta fuit. Quod non accidit in hodierno foeminae recursu.

§ 5. Confidebat Bruscolinius supervacue foeminam implorasse causarum unionem, quum nihil eidem attineat quod pepigeret cum advocato. Verum Patres nullam distantiam intercedere duxerunt inter cedentem, et cessionarium, qui unam eamdemque personam constituunt, quum nihil juris insit in cessionario, quod a cedente non profluat, *l. in his* 175 § 1 *ff. de regul. jur.* Perperam igitur Bruscolinius divellere se autumabat a quaestione, quam Caecilia adversus Pistoja excitavit. Fracto contractu inter foeminam et advocatum, amittit jus Brusculinius consequendi ab ea scuta quadraginta septem. Necesse itaque est, ne causae disjunctae procedant, quatenus facile oriri posset sententiarum antynomia, quam in unionibus praecipue juxta legem Patres animadvertere, et arcere debent.

§ 6. Ad tribunal civile Pisauri defarri in recursu proponebat Bartolinia causam motam coram vicario generali ejusdem civitatis: verum haud petitionem instantis sequi Patribus licet, quibus a lege praecipitur « *Nel caso del* § *precedente* (nempe concadendae unionis) *il tribunale supremo riunirà le cause, e le rimetterà al giudice, o tribunale, che sarà stato prevenuto nella causa di entità maggiore, salvo sempre il privilegio del foro ecclesiastico* ». Nequibant igitur alio uti rescripto quam « *Eidem vicario generali Pisauri in statu, et terminis* ». Et ita utraque parte contendente definitum est.

Die 11 septembris 1845 « *Nihil, et extendatur decisio per R. P. D. Lippi, et reproponatur* ». Die 4 decembris 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Piselli — D. Bartholomaeus Belli.

Prot. 30 / 1845 — R. P. D. LIPPI — Decisio XLVII.

Maceraten. Circumscriptionis

Jovis 21 Augusti 1845.

Argumentum

Habes in decis. XXXVII.

§ 1. Quemadmodum narrat praecedens R. P. D. mei La Grua Valdina decisio, anno 1845 Bernardinus, ejusque nepotes Franciscus, et Michael Camajoni tria praediorum frustula Carolo Valori vendidere, pro argenteis in totum 156 ea lege, ut ipsis jus esset praedia eadem post sexennium eodem pretio redimendi. Mortuo Carolo, ipsius filii Bernardinus, et Aloysina haec ipsa bona in Æmigdium Cosenza venditionis titulo transtulere, quin eum admonerent dominium resolvi potuisse propter pactum redimendi erga Camajonios, atque anno deinde 1829 ad paternae haereditatis inter ipsos divisionem processere. Dum vero Æmigdius Cosenza velut tertius, et emptor in pacifica versabatur bonorum possessione, extemplo Camajonii diem tum haeredibus Caroli Valori, tum ipsimet Æmygdio dixere, sed coram civili asculano tribunali, ut jus ipsis praedicta praedia redimendi pro memorata summa scut. 156 competere declararetur.

§ 2. Petitionem hanc excepit asculani tribunalis sententia, quae subinde a maceratensibus appellationis judicibus confirmata fuit, vocato etiam ad causam Philippo Panichio postremo fundorum emptore. Orta re judicata, Æmygdius Cosenza recursum apud supremum nostrum Tribunal pro actorum circumscriptione interposuit, ex eo quod de causa infra scuta 200 ageretur, quae propterea non ad civile asculanum tribunal, sed ad pedaneum judicem primo in gradu deferri debuisset. Atque hanc petitionem praeteritis in comitiis rejectam, bodierna die, re intimius perpensa, excipiendam esse Patres duxerunt rescripto « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali civili asculano cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 3. Et sane, omnis quaestio in eo erat, ut dijudicaretur num actio a Camajoniis instituta inter majores caussas recensenda esset, an potius minorem valorem praeseferret. At rem prorsus dirimebat animadversio, quod ad litis valorem hauriendum libellus inspici debeat ad normam § 466 vigentis praxeos « *Il valore delle cause è sempre determinato dalla domanda dell'attore* ». Atqui libellus unam scut. 106 aestimationem exhibet, quum pro hac tantummodo summa fundorum redemptio depacta fuerit, et pro eadem Camajonii fundos vindicare sategerint. Ergo quum valor causae esset inferior scutis 200, institui judicium nequibat coram tribunali civili, quod jurisdictionem tantummodo habet in primo gradu super caussis valorem scut. 200 excedentibus.

§ 4. Hoc etiam suadet indoles actionis a Camajoniis institutae, quae mixta est, seu personalis adversus Valorios, quia in hos directa erat ad prioris contractus distractionem, seu ut nova pro eodem pretio celebraretur retrovenditio, realis autem in possessorem Cosenza, quia, distracto priori contractu, et facta retrovenditione, jus dominii a Camajoniis acquirebatur ad bona vindicanda. Etenim in actionibus mixtis litis valor deducendus est ex rei litigiosae valore, juxta praescriptum § 457 « *Nelle azioni reali, o miste nelle cause che riguardano il possessorio non sommarissimo, il valore della lite si desumerà dal valore della cosa litigiosa.* » Ergo caussa de qua agitur, inter minores recensenda erat, quia sive ex piano censu vigente venditionis tempore, sive ex eo quod contrahentes placuit, nunquam ad vim scut. 200 conscenderet. Ex piano siquidem censu, valor rei controversae scut. 164, et obul. 50 haud quaquam praetergreditur; ex censu praesenti, argentea 85, et obul. 5 minime excedit; ex eo denique, quod contrahentibus placuit, scut. 156 dumtaxat attingit. Ergo caussae cognitio ad pedaneum judicem spectabat, cui ex lege tribuitur jurisdictio cognoscendi, et dirimendi omnes controversias, quae summam scut. 200 haud quaquam praetergrediantur.

§ 5. Hinc minus rectum videtur, quod in praeterita decisione animadvertebatur, actionem scilicet institutam indeterminatum valorem praeseferre ex eo, quod juris redimendi exercitium respiceret, cujus aestimandi nullus modus subesset. Prae primis enim occurrit, quod etsi inter controversiam redimendi jus deductum fuisse videatur, hoc tamen Valorios dumtaxat, minime vero possessorem Cosenza respiciebat, contra quem actione reali poterat tantummodo agi. Jus siquidem redimendi ex pacto dependet, quo contrahentibus placuit, ut bona eadem distrahi, et removendi ne deberent, ac proinde personalem tantummodo parit actionem adversus Valorios, minime vero adversus tertium possessorem, qui ex eodem non obligatur. Hinc iste tunc tantum teneri poterat, quum, definita juris redimendi quaestione, emptionem a Valoriis factam rescindendam esse declararetur, ita ut dominium Camajonii quaererent, cujus vi actionem realem in possessorem Cosenza instaurare valerent.

§ 6. Accedit etiam, quod, licet quaestio esset de redimendi jure, non ideo tamen litis valor indeterminatus, et indefinitus censendus esset. Jus enim redimendi non continet jus quoddam universitatis, quemadmodum in actionibus haereditariis, tutelae, pro socio, aliisque id genus contigit, de quibus unice loquitur § 449, sed est quiddam singulare, quod rem ipsam controversam minime praetergreditur. Illud siquidem in hujus juris exercitio agitur, utrum emptio rescindi, et bona retrodari per retrovenditionem debeant; seu potius ut nova contrahatur eodem pretio venditio, ac proinde litis valor tanti faciendus est, quanti res ipsa

valet. Non itaque incerti valoris instituta actio dici valet, etiamsi jus redimendi respiceret, quum indeterminati valoris illud censeri non debeat, quod aestimari potest non modo ex rei ipsius controversiae pretio, sed ex ipsorum contrahentium voluntate. Juris ergo redimendi actionis valor quum insit in pretio certo ac determinato sc. 156 a contrahentibus ipsis praefinito, palam est, causae de qua agitur cognitionem, ad pedaneum judicem spectasse, etiamsi de redimendi jure ageretur.

§ 7. Nec regeri valet, redemptionis pactum valorem rei venditae in tertia parte minuisse, ita ut ad verum realemque fundorum valorem constituendum, summa illa in venditionem deducta augeri pro tertia parte, ad summam videlicet scut. 208 evehi deberet. Hoc statutum dumtaxat in laesionis judicio fuit, et optimo sane consilio, ad laesionem quo magis fieri possit vitandam, quia utilius est ut contractus serventur, quam rescindantur; ideoque nil refert ad caussam praesentem, in qua de laesione minime agitur. Sed hoc etiam seposito, quum jus redimendi in prioris contractus distractione consistat, et honorum valor certus sit, quia ab ipsis contrahentibus praefinitus, pretio videlicet scut. 156, nulla adest ratio, propter quam ad scut. 208 idem pretium evehatur. Non enim summa scut. 208, sed scut. 156 retrovenditio facienda erat, ac proinde non primum, sed alterum pretium statuere jurisdictionem debebat.

§ 8. Deteriori autem consilio Camajonii obiiciebant, actionem fuisse adversus Bernardinum, et Aloysium Valori uti filios, et haeredes Caroli patris fundorum emptoris instauratam, ac proinde ad civile asculanum tribunal deferendam causam fuisse, ex eo quod de divisione honorum inter fratres non constabat. Omisso enim quod aliud sit personalis actio in Valorios, aliud autem actio realis in Æmygdium instituta, omnis difficultas dirimitur ex census fide, quae de divisione jamdiu inter fratres peracta luculentissimam praebet probationem, atque idcirco evanescit quidquid de actionibus contra haeredes, nondum sequuta divisione, coram tribunali civili instituendis opponebatur.

§ 9. Quin valeret denique quod Æmygdius Cosenza coram judicibus primi, et secundi gradus exceperit, se non aliter ad fundorum redditionem teneri, nisi ipsi persolverentur scut. 280, quot ipse in emptione impenderat, perinde ac si litis valor ex hac exceptione hauriendus esset. Etenim litis valor non ex rei exceptione, sed ex actoris libello desumendus est. Atque haec omnia ostendunt, caussam de qua agitur inter minores recensendam esse, ideoque ad pedaneum judicem deferri debuisse. Quum igitur controversia delata fuerit ad civile asculanum tribunal, patula erumpebat actorum nullitas ex jurisdictionis defectu, quin litis contestatio, et paratae defensiones sanare hoc vitium valuerint. Jurisdictionis siquidem defectus ratione valoris insanabilis omnino est, propter absolutam judicantium incapacitatem, ut diserte cavet § 786 « *Il difetto di giurisdizione concernente la materia, ed il valore della lite è assolutamente insanabile.* » Quare acta coram asculano tribunali cum omnibus inde sequutis erant penitus delenda. Atque ita etc.

(*Vide Dec. XXXVII.*)

Die 13 februarii 1846 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Joannes Baptista Ugolini — D. Alexander Piccinini.

Prot. 57 / 1845 **R. P. D. JANNI** Decisio XLVIII.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 21 Augusti 1845.

Argumentum

Habes in Decisione XXXIX.

§ 1. Nobilissimi latifundii a nostratibus *Conca* nuncupati, quod longe lateque in romano agro ad jugerum plura millia porrigitur, conductionem ingenti sumptu atque instrumento tuendam, una cum exercitio furni venae ferreae fusorii, ab pia domo s. Inquisi-

tionis susceperat Petrus Coratius, non ignobilis rei agrariae ex instituto vitae negotiator. Latius ac fructuosius ut agrarium ex conducto latifundio negotium exerceret, minuti pecoris gregem ad capitum millia plura assurgentem coemere instituit ab notissimo in urbe negotiatore Petro Cartonio, data acceptaque invicem habita de pretio fide in argenteis octies mille ac centum duodecim, obulisque quinquaginta constituto. Publicae in id obsignatae sunt tabulae die 19 octobris 1840, in eisque cautum, ut depacti pretii solutio duplici aequali rata perageretur, quarum prima in diem 31 decembris 1841 numeranda veniret, altera vero in diem ultimam sequentis anni 1842, conventa interea desuper compensativi fructus repraesentatione ad rationem quincuncem. Quo coito pacto cum adhuc cederet primae solutionis dies Coratius veritus, ne die adveniente susceptae obligationi deesse videretur, Cartonium rogavit, ut annalem praeterea quoad utramque ratam dilationem solutioni indulgeret. Concedere in flagitantis vota Cartonius pro sua facilitate non recusavit, sed ut prudens rogationi non aliter annuere censuit, quam *suspensiva sub conditione* quarumdam peculiarium solutionum praestitutis terminis peragendarum, quibus stata die non explotis neque commissa dilationis stipulatio haberetur.

§ 2. Defecit sed brevi Coratius in implemento solutionum, unde commissio stipulationis pro nova dilatione pendebat; et cum praeterea etiam adveniente die moram fecisset in solutione primae ratae gregis sibi divenditi, judicialiter pulsatus est a Cartonio coram tribunali commercii Urbis, eique damnatus argentes 4056, obulosque 25 ad tramites primaevae stipulationis rependere. Quam pro accepta sententiam habens Coratius non eam modo quantitatem pecuniae Cartonio numeravit, sed aliam insuper argenteorum 1940 et obulorum 75 eidem persolvit « *in conto del prezzo del bestiame venduto* », quin tamen quidquam de redintegrando quoad reliqua dilationis beneficio caveretur. Factum hinc est, ut adveniente pro reliquo juxta pristinam conventionem solutionis die, cum aeque moram contrahere Coratius videretur, in eum Cartonius ageret coram eodem tribunali commercii, prout antea fecerat, similique ratione damnari sibi ad reliqua dissolvenda assequeretur. Ex confirmatoria s. Rotae sententia, ad quam incassum Coratius provocaverat, exorta rejudicata, victus ipse confugit ad supremum nostrum Ordinem proposita contra judicatum commerciale circumscriptionis querela ex defectu jurisdictionis, sin minus restitutionis in integrum petitione. Et res bene ei cessit initio. Quandoquidem Patres in comitiis diei 10 februarii labentis anni commerciale judicatum circumscribendum esse autumarunt ex defectu jurisdictionis ea potissimum ratione ducti, quod agriculturae negotium a commerciali penitus discriminetur, ceu videre est in ejus diei decisione, quam R. P. D. meus Ferrari evulgavit. Sed brevi fuit victoria laeta Coratio. Re siquidem in hodiernis comitiis novum ad examen revocata, aliud ac antea judicium de circumscriptionis querela esse ferendum, nec indulgendum restitutionis in integrum beneficium PP. DD. censuerunt, ad utramque postulati partem rescribendo « *Nihil* » ex rationibus modo enucleandis, novoque periculo de more subjiciendis.

§ 3. Rite siquidem primo apud commerciale Urbis tribunal Cartonium rapuisse Coratium Patres hodie agnoscebant, cum rem esse veros inter negotiatores commerciali jurisdictioni subjectos deprehenderent. Ejusmodi namque mercatoria in Cartonio persona, quae eum jurisdictioni tribunalis commercii manciparet, explorata jamdiu res erat, neque controversiam patiebatur inter partes. Nec aliter de Coratio constitui posse compertum e conspectu neotericae legis in § 297 sine ambage indicentis « *Sono soggetti ai tribunali di commercio i negozianti di tutte le classi, da cui si traggono i membri della camera commerciale di Roma, in conformità dello speciale regolamento per la stessa camera approvato dal Governo li* 19 *gennajo* 1832 ». Cum enim in hac ordinatione denuncietur, quindecim viros negotiatores pro commerciali conventu esse evocandos « *dai seguenti rami del commercio di Roma, e colla seguente proporzione, cioè – banchieri* 3 *– agricoltura* 3 *– arti e manifatture* 3 *– coloniali e ripali* 4 *– generi diversi* 2 ». fieri profecto nequibat, quin pro negociatoribus commerciali jurisdictioni mancipatis haberentur quotquot uni vel alteri ex recensitis negotiatorum coetui accenserentur, ideoque nec poterat pro negotiatore commerciali jurisdictioni

obnoxio non reputari Coratius, quem agriculare negotium latissime per eum exercitum, suscepta latifundii *Conca* sumptuosissima conductione, inter primarios collocabat rei rusticae negotiatores, unde tres evocati in quindecimviros commercialis aulae cooptantur. Hac autem vindicata in contendentium utroque mercatoria persona dubitari amplius in themate nequibat de commerciali jurisdictione, cui datum a legislatore decernere « *di tutte le controversie relative alle obligazioni, e contrattazioni fra negozianti, mercadanti, e banchieri* » proindeque jure ac merito visum, ad commercii tribunal controversiam fuisse a Cartonio delatam de negotio, quod veros inter primique nominis negotiatores intercesserat.

§ 4. Nec turbare amplius est visum, quod agriculare negotium sit a commerciali sua indole ac natura distinctum, sive in angusto, sive in latissimo praedio, sive in proprio, sive in alieno, atque conducto exerceatur agriculationis industria. Quam recipiens, articulo formiter discusso, s. Rota sententiam semel iterumque judicavit, vel ipsos latifundiorum agri romani conductores, qui apud nostrates audiunt « *mercanti di campagna* » meros esse cultores agrorum, ideoque ab commerciali jurisdictione immunes esse renunciandos, ceu videre est in *Romana decoctionis quoad competentiam* 26 *april.* 1816 *coram Serlupi*, et in *confirmatoria* rotalis sententiae 2 *junii* 1817 *coram Piccolomini*, nec non in *Romana pecuniaria* 18 *octobris* 1827 *coram emo de Cursiis*, unde contendebat Coratius, nec aliter de se esse praesenti in themate dijudicandum. Animadvertebant siquidem Patres post neotericam legem evulgatam, qua agriculare negotium ramos inter commercii Urbis adscribitur, et qui eam negotiationem exercent commerciali jurisdictioni mancipantur, sublatam fuisse judicibus aliter definiendi potestatem, utcumque aliud res intrinsecus inspecta suaderet. Quod cum ita sit a nova lege constitutum, posthabendam Patres merito censuerunt auctoritatem rerum aliter a s. Rota judicatarum in speciebus supra memoratis, cum utraque judicata res antea prodierit, quam gregoriana lex promulgaretur, cujus e § 297 juncta speciali pro commerciali aula ordinatione monemur, rei rusticae in romano agro negotiatores commerciali jurisdictioni esse subjectos.

§ 5. Ac studio prorsus inutili regerere Coratius est visus, ex memorata neotericae legis sanctione non eos, qui exerceant sive in suo, sive in alieno agricolationis industriam, constituere alteram ex quinque classibus mercatorum Urbis, subdique jurisdictioni commercii, sed tantummodo rei rusticae negotiatores, eos nimirum, qui licet nec proprios, neque conductos agros habeant, frumentum tamen, oleum, aliaque annonae genera a productoribus emunt, ut postea cariori pretio revendant, in quo commercii vera consistit essentia. Perpendebant namque Patres, licet non omnes, qui sive in suo, sive in alieno vacant agrorum culturae, sint pro rei rusticae negotiatoribus commerciali jurisdictioni subjectis reputandi; ejusmodi tamen genus hominum, qui procul ab agricolationis industria de re annonaria negotiantur, quique Dardanarii apud veteres nominabantur, toto coelo differre a rei rusticae negotiatoribus, diversamque rejici in classem mercatorum ultimam, quae exerciti designatione commercii « *generi diversi* » demonstratur, undeque duo in quindecimviros commercialis aulae conscribuntur. Hisce vero semotis, ac necessario sejunctis a rei rusticae negotiatoribus, quorum industria in peculiarem commercii speciem vindicatur ex lege, adamussim ab exercitio artis agrariae « *agricoltura* » nuncupatam; jam non alii sunt qui huic negotiatorum coetui videantur merito adscribi, quam ii nimirum, qui suas periclitari fortunas in latifundiis amplissimis conducendis, artisque agrariae negotiis ex instituto vitae profitentur. Quod negotiationis genus sumptuosissimum, aleaeque plenum ex peculiaribus adjunctis romani agri, atque maritimi, vastitate fundorum ac solitudine propter coeli gravitatem infamia, cum ingentia potius collocatione pecuniae, quam industria personae, et per quamdam commercii speciem exerceri videatur vel ipsas arationes, pastiones, caesiones nemorum, omnemque rem rusticam atque pecuariam conducendo ac relocando, et frequentissime etiam emendo ac revendendo, non immerito idcirco qui negotiationi ejusmodi incumbunt agrarii mercatores habentur et appellantur, nec minus merito a lege veros inter negotiatores adsciri in commercialis aulae conventum, fierique obnoxii commerciali jurisdictioni jubentur.

§ 6. Qua definitione retenta exulare metum oportet, quam tantopere Coratius extollebat, ne commercii jurisdictio in agrorum cultores undique irrumperet, et provinciam omnium amplissimam civili jurisdictioni usurparet. Non enim omnis agricolationis industria commercium sonat ex lege, sed ea tantummodo, quae per quandam commercii speciem ex peculiaribus adjunctis romani agri, atque maritimi ab conductoribus latifundiorum negotii causa exercetur. Nil proinde verendum, ne coloni, socii partiarii, merique etiam conductores praediorum, qui personali potius industria, quam collocatione pecuniae conductos excolunt agros ab civili, et ordinaria jurisdictione abstrahantur. Imo nec quidquam tale timendum de possessoribus ipsis latifundiorum agri romani similisve, qui propria latifundia malint excolere. In iis quippe agricolationis industria utcumque veniat magna impensa, magno instrumento curanda, possessorum tamen qualitati minime praevalet, sed huic est accessoria, et undique subordinata; ideoque ex praevalente qualitate ii semper erunt uti possessores habendi, et a commerciali jurisdictione prorsus exempti.

§ 7. Adeo autem angustis circumscripta limitibus secta rei rusticae negotiatorum, quam gregoriana lex commercii jurisdictioni fecit obnoxiam, nulla jam amplius deprehenditur antinomya hujus inter sanctionem legis, ac illam commerci in *artic.* 608 nusquam abrogato, qua cautum « *Non saranno di competenza dei tribunali di commercio le azioni promosse contro un proprietario, conduttore, socio parziario, o coltivatore per vendita di derrate provenienti dal suo fondo.* » Recitata namque sanctio legis, etsi conductores etiam comprehendere videatur, altum tamen in ea silentium de rei rusticae negotiatoribus, in quibus scilicet praediorum conductio dissociari nequit ab ea commercii specie, quam latifundiorum romani agri, similisve conductores exercent, et ob quam pro veris negotiatoribus habentur, et a neoterica lege diserte renunciantur. Suam itaque vim exerit atque custodit recitatus art. 603 quoad omnes inibi comprehensos, qui tamen impediat aliter constitutum per novam legem haberi de rei rusticae negotiatoribus, qui e superius animadversis peculiarem constituunt mercatorum coetum toto coelo diversum a conductoribus illis, qui suo potius labore, suaeque industria personae conductos excolunt agros, quin eam exerceant amplissimam negotiationem, quam latifundiorum romani, similisve agri conductores per quandam commercii speciem exercere videntur.

§ 8. Incassum denique extremam naufragii tabulam Coratius arripiens, de mere civili inter negotiatores licet obligatione rem esse contendebat, sive quia gregis emptio non animo revendendi facta, sed ad permanentem praedii instructionem, agriculare atque civile negotium est suapte indole atque natura, non commerciale; sive quia non collybisticis literis, aliave commerciali transitione, sed per instrumentum publicum, et cambii constitutionem, hypothecaria etiam interveniente cautione, fuit omne compositum de gregis pretio negotium. Ad primum namque Patres animadvertebant, quod licet emptio gregis ad permanentem praedii instructionem actus videatur mere civilis quoad possessorem agrorum; dijudicari tamen non commercialis haud poterat quoad rei rusticae negotiatores. Alios enim ejusmodi cum directo referatur atque conducat ad eam exercendam negotiationem agrariam, a qua Coratius coeterisque rei rusticae negotiatores commerciali veste donantur, fieri omnino non poterat, quin eorum respectu pro commerciali haberetur, et scatens inde obligatio negotiatores inter commercialis tutissime renunciaretur, ita suadente commerciali lege in art. 602 « *La legge reputa atti di commercio...... tutte le obligazioni tra negozianti, mercadanti e banchieri* ».

§ 9. Ad alterum vero perpendebant, commercialem quamlibet transitionem haud respuere civilem tutioremve modum celebrandi contractus per publica instrumenta, ceu ab artic. 104 legis mercatoriae monemur « *Le compre, e vendite si comprovano con atti pubblici* » Cambii vero constitutionem adeo non abhorrere a commercio animadvertebant, ut ejusmodi transitio primo a mercatoribus invecta, ab ipso commercio repetenda esse videatur. Hypothecarias denique cautiones a mercatoriis actibus adeo non rejici, ut imo muliere etiam atque minores publicae mercaturae vacantes, ab civilium observatione solemnium in hypothecis, exerciti commercii gratia, constituendis, ex *art.* 6 legis mercatoriae absol-

vautur. Quibus omnibus peremptorium illud accedit, privilegiata legem jurisdictione tueri commercii actus ob unam eorum intrinsecam qualitatem; quae cum semper eadem sit quibuscumque extrinsecis modis negotium geratur; idem semper ergo ferri judicium uti de eorum indole oportet, ita pariter de privilegiata quoad eos jurisdictione commercii.

§ 10. In quam sententiam eo pronius in themate inclinandum Patres esse censebant, cum ipsemet Coratius tribunalis commercii jurisdictionem agnoverit, suoque facto probaverit. Coram eo namque conventus pro prima solutionis rata, non modo fori declinatoriam minime opposuit, sed imo ut primum solvere valuit ejusdem auctoritati obtemperavit. Cum itaque jam satis liquido constaret de mercetoria quoad contrahentium utrumque persona, quae eos jurisdictioni commercii manciparet, et controversiam egi de negotio eorumdem respectu plano commerciali, ac praeterea etiam Coratius ipse tribunalis commercii jurisdictionem declinari non oportere facto eloquentissimo ostenderit; merito proinde Patres recedendo ab antea decisis incivilem circumscriptionis querelam rejiciendam esse decreverunt.

§ 11. Nec benigniorem hodie fortunam experiri promeruit restitutionis in integrum postulatio. Nulla siquidem valuit a Coratio exhiberi contra rem a tribunali commercii judicatam manifestae injustitiae demonstratio, quae merito a patribus excipi, vel in minimo comprobari valeret. Perperam namque Coratius rei judicatae objiciebat, nullo in calculo habitum fuisse pactum de annali dilatione utriusque ratae solutioni indulgenda. Nullo siquidem in pretio pactum ejusmodi haberi oportuisse monebat *suspensivae conditionis*, cui dilationis indultio alligabatur, ex Coratii culpa defectus. Non enim pure dilatio a Cartonio fuerat indulta, sed suspensiva sub conditione dumtaxat « *quante volte il signor Pietro Corazzi pel giorno* 25 *ottobre* 1841 *abbia pagato al signor Pietro Cartoni il bono di sc.* 213: 38 *ed altri sc.* 200: 81 *per frutti di cambio etc. non meno che sc.* 1112. 57 *il di* 28 *febbrajo* 1842 *in conto del suo credito etc* ». Qua adamussim impleta per Coratium conditione pro commissa haberetur annalis dilationis stipulatio, addito ulterius « *con espressa condizione sine qua non che mancando ai* 25 *ottobre* 1841 *al pagamento del bono precitato di sc.* 213. 38, *e di sc.* 200. 81 *frutti di mesi sei, e di scudi* 1112. 57 *per li* 28 *febbrajo* 1842, *la presente proroga si abbia come non accordata e non stipolata senza affatto bisogno d'interpellazione, purgazione di mora, a cui il Corazzi rinuncia con giuramento* ». Quibus auditis, semel ac in facto pacificum implemento conditionis omnino satis non fecisse Coratium, nemo non intelligit, neque commissam dilationis stipuletionem videri, cum deficiente conditionis implemento consensus etiam creditoris defecerit in dilationem.

§ 12. Ac deterius propugnabat Coratius, *poenalem* fuisse conventionem, non *conditionalem*, et quovis in casu *morae purgationem* sibi competere. Ad primum namque eliminandum, sat erat conventionis verbe recolere « *quante volte etc.* immo etiam » *con espressa condizione sine qua non* » Quae sane verba ac dictiones apertissime ostendunt, non per modum poenae resolutionem dilationis fuisse conventam, sed potius suspensiva sub conditione dilationem esse concessam ad tradita per *Gratian. disc.* 748 *num.* 9 *et* 15; *ac per Rotam in recent. part.* 4 *decis.* 369 *num.* 7, *et part.* 7 *dec.* 231 *num.* 4, *et coram Falcon. decis.* 1 *num.* 7 *de usufruct.* Quo vero ad alterum neque morae purgationem admittendam esse prae primis suadebat, quod conditione non ad unguem impleta, ideoque defecta nec actio ulla Coratio exorta videri potest ad dilationis beneficium assequendum. Morae namque purgationem fuisse tantummodo inductam ad actionem conservandam, minime vero ad eam acquirendam consultissime tradit *Bartol. ad leg. si ita quis* §. *Seja cavit ff. de verb. oblig. et Alexander cons.* 9. *num.* 5. Accedit insuper, morae purgationi locum esse nequire non modo quando stipulatio, prout in themate, sit verbis concepta suspensivam conditionem undique praeseferentibus sed etiam quando pactum resolutivum fuerit stipulationi conditionali interpositum et jurisjurandi religione munitum ed tradita per *Glossam post text. in leg.* 41 *ff. de fideicommissar. libertatibus*; *Gozadin. ad leg.*2 *cod. de pact. inter empt. et vendit.*; *Berlich. conclus.* 40 *num.* 12; *Soccin. jun. cons.* 46 *lib.* 4 *num.* 23 *Menoch. cons.* 718 *num.* 71; *et Rota in Perusina juris redimendi* 10 *maji* 1754 §. 16 *cor. de Vais et in confirmat.* 3 *decemb. ejusdem anni* §. 6 *cor. eod. et in Ariminen. juris redimendi* 20 *januarii* 1768 §. 4 *coram Origo* ac inter recentiores in magistrali *Forosempronien. seu Fabrianen. pecuniaria* 2 *aprilis* 1824 *coram Emo De Cursiis, in Beneventana*

pecuniaria 29 *aprilis* 1833 §. 4 *coram D' Avellà*; *in Maceraten. pecuniaria* 7 *julii ejusdem anni* §. 4 *cor. eodem*. Et ita in acerrima partium contentione collectis DD. suffragiis definitum est. *(Vide Decis.* XXXIX*)*.

Die 4 decembris 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Augustinus Pagnoncelli — D. Carolus Alcioni.

Prot. 2747/1842 R. P. D. LA GRUA VALDINA Decisio XLIX.

Ferrarien. Restitutionis in Integrum

Jovis 21 *Augusti* 1845

Argumentum

Habes in Decisione XXXVIII.

§ 1. Administrationem vallium comaclensium comites Vincentius et Galeatius fratres Massari pro anno 1832 a reverenda Camera novo contractu obtinuerunt, quam jam distinctis stipulationibus pro anterioribus annis 1830 et 1831 ad alias quoque Mesulae valles ampliatam, inita societate cum Jo. Baptista Grazioli, et Josepho Barilari consequuti fuerant. Atque cum initio convenissent socii, ut si forte contractus aliquis cum rev. Camera conciliaretur in posterum, is esset inter omnes communicandus, ortae sunt deinde controversiae inter Massarios et Gratiolium, tum quoad prorogationem administrationis pro anno 1831 a Massariis initam, tum quoad novum contractum pro anno 1832 ab iisdem cum rev. Camera exaratum. Vicit in priori contestatione quae annum 1831 respiciebat Gratiolius, atque particeps negocii fuit per rotalem sententiam renunciatus: victus autem e judicio discessit in alia, fuitque a tribunali commercii Ferrariae, aeque ac a tribunali appellationis Bononiae a participatione contractus anni 1832 plene rejectus. Quapropter ad remedium restitutionis in integrum ipse confugit, quod licet fuerit Gratiolio a supremo Ordine nostro in comitiis diei 10 Julii praeteriti concessum, nihilominus Patres, re maturius perpensa, putarunt hodie a decisis recedentes eidem rescripto « *nihil* » denegare.

§ 2. In eo potissimum consistit prioris decisionis fundamentum, quod Patres putaverint, haud super re dubia et conjecturali judices tum ferrarienses tum bononienses sententiam tulisse, bene vero super controversia, quae nullam ambiguitatem praeseferebat; atque idcirco ipsi restitutionem in integrum concedendam censuerunt, quia Gratiolio denegatum a judicibus illis arbitrati sunt, quod justa pactum quodlibet rationabile dubium respuens, eidem fuisset omnino tribuendum. Verum bodie Massarii dubietatem pacti illius tum ex germana ipsius interpretatione, tum ex factis Gratiolii ejusdem vindicarunt; atque ex hoc factum est, ut Patres a concepta sententia recesserint, ea potissimum ratione ducti, quod nullam judices legem violaverint, dum in opinionem Gratiolio adversam abierunt, juxta regulam, quam saepissime Ordo noster firmavit, quae docet, restitutionem in integrum esse semper denegandam, quotiescumque conjecturalem controversiam judices definierunt, ad tradita *in Ferrarien. restitutionis in int.* 21 *Junii* 1838 *coram Amici, in Romana circumscriptionis et restitut. in integrum* 12 *julii* 1838 *coram eodem*; *Senogallien. restitut. in int.* 23 *martii* 1840 *coram Grossi; Bononien. restit. in int.* 16 *martii* 1843 *cor. eod.; et Romana seu Viterbien. restit. in int.* 8 *augusti* 1844. *coram R. P. D. meo Lippi*.

§ 3. Ex germana autem interpretatione pacti dubietas illius prae primis scatebat. Et sane convenerant utique contrahentes in tabulis initis pro admnistratione anni 1830, quod contractus quilibet comaclensem gestionem respiciens, ab altero ex sociis proponendus sive procurandus, esset cum caeteris communicandus. Verum pactio istbaec ita poterat intelligi, ut ejusdem vis nullimode esset ad annos sequentes porrigenda, postquam

jam anno 1831 plenum ipsa sortita fuerat effectum. Porro ita contraxerant Massarii cum Gratiollo anno 1830, atque in vim pacti hujus jam lucra administrationis, pro anno 1831 a Massariis renovatae, Gratiolius obtinuerat. Poterat ergo retineri, pactum illud haud debuisse ad renovationem etiam pro anno 1832 accomodari, ne in aeternum societas coita videretur contra dispositionem *textus in leg.* 71 *ff. pro socio* ad quam *Zanch. de societ. part.* 3 *cap.* 12 *num.* 13. Et multo magis id poterat, quia ex alia regula satis in jure explorata, pactiones hujus generis ad proximum casum solummodo cohibentur, atque etiam si in iisdem comprehendantur actus natura sua reiterabiles, nihilominus in contractibus de prima tantum vice res est semper intelligenda, *ad text. in leg.* 89 *ff. de reg. jur. post quam Antonell. de temp. leg. lib.* 2 *cap.* 42 *num.* 5; *Castill. quot. contr. lib.* 1 *cap.* 45 *n.* 9 *Surd.; dec.* 265 *n.* 12. Quibus erat demum adjungendum, pactum fuisse utique conceptum indefinitum quoad genus et qualitatem negocii « *qualunque contratto venisse procurato da uno dei socii non potrà questi escludere gli altri* », nullimode vero quoad tempus. Nullum namque fuit verbum adjectum, quod progressivitatem illius valuisset denotare. Ex hoc vero clarius Patres deducebant, ipsum haud potuisse amplius reviviscere, viresque suas iterum exercere, postquam pro renovatione anni 1831 implementum absolutissimum jam obtinuerat.

§ 4. Atque haec quidem ex jure deducta ambiguitatem pacti, super quo quaestio coram judicibus causae fuerat instituta, satis evincebant. Ex facto autem apertius etiam ambiguitatem eamdem evinci, Patres existimarunt. Prae primis namque animadvertebant ipsi, non ante mensem aprilis anni 1833. animum permanendi in societate Gratiolium denunciasse Massariis. Ex quo dubium fiebat vel maxime utrum posset amplius necne Gratiolius pacto illo juvari. Ferebat enim ipsum, neminem ex sociis posse alios excludere a participio novi contractus, quem is procurasset « *non potrà uno dei socii escludere gli altri* »; sed liberum erat aliis participandi vel non in contractu novo. Simul ac igitur Gratiolius animum suum permanendi in societate principio renovationis contractus nullimode aperuit, poterat facili negocio censeri, participio contractus ejusdem nuncium misisse. Nequibat enim retineri, licuisse eidem usque ad mensem aprilis declarationem animi sui differre, quo tempore de utilitate renovationis jam constabat, atque ita super fovea quoad lucrum et damnum contractus ut ajunt equitare, contra *textum in L. si id quod* §. *fin. ff. de resc. vend.* ad quem *Zanch. de soc. part.* 2 *cap.* 6 *num.* 76, *et Rota in Ravennat. societatis* 5 *julii* 1793 §. 12 *coram Consalvi, et* 5 *junii* 1833 §. 6 *coram Zacchia.* Quin obesset, interpellatione Gratiolium opus habuisse, ut posset a jure suo cadere. Cum namque de re notoria ageretur, et cum rursus Gratiolii ejusdem facta apertissima scientiam in illo renovationis contractus apprime suaderent, necessitas interpellationis prorsus exulabat. Ex communi quippe adagio certioratus non debet certiorari, neque valet ignorantiam facti allegare. Et deterius objiciebatur a Gratiolio, lucra negociationis fuisse explorata. Ex litteris quippe Pro-Legati bononiensis, ex Massariorum detrectatione, atque ex monumentis quamplurimis eruebatur perspicue, lucra istiusmodi fuisse prorsus incerta.

§ 5. Hisce adjungebatur, quod Gratiolius sub mense martii anni 1832 caput sociale, quod pro gestione comacleosi immiserat, nulla adjecta contestata denunciatione recuperaverit. Facto enim istiusmodi luculentissime ipse demonstravit, se nolle pacto uti, tametsi ex eo potuisset fortasse participium novae conventionis sibi comparare. Haud enim pecuniam in negociationem collatam recepisset, si negociationi eidem voluisset adhuc incumbere. Neque rem mutabat pecuniam recuperasse Gratiolium declarantem, se id agere sine praejudicio actionum et jurium sibi competentium. In declaratione siquidem illa de juribus ipse loquutus est, quae respiciebant acta « *del tribunale di commercio di Ferrara* » sive rationes anni 1831, pro quibus lis coram tribunali illo agebatur; haud vero de juribus pro anno 1832, quae nulla ratione fuerant ad tribunal illud deducta, et pro quibus proinde apposita reservatio fuisset adjicienda. Atque adjungebatur praeterea, in renovatione anni 1832 procurationem Mesulae distractam fuisse ab illa Comacli.

Cum enim de eodem negocio quoad integritatem illius nullimode fuisset actum, eo facilius potuit censeri, pactum de quocumque contractu super negociatione comaclensi et Mesulae communicando baud esse ad conventionem initam pro anno 1832 trahendum, in quam pars tantummodo antiquae negociationis cecideral. Neque demum Patres fugit, alterum ex sociis nempe Vincentium Massari interim defecisse. Ex quo etiam perpendebant, potuisse intelligi pactum communicationis negociorum extinctum, quemadmodum societas quoque ex sociorum, qui supererant voluntate, poterat resoluta renunciari. Ex quibus universis concipiebatur perfacile dubiam saltem rem esse, utrum posset nec ne Gratiolio opitulari pactio illa, ex qua participium renovationis contractus ipse deducebat; atque ex dubietate ista sponte descendebat, restitutionem in integrum ab ipso petitam nullimode posse salva justitia concedi. Quoties namque de interpretatione conditionis et pacti res est, licet fingamus remjudicatam interpretationem minus rectam sequutam, non inde tamen manifesta violatio legis exurgit, qua deficiente nullum umquam locum potest in integrum restitutio sibi vindicare, quemadmodum millies tenuit nostrum tribunal, et praesertim *in Romana seu Aesina restit. in integrum* 7 *dec.* 1837. §. 11 *coram R. P. D. meo Ferlisi, Romana circumscriptionis et restitut. in integrum* 12 *julii* 1838 §. 10 *coram eodem Senogallien. restitut. in integrum* 26 *martii* 1840. §. 1 *coram Grossi, Bononien restitut. in integrum* 16 *martii* 1843 §. 4 *coram eod.*

§. 6. Nullimode vero audiendum Patres putarunt Gratiolium obgannientem, idcirco esse restitutionem in integrum concedendam, quia res judicata bononiensis edita pro anno 1832 pugnat cum alia rejudicata rotali, quae pro anno 1831 fuit lata. Patebat enim ex *decisionibus coram Zacchia et coram Muzzarelli* aeque ac *ex sententiis tribunalium Ferrariensis et Bononiensis* casus rerum iudicatarum istarum fuisse prorsus dissimiles. Et sane actum fuit coram Rota de participio societatis pro anno 1831, atque ideireo tribunal illud participium hujusmodi declaravit, quia de renovatione contractus Gratiolius una simul cum Massariis apud Fiscum egerat, quia rursus restitutionem capitis immissi Massarii Gratiolio denegarunt, idemque debuit Gratiolius in societatem relinquere; quia demum tenuit, et quidem merito, pactum communicationis inter socios contractus cujuscumque, qui comaclensem gestionem respiceret, ad contractum anni 1831 procul dubio pertinere, qui fuit immediate proximus primae conventioni sociali anni 1830, cui pactum idem inerat. Actum est e contra coram tribunalibus ferrariensi et bononiensi de participio pro anno 1832; atque in diversam judices illi abierunt sententiam, quia renovationem contractus unus Massarius procuraverat; quia rursus caput socialis immissionis nulla contestata denunciatione emissa Gratiolius recuperavit, animumque suum a societate recedendi ita aperuit, quem animum Massarii quoque instauratione judicii aperte manifestaverant; quia demum putarunt, pactum communicationis inter socios initum non posse progressivum, et multo minus perpetuum renunciari. Atque resolutio postremae hujus controversiae nullimode fuerat a rejudicata rotali praejudicata. Diversa itaque fuit in utriusque rebus judicatis petitio, diversum jus, diversae causae petendi, atque ideirco resjudicata prior nullam poterat exceptionem adversus aliam parere, ad *textum expressum in LL.* 12, 13, *et* 14 *de rejud.*

§ 7. Ad nova tandem documenta quod attinet, quae hodie primum a Gratiolio proferri videbantur, neque veram novitatem ipsa praeseferebant, nec decisiva erant ita, ut restitutionem in integrum possent suadere. Quandoquidem apparebat, ipsa fuisse quoque in provinciali judicio edita, et a reijudicatae cognitoribus expensa, et novitas in laciniis quibusdam consistebat tantummodo, quae fortasse non fuerant coram judicibus illis recitatae. Praeterea nihil aliud ex ipsis eruebatur, nisi quod Massarii cum aerari Praefecto de prorogatione conventionis antiquae, nullimode vero de novo contractu egerant. Verum constabat, Praefectum aerario stipulationem cum Massariis ineundam novum etiam contractum saepissime vocasse. Atque constabat denuo, stipulationem illam fuisse etiam nuncupatam prorogationem conventionis in aliis actibus quamplurimis, qui eamdem praecesserunt, et qui a cognitoribus rei judicatae

fuerunt perpensi, absque eo quod verbo illi prorogationis vim ullam ipsi tribuerint. Eruebatur exinde perspicue, documenta istiusmodi haud decisiva fuisse habenda, utpote quae ad judicum mentem in diversam sententiam trahendam nullimode fuissent apta. Quippe redibat semper, non alia de causa fuisse prorogationis nomen adhibitum, nisi quia comaclensis gestio cum iisdem Massariis ut antea pergebat. Cum autem nova semper stipulatio inita, nova pacta indicta, et novae conditiones adjectae fuissent, palam erat, novum omnino negocium actum reapse fuisse, in cujus partem nullam poterant admissionem antiqui socii sibi vindicare, cum quibus ne ipse quidem fiscus modo contraxerat veluti in negocio anni 1830 peregerat. Unde descendebat, neque iisdem innixum posse Gratiolium beneficium restitutionis in integrum vindicare, praesertim cum sub obtentu novorum instrumentorum resjudicatas restaurari grave semper sit exemplum, ad monitum *textus in L. 4. cod. de rejudic.* Et ita etc. utraque etc.

(Vide Decis. XXXVIII).

Die 5 Februarii 1846. « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Candidus Tosi — D. Augustinus Pagnoncelli.

Prot. 88/1845 R. P. D. LA GRUA VALDINA Decisio L.

Pisauren. Circumscriptionis et Restitutionis in integrum

Jovis 4 Septembris 1845

Argumentum

De pronunciatione ultra petita - De venditione ad corpus vel ad mensuram - De praescriptione actionis aestimatoriae et de legis violatione, quam ex interpretatione lata in re conjecturali patere contenditur.

§ 1. Vendidit Franciscus Fachinetti Foroliviensis Francisco Gattei ad corpus, ut aiunt, minime vero ad mensuram praedia duo, alterum dictum *Badia*, alterum *Cà di Albino*, pretio convento scutorum 4800. Venditio autem isthaec licet fuisset primum imperfecte conciliata, quia pretium contrahentes peritis viris in genere eligendis permiserant; fuit nihilominus deinceps plene absoluta, nominatis quippe peritis Maggiolio et Balduccio, atque hisce dissentientibus, mutuo partium consensu fuit pretium idem in scutis 4800 constitutum. Acta sunt ista anno 1826, atque ad annum usque 1840 praedia retinuit emptor Gattejus, siluitque. Tunc vero: adhibita opera ejusdem periti Maggioli, novit mensuram fundorum quantitatibus in contractu emptionis demonstrationis causa adjectis haud perfecte respondere, atque diem dixit Fachinetto coram tribuali foroliviensi, ut ad solutionem scutorum 252. 62 pro pretio partis, quae fundis deerat, ejusque fructibus damnaretur. Rejecit petitionem istam absurdissimam Forolivii tribunal: eamdemque rursus rejecit tribunal appellationis Bononiae. Orta exinde rejudicata recursum interposuit Gattejus ad ordinem nostrum, in quo tum circumscriptionem tum restitutionem in integrum cumulavit. Bifariam autem postulationem istam hodie Patres rescripto « *Nihil* » incunctanter dimiserunt.

§ 2. Ad circumscriptionem quod attinet id unum opponebat Gattejus, quod nimirum judices ultra petita decreverint eo quia nullo iisdem porrecto reconventionali compensationis libello definiorunt, minorem quantitatem inventam in mensura predii *Badia* esse compensandam cum majori, quam praedium alterum *Albino* in contractu emptionis venditionis aeque comprehensum exhibebat. Verum patres oppositionem istam nullius roboris habendam esse tenuerunt. Non enim de reconventione proprie dicta judices foroliviensesi et bononienses absque libello cognoverunt, sed potius de exceptione, quam Gattejo agenti pro diminutione pretii Fachinettus obtrudebat. Quandoquidem ad judicium Gattejus Facbinettum vocaverat, ut pretium redderet jugerum trium, quae in praedio *Badia* deerant, atque hic excipiebat, defectum istum esse compensandum cum excessu mensurae, qui fuerat in alio fundo *Albino* inventus. Planum erat igitur, judices absque novo libello potuisse exceptionem istam probare, neque ex hoc ullum jurisdictionis de-

fectum posse deduci. Quibus erat adjungendum, quod de compensatione ista non in pronunciatione sententiae sed tantum inter rationes decidendi sermo exciderit. Unde exulabat demo quicumque potestatis abusus. Ad jurisdictionis namque quaestiones definiendas quid judices pronunciaverint, haud vero qua de causa fuerint ad pronunciandum inducti, semper inquiritur. Atque erat adjungendum demum compensationem hanc, de qua in specie agebatur, inter mensuram deficientem in uno fundo vendito et excessum inventum in alio, qui fuerit in eadem venditione comprehensus, nullam prorsus requisisivisse petitionem specialem, quia suapte natura, jure, et officio judiciis inducitur, juxta dispositionem *textus in l.* 43 *ff. de act. empt. et vend.* ad quam *Cujac. tom.* 7 *colum.* 789 *lett. D., Bruneman. ad pand. lib.* 19 *tit.* 1 *Mangil. de evict. quaest.* 102 *num.* 4.

§ 3. Inutiles igitur redibant quoad petitam circumscriptionem Gatteii conatus. Neque meliori omine ipse restitutionem in integrum insectabatur. Incusabat quippe remjudicatam, quia leges expresse violasset. Verumtamen patres non solum nullam legum violationem in ipsa deprehenderunt, sed imo boni juris rectique regulis eamdem initi, facile sibi suaserunt. Et sane nullum dubium quin emptio venditio inter Fachinettum et Gattejum fuerit inita ad corpus, haud vero ad mensuram. Expresse siquidem repetitum legebatur in publicis emptionis venditionis tabulis, duo praedia fuisse in contractum deducta « *a corpo non a misura per tanto quanto sono.* » Post quae verba nequibat profecto de venditione facta per modum unius corporis ulla ratione dubitari. Quod si etiam verba illa perspicua deessent in contractu, nihilominus perpendebant Patres, ex aliis etiam dictionibus in eodem contractu usurpatis non mensuram sed corpus in stipulationem venisse, apertissime posse deduci. Dixit namque Fachinettus in tabulis illis se cessurum praedia duo, eorumdemque regionem et confinia ante omnia descripsit, atque hoc jam satis erat, ut venditio ad corpus celebrata esset retinenda, licet deinde de mensura quoque praediorum verbum aliquod excidisset. Scitum enim est, quod quotiescumque conventio incipit a corpore desinitque in mensuram, venditionem semper ad corpus absolutam prudentes definiunt, mensuramque non taxative sed demonstrationis tantum gratia adjectam intelligunt. Ita post *text. in l.* 40 *ff. de contrah. empt. Mangilius de evict. quaest.* 101 *num* 4 et Rota *in Civitatis Castellanae affictus* 3 *martii* 1788 §. 5 *coram Resta, Sutrina contractus* 25 *junii* 1807 §. 9 *et* 12 *coram Bardaxi et in Reatina appositionis finium* 19 *apr.* 1839 §. 5 *coram R. P. D. Marini.*

§ 4. Atque praeterea Fachinettus unum constituit pro fundis, qui in contractum veniebant pretium, quin ad quantitatem eorumdem sive ad numerum jugerum ullam relationem habuerit. Ex quo aliud exurgebat, idque firmissimum, pro venditione facta ad corpus argumentum. Est enim aeque in jure exploratum, quod si conjunctim et coacervatim unicum constituatur pretium habita ad integrum corpus relatione, mensura demonstrationis causa adjecta intelligitur, et venditio facta ad corpus retinetur, prout firmavit *Rota in citat. Civitatis Castellanae affictus* 3 *martii* 1788 *coram Resta, et Sutrina contractus* 25 *junii* 1807 §. 13 *coram Bardaxi,* aeque ac *in Camerinen. nullitatis conciliationis* 26 *junii* 1835 §. 5 *coram Zacchia.* Multo magis cum in fundorum mensura designanda dictionem « *circiter* » contrahentes adhibuerint. Hac enim demonstrarunt perspicue, de indeterminata incertaque quantitate ipsos sensisse, atque idcirco non ad mensuram sed ad corpus voluisse contrahere prout firmavit *cit. Sutrina contractus coram Bardaxi* §. 12. Nec quidquam difficultatis creabat in themate privata syngrapha, quae publicas tabulas, de quibus usque adhuc sermonem habuimus, comitata est. In ipsa namque non mensurae definitio, sed tantummodo pretii constitutio fuit in peritorum arbitrio collata, ac propterea quoad venditionem praediorum ad corpus nihil fuit omnino innovatum. Et deterius demum objiciebatur, peritos haud potuisse pretium constituere, nisi mensuram quoque fundorum absolverent. Constabat siquidem in praxi usum quoque apud agronomos inolevisse aestimandi agros a seminis quantitate, aliisque indiciis; unde patebat, quod seposita quavis necessitate mensurae, poterant periti de pretio fundorum venditorum referre, et argumentum quodcumque pro venditione ad mensuram ex privata syngrapha deductum rejicien-

dum prorsus apparebat. Praesertim cum pretium deinde in scutis 4800, non a peritis viris, bene vero a contrahentibus fuisset constitutum.

§ 5. Firmata vero venditione ad corpus conjiciebatur perspicue jure meritoque remjudicatam petitionem Gatteii rejecisse. Postulabat siquidem iste restitutionem pretii pro jugeris tribus, quae in praedio *Badia* deerant, atque postulatio istbaec juris regulis adversabatur omnino, quae firmissime imperant, quod si res vendita sit ad corpus, tunc licet plus vel minus reperiatur, nunquam venditor tenetur supplere nec pretium minuitur, prout explicat *Bruneman. comment. ad pand. lib.* 6 *tit.* 18 *leg. fin. ff. de peric. et comm.*, *Strick. tom.* 13 *sect.* 2 *c.* 8 §. 30, *Gomez var. resol. c.* 2 *n.* 16. Ex hisce itaque universis justitia rei judicatae evidentissima scatebat. Quae quidem justitia clarius etiam eruebatur ex eo, quod Gattejus de defectu trium jugerum conquerebatur, dum emptio venditio pro jugeris centumquinquaginta circiter fuit inita. Etenim defectus iste erat pusillus procul dubio renunciandus, modicus quippe semper dicitur in jure excessus vel defectus, etiamsi decimam partem attingat, *Barb. in tit. de dict. usufr.* 154 *num.* 3, *et Rota decis.* 135 *num.* 19 *part.* 17 *recent.* Atque ubi de modico defectu agitur, hic a nemine debet praestari, tametsi ad mensuram initus contractus appareat, *Pacion. de loc. et cond. cap.* 24 *num.* 45, *Rota in Romana seu Januen fructuum quoad quantitatem aluminis deficientem* 21 *junii* 1839 §. 2 *coram De Retz.*

§ 6. Quibus omnibus ad justitiam rei judicatae vindicandam accedebat, quod actio a Gattejo proposita etiam videbatur nimis sero, et extra legittimum tempus instituta. Non ante enim annum 1845 ipse in jus venit, dum contractus emptionis venditionis usque ab anno 1826 fuerat celebratus; atque vulgatum est, actionem aestimatoriam istiusmodi unius anni silentio perimi *juxta leg. sciendum, leg. ex causa, et leg. cum ff. de aedit. act.*, post quas Rota *in Interamnen. contractus* 12 *martii* 1824 §. 2 *coram Tiberj.* Neque erat praetereundum demum, quod etiamsi placuisset, haec omnia usque adhuc expensa dubia retinere, non inde tamen potuisset restitutio in integrum concedi. Cum enim judices forolivienses et bononienses super interpretatione contractus, et materia prorsus conjecturali sententiam tulerint in nullam certe manifestam legis violationem offenderunt si unam potius quam alteram opinionem sequuti sunt, neque est profecto iisdem succensendum, si in unam potiusquam in alteram sententiam pro prudenti suo arbitrio inclinarunt, quemadmodum supremum nostrum tribunal jam saepissime confirmavit, *Bonon. restit. in integrum* 16 *martii* 1843 §. 5 *coram Grossi, Maceraten. restit. in integrum* 2 *maji* 1844 §. 5 *coram R. P. D. Mertel, Romana seu Viterbien. restit. in integr.* 8 *aug.* 1844 §. 5 *coram R. P. D. meo Lippi, Romana restit. in integrum* 8 *augusti ejusdem anni* §. 10 *cor. R. P. D. meo Ferlisi.* Qua seposita manifesta legum violatione, judicumque malitia planum fiebat, petitionem restitutionis in integrum esse prorsus rejiciendam. Et ita etc. utraque etc.

Die 5 Februarii 1846 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Carolus Brunetti — D. Joannes De Romanis

Prot. 79 / 1845 R. P. D. LIPPI Decisio LI.

Romana Circumscriptionis

Jovis 4 *Septembris* 1845

Argumentum

Resjudicata super actione hypothecaria in tertium possessorem instituta non citato debitore principali, incusatur nullitatis ob defectum citationis.

§ 1. Censum Dandiniorum favore in vi scut. 2000 Pierleones constituerant super quadam domo in platea vulgo « *in Lauro* » sita, quae, cum imminentem ruinam minitaretur, eo erat adducta, ut nedum censualium fructuum oneri ferendo impar esset, sed

sortis etiam periculum praeberet. Hinc quum reverendae Fabricae s. Petri oeconomus eamdem pro haereditate cardinalis Giraud emere voluerit, Dandinii probe perpenderunt maximum obstaculum propositae emptioni versari in census quantitate aedificii valorem valde excedente. Quamobrem, ut omnem difficultatem dirimerent, tutioremque census conditionem redderent, sortis medietatem imminuere, et remittere non recusarunt, ea tamen sub conditione, ut hypotheca, qua prius praedicta domus devinciebatur, ad quasdam aedes in plateis ss. Silvestri, et Claudii, quae ad cardinalis haereditatem spectabant, extenderetur. Rebus ita venditores inter atque emptorem compositis, hae ipsae domus fuerunt subinde comiti Josepho Giraud in emphyteusim ab haereditatis administratore concessae. Postea quum comes idem laudati cardinalis nepos preces summo Pontifici porrexerit, ut ipsius cardinalis haereditatem post legatariorum mortem sibi impertiretur, summus Pontifex, licet non annuerit « *all'istanza per l'applicazione di tutta l'eredità residuale* », beneficum tamen se postulanti praebere volens, rescripsit, ut, firma manente administrationo, tenerentur administratores pro tempore annuos haereditatis reditus, solutis oneribus superextantes, Girandio dare, concesso eidem post legatariorum obitum, ac debita dimissa, reliquae haereditatis compendio « *assicurati sempre gli annui scudi* 260. . . . *lasciati allo studio di architettura* » pro pauperum commodo, quos moriens cardinalis Giraudius sibi ex asse scripserat haeredes.

§ 2. Res ita se habebant, quum praedictae haereditatis administrator Pierleoniam domum Igino Bernasconio vendidit ea lege, ut annuos censuales fructus in scut. 50 Dandiniis rependere deberet. Haec tamen fructuum solutio, quum locum non habuerit, judicium executivum Dandinii adversus administratorem instaurarunt, et consonum petitioni judicatum obtinuere cum relaxatione mandati; aliudque simile judicium adversus eumdem insequenti anno cum instituerint pro aliis fructibus, simile pariter jus redditum est. Utroque autem hoc judiciali mandato obtento, Dandinii in Giraudium bonorum possessorem hypothecaria actione egerunt, ut vel fructus rependeret, vel sineret ut hypothecatae domus sub hasta ponerentur. Sed quum comes opponeret huic petitioni locum fieri non posse, quia ipsi ordinis, atque excussionis beneficium competeret, ex eo, quod domus a se possessae, atque in plateis ss. Sylvestri, et Claudii existentes, subsidiariae tantum, non principali hypothecae subesset, aliud a Dandiniis institutum fuit in unum comitem, non citato administratore, judicium, ut memoratae domus censuali nomine aeque principaliter affectae, ac domus Pierleonia decernerentur. Varias haec controversia vicissitudines habuit, sed tandem ex multis conformibus decisionibus resjudicata prodiit, qua definitum fuit « *domus in plateis divi Silvestri, et divi Claudii sitas, principali, et speciali modo supradicto censui esse addictas, ac pro fundis censitis vere, ac realiter haberi ad omnes juris effectus* ». Orta hac rejudicata, circumscriptionis querelam apud supremum nostrum tribunal hodiernus administrator detulit, duplici ex causa nullam esse remjudicatam contendens; ex defectu scilicet citationis ex eo, quod ipse administrator, de cujus principali interesse agebatur, vadatus non fuisset; et ex defectu jurisdictionis, quod, cum ageretur de causa pium opus respiciente, nulla judices A. C. jurisdictione ad eam cognoscendam pollerent. At neutram ex hisce rationibus subsistere Patres censuerunt, atque idcirco petitae circumscriptioni locum fieri non posse definierunt rescripto « *Nihil* », commisso mihi munere decisionis rationes vulgandi.

§ 3. Et sane ut tertius, qui vadatus non fuerit, actorum circumscriptionem petere valeat, duo conjunctim requiruntur, ut nempe praecipuum se in causa interesse habere doceat, et sententia suis juribus praejudicium intulerit. Ita quippe vigentis praxeos art. 1046 « *Un terzo, che aveva interesse principale nella causa, e che non fu citato, e non richiese d'intervenirvi, può domandare l'annullamento degli atti, e delle sentenze, che ledono i suoi diritti per difetto di citazione* ». Hinc omnis quaestio in eo erat, ut perpenderetur num memoratae haereditatis administrator principale in causa interesse haberet, et num resjudicata ipsius jura laeserit.

§ 4. At quoad primam ex hisce conditionibus, sicuti administrator ad census solutionem damnatus jam fuerat, adeo ut de mandatorum executione tantummodo ageretur,

in tertium possessorem actio dirigenda erat, quin administrator vadandus esset, quippe qui nullum in causa interesse habebat. Actio siquidem a Dandiniis instituta realis erat, non personalis, ideoque opus esse non videbatur, ut administrator in jus vocaretur. Ea enim est natura actionis realis, ut in fundum hypothecae vinculo obnoxium tantummodo intendatur, omisso penitus principali debitore, cui nullum praejudicium infertur, etiamsi ad judicium non vocctur, quia per eam nil aliud a re hypothecae subjecta condicitur, praeter illud, quod ab eodem debitori repeudendum esset. Et sicuti tertius possessor ordinis, atque excussionis exceptionem opposuit; hinc, quum ageretur de quaestione inter hunc, et creditorem, potuerunt Dandinii, ut oppositam exceptionem averterent, aliud in unum comitem, administratore etiam non vocato, judicium instituere, ut dijudicaretur oppositam exceptionem non subsistere, cum fundi non subsidiariae tantum, sed principali hypothecae subessent.

§ 5. Verum insuper observabant Patres, neque alterum probari extremum a lege requisitum, quod scilicet resjudicata administratoris juribus praejudicium intulerit. Hic enim, quum in ea nominatus minime fuerit, et omnis quaestio inter creditores dumtaxat, et tertium possessorem locum habuerit, nulla hinc ei pernicies irrogata censeri potest. Nam, si quid damni ei illatum sit, sartum semper ipsi ectumque jus foret damni avertendi exceptione, quod sit res inter alios acta, quae sibi nec prodesse, nec nocere potest, ex clara vigentis praxeos art. 596 sanctione « *Le sentenze non potranno mai essere di pregiudizio ad un terzo, il quale nè personalmente, nè per mezzo de' suoi autori, o di un legittimo suo rappresentante, non abbia avuto parte nelle medesime* ».

§ 6. Illud praeterea accedebat, quod ex edito a Pio VII sa. me. rescripto, deductis scutis 260 « *per lo studio dell'architettura* » pro pauperibus instituto, reliqua haereditatis pars in comitem ipsum Giraudium esset collata. Nam, quum hic, supplici dato libello, Pium VII adierit, ut haereditatem cardinalis Giraud pauperibus relictam sibi concederet, summus Pontifex ita cum excepit, ut, demptis oneribus, residuum haereditatis oratori tribuendum esset, firma manente bonorum administratione penes reverendae Fabricae oeconomum, cui id unum reliquum esse voluit, ut pensiones, ac onera, quibus haereditas gravabatur, rependeret, poneretque in tuto « *gli scudi* 260 *annui in favore dell'anzidetto studio* ». Ex quo rescripto, quum pateat, superextantem haereditatem in eumdem comitem collatam fuisse, quidquid praejudicii istiusmodi haereditati resjudicata attulerit, cum unum respiciat comitem Giraudium, nulla exinde ratio subesse potest, cur de ea conquereretur administrator. Hinc licet aedium domino utile futurum esset, ut istae subsidiariae tantum hypothecae, non principali, subjectae declararentur; quum tamen haec controversia unum spectaret comitem, opus haudquaquam erat, ut administrator ad causam vocaretur, cui nullum damnum imminebat, quocumque modo controversia definiretur.

§ 7. Tandem neque erat resjudicata circumscribenda ex jurisdictionis defectu, perinde ac si de causa pium opus respiciente ageretur, ad quam cognoscendam incompetens esset civile A. C. tribunal. Quaestio siquidem inter mere laicos, et super actione hypothecaria in possessorem laicum versabatur, quae propterea a judice laico recte cognosci, et dijudicari poterat, quum nihil ab opere pio peteretur, nihilque contra ipsum pronunciandum esset. Praeterea, quo tempore judicium adversus comitem institutum fuit, jam per rescriptum a summo Pontifice Pio VII editum omnia haereditaria bona, post pensionariorum obitum, ac « *coll'obbligo di porre in sicuro gli scudi* 260 *a favore dello studio di architettura* », eidem comiti tributa fuere. Hinc fiebat, ut, quum pii operis pars distincta prorsus esset ab haereditate, quae, deductis oneribus, laico concedebatur; quumque controversia, non pii operis partem, sed reliquum haereditatis respiceret, judex ecclesiasticus adeundus non esset, sed competens civile A. C. tribunal dijudicari deberet. Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicante.

Die 4 decembris 1845 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Aloysius Morgante — D. Franciscus Scota
D. Joannes Farsarelli.

Prot. 105 / 1845 R̃mo. P. D. CONVENTATI Decano DECISIO LII.

ROMANA PERTINENTIAE CAUSAE

Jovis 4 Septembris 1845.

Argumentum

De facultatibus Praesulis S. Rotae Decani quoad subrogationem Ponentium in subselliorum mutationibus.

§ 1. Arbitrati fuissent Patres unionis quaestionem, quam definiverant inter ducem Marinum Torlonia, Pizzardi, et Benucci, ac R. D. Aloysium Pancaldi in comitiis 17 aprilis labentis anni, teste decisione R. P. D. mei Janni, eam deferentes ad Rotae praesulem Bonini, iterum ipsis subjiciendam esse refragante Pancaldiu, quem adversus rescriptum latum fuerat, quum hodie mirati, urgente ipso Pancaldio, super pertinentia potius ejusdem causae ad judicium ferendum vocati sunt novo tamen argumento, atque specie. Etenim qui ceciderat in memoratis comitiis libenter pro accepto habuit rescriptum Ordinis nostri, ac exequi curavit, exequutoque per D. Auditoris Signaturae decretum, egit, ut causa pendens coram alio ponente ad R. P. D. Bonini una cum suis actis deferretur eaque juxta stylum sacri auditorii procederet. Supervenerat elatio tunc temporis praesulis Marini ad praefecturam urbis, quare tres eorum, qui suffragia tulerant in secundo jurisdictionis gradu, accedebant iterum in tertiu secum eos ferens ponens Boninius, ex nova subselliorum mutatione, ut moris est, in Rota. Dux Marinus, ceterique consortes litis veriti sunt ne, dum novum certamen aggrediebantur a majori judicum parte eodem jam munere functorum causa definiretur: sese igitur poenituerunt praesulem Boninium ponentem causae ex Senatu nostro expetivisse. Rati sunt medelam sibi conferri posse a reverendissimo decano sacri auditorii, ab eoque subrogationem ponentis Quaglia pro Boniniu consecuti sunt, quam illico curarunt Aloysio indicere, eumque coram subrogatu ponente vadari. In protestationem adversariis opposuit, ne arma duriura subito impugnare velle videretur. Eam vero adversarii spreverunt; quin imo validiores facti Pancaldium coram R. P. D. Quaglia vocarunt, ut adigeretur ad protestationem effringendam ac attentata purgandi; sive circumscribenda singula quae Signaturae jussu ante praesulem Boninium Pancaldius confecerat. Lacessitus Aloysius, ne in incertum progrederetur, ad nos festinus ascendit, ut illaesa acta coram Bonini sanciremus, eaque penitus deleremus, quae hucusque ab ejus adversariis gesta sunt. Patres hodie quis ex duobus judicibus praeferendus sit determinare debuerant. Mihi suffragia praebuerunt, ut decisionem panderem ex quibus argumenta eruerem cur praetulerint rescribere « *causam spectare ad R. P. D. Bonini, circumscriptis omnibus gestis coram R. P. D. Quaglia* ». Me abstinui alteram Aloysii instantiae partem promere qua in incerto eventu, implorabat R. P. D. Magno a nobis eligendum esse causae ponentem, eo quod nullo in pretio eam Patres habuerunt, dum de pertinentia quaerebatur, quae eos dumtaxat judices afficit, quibus una, eadem causa inest.

§ 2. Quaestionum indolem advertere maxime Patres debent, ut de iis justum, et aequum judicium ferant. Incubuerunt igitur investigare cujus naturae instantia eis a Pancaldiu porrecta haberetur. Lege duce subitu noverunt peragi de pertinentia, quum una eademque causa apud Boninium, nec non apud Quaglia penderet « *Ha luogo il ricorso per determinare la competenza, quando una medesima causa è introdotta simultaneamente innanzi più giudici, o tribunali di eguale giurisdizione* § 1049 ». Supererat inde constabilire quis ex duobus alterum vinceret. Sub eodem paragrapho legitur « *Il tribunale supremo deciderà la controversia secondo le norme sulla competenza stabilite nel titolo II, ordinerà, che la causa si prosegua avanti il giudice, o tribunale che sarà dichiarato competente an-*

nullando gli atti degli altri giudici o *tribunali* ». In citato titulo peculiares actiones numerantur, et ita praecise distinguuntur, ut singulis earum judices, vel tribunalia designentur, a quibus recedere nullo modo licet. Fieri tamen potest (ut inter ducem Torlonia, ejusque socios ac Pancaldium accidit) ut pari jurisdictione quoad actionem polleat unus et alter iudex vel tribunal, coram quibus lis contestata fuerit: tunc investigare oportet quis eorum prior aditus sit, ne ab uno judice vel tribunali ad aliud convolari posse existimetur. Hac doctrina a lege tradita usi sunt hodie Patres, ut Boninium praesuli Quaglia praeferrent. Ubi enim judicium incaeptum ibi finem habere debet *L.* 30 *ff. de judiciis.*

§ 3. Reponebant vero oratores Pancaldio adversarii haud proprio lubitu ad R. P. D. Quaglia transiisse, verum accedente rescripto rm̄i rotae Decani, cui subdebant, jus inest subrogandi novum ponentem ei, qui ex translationis sedium occasione illosmet adscivit, quorum suffragiis in antecessum super eadem causa sententia lata fuit, quod punctim inter Pancaldium ac eorum clientes ob assumptionem praesulis Marini ad praefecturam Urbis acciderat. Satis a Senatu nostro in comitiis diei primi aprilis 1830 explicatum fuit usquedum sacri auditorii decani auctoritas perveniat, ne intra certos limites cohibita ab his deflectere valeat, teste decisione R. P. D. de Bubalo, ad quam hodie sese Patres retulerunt, quin mihi opus sit ea retexere, quae jam explanata sunt. Attamen quatenus allata ab iisdem oratoribus testimonia Patres sequi voluisseut quibus subrogationis rescriptum regere studuerunt, ad sensus veritatem redire cogebantur, quem paudidit illa decisio. Singuli enim qui de rotali praxi scripserunt, quos adversarii Pancaldi adnotarunt, numquam rotae Decano facultatem alterum subrogandi ponentem tribuerunt, nisi mors, vel longa absentia, vel tandem ejus cui causa inerat ad majora ascensus intercesserit: quorum incidentium quum nullum supervenerit, quo adhuc praesul Boninius Rotae non adsit, reverendissimus decanus inhibebatur, quominus eidem Boninio substitueret alterum causae ponentem Quaglia.

§ 4. Foret etiam ut Rotae decano licuisset ad amovendos eos qui in secundo jurisdictionis gradu suffragia tulerunt in quaestione inter Pancaldium, et ducem Torlonia, ceterosque consortes litis, alium subrogare ponentem, qui novos judices secumferret prout in R. P. D. Quaglia contigisset (absque eo quod Patribus vituperare placeat zelum ejusdem Rotae decani, cui absconditum, quod ab Ordine nostro decretum fuerit, esse videtur), nullo tamen modo a praesule Boninio, ad quemcumque alium causa transferri poterat. Quippe is ex praecepto Ordinis nostri constitutus erat judex: apud eum unita fuerat altera quaestio inter eosdem litigatores excitata, quae coram R. P. D. Marini reperiebatur: nemini igitur fas erat submovere praeceptum supremi tribunalis, cui singuli Pontificiae ditionis judices, ac tribunalia subjiciuntur lege ita praescribente Summi Pontificis « *Tutti i giudici, e tribunali dello Stato compresi quelli della s. Rota, e della piena Camera sono soggetti al supremo tribunale della Segnatura* » § 336. Absit igitur, ut dignitas, et imperium Ordinis nostri a quovis judice, vel tribunali evacuetur, quin imo adeo Patres collatam authoritatem tueantur oportet, ut oblivisci numquam videantur quae in inferiori paragrapho 338 impressa leguntur « *Il tribunale supremo di Segnatura conosce, e giudica in nome, e vece del Sommo Pontefice* ». Dum igitur piaculum est subvertere, ac destruere cujuscumque judicis, vel tribunalis rem judicatam, quod facinus aliquando Patres summa indignatione moti plectere non dubitarunt circumscriptionis poena, modo semper per in integrum restitutionem remedium praebere arbitrati sunt; quanto magis judicium a Signatura vices Summi Pontificis fungente editum immotum subsistere debet, et a nemine laedendum. In comitiis 17 aprilis labentis anni unus praesul Boninius ab Ordine nostro utriusque quaestionis hinc inde pendentis inter ducem Torlonia, ejusque socios, ac Pancaldium apud eum collectae constitutus fuit; praestat igitur, ut illi uni causa pertineat. Quare si rm̄i Rotae decani rescripto dux Torlonia, et litis consortes suffulti ipsammet causam instruere, et contestari maluerunt coram R. P. D. Quaglia utpote omni jurisdictione destituto, quam e conspectu delegationis Ordinis nostri in alte-

rum collatam nemo ei conferre potuisset, singula acta quae adhuc gesta sunt apud subrogatum illum ponentem circumscribenda esse hodie Patres duxerunt. Et ita ab utraque parte armis arreptis jus redditum est.

Die 29 Januarii 1846 « *Nihil de circumscriptione, et causam spectare ad R. P. D. Quaglia, et extendatur decisio per R. P. D. Conventati, et reproponatur.* »

Die 18 Martii 1846 « *Declaratio pro parte Pancaldi* ».

Procuratores — D. Vincentius Binarelli — D. Augustinus Pagnoncelli.

Prot. 72 / 1844 **R. P. D. FERRARI** DECISIO LIII.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 4 Septembris 1845

Argumentum

Disceptatur de exceptione reijudicatae, et de renunciatione facta sine scientia individua juris renunciati. — Quaeritur deinde an clericis prohibita sit successio ad fideicommissa et primogenituras.

§ 1. Postquam marchiones Laurentius, ac Leonardus Benedictus Justiniani januenses diu decertaverunt sive cum equite Laurentio Justiniani, sive cum creditoribus viri principis Vincentii Justiniani junioris, ut res judicatas obtinerent, quibus immissio tam in genere, quam in specie eis tribueretur ad primogenituram a marchione Vincentio Justiniani seniore conditam; postquam altera superaccessit res judicata a s. Rota in possessorio judicio ipsorum favore evulgata iu judicium venit clar. mem. Card. Jacobus Justiniani, petiitque contra Leonardum praelativam successionem in eadem primogenitura. Duae hinc prodierunt sententiae, altera praesulis auditoris Camerae, eltera s. Rotae ab R. P. D. Quaglia obsignata, quibus constitutum fuit locum esse favore Cardinalis praelativae vocationi ad successionem primogeniturae. Quae res judicata quum Leonardus authumavisset recta pugnare cum aliis quatuor rebus judicatis ab eo assequutis, circumscriptionem, sin minus restitutionem in integrum ab Ordine nostro postulavit; verum ejus petitio rejecta hac mane fuit rescripto « *Nihil de circumscriptione, et restitutione in integrum* ».

§ 2 Nam circumscriptionem Leonardus petebat ex defectu jurisdictionis, quia contendebat tum Camerae auditorem, tum s. Rotam contra res iudicatas jam ortes pronunciavisse. Quae querela etiamsi vera fuisset, occurrebat tamen lex declaratoria diei 3 septembris 1836, in qua constitutum fuerat « *Appartiene esclusivamente a questi tribunali* (scilicet ad tribunalia ordinaria) *il conoscere, e giudicare sulla esistenza della cosa giudicata* » atque adjectum « *Non è ammissibile il ricorso al tribunale supremo di Segnatura in via di annullamento per difetto di giurisdizione, che nel solo caso d'incompetenza in ragione delle persone, della materia, o della somma, e valore della lite* ». Et rursus « *Qualunque eccezione desunta o dalla cosa giudicata, o dalla perenzione, dedotta, o non dedotta, non dà luogo a ricorso per annullamento al tribunale supremo di Segnatura. I ricorsi sono nulli di pieno diritto, e si ritengono come non avvenuti* ». Si igitur exceptio quaelibet ex rejudicata deducta numquam facultatem tribuit interponendi apud Ordinem nostrum circumscriptionis recursum, qui pleno jure nullus existimandus est, si igitur quaestiones omnes super existentia reijudicatae ad judices ordinarios sunt deferendae, quia illarum violatio ordinariam tantum exceptionem suppeditat, nequibant acta gesta circumscriptionis gladio deleri, uti re funditus discussa in *Ferrarien. circumscriptionis* 6 martii 1845 §. 3 *et seq., cor. R. P. D. meo La Grua Valdina.*

§ 3. Rejecta circumscriptionis querela, quoad in integrum restitutionem justitiae consona res judicata visa fuit. Nam certum erat Cardinalem Jacobum in testamentariis Vincen-

tii tabulis ad primogenituram prae Leonarde vocatum fuisse. Is enim in prima vocationis sede, hic vero in tertia reperiebatur; id quod non denegabant strenui Leonardi patroni; toti in eo, ut rerum judicatarum obstaculum, et clericorum exclusionem objicerent. Hisce vero exceptionibus sedulo ponderatis, illud juris publici, et civilis principium PP. minime fugit, sanctam nimirum esse debere rerum judicatarum auctoritatem, proinde quidquid judex contra rem prius judicatam definivit, adeo manifesta laborare injustitia, ut ad restitutionis in integrum beneficium concedendum vim aperiat *ad text. expressos in leg. 1 cod. quando provocare etc., l. 9 cod. de sententiis, leg. 1 cod. de rejud.* Verum enim vero neque fugit quaestionem facti potius, quam juris esse, in eo positam, utrum sententiae, quae praelationem Cardinali, tribuerant antecedentes res judicatas violavissent; id quod manifeste non patuit; quin imo deprehensum fuit de aliis prorsusque aliis rebus actum prius fuisse. Nam licet de eodem corpore et de eadem quantitate disputatum fuisset, tamen non idem fuit jus, non eadem causa petendi, non eadem conditio personarum. Tribus itaque deficientibus requisitis, exceptio rei judicatae nocere Cardinali nequibat ad *text. expressos in leg. 12, 13, et 14 ff. de except. rei jud.* « ibi » *Quum quaeritur an haec exceptio noceat nec ne, inspiciendum est an idem corpus sit, quantitas eadem, idemque jus et an eadem causa petendi, et eadem conditio personarum, quae nisi omnia concurrant, alia res est* ».

§ 4. Prima reapse occurrebat res judicata inter Leonardum, atque equitem Laurentium orta; quae nullum statum contra Cardinalem facere posse visum fuit. Nam praeterquam quod eadem circumscriptionis gladio deleta ab Ordine nostro fuerat, dubitari non poterat quin de alia tunc re actum fuisset. Nam, Cardinali minime citato, tunc quaesitum fuit utrum equiti Laurentio dies praefinienda esset, intra quam demonstraret se adimplevisse leges omnes a testatore indictas, qua die praeterlapsa, et implemente non prebato utrum immissio ad primogenituram Leonardo esset tribuenda. Potuisset itaque definiri Laurentium testamenti conditiones minime adimplevisse, quin ex eo sequeretur, quod easdem conditiones Cardinalis despexisset. Itaque non eadem erat conditio personarum. Personalis enim ergo Laurentium exceptio ad Cardinalem trahi nequibat.

§ 5. Actum insuper tunc fuit de praefixione termini; agitur nunc de praelativa successione. In illa causa actor erat Januensis, in hac actoris vestes Cardinalis induit. Immissionem Januensis tunc petiit; de immissione ne verbum quidem Cardinalis fecit. Quocirca non idem fuit jus, non eadem causa petendi. Immissionem quidem Januensis obtinuit, sed obtinuit non vadato Cardinali in causa praefixionis termini. Ut immissio etiam contra Cardinalem prodesse ei posset, judicio comprehendere illum debebat; nam immediate ejus fratri Laurentio substitutus erat; neque ad successionem inhiare poterat nisi postquam dilucide demonstravisset eos omnes, qui in prima vocationis sede erant comprehensi jure ad eam assequendam destitutos esse. Debebat itaque etiam Cardinalem vocare, ut pateret, utrum etiam ipse testamenti leges fregisset, utrum cardinalitia, qua insignitus erat dignitas, obstaculum ad primogeniturae fruitionem pararet; neque satis fuit vadimonium datum fuisse, vel curatori futuris vocatis, vel patrimonii administratori. Nam Cardinalis neque nasciturus, neque pupillus erat, qui proprio nomine judicio sistere non debuisset. Contra si in creditorum numero, et ipse continebatur, non eam habebat personae conditionem, ut de praelatione ad primogenituram decertare potuisset. Apertissimum itaque erat quod res judicata cum equite Laurentio exorta Cardinali nocere nequibat. Nam omnia desiderantur extrema, quae ad exceptionem rei judicatae inducendam requiruntur.

§ 6. Succedebant res aliae judicatae latae a rev. Fabrica s. Petri, et a s. Rota super immissione tam in genere, quam in specie, quae tamen neque Cardinali oberant. Nam in illis judiciis inter creditores Vincentii Justiniani, atque Leonardum disputatum quidem fuit, utrum eidem Leonarde immissio danda esset. Immissionem inficiabantur creditores non ex eo quod ipse vocatione destitutus esset, non ex eo quod Cardinalis ei esset praeferendus, sed quia contendebant primogenituram ad vitam revocatam non fuisse, utpote aere alieno obrutam; contendebant itaque bona libera facta fuisse, proindeque inter eos diribenda, ut

suorum creditorum solutionem obtinerent; quod mirifice patebat tum ex dubii formula, tum ex sententia ab illa s. Congregatione lata. Dubium enim in haec verba conceptum fuerat « *An constet de reintegratione, et reviviscentia fideicommissorum, ita ut sit locus immissioni* », hinc in sententia declaratum fuerat « *fideicommissum et primogenituram, de qua agitur, reintegratam fuisse, et esse ad tramites motus proprii diei* 6 *julii* 1816, *adeoque ipsum marchionem Laurentium Justiniani immittendum fore, et esse* », et manifestius eruebatur ex voto, quod Cardinalis Clarelli tunc a secretis illius sacrae Congregationis evulgavit ad diem 21 aprilis 1836, ad quod sententia se refert.

§ 7. Quo circa in assertis rebus judicatis idem jus, atque eadem causa petendi primo desiderantur. Nam coram rev. Fabrica disputatum fuit de reviviscentia fideicommissi; e contra in s. Rota actum fuit de praelativa ad primogenituram Cardinalis vocatione; neque personarum eadem conditio aderat. Nam judicium coram rev. Fabrica incaeptum, atque prosequutum fuit, cum patrimonii administratore, qui creditorum collegium repraesentabat. Alterum vero judicium super praelatione initium, atque finem habuit cum uno Cardinali, qui recensebatur quidem inter creditores, qui ideo per interpositam administratoris personam judicio interfuerat, et interfuit non ut praelationem obtineret, sed qua creditor, ut immissionem cum caeteris denegaret, quia bona libera facta fuerant.

§ 8. Neque recte Januensis defensores objiciebant nequivisse Cardinalem praelationem postulare postquam sub administratoris persona judicio steterat, ut fideicommissi reviviscentiam inficiaretur. Nam tunc contentio fuit de jure universali creditorum, qui ob ingentem aeris alieni molem fideicommissi existentiam denegabant. Sit itaque quod Cardinalis jura sua uti creditor deduxisset; sicuti vero de personali successionis jure actum non fuit, neque agi valebat, nam reviviscentia tantum fideicommissi, quaestioni super praelatione inter vocatos locum dare poterat, ita factum illud utcumque judiciale impedimento non erat Cardinali, quominus immissionem uti praelative vocatus postularet. Nam *si quis fundum petat eo quod Titius eum sibi tradiderit, si postea eum ex alia causa petat, non debet summoveri exceptione rejudicatae, quae verba sunt Ulpiani in leg.* 11 §. 2 *de exceptione rejudicatae.* »

§ 9. Nec movebat epistola Cardinalis, ex qua inferebatur rei judicatae inter duos Laurentios exortae acquievisse. Nam renunciatio desumi nequibat ex officiosis verbis, praesertim quum in ipso epistolio Cardinalis jus sibi sarctum, tectumque volebat « *di far esaminare le rispettive pretenzioni, e di transigere su di esse;* » deinde epistolium illud scriptum fuit tempore, quo adeo de existentia vinculi primogenialis dubitabatur, ut diuturno judicio opus fuerit ad primogeniturae reviviscentiam constabiliendam. Quod si vinculi scientia deficiebat aut renunciatio nihil erat facienda, quia sine individua juris renunciati scientia concipi nequit, aut eadem renunciatio utpote erronea, et falso innixa supposito deletionis primogenialis vinculi, errore detecto impedimentum parare non poterat ad successionis jura postea vindicanda.

§ 10. Alia supererat res judicata, qua s. Rota decreverat Leonardum manutenendum fuisse in possessione bonorum ad primogenituram pertinentium, atque Cardinalem damnatum fuisse ad spolii purgationem. Licet vere res haec judicata prodierit cum ipso Cardinali, tamen ei nullum afferre valebat praejudicium. Nam actum fuit de possessione tantum, uti patet *ex Romana manutentionis seu reintegrationis* 9 *Decembris* 1839 *coram R. P. D. Alberghini.* Nemo vero est, qui ignoret rem judicatam in possessorio latam nunquam petitorio nocere posse ad *text. expressum in leg.* 14 §. *ultim.* « ibi » *Si quis interdicto egerit de possessione, postea in eum agens non repellitur per exceptionem, quoniam in interdicto possessio, in actione proprietas vertitur* ».

§ 11. Paucis vero res judicata minime fregit antecedentes res judicatas in iis, quae statum faciebant. Nam non negavit prae equite Laurentio, et creditoribus immissionem Leonardo dandam fuisse, non negavit fideicommissum ad vitam revocatum fuisse, non negavit Leonardum in possessione bonorum primogenialium manutenendum esse; quod adeo verum est, ut postrema res judicata abstractam tantum juris quaestionem super praelativo successionis jure definiverit, sed immissionis mandatum Cardinali minime concessit. Si igitur in iis,

quae statum faciebant, nibil res judicata, immutavit, exceptio ab antecedentibus rebus judicatis expiscata spernenda omnino erat. Nam si quae verba e calamo extensorum, sive rotalium decisionum, sive rev. Fabricae voti excesserunt, nequibant haberi in pretio. Nam ea tantum considerari debent, quae formiter discussa sunt, et quae praecipuum constituunt disputationis fundamentum, non ea quae perfunctorie et extra causam dicuntur. *S. Rota coram Ansaldo decis.* 974 *numer.* 5, *coram Crescentio decis.* 300 *numer.* 22, *et in Fundana manutentionis* 29 *aprilis* 1825 §. 7 *coram Spada.*

§ 12. Sublato rerum judicatarum impedimento, in quibus Leonardus tantopere nitebatur, parvi PP. facienda duxerunt ea omnia, quae cumulabantur, ut demonstraretur Cardilem primogeniturae incapacem fuisse utpote clericali militiae adscriptum. Nam clericis probibita minime est successio ad fideicommissa, et primogenituras. Decus enim familiarum, et splendor etiam per clericos servantur. *Valasc. consult. tot. numer.* 7; *Rocca disput. jur. cap.* 416 *num.* 7; *Rota in nuper. tom.* 4 *decis.* 384 *numer.* 2; *in Beneventana primogeniturae quoad domum* 11 *aprilis* 1786 §. 3 *coram Soderino in Aesina primogeniturae* 19 *junii* 1807 § 4 *coram Guardoqui, et in Romana immissionis* 28 *januarii* 1839 §. 10 *coram De Cursiis.* Clericorum igitur exclusio manifesta esse debuisset. At de hac testatoris voluntate minime liquebat. Non solum enim ipse primum haeredem scripsit Cardinalem fratrem, non solum nullum ducendi uxorem praeceptum vocatis injunxit, sed exclusit tantum « *quelli, i quali faranno, o vorranno fare professione di religione;* » quocirca simplices clericos a primogeniali compendio minime repulit.

§ 13. Neque rem mutare videbantur verba, quae sequebantur « *ovvero ai quali è proibito il contrarre matrimonio* ». Nam hisce verbis non eos omnes exclusos voluit, quibus vetitae nuptiae essent, sed eos qui religionem professi fuissent, a qua matrimonium prohibetur. Duas enim ipse expressit qualitates, nimirum « *alli quali il Monastero, o Chiesa, o veramente altri simili succedono* (en prima qualitas) *ovvero alli quali è proibito il contrarre matrimonio* (en altera) *o in qualsivoglia nome si chiamino* » (en genus universum regularium post numeratas species post demonstrata specierum adjuncta). Verba itaque « *ovvero alli quali è proibito di contrarre matrimonio* » non novum genus personarum continent, sed ad species proxime designatas sunt referenda ex vi, et intellectu pronominis *alli quali,* quod est relativum neque superflua fortasse fuerunt. Nam testator indigitare voluit sub exclusione comprehendisse non solum religiosos, quibus ordo succedit; sed etiam viros illos, qui aut mendicantium religioni, aut congregationibus nomen dant, quae vel in docendis pauperibus, vel infirmis curandis operam suam praebent, quibus licet religio aut congregatio, non succedant, professionem tamen explent. Quos omnes ut comprehenderet generica loquutione usus fuit « *alli quali è proibito il contrarre matrimonio.* »

§ 14. Hanc revera testatoris mentem fuisse demonstrare videbatur declaratio ab ipso testatore expleta. Professus enim fuit « *non farsi questo da me principalmente per escludere esse Chiese, ed altri luoghi sopraddetti* ». Atque eamdem declarationem confirmavit §. 44, in quo ea, quae ab ipso constituta fuerunt de ordine succedendi in casu mortis naturalis, locum habere voluit « *ancora nella morte civile, ingresso nei monasteri, e professione di religione, o si facessero Gesuiti come sopra, o di altra regola proibente il contrarre matrimonio* ». Ex qua declaratione patebat exclusionem directam praecipue fuisse non ad personas, sed ad diversa loca pia quasi testator non jam personas exclusisset religionem profitentes, sed ipsa monasteria, quae in locum ingrediuntur religiosorum. At hujusmodi declarationes ad clericos trahi nequibant; nam ecclesia in clericorum bonis minime succedit.

§ 15. Quae voluntas manifestior erumpebat ex finali exclusionis causa. Addidit enim se religiosos exclusisse «*acciocchè tutta la mia eredità, e beni, e successione perpetuamente per la sostentazione, e conservazione delli miei successori, ed altri come sopra chiamati alla successione di tutta la mia eredità, e beni restino e debbano restare* ». Verum hujusmodi causa optime aptatur monacis, qui licet jura agnationis proprie non amittant, tamen dum religiosus vivit monasterium fideicommissariis opibus frueretur, nemo hinc existeret, qui familiae, et agnationis splendorem servaret, et dignitatum praerogativa uteretur, uti animadvertit *Card. de Luca de*

fideicom. disc. 67 *numer.* 3 *et seq.* Respicere vero non potest clericos saeculares, qui in bona sua omnimoda potiuntur potestate, atque aptissimi sunt ad familiae decus conservandum, et augendum, *Peregrin. de fideicomm. art.* 28 §. 82 coque minus respicere potest Cardinalem, qui eminenti qua pollet dignitate familiae splendorem auget, qui idcirco nominatim excludendus fuisset, neque in generali clericorum exclusione comprehendi poterat. *Jason. vol.* 4 *cons.* 117 *num.* 11, *Cephal. cons.* 1 *vol.* 1 §. 40, *De Luca de feudis disc.* 47, *Fagnan. in decretales cap. quae in ecclesiam num.* 82 praesertim quum Vincentius senior improlis fuisset et collateralem haeredem instituisset, quocirca interesse minime debebat, si unus, aut alter successor sine filiis decessisset; nam primogeniturae perpetuitati consuluerat per substitutiones in infinitam seriem ordinatas.

§ 16. Atque in hanc testamenti interpretationem eo pronius conscendendum esse existimatum fuit; quia Vincentius ordinato erga suos amore inflammatus maximopere fuerat. Digessit ipse reapse lineas, et ad unumquemque dilectiorem in linea jugiter detulit haereditatis compendium, si igitur repulsus fuisset Cardinalis, remotissimus agnatus ipsius testatoris nepoti antepositus fuisset. Ad hanc igitur removendam non solum ordinatae charitatis subversionem, sed omnimodam etiam ultimarum voluntatum corruptionem contortam quoque sumendam esse interpretationem, potius quam fieri locum substitutioni ante evacuatam praedilectam lineam, docuerunt doctores inter quos *Rocca selectae disput. cap.* 5 *numer.* 5, *s. Rota coram Molines decis.* 998 *num.* 4 *et* 5, *coram Falconerio de primogenitura decis.* 6 *num.* 12, *et in Romana primogeniturae et fideicommissi* 19 *junii* 1829 §. 7, *et* 20 *jun.* 1830 §. 3 *cor. R. P. D. Muzzarelli.*

§ 17. Quibus omnibus fastigium imponebat, quod manifesta minime evincebatur legis violatio. Sancitum quidem est, quod nihil contra id, quod judicatum est definiri possit; sancitum quoque est, quod defunctorum voluntates servandae religiosissime sint. At haec duo juris principia res judicata minime pessumdedit. Nam declaravit quod anteriores res judicatae extraneae erant ab hac causa; declaravit quod Vincentius regulares tantum, minime clericos excluserat; quibus positis etiamsi res judicata in dubia interpretationis quaestione meliorem partem non selegisset, restitutioni in integrum locus esse non poterat. Nam aperta, atque manifesta debet esse legis violatio, nec satis est si judices minus rectam interpretationem sequuti fuerunt; uti post *text. express. in leg. nemo cod. quando provoc.* statuit noster Ordo in *Aesina restitutionis* 7 *decembris* 1837 §. 11 *coram R.P.D. meo Ferlisi, in Bononien. circumscriptionis, et restitutionis in integrum* 12 *julii* 1838 §. 10 *coram eodem, in Senogallien. restitutionis in integrum* 26 *martii* 1840 §. 11 *coram Grossi, et in Romana restitutionis in integrum* 7 *augusti* 1845 §. 8 *cor. Me.* Et ita in strenuo partium conflictu jus redditum est.

Die 23 aprilis 1846 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Franciscus Lasagni — D. Candidus Tosi.

Prot. 41 / 1845 R. P. D. JANNI DECISIO LIV.

ROMANA SEU PRÆNESTINA APPELLATIONIS

Jovis 4 *Septembris* 1845.

Argumentum

Habes in Decis. XLIV.

§ 1. Maturiori consilio Patres recedendo a decisione per me vulgata sub die 24 *superioris julii* indulgendam censuerunt appellationem, quam princeps Barberini antea inaniter flagitaverat adversus Capitulum Massae Antiquae Praenestis. Re namque sedulo expensa, et collata utraque praxi, ea nimirum quae modo viget, aliaque sub qua fuit interposita appellatio, visum est, nondum favore Capituli ortam fuisse remjudicatam, quae potestatem viro principi ademerit tertio quoque disputandi, etiam a meliori cultura eosdem sepire in prae-

judicium, juris pascendi, quo ipse pollet in hoc territorio. Rescriptum idcirco « *de appellatione* ».

§ 2. Incontroversum sane erat, duplicem solummodo fuisse latam sententiam favore Capituli, alteram ab A. C. Pelagallo, atque alteram a s. Rota, uti narrat prior decisio, quae germanam hujusce contentionis originem, vices, et adjuncta commemorat: incontroversum pariter litem fuisse intermissam sub veteri praxi, quando ad remjudicatam tres requirebantur sententiae conformes, teste *Calcagn. prax. utriusq. Signat. par.* 1 *cap.* 2 *numer.* 14; *Ridolph. prax. judic. par.* 1 *cap.* 13 *num.* 78, *et par.* 3 *cap.* 5 *num.* 140, et missis caeteris notissimo auctore operis *pratica della curia romana part.* 1 *cap.* 6 *in princ.* Tandem vero, Principem Barberini haud omisisse appellationem interponere a sententia rotali, et postulare a Signatura juxta relatam illius aevi praxim « *declarari esse locum observantiae appellationis in suspensivo sub banca* », immo impetrare commissionem. et causam in album referre. His autem extra dubietatis aleam positis, consequi sponte videbatur integrum etiamnum fore viro principi observantiam interpositae appellationis urgere, et nostro Ordini eamdem decernere judicium ferendo juxta veterem praxim, rescribendo nimirum « *de appellatione* » eodem modo, quo oportuisset, si ante neotericas sanctiones proposita fuisset ejusmodi quaestio ad monitum Villettii, sive enunciati anonymi auctoris *loc. sup. cit. pag.* 136.

§ 3. Non obstat siquidem quidquid circa appellationes fuit deinde sancitum; id namque respicit illas aut numquam interpositas, aut minime prosequutas, qualis profecto censeri nequit appellatio, de qua agitur, cum de ejus interpositione, et prosequutione adeo evidenter liqueat, ut processum fuerit usque ad destinationem Signaturae, qua proponenda ejusmodi appellationis quaestio fuisset. Non novum autem post decretam propositionem causarum eas facto partium non proponi, et silere pluribus annis, cum lex non sit sollicita reddi non petentibus jus. Silentium hoc ipsum vero ab ea die jugitor custoditum non magis viri principis quam capituli facto est adscribendum, quoniam potuisset, dum ille negligeret, proponere causam ad hoc ut denegaretur appellatio. Factum igitur utriusque partis uni magis quam alteri prodesse aut nocere aequitas minime suadebat; consideranda potius erat res tanquam integra, terminanda videlicet eodem jure, quod litis contestatae tempore obtinebat, ut in simili specie alias respondit noster Ordo in *Perusina circumscript.* 7 *jun.* 1832 §. 3 *cor. Galimberti*, *et Romana appellationis* 13 *julii* 1837 §. 5 *cor. R. P. D. Ferlisi.*

§ 4. Investigandum itaque unice supererat, num viro principi juxta veterem praxim appellare liceret, quod triplici ratione capitulum denegabat; primo nimirum (in quo stetit praecipuum alterius decisionis fundamentum) ob id quod sententia rotalis lata fuerit in gradu restitutionis in integrum, a qua ulterius provocari nequivisset, cum ab extraordinario remedio ad ordinarium nemo rursus valeat confugere, *cit. prior. decis.* §. 4, *et* 5. Secundo quia licet jure communi tres requirerentur sententiae conformes ad constituendam remjudicatam, ex dispositione nihilominus statuti urbis satis erat constare de duabus ne amplius provocare liceret, *Fenzon. ad stat. urb. lib.* 1 *cap.* 180 *n.* 4, *et* 5, *Scaccia de appellat. quaest.* 18 *numer.* 12. Tertio tandem ex eo quod sententia nullum gravamen contineat, ac proinde ex hoc capito inspecta etiam obsoleta praxi non recipiat appellationem, uti praeter animadversa *in super. decis.* §. 6. *docet. Ridolph. par.* 1 *cap.* 13 *num.* 113. *cas.* 24, *et* §. 2. Sed omnia funditus corruebant praecipue vero causam fuisse a s. Rota decisam in gradu restitutionis in integrum.

§ 5. Quamquam enim formula dubii disputata in s. Rota id Patribus in antecedenti periculo persuaserit, cum respondeat illi apprime, quae in causis dumtaxat restitutionis in integrum hodie proponitur, perspectum nihilominus hodie habuerunt formulam « *An constet de rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum* » olim disputari consuevisse quotiescumque commissio clausulam devolutivam secumferret ad monitum Villettii *loc. cit. pag.* 168; « *ibi* » *Se poi sarà commessa colla clausula* « de causis » *oppure* « sine praejudicio » *o con qualunque altra clausola, che porti l'appellazione in devolutivo, si disputerà sempre il dubbio* « An constet de rejudicata, sive potius etc. ». Quocirca formula dubii, cui tantopere innitebatur capitulum non tam restitutioni in integrum, quam devolutivae appellationi conveniens, incertum reliquisset utrum sententia rotalis in remjudicatam transicrit, quod satis superque erat

ad appellationem concedendam, cum in quolibet dubio ea semper admittatur, *Scaccia de appellat. quaest.* 3 *n.* 4 *in fin.*, *et quaest.* 17 *ampl.* 17 *n.* 60, *et seq.*; *Constant. ad stat. urb. annot.* 52 *n.* 445, *et* 446.

§ 6. Insuper vero Patres animadvertebant, causam non aliter fuisse s. Rotae commissam, quam in gradu appellationis, idque vel ipso instante capitulo. Cum namque post sententiam A. C. Pelagallo consulatus artis agrariae ratione privilegii resumere tentasset eamdem causam coram emo Camerario in civilibus, uti narrat *super. decis.* §. 2 capitulum postulavit ab Auditore SSmi, ut praevia circumscriptione eorumdem actorum remitteret causam ad S. Rotam *in gradu appellationis* quemadmodum obtinuit. Impetrata autem commissione appellationis, eaque incapsata, et repetita capitulum citavit ad *dicendum contra commissionem*; mox alteram expedivit prefixionis termini *ad trasportandum acta*, eamque similiter repetiit: quibus legitime gestis procurator viri principis non modo curavit transportationem actorum factorum coram A. C. Pelagallo, sed transmisit praeterea capitulo citationem *ad dicendum contra jura*; quae omnia simul sumpta nec minimum dubitari sinebant, causam fuisse contestatam apud s. Rotam in gradu appellationis, haud vero restitutionis in integrum. Parum autem noscere intererat, utrum infra, vel extra terminum actorum transportatio locum habuerit; cum neque capitulum ostenderit illius praefixionem obtinuisse, neque si docuisset aliud sequeretur quam ut liceret exequi sententiam judicis *a quo*, numquam vero fuisse peremptam appellationem etiam devolutivam, quae veteri praxi nec diabolo quidem negabatur, ut erat adagium.

§ 7. Cessante jam vero supposito, quod sententia rotalis, de cujus appellatione quaeritur, lata fuerit in gradu extraordinariae restitutionis in integrum, caetera facillime diluebantur. Quod etenim pertinet ad statutariam dispositionem *de duabus* peremptorium erat primo, civitatem Praenestis haud fuisse urbis statuto subjectam *teste s. Rot. in decis.* 162 §. 1 *part.* 2 *divers.*; deinde autem, etiam existentibus duabus conformibus, in arbitrio Signaturae positum fuisse appellationem concedere, adeo ut clausulam adhiberet « *constito de duabus* » juxta relata per *Villett. loc. cit. pag.* 139: quod toties locum sibi vindicabat quoties justistia dictarum conformium non erat adeo manifesta ut calumniosa omnino appellatio videretur. Nam citata statuti urbis dispositio intelligebatur de sententiis validis, ac justis, uti declaravit *s. Rota in Bononien. de Ghillis* 9 *junii* 1610 *cor. Coccino.* ac tradunt unanimiter *Fenzon. annot. ad cap.* 180. *n.* 54, *Constantin. annot.* 55 *n.* 15, aliique ab iisdem relati.

§ 8. Ad intrinsecam vero quod attinet sententiarum justitiam, cujus etiam intuitu denegandam esse appellationem capituli defensores ultimo contendebant, Patres non poterant quin despicerent ex ipsis deductionibus partium, jus capituli non esse adeo evidens, quale idem jactat, cum asserta facultas restringendi agros procul etiam a meliori cultura in praejudicium juris pascendi, quo gaudet princeps Barberini in territorio praenestino adversetur declarationi ipsius capituli in assignatione praediorum facta de anno 1778, ubi explicite professus est « *La nostra massa sopra i descritti beni arativi, non ha il jus di vendere gli erbaggi, quando il terreno non è a coltura, ma bensì codesto jus risiede presso sua eccellenza padrona trattandosi della ricalata. Quei terreni poi che non sono compresi nella ricalcata, si vendono ad uso di erbe per il bestiame dell' illmo consolato.* » Quae capituli declaratio juncta praesertim tabulis censualibus, in quibus jus pascendi principis Barberini descriptum, et aestimatum legitur pro scutis *trigiata millibus* admodum suspectam nisi manifestam profecto reddere visa est sententiarum justitiam; et procliviores exinde Patres extiterunt ad appellationem concedendam; ne sepibus circumdatis agris alii fruantur herbis, et princeps Barberini onera solvat pro jure pascendi. Et ita etc. utraque etc.

(*Vide decis. XLIV*).

Die 18 decembris 1845 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Franciscus Xaverius Borghi — D. Antonius Vasselli.

Prot. 75 / 1845 R̃mo P. D. CONVENTATI Decano DECISIO LV.

ROMANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 11 Septembris 1845.

Argumentum

Habes in Decis. XLV.

§ 1. Aes ingens consumptorum canonum premebat sorores Crespi usque ad scuta 1719 erga Sodalitium B̃mae Virginis ab Angelo salutatae, quum divendita praeconis voce eis fuerit domus emphyteutica « *in via delle Botteghe Oscure* ». Marchio Lugdovicus Potenziani, quo instante licitatio secuta fuerat, alacer, ut absque contentione ex pretio aedis deposito primus satisfieret, a pii loci moderatoribus canonum creditum redemit. Obstabant tamen Alexander, et Vincentius fratres Sartori, ceteri faeminarum creditores. Ad majus damnum sibi parcendum petiit marchio, ac a tribunali obtinuit sibi tradi pecuniam depositam, assumpsitque curam eam collocandi, sibique onus imposuit respondendi usuram quincuncem assignandam ei, cui de jure pertinuisset « *di pagare i frutti del cinque per cento in caso di non seguito rinvestimento, ed a favore di chi di ragione* ». Orta quaestione inter fratres Sartori, ac memoratum Sodalitium de canonum mensura, tandem absoluta ea fuit. Creditorum jura, et privilegium ante judices camerales A. C. disputatum fuit: maximum certamen vero sistit, cui tribuendi forent fructus ex pretio aedis derivati, nec marchioni profuit quidquid de suo praelativo jure locutus fuit, licet canonum cessionario, ad quorum compendium fructus accedere debuissent, quin primorum judicum Camerae tribunal sententiam confirmans, eos fratribus Sartoriis in graduatione creditorum adscriberet. Videbatur Potentianio plane injustam fuisse remjudicatam, convolavitque ad Ordinem nostrum, ut restitutio in integrum ei daretur. In comitiis 7 augusti proximi praeteriti auditus minime fuit. Verum edita a R. P. D. meo Ferrari decisione validiorem orationem Patribus marchio subjecit, adeoque eorum animum perculit, ut a justitia ducti, dociles a decisis recesserint, et accomodatius prutulerint rescriptum « *De causis s. p. reijudicatae etiam quoad refectionem expensarum* ». Mihi attinet munus decisionem edendi, qua intimata, post viginti dies quaestio discuti valebit.

§ 2. Nullum novum documentum in anteactis comitiis marchio Potentiani praebuit, nec hodie praebere ei datum est, super quod inniti instantiam, illamque amplecti Patres valerent ad statuendam restitutionem in integrum. Totus incubuit ad ostendendam, ex legum violatione, injustitiam reijudicatae, « o *dall'essersi espressamente contravvenuto ad una legge in vigore* », quam intimius Patres scrutantes non sese fefellisse duxerunt. Jure dominii se potiri marchio clamabat super pecunia aedis divenditae deposita, sibique ideo accessionis gratia fructus ex ea partos fuisse pluribus argumentis adfirmabat, quin judicibus reijudicatae liceret eos transferri in fratres Sartori, quasi pertinuissent faeminis debitricibus. Opus igitur fuit, ut Patres investigarent a quo altero fonte, praeter eum, quem antea negaverant, dominium ei profluisset. Juribus Sodalitii utebatur Potentianus, eaque proficiscebantur a nonnullorum canonum credito adversus sorores Crespi, quarum damno aedes divendita fuerat, quae vigore dominii directi referebatur eidem Sodalitio. Hoc animadverso, subito Patres noverunt, unius Sodalitii, ideoque marchionis cessionarii esse maximam pretii distractae domus partem, quae canonum debito respondebat, praetereaque non immerito Lugdovicum super eo dominium jactasse duxerunt, quare, et fructus pecuniae illius nemini alteri, quam marchioni tribui debuisse concesserunt. Et merito. Canonum enim compendium invadit utile dominium eorum, quibus illos solvendi inest obligatio, adeo ut, expoliato emphyteuta, canonum creditum subingreditur in utilis dominii pretium, quod directo domino adscribitur usque ad insolutorum canonum entitatem §. 83 codicis judiciarii « *I privilegi sopra gl'immobili sono i seguenti. . . . . di quello del padrone diretto sull'utile dominio del fondo enfiteutico pel suo credito de' canoni dovuti dal-*

l'enfiteuta ». Dum igitur pecunia deposita valorem continebat utilis dominii domus sororum Crespi, quas adversus marchioni velut cessionario pii instituti canones exigere jus erat, inficiari nequit dominium super ea adstatim suscepisse. Quae pecunia usque ad vim scutorum 1721, quotquot a canonibus haud pensitatis gignebantur, uni Potentiano adscribi necesse erat; fructus inde ex ea ortos distrahere in alteros, praeter marchionem, resjudicata nequibat. Distraxit tamen, fratribusque Sartoriis tribuit, peccavit igitur, fregitque leges 33 §. 2, *leg.* 49 §. 2 *ff. de rei vindic., leg.* 12 §. 3 *ad exhibendum, leg.* 22 *cod. de rei vindic.*

§ 3. In superioribus comitiis 7 augusti mox elapsi Patribus penitus denegare non placuit, pignore vendito, debitoris dominium in ejus pretium transire. Inclinassent definire potius in creditorum dominium converti, eorumque qui potiores in gradu renunciantur: tamen arguere nequivissent de evidenti injustitia remjudicatam, quam potius Patres probare censuerunt, quatenus manifesta legis violatio minime erupisset, ideoque attulerunt ad ejus validitatem confirmandam, tum *leg.* 1, *et* 9 *cod. de pignorat. act.,* tum §. 1378 *cod. gregoriani,* quasi per analogiam. Nam singulae hae leges de pignore, haud vero de pretio ab ejus venditione eruto loquuntur. Hodie vero intimius thesi perspecta, detectaque causa dominii super pecunia deposita, quod a marchione canonum cessionario adimi nullo modo poterat, Patres tutissimi in novam, et justitiae consonam sententiam venerant, et sine ambage restitutionem in integrum a rejudicata instanti contulerunt.

§ 4. Accedit insuper, quod, oborta quaestione inter Sodalitium, et fratres Sartori, qui de excessivo onere canonum querebantur, sollicitus marchio requisita castrensia uni, et alteris iudixerit, ne pecunia, super qua jus sibi comparaverat, otiosa, et infrugifera in sui perniciem penes publicam arcam duraret. Nisi Potentianus prudentior a tribunali sibi eam pecuniam ad rinvestiendum obtinuisset, pleno jure insurgere adversus fratres Sartori potuisset, eosque adigere loco damnorum ad eos fructus rependendos, quibus eorum culpa privatus fuerat. Quippe canonum debitum in maximo robore mansit immotum. Sartoriis itaque non decebat universam eorum solutionem remorari, quin paenam suae culpae luerent eorum fructuum solutione, quos canonum, seu depositae pecuniae dominus amiserat; judicibus reijudicatae, ut cohiberet ab elargitione fructuum illorum erga fratres Sartori, marchio saltem compensationem adversus eosdem fratres sibi tribuendam esse objecit: aequissimam tamen exceptionem judices omnino respuerunt: eos igitur in alteram legis violationem incidisse Patres animadverterunt, *leg.* 2 *ff. de compensat.*

§ 5. Tandem cameralis congregatio A. C. pessumdedit legem *non utique* 3 §. *fin. ff. de eo quod cert. loco,* ac artic. 1619, *et seq.* codicis gregoriani, dum onus marchioni injunxit sine causa fructus solvendi pecuniae, quam ipse e deposito retulerat. Quare si judicibus non licet reddere frugiferam pecuniam sua natura sterilem adversus legum dispositionem, nec resjudicata cohibere poterat Potentianum ad eos fructus retribuendos, quibus is a legibus eximebatur.

§ 6. Singula haec in novo certamine aggresso a marchione, fratribus Sartoriis oppugnantibus, Patres perpenderunt, omnique justitia intellexerunt de rejudicata marchionem conqueatum fuisse, adeo ut eis necesse hodie esset rescribere « *De causis etc.* ». Et ita armis hinc inde iterum arreptis, jus redditum est.

(Vide Decis. XLV.)

Die 18 decembris 1845 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Bartholomaeus Belli — D. Constantinus Brioni.

CENTUMCELLARUM CIRCUMSCRIPTIONIS ET APPELLATIONIS

Jovis 11 Septembris 1845

Argumentum

Circumscriptionis quaerela nulla ratione suffulta rejicitur; et de appellatione juxta Leonini codicis ritum disputatur.

§ 1. Seraphinae Martellacci nuptae Jacobo Falandi ejus mater Lucretia Scagliosi dotem constituit in summa scutor. 350, quam intra octennium numeraturam spopondit interusuriis promissis ad rationem scut. quinque pro quolibet centenario, et anno. Lucretia vita functa, atque ab ejus privigno Dominico Martellacci tota haereditate occupata, coacta fuit judicio eum provocare coram praetore Centumcellarum, ad obtinendam tum possessionem semissis maternae haereditatis, tam fructuum restitutionem a die apertae successionis, tum solutionem scut. 65 residuum dotis, quae ab eo erat numeranda tamquam ejus patris Francisci Martellacci filio, et haerede. Hac instantia a praetore penitus probata sententia diei 18 januarii 1828, Dominicus citationem specialem usque ab anno 1829 indixit, quam illius circumscriptionem, sin minus appellationem postulavit. Intermissam causam Seraphina curavit ut in hodiernis comitiis proponeretur, sed Dominico vadimonio deserente rescriptum datum fuit « *Quoad circumscriptionem nihil, in reliquis sine praejudicio* ».

§ 2. Si enim in quolibet dubio pro actorum validitate ferendum est judicium, valida certo certius habenda erat sententia praetoris Centumcellarum statim ac nullus occurrebat vel citationis, vel mandati, vel jurisdictionis defectus. Dominicus revera *personaliter* citatus fuit, uti ex apparitoris relatione patet, et probat ipsius Dominici factum, qui vadimonium obivit, et procuratorem constituit causidicum Vincentium Bartoli. Mandatum vero, quo Seraphina Benedicto Blasi defensoris munus commisit, apud acta productum fuit; neque de praetoris jurisdictione dubitari poterat. Nam judex ille de qualibet lite cognoscere poterat, « *superiore alli scudi* 300 *fino a qualunque somma,* » uti sancitum erat in §. 24 codicis leonini, sub cujus imperio causa istbaec initium habuit.

§ 3. Lis porro a Seraphina coram praetore excitata, vim certo certius superabat scut. 300. Nam petiit tum immissionem ad possessionem semissis maternae haereditatis, tum fructuum restitutionem a Dominico nullo jure perceptorum a die 16 maii 1816 usque ad diem motae litis, ad diem nimirum 28 decembris 1827, tum solutionem scutor. 65. Cum itaque de haereditatis petitione, et de bonorum possessione in libello actum fuisset, indefinitus erat litis valor. Nam *possessio bonorum sicut haereditatis petitio titulum ac jus universale complectitur,* veluti edocent textus apertissimi in *leg.* 3 §. 1 *et* 2 *ff. de bonor. possess. leg.* 119, 178 §. 1 *et* 208 *ff. de verbor. signif.* « ibi » *Bonorum appellatio sicut haereditatis universitatem quamdam, ac jus successionis, et non singulas res demonstrat.* » Rem denique omnem conficiebat explicitus Dominici consensus in praetorem Centumcellarum. Nun solum enim coram eo comparuit, sed strenue decertavit, quin de asserto jurisdictionis defectu querelam ullam movisset. Jam vero inspectu jure comuni in *leg.* 1 *ff. de judiciis, et leg.* 74 §. *judex ff. eod.,* quo leoninae leges ne latum quidem unguem discesserunt, litigantium consensu judicis jurisdictio prorogabatur, etiamsi ad causas certae speciei, et quantitatis constitutus fuisset. Quum itaque de hoc consensu dubitari nequivisset, circumscriptionis querela rejicienda erat.

§ 4. Appellationem autem in devolutivo tantum servandam esse PP. duxerunt. Nam Seraphina postulavit immissionem ad possessionem maternae haereditatis, et residuae dotis solutionem. Agebatur itaque de judicio summario, et exequutivo. Nam summaria, et exequutiva juxta codicem leoninum erant judicia omnia, in quibus de possessione vel retinenda, vel recuperanda, vel acquirenda, aut de dotis solutione disceptabatur, ut ex §. 164 et 166

« ibi » *Si procederà in via sommaria ec. in tutti i giudizj possessori diretti a ritenere, o ricuperare il possesso, come pure in quelli, nei quali si tratta di acquistarlo ...... Si procederà in via esecutiva 2° nei giudizj di pagamento di doti costituite, e da restituirsi* ». In judiciis autem summariis ac executivis appellationem dandam esse in devolutivo tantum non solum sancitum erat in citato §. 164 165 et 131, verum etiam centies definitum fuerat ab Ordine nostro, et praesertim *in Setina appellationis* 19 *januar.* 1826 §. 1 *cor. Celestini, et in Romana seu Tusculana appellationis* 19 *januar.* 1826 §. 2 *cor. Grossi.* Et ita etc. Unica etc.

Die 11 jannarii 1846 « *Quoad circumscriptionem in decisis; in reliquis de appellatione, et extendatur decisio per R. P. D. Ferrari, et reproponatur.*

Procuratores — D. Augustinus Pagnoncelli — D. Joseph Bacchi.

Prot. 267 1845 — R. P. D. LIPPI — DECISIO LVII.

PISAUREN. UNIONIS ET AVOCATIONIS

Jovis 11 *Septembris* 1845

Argumentum

Habes in Decisione XLVI.

§ 1. Quemadmodum narrat praecedens rmi Decani decisio, Antonius Pistoja advocatus pisaurensis creditor extitit in summa scut. 290, et obul. 17 adversus Caeciliam Bartulini ob patrocinium ab ipso susceptum et expensas erogatas in judicio ab ea adversus Ioannem, et Magdalenam Rufini instituto, cujus exitus adeo prospere Bartoliniae cessit, ut ordinem etiam executorium pro expensis in scut. 242, et obul. 34 obtinuerit. Sed quum triennium jamdiu elapsum esset post litem ad exitum perductam, quin Bartolinia de persolvendo debito sollicitam se praeberet, Advocatus eam in jus coram pisaurensibus judicibus vocare coactus fuit, quae, ut certae condemnationi obviam iret, debitum suum privata syngrapha agnoscens, praedictum ordinem exequutorium eidem cessit, ac reliquam summam scut. 47 83 so soluturam promisit « *all'incasso delle altre spese portate nelle ordinanze rotali* ». Hoc vero creditum scut. 47, 83 idem Advocatus cessit Andreae Bruscolini.

§ 2. Hac tamen stipulatione minime obstante, Bartolinia integram acceptilationem pro eadem summa in stipulatum jam deducta Rufiniorum favore emisit, qui ea freti ad pisaurense redierunt tribunal, ut supersederi mandaret in actibus subbastationis, ac deliberationis, solutionem debiti potissime allegantes. At quum Advocatus demostraret, perperam a Rufiniis solutionem allegari, quippequia praecedentem cessionem probe cognoscerent, contra Bartoliniam ipsi directe insurrexerunt liberationem a molestiis ex causa acceptilationis postulantes. Cujus petitionis consequentias ut Bartolinia effugeret, judicium coram pisaurensibus judicibus movit super cessionis ejusdem nullitate ob defectum solemnitatum, contextualiter obiiciens in alio solutionis judicio executioni committi non posse eam obligationem, de cujus validitate disputabatur. At pisaurense tribunal per sententiam, quae postea in remjudicatam transiit, definivit retardari non posse judicii summarii exequutionem, oppositamque exceptionem rejecit.

§ 3. Interea plures jam menses elapsi erant, quin rotalia mandata executioni committerentur. Quapropter Bruscolinium, cui Advocatus creditum scut. 47. 83 cesserat tunc exigendum, quum mandatorum executio fieret, judicium coram Vicario generali curiae pisaurensis tum in Bartoliniam, tum in Advocatum instituit, ut terminus ipsis praefigeretur « *all'effetto di eseguire l'ordinanza rotale a carico di detti Francesco, e Barbara Rufini* » haeredes debitorum. Hinc ut promptam, paratamque obligationis executionem Bartolinia praepediret, recursum interposuit apud supremum nostrum tribunal, ut executivum solutionis judicium avocaretur, et uniretur cum altero ab ipsa excitato super ejusdem obligationis nullitate. Quam postulationem praeteritis in comitiis exceptam, hodierna die, re intimius perpensa, Patres rejecerunt rescripto « *nihil* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 4. Neque vera sive ab extrinsecis, sive ab intrinsecis rationum momentis patebat unionis postulationem esse prorsus rejiciendam. Et primo quidem ab extrinsecis. Nam quum Bartolinia jam coram tribunali Pisauri institisset pro exequutorii processus suspensione usque ad finem alterius litigii super nullitate cessionis, idem tribunal petitam suspensionem rejecit, iis potissimum rationibus, quia nempe nil justius esset, quam Advocato ea omnia rependi, quae tum ob functiones tum ob factas expensas ei deberentur, et quia judicium super rotalium mandatorum executione, utpote summarum, differri nequiret usque ad exitum alterius ordinarii de cessionis nullitate judicii, in quo locum habent exceptiones altae indagiois a judicio sommario penitus excludendae. Si ergo re judicata constitutum jam fuerat, retardari non posse judicii executorii definitionem usque ad exitum ordinarii, eadem ratio obstabat quominus hodie unio inter duas caosas decerneretur. Nam si ambo judicia una simul copularentur, id admitteretur, quod a rejudicata negatum jam fuit; admitteretur scilicet, qood summarii judicii definitio retardari posset usque ad exitum ordinarii contra juris regulas, quae probibent, quominus id, quod per res judicatas jam definitum est, iterum refricetur.

§ 5. Ab intrinsecis vero, quia causarum unio tunc locum obtinet, cum par sit illarum qualitas, conditio, et natura, quando scilicet utrumque jodicium ordinarium est, vel executivum, atque utrumque in uno, eodemque jurisdictioois gradu versatur. At quando hae conditiones desunt, lex prohibet, quominus unio decernatur, quum judicia executiva copulari cum ordinariis haudquaquam debeant, ne celeritas in executivo judicio servanda turbetur, atque impediatur ab ordinario, quod involutom est, altioremque requirit indaginem, ut semper tenuit supremum nostrum tribunal, ac precipue in *Romana circumscriptionis, et avocationis* 17 *septembris* 1839 §. *fin. coram R. P. D. Morichini, et in Ferrarien. avocationis et unionis causarum* 20 *julii* 1840 §. 8 *coram me.*

§ 6. Nullum vero dubium, quin judicium a Bruscofinio institutum summarium sit, quum in eo agatur de executione syngraphae, quae idcirco nullam dilationem admittere valet. Judicium e contra a Bartolinia institutum inter ordinaria recensendum est, quum in eo debeat ad totrinam revocari num faemina eamdem signare valeret, quod judicium sane magis implexum, et involutum esse constat, et per longiores circulos definiendum. Nullo igitur pacto comparari hoc valet cum altero executivo solutionis, quod debet citissime tractari, et definiri, ne expeditissima negotia maximo societatis detrimento intercipiantur, cujus utilitas exigit, ut obligationes certae sint, quo magis fieri possit, et in illarum executione nulla mora patretur.

§ 7. Quapropter minus rectum videtor quod in praecedenti decisione statuitur, adesse scilicet antiuomiae inter sententias periculum. Sententia siquidem a judice prolata in judicio executivo, quod unam respicit stipulationis executionem, nullum impedimentum afferre valet, quominus in congruo separato judicio, immo vel ab eodem judice obligatio eadem nulla declaretur. Nil enim vetat, quominus per sententiam in summario judicio latam illud solvendum sit, quod postea per alteram in ordinario judicio sententiam restitui debeat. Quapropter etiamsi fingeretur, Bartoliniam ad syngraphae executionem hinc damnari, illinc vero decerni syngrapham eamdem nullitatis vitio laborare, semper Bartoliniae jus esset, sarctum, ac tectum solutam jam summam iterum habendi.

§ 8. Sed illud praeterea accedebat, quod inutiliter prorsus caosarum unio decerneretur, quia nullum emolumentem ex hac unione Bartolinia perciperet. Syngrapha quippe de qua agitur, nullo vitio laborat, qunm nulla solemnia in ea requirerentur. Nam agebatur, de crediti vindicatione in judicium jam deducti, quodque patebat advocato Pistoja competere in genere et in specie. Et sane ex luculentissimis documentis constabat, Advocatum propriis sumptibus Bartoliniae jura in judicium deducta defendisse, et adversus Rufinios temere litigantes expensarum refectionem, et mandatum exequutivum obtinuisse pro summa ad liquidum perducta, et pro qua hypothecam in publicis codicibus adnotavit. Non ergo valet in discrimen adduci mulieris obligatio quam, seposita etiam syngrapha, leges omnes protuentur. Aliter enim oriretur absurdum, quod faemina absque solemniis agnoscere in scriptis non possit debitum certum et necessarium, ita ut ei liceret cum aliena jactura locupletari.

§ 9. Evidens itaque erat, excitatum super nullitate declarationis judicium ideo tantum fuisse, ut executivi judicii cursus retardaretur, atque ob hunc unicum finem petitam fuisse causarum unionem. Non solum enim inter unum, et alterum judicium diversa qualitas ordinaria, et executiva intercedit, ita ut nulla inter utrumque verificari possit sententiarum contrarietas, sed adeo patula apparet cessionis, seu obligationis validitas ut nonnisi ad promptam, et expeditam ejusdem executionem praepediendam pateat nullitatis judicium fuisse ad opportunitatem excogitatum, atque promotum. Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicante, jus redditum est.

(Vide Decis. XLVI).

Die 4 Decembris 1845 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Piselli — D. Bartholomaeus Belli.

Prot. 93/1844 R. P. D. FERRARI DECISIO LVIII.

ROMANA UNIONIS CAUSARUM

Veneris 28 *Novembris* 1845

Argumentum

Dum agitur de unione causarum, de exceptione quoque reijudicatae disceptatur.

§ 1. Solemnibus tabulis diei 22 decembris anni 1798. dux Petrus della Figliola vendidit sacerdoti Aloisio Guardabassio pretio scut. tresdecim millium latifundium *Col-tavolino*, in agro perusino positum. Quinquennalis dilatio emptori tributa fuit ad pretium numerandum; atque fructus compensativi ad rationem scut. quatuor pro quolibet centenario fuerunt conventi. Nondum bimestre spatium praeterlapsum erat, atque Guardabassius idem latifundium alienavit favore fratrum Fruganti pretio scutorum sexdecim millium, quod intra quadriennum numerandum spoponderunt. Adventa solutionis die, quum neque sortem, neque fructus Guardabassius numeravisset, alia ad solutionem concessa dilatione, communi primum placito aucti fuerunt fructus usque ad bessalem rationem; deinde venditor omnia jura sua transtulit in ducem Paulum Citarella, qui postquam indixerat notissima castrensia requisita adversus Guardabassium, et Frugantios egit, ut assequeretur solutionem ducatorum 16380 ei debit. « *quoad ratam ducatorum* 14000 *pro residuali pretio bonorum rusticorum eidem Guardabassi vendit., et quoad ratam ducat.* 2380 *ejusdem monetae pro fructibus exadverso tam ad formam contractus, quam vigore alligationis requisitorum Pauli Castrensis pariter debit.; atque decurs. et non solutis a die* 16 *decembris* 1804 *usque ad totam diem* 13 *decembris* 1805, *aliisque fructibus in posterum decurrendis usque ad effectivam integri debiti dimissionem* ».

§ 2. Multa opposuit Guardabassius praesertim quoad fructuum augmentum, sed tandem A. C. Pelagallo die 2 maii 1806 creditoris instantiam probavit definitiva sententia, quae absolutissimae rei judicatae vires nacta est, tum ob denegatam ab Ordine nostro anno 1829 appellationem, tum ob denegatum quoque anno 1831 extraordinarium restitutionis in integrum remedium. Interea vero Frugantii usque ab anno 1808 vendiderant pretio sc. 23311 40 praedium Coltavolino, atque dux Citarella jura omnia retrocesserat duci della Figliola. Innumerae hinc lites inter eumdem Ducem, Guardabassium, Frugantios, et Salvatorium exarserunt, quae a praesenti quaestione extraneae penitus sunt; quibus quaestionibus omnibus posthabitis, nobiles faeminae Carolina Ruffo, et Lugdovica Cannella haeredes ducis della Figliola satius duxerunt judicio agere coram A. C. collegio contra Franciscum Guardabassi qua haeredem sacerdotis Aloisii primi emptoris, ut eum adigerent ad solutionem residui capitis, et fructuum « *calcolati al saggio stabilito dalla cosa giudicata A. C. Pelagallo dell'anno* 1806 ». Guardabassius illico contra Frugantios et Salvatorium liberationem a molestiis postulavit, at postea causis omnibus ad s. Rotam remissis ereditum sororum Castellano haeredum Carolinae Ruffo, et Lugdovicae Cannella constitutum ab eo tribunali fuit in scut. 18733. 01. 50.

§ 3. Placuit post haec sororibus Castellano transactionem inire cum Guardabassio, cui ipsae jura omnia, et actiones cesserunt tum contra Frugantios, tum contra Salvatorium, promissa « *la verità e sussistenza del credito* », et declaratione adjecta « *che ad esse spetta, e che non è stato ad altri ceduto* », in cujus cessionis correspectivitatem Guardabassius solutarum promisit summam scut. 11000. Hisce juribus suffultus egit coram tribunali Perusiae contra Frugantios, et Salvatorium, ut cessum creditum pro summa scut. 18733.01.50 probaretur, atque in hoc judicio comprehendit quoque sorores Castellano, quae ejusdem crediti veritatem promiserant. Quum vero tribunal Perusiae hanc instantiam ad s. Rotam ablegavisset, duo apud illud tribunal concinnata fuerunt dubia, alterum super merito principali, alterum super evictione. Quod judicium ut Joseph Fruganti retardaret, institit coram tribunali perusino, ut decerneretur « *illegale, inefficace, nulla, e come non avvenuta* » interpellatio requisitorum castrensium a Duce Citarella usque ab anno 1805 indicta; et antequam lis haec contestaretur, vadatis quoque sororibus Castellano, postulavit ut eadem lis a tribunali Perusino avocaretur, et uniretur alteri liti jam, ut narratum fuit, apud s. Rotam introductae, sed Patres mei re sedulo perpensa interpositum recursum rejiciendum esse duxerunt rescripto « nihil ».

§ 4. Nam manifestum erat judicium super nullitate interpellationis requisitorum jurisconsulti Castrensis non alio consilio a Frugantio fuisse introductum, nisi ut per illud praepediretur cursus alterius judicii a Guardabassio instaurati in s. Rota super quantitate, et solutione residui pretii bonorum, quod Guardabassio utpote sororum Castellano cessionario ab eo debitum erat, nec non super quantitate, et solutione fructuum, qui tum ex aequitate notissimae legis curabit, tum ex pacto petiti fuerunt; quae satis superque erant, ut unionis postulatio esset rejicienda, cum in §. 1052 codicis gregoriani prohibitae sint hujusmodi querelae, « *quando avuto riguardo alla circostanza ed alla qualità dei giudizi rispettivi si riconosce che il ricorso è diretto ad impedire, o ritardare il corso dell'uno o dell'altro* » uti pluries definitum fuit ab Ordine nostro, et praesertim *in Romana unionis causarum* 10 *junii* 1839 §. *fin. cor. Grossi; in Albanen. unionis causarum* 26 *novembris* 1841 §. *ultim. cor. R. P. D. meo Ferlisi, in Romana unionis causarum* 19 *decembris* 1844 §. 3 *cor. me.*

§ 5. Quod revera tale fuerit consilium Josephi Fruganti in proponendo unionis recursu manifestissime patebat. Nam causa super nullitate requisitorum castrensium jamdiu proposita, et definita fuerat ab A. C. Pelagallo sententia diei 2 maii 1806, qua relaxatum fuit mandatum ducatorum 2380 « *pro fructibus tam ad formam contractus, quam vigore allegationis requisitorum Pauli de Castro debitis, atque decursis et non solutis a die* 15 *decembris* 1804 *usque ad totam diem* 15 *dec.* 1805, *aliisque fructibus decurrendis usque ad effectivam integri debiti dimissionem* ». Quae sententia in perfectam rem judicatam transitum fecit. Non solum enim ab ea appellatio die 30 septembris 1829, verum etiam restitutio in integrum duobus rescriptis dierum 16 junii, et 19 septembris 1831 ab Ordine nostro denegatae fuerunt, uti probat decisio *Perusina restitutionis in integrum* 16 *junii* 1831 *cor. emo Vannicelli.* Accedebat insuper hujus reijudicatae justitiam aguitam, atque executioni ab ipsis Frugantiis contra Salvatorium commissam fuisse, ceu animadvertit dicta decisio §§. 11 et 12. Si igitur re ab A. C. Pelagallo judicata, quae revisioni amplius subesse non potest, definitum fuit validum fuisse fructuum augmentum ad bessalem rationem, et rite recteque fuisse quoque castrensia requisita interpellata a Frugantio, exceptio obstat litis finitae. Quod si nihilominus instantiam proposuit coram tribunali perusino super nullitate requisitorum castrensium, apertissimum omnium erat judicium illud ex fraude instauratum fuisse, ut retardaretur judicium alterum super quantitate et solutione pretii, atque fructuum in s. Rota jamdiu per dubii quoque concordationem contestatum.

§ 6. Neque dubitari poteat camdem coram tribunali perusino instauratam fuisse causam, quae acta fuerat coram A. C. Pelagallo, et coram Ordine nostro annis 1829 et 1831. Carpebant tunc Frugantii fructus usuraria labe inquinatos, atque indebitos tum privatis inspectis tabulis anni 1803, in quibus ad bessalem mensuram aucti fuerant, tum inspecta castrensium requisitorum allegatione, quam illegitimam criminabantur; petunt nunc

declarari « *illegale, inefficace, nulla e come non avvenuta la interpellazione dei requisiti castrensi fatta ec* ». Idem itaque corpus, eaedem personae, eademque causa petendi hodiernum constituunt judicium, quod constituerant annis 1805, 1829, et 1831. Nam de fructibus compensativis ex pretio latifundii Coltavolino, atque de validitate requisitorum castrensium inter Guardabassium, Frugantios, ducem della Figliola, eorumque haeredes actum tunc fuit, atque de eadem re, inter easdem personas nunc agendum esset coram perusino tribunali. Omnia igitur concurrunt, quae lex requirit, ut obstet exceptio reijudicatae ad *text. in L.* 12, 13, *et* 14 *ff. de exceptione rei judicatae.* Quocirca si actio nunc proponitur, quae jam per rem judicatam rejecta fuit, jure PP. animadvertebant instantiam coram tribunali Perusiae, et consectariam petitionem coram Ordine nostro id punctim spectavisse, ut expeditissimum judicium super liquidatione crediti ad formam reijudicatae A. C. Pelagallo interciperetur, proindeque esse omnino rejiciendam, ne in posterum lites jam per resjudicatas absolutae instaurentur, et ne sub obtutu unionis, reijudicatae exequutio praepediri valeat.

§ 7. Quin obstare visum fuisset pravitatem usurariam, atque nullitatem interpellationis requisitorum castrensium judicio prorsus exequutivo coram A. C. Pelagallo deductas fuisse, quocirca impedimento non esse quominus eadem exceptio per viam actionis hodie proponatur. Nam funditus, atque ex professo discussa fuit cor. A. C., et cor. supremo Ordine, dum primum appellatio, et deinde restitutio in integrum ab ea sententia denegatae fuerunt, uti probat citata decisio *Perusina restitutionis in integrum diei* 16 *junii* 1831 *cor. emo Vannicelli*, in qua decisione profligatis argumentis a Frugantiis in medium allatis, demonstratum fuit jure auctos fuisse fructus, tum validam fuisse interpellationem requisitorum castrensium. Hinc licet ea, quae opposita fuerunt per viam exceptionis, et rejecta in uno judicio possint deduci in alio per viam actionis, haec tamen regula locum non habet si exceptio plenissime cognita, et discussa fuerit; nam tunc nequit per viam actionis amplius proponi, *Gratian. discept.* 445 *n.* 6; *Fontanell. decis.* 378 *n.* 5, et late *Rocca disput.* 21 *n.* 1 *et seqq.* praesertim hoc in casu, in quo sententia A. C. Pelagallo factis quoque judicialibus a Frugantiis justissima agnita fuit, et exequutioni quoque contra Salvatorium commissa, uti patet ex citata emi Vannicelli decisione §§. 11 et 12. Et ita utraque etc.

Die 29 januarii 1846 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Christophorus Tuccimei.

Prot. 134/1845 R. P. D. ARNALDI Decisio LIX.

ROMANA UNIONIS CAUSARUM

Jovis 4 *Decembris* 1845

Argumentum

Plurium causarum unio et avocatio postulatur, quarum altera, cum esset in limine expeditionis, nec ex processu actorum pateret recursus interpositio, ab judice definita fuit.

§ 1. Vineam sitam ad Urbis clivum ex testaceo, Marchio Alexander Muti Papazzurri olim Savorelli, annua argenteorum biscentum depacta responsione, duodecim per annos, a vigesima quinta die novembris anni 1843 Michaeli Ciabatta locaverat. Fundum, domum rusticam, vinarias cellas, adnexa, connexaque reliqua, locator, bona fide, conductori tradidit; cumque hic suscepisset onus ex pacto, olitorios hortos, vineae inserendi; ita locatori pensum fuit adscriptum, defossione, construendi putei, ut opere hydraulico ex proximo fluvio, machinis ad artem compositis, abductae aquae, olitoria irrigarent; quod tamen *biennio* esset perficiendum. Praeterea, anni spatio, mutuo placito redigendae erant in scriptis instaurationes, si quae essent ineundae in aedificiis, atque inde omnium peritorum opere completa descriptio fieret, ut in fine affictus quae essent reddenda innotescerent. Isthaec quoad praesentem controversiam, praeseferebat syngrapha ea die subsignata.

§ 2. Veruntamen cum nil horum effici amice potuisset, et conductor re uteretur locata morosus in solutione afflictuum, ex die decima junii anni hujusce in jus vocatus est a locatore coram assessore Soffredinio pro solutione argenteorum biscentum pro mercede debitorum; quo properante judicio, bina alia locator idem instituit coram judicibus *A. C.* sedem habentibus in *secundo turno*, quorum in altero rogabat deputationem periti, pro designatione perficiendarum instaurationum; in altero ut dies assignaretur, quo cum peritorum judicio rite ea recenserentur omnia, quae in locato fundo existerent, et consignatio perficeretur, quae restitutioni suo tempore incundae legem poneret.

§ 3. Cum jam vero producta ea vadimonia ex die prima julii, ac judicium super solutione pensionis esset ad exitum; tum Ciabatta conductor binas alias concinnavit dicas, quas coram *priore turno* produxit die vigesima quinta julii, postulatum veniens, in una deputationem peritorum pro ineunda consignatione, ac ipsorum relatione de instaurationibus conficiendis; ut inde decerni potuisset, conductorem haud teneri ad integram persolvendam pensionem; in alia, ut terminus constitueretur ad rite ineundum, perficiendumque opus excavationis putei, sub poena damnorum. Quibus praejactis, postulatum porrexit supremo Ordini pro omnium illarum causarum unione, et avocatione ad primam illam sectionem *A. C.* Verum, hoc diffugio, evitare haud potuit expeditionem sententiae ab assessore latae pro debita solutione pensionum, cujus causa erat in expeditionis limine; neque ex processu actorum judici patebat illius recursus interpositio. Proposita petitione hisce in comitiis, relicta in suspensum quaestione super attentatis, placuit Patribus incunctanter respondere « *Quoad causam coram assessore Soffredini super solutione pensionum*, NIHIL; *in reliquis omnia eidem secundo turno tribunalis A. C. in statu et terminis,* » decisione per me evulganda.

§ 4. Et merito. Quoad enim caussam super solutione responsionum coram assessore Soffredini, res erat in aprico, *nihil* esse respondendum, nam avocari causa haud poterat, quae a judice definita, pendens minime dici poterat. Est enim in lege, communique sensu, ut caussae uniendae sint, quatenus pendeant. Praeterea absque injuria, et nullitate definitio illa locum habuit; nam processu actorum, haud ulla judici patebat recursus interjectio, quae interponi apud ea acta debet, quorum avocatio postulatur, juxta monitum expresse in judiciaria praxi §§. 1064 1065 designatum.

§ 5. Intimius vero, nullo erat habenda in calculo postulatio illa, *tum* quia judicium super solutione pensionum, dum recursui manus admovit conductor, in limine erat expeditionis, jubente lege, esse rejiciendam unionem controversiae quae « *si trovi in stato di essere decisa* »: *tum*, quia connexio et continentia prorsus desiderabatur in causa solutionis mercedis executive, ac remotis ambagibus, debitae, cum aliis, in quibus prius erat statuendum, an, et quae essent restaurationes conficiendae; et quo tempore putei excavatio construenda; ut inde, quaestio altera, ordinario innixa judicio, absolvi posset, an, et quomodo, sive pensio decurtanda, sive damna conductori essent resarcienda. Clara, liquida, expedita actio minime debebat cum illiquida, incerta, et maxime turbida copulari. Cunctis quidem rimatis, evidenter scatebat non alio directum fuisse recursum quam ad « *impedire o ritardare il corso* » hoc est ad protrahendam solutionem pensionum, ceu lex monet observandum esse, ut a foro, si fieri possit, hujuscemodi subterfugia eliminentur. Quippe conjunctioni judiciorum obstare diversam eorum naturam, atque indolem centies decisum est a supremo Ordine prae ceteris *in Caesenaten. injunctionis facultatum* 24 *martii* 1825 *coram Olivieri* §. 2, *et in Callien. pertinentiae causae* 9 *augusti* 1829 *coram emo Vannicelli* §. 9. Nam in hisce timor vapulat omnis contradictionis, exceptionisque reijudicatae, deficiente actionis identitate, dum causa non sit eadem, neque ipsa petendi ratio subsistat, ut *in Bononien. avocationis seu unionis causarum* 12 *decembris* 1826 *cor. rmo Marini num.* 5 *et seq.*

§ 6. Quod si rejiciendam esse petitionem avocationis causae de solutione pensionum ab assessore expeditae, oportebat; necesse vero in reliquis omnia *secundo turno* tribunalis A. C. ablegari Patres existimarunt. Pendebant siquidem a prima die julii vadimonia marchionis locatoris, quibus efflagitabat, ut eligeretur peritus, qui necessarias instaurationes designaret; item quod descriptio, et consignatio locatarum rerum esset ineuda. Eadem ipsa, conductor coram altero turno, circa exitum illius mensis proposuit, vide-

licet praefixionem termini « *ad effetto di effettuare la consegna dei locali,* » previo peritorum opere; item « *ad effetto di riconoscere quali fossero le mancanze ed i restauri, di cui abbisognano li locali stessi.* » Quibus positis, nemo videt unus, de eadem re, inter easdem personas, et simultanea contractus obligatione pertractari; uilque facilius, ut contrarietas, sive in quantitate, sive qualitate instaurationum, modo, aut tempore conficiendarum exoriri possit, opinionesque diversae, ex quibus secum pugnantes definitiones erumpant, quod ad avertendum absurdum, unio est omnino decernenda; satisque sit quod probabilis, ac possibilis sententiarum invicem pugnantium contradictio praevideri possit. Ad rem *Sutrina avocationis causae* 14 *martii* 1844 *cor. R. P. D. meo Lippi* §. 4 *et* 5.

§ 7. Recte autem ad *secundum turnum* avocatio decreta est, utpote praeventum ex prima julii die; quum vadimonia producta a conductore, haud prius, quam die vigesimaquinta mensis ipsius in lucem prodiverint. Levissimum vero illud, quod lis contestata, dici haud potuisset. Praeterquamquod enim alterutro idem judicio desit, circa praeventionem, id quaeritur, ubi nempe prius coeptum, ac pendens judicium sit. Atque coeptum, ac pendens judicium dicitur, semel ac in judicii contentionem reus abductus sit, vadimoniumque productum ut praeventio deducta dicatur ex notissimis *per L. ubi acceptum ff. de judiciis, L. si quid posteaquam eodem, leg. ultima C. de in jus vocando.* Idemque indicat §. 1050 vigentis praxeos « *Quando una causa medesima ovvero più cause fra di loro connnesse o l'una dall'altra dipendente* SONO INTRODOTTE *avanti a diversi giudici, o tribunali ha luogo il ricorso.* »

§ 8. Parum immorandum in objurgatione in reum qui ea ipsa postulata sua deferre ad tribunal, ubi coeptum judicium erat, debuisset. Etenim haud est improbandum, quod reus per viam actionis jura sua possit seorsum adducere; atque agendo potius, quam excipiendo insistere. Demum nil movet objectio altera, quod potius primo, quam secundo turno ablegandae essent controversiae quia vadimonia priori porrecta pinguiora et graviora continerent. Futillima ea asserebantur. Quippe postulationes in eo substantialiter consistebant, ut designatio instaurationum recte fieret, ac subinde descriptio, et consignatio, quae lucem praeberet restitutioni, dissoluta locatione. Reliqua intercedebantur hypothetice, et in sequelam, ac per consequentiam, imo vero etiam in casu, quo instaurationes male vel perperam actas fuisse cognosceretur, ac non rite, ac tempore perfectam putei excavationem. Atqui nil magis exploratum in entitate litis statuenda, minime id spectandum, quod consectarium sit, atque ex dubio principis petitionis eventu dependeat, sed id quod principe loco, atque ex vera et genuina rei substantia petitum sit. Veluti saepissime *supremus Ordo statuit juxta* §§. 461 462 vigentis ordinis judiciarii. Appositeque supremus Ordo in *Caesenaten. circumscriptionis* 19 *decembris* 1839 *coram R. P. D. meo Ferliei, et in Ferentina circumscriptionis* 20 *maii* 1840 *cor. Caracciolo Santobono* §. 5. Atqui ita utraque etc.

Die 2 septembris 1848 « *Declaratio pro parte D. Ciabatta.* »

Procuratores — D. Aloysius Cicconetti — D. Philippus Guarnieri.

Prot. 147 / 1845 R̃mo P. D. CONVENTATI Decano DECISIO LX.

ROMANA APPELLATIONIS

Jovis 4 *Decembris* 1845.

Argumentum

Appellationem, sub Leonini codicis imperio interpositam, in devolutivo tantum servari decernitur.

§ 1. Nobili viro Augusto Scarlatti e vivis elato, Virginia ejus uxor, et haeres inter cetera, ad quae successit, actionem cambii scutorum centum super mille reperiit ad-

versus Georgium Maceroni, quin saltem annuos depactos fructus debitor solvisset, qui interea et ipse e vita migraverat. Juliani Maceroni filiam et haeredem ad A. C. Alberghinium judicem detulit et quum contractus adstipulatus fuerat in exitu antecedentis saeculi Scarlattis sortis restitutionem petiit, decursorumque fructuum viginti novem annorum prae oculis habita lege diminutionis pecuniae, vulgo « *riduzione* ». Instantiam amplecti omnino ei videbatur, et tamen judex cohibuit sententiam ad depressae sortis restitutionem respectivamque fructuum solutionem sexdecim dumtaxat annorum, penes se reservato judicio fructuum superioris aevi. Ad inducias captandas debitrix foemina illico, appellatione interposita, ad senatum nostrum conscendere studuit, cui tunc temporis de appellationum bono jure decernere onus injunctum erat. Judicium apud Patres accelerare Scarlattia potuisset; majorem tamen patientiam ei adhibere placuit, adeo ut aetate gravis mortem subierit, quin obulum sui crediti exegerit. Ad cujus haereditatem vocatus marchio Julianus dal Grillo Capranica, perventusque ad majorem aetatem e re sua duxit causam e cineribus suscitare, novisque actis perfectis adversus procuratorem Juliae Macceroni simul cum ceteris ad plures conjunctae, hodie coram Ordine nostro sistit, ne suspensiva appellatio admittatur. Adversario perperam resistere tam aequae instantiae visum est: promptiores igitur Patres rescripserunt « *Servetur appellatio in devolutivo tantum* ». Mihi onus edendi decisionem contigit, adversus quam dimicare victo adhuc superest.

§ 2. Sortem ejusque fructus assequendi marchioni jus oritur a titulo scripto atque cameralis obligationis vallato: expeditissima igitur est ejus executio « *Si procederà in via sommaria . . . . 4. Nei giudizj sulla esecuzione di qualunque obbligazione risultante da atto pubblico e privato.* » art. 164 codicis leonini vigentis in ordinatione judicii. Adeo autem evidens erat actionis justitia hujus judicii ut nulla exceptione filiae, et haeredi Georgii Maceroni digna visa fuerit. Et sane: debitum profluebat ex publicis tabulis ex quibus eruitur Maceronium. scuta mille et centum recepisse a nobili viro Augusto Scarlatti, onere sibi addicto eam negotiandi in cambiis, ob quorum lucra, ne rationem quotannis redderet, spondebat certam usuram subministranti pecuniam scutorum quinque per singula centum, et annum. Prudens fuit Virginia legem servandi, ne eadem pecuniae mensura ab haerede Georgii peteret, quam ejus pater sumpserat, habitaque aevi proportione id unum quaesivit tam pro sorte, quam pro fructibus, quod leges sanciverant.

§ 3. Animadvertere judici placuit quatuordecim priorum annorum fructus majoris indigere examinis quos ideo expunxit, de iisque maturius sibi judicium reservavit, cujus prudentia magis Patrum animum vicit ut suspensivam appellationem hodie respuerent.

§ 4. Quaquaversus Alberghinii sententia inspiciatur impossibile est de minimo gravamine eam arguere, quo excluso, numquam Patres executiva judicia remorati sunt, quin dumtaxat appellationem devolutivam concesserint usque dum senatui nostro de appellationibus noscere injunctum fuit; prae innumeris quas reminisci mihi facillimum foret, satis sint decisiones quarum titulus inscriptus legitur *Setina appellationis* 19 *januarii* 1826 *cor. R. P. D. Celestini ; Perusina cambii appellationis* 8 *februarii* 1827 *coram R. P. D. Olivieri ; Romana circ. et appel.* 4 *decembris* 1828 *cor. R. P. D. Cioja.*

§ 5. Animadverterunt Patres nimiam patientiam Virginiam, dum vixit, adhibuisse, nec minori marchionem dal Grillo Capranica post ejus decessum usum fuisse: oportet igitur ut tandem sententiam exequi creditor valeat, cui nec sortem, nec ejus fructus adhuc exigere licuit. Emineat igitur justissimum rescriptum « *Servetur appellatio in devolutivo tantum* ». Et ita etc.

Die 5 martii 1846 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Thomas Ferrarelli — D. Ioseph Bacchi.

Asculana Restitutionis in Integrum

Jovis 18 Decembris 1845

Argumentum

De successione juxta leges italici regni - De facultate disponendi parentibus ab eisdem legibus concessa - De renunciatione juribus defuncto auctori suo spectantibus emissa ab haerede - De praescriptione actionis nullitatis renunciationis - De querela inofficiosae donationis; et de restitutione fructuum ex donatione excessiva perceptorum.

§ 1. Ex nuptiis, quas Philippus Sari ex oppido Montis Prandonis apud Picaenos contraxerat, tres orti sunt filii *Margarita* nempe, *Dominicus et Catharina*. Ex iis prior nupsit anno 1793 Antonio Testinio, dote a patre ei constituta, *nomine* quidem scutorum 600 praeter muliebrem mundum; *re tamen vera* argenteorum tantum 300, seu verius scut. 275, cum cetera scut. 25 ex peculiari prefluerent legato a praedefuncta Philippi sorore Margaritae relicto. Obligationem autem in nuptialibus tabulis suscepit Antonius dote vix soluta curandi, ut solemnem Margarita renunciationem emitteret bonis cunctis, tum paternis, maternisque, tum patruorum, ac « *di qualunque altro antenato passato* » iis tamen exceptis, quae in posterum possent eidem deferri « *per testamento avvenire;* » quam sane conventam renunciationem Margarita jamdiu defuncta illius filius, et haeres adhuc impubes Cajetanus Testini anno tandem 1806 signavit. Conciliatis vero anno 1795 nuptiis Dominicum inter, alterum Philippi filium, et lectissimam puellam Joannam Panzoni, hujus connubii intuitu universa bona sua nedum praesentia, verum futura etiam Dominici favore donavit parens, vicesima vix eorumdem parte ad effectum testandi sibi reservata, quam ceterum in testamentariis suis tabulis postea obsignatis in eum pariter ex integro transtulit universali haerede sibi eo instituto.

§ 2. Defuncto hinc ad diem 24 decembris anni 1808 Philippo, superstitibus licet relictis, tum filiis ejus geminis Dominico et Catharina, quae innupta tandem, et intestata obiit ineunte anno 1834; tum ejus nepote Cajetano Testini ex praedefuncta altera ejus filia Margarita orto, et in minori adhuc aetate per id temporis constituto, universa patris bona in vim donationis, et testamenti unus Dominicus occupavit, prout Catharina quoque defuncta is unus illius adiit haereditatem. Quamvis autem diu longeque post avi sui obitum siluerit Cajetanus, silentio tamen februario labente mense anni 1837 rupto diem is coram asculano primarum instantiarum collegio patrueli suo, unaque simul Dominici interea temporis defuncti filio et haeredi, Alexandro Sari dixit, ac nominatim in ejus libello declarans, nullum propositae actioni impedimentum posse parare « *la rinuncia dell'istante emessa nella sua minorile età, si perchè mancante di correspettivo, si perchè la rinuncia qualunque non può mai riguardare i diritti incogniti all'epoca, in cui venne emessa, come pure per le chiarissime disposizioni del codice italico, sotto il cui regime si verificò l'aperta successione, tanto più, che la rinuncia in discorso non contempla espressamente i diritti futuri,* » consuccessionem petiit, sive jus sibi tribui, tum « *al conseguimento della terza parte dei beni del fu Filippo Sari suo avo materno in rappresentanza di Margherita sua madre,* » tum « *alla metà dell'eredità della sua zia Caterina consistente pure nel terzo del suddetto asse paterno,* » una cum fructibus a die cujuslibet apertae successionis sibi debitis.

§ 3. Et petitionem quidem hujusmodi albo undique calculo asculanum ex integro excepit collegium, dotis tamen collatione in argenteis 275 adversus Cajetanum una simul imperata. Rei vero cognitione ad maceratense appellationis tribunal delata, juridici ii post panditam judiciarii cognitoris relationem super valore universae Philippi substantiae ad diem dotis Margaritae constitutae, in id tandem venerunt consilii,

quod *in genere* quidem probari mereretur actio a Cajetano proposita, *in specie* vero foret ee quoad *Catharinam* cohibenda ad quintam tantum illius haereditatis partem (compertum enim interes temporis est, praeter Alexandrum et Cajetanum nepotes etiam alios, et hearedes superstites Catharinam reliquisse) et quoad *Philippum* ad tertiam dumtaxat symbolam trientis bonorum omnium ad eum spectantium ad dicm universalis donationis anno 1795 favore Dominici emissae; fructuum pariter restitutione a die apertae successionis imperata. Controversia autem in tertio jurisdictionis gradu quoad unam Philippi haereditatem, sive succedendi potius *modum*, ad s. Rotam allegata, censuit quidem initio S. tribunal, esse locum Cajetani consuccessioni *pro virili super triente omnium bonorum Philippi;* verum et semel, et iterum, et tertio ad trutinam postea causa revocata, post acrem, diuturnamque ejus discussionem, ac triplicem etiam reformatoriam editam decisionem, rotalis tandem prodiit sententia quae Cajetani consuccessionem ampliavit ad virilem ejus quotam « *super dodrante omnium bonorum Philippi habito respectu ad epocam factae donationis, et comprehensis etiam bonis post donationem obventis usque ad obitum ejusdem Philippi* ». Orta autem tali pacto re absolutissima judicata Caietano undique propitia ad Ordinem nostrum convolavit Alexander restitutionis in integrum beneficium, tum quoad consuccessionem, tum quoad fructus adversus eam flagitans. Illius vero petitione in hodiernis comitiis proposita rescripserunt Patres « *Quoad fructus de causis* s. p. n. i. *etiam quoad refectionem expensarum, in reliquis nihil* », dato mihi munere decisionis vulgandae.

§ 4. Atque *a consuccessione* exordiar, jure merito censuerunt Patres neque *in genere*, neque *in specie* manifesta laborare injustitia rem editam judicatam, de qua praesens agebat contentio. Quod enim ad consuccessionem primum spectat *in genere*, pacificum partes inter erat, tam ex legibus ad diem 24 decembris 1808 quo fati munus implevit Philippus, in Picaeno vigentibus, quam ex Pontificiis legibus quae anno 1834 obtinebant in foro, dum vitam cum morte commutavit Catharina, ad utriusque haereditatem fuisse Cajetanum vocatum. Neque jus bujusmodi tollere ei omnino valuit Philippus testamentariis suis conditis tabulis, atque universali in iis haerede Dominico instituto. Italici siquidem regiminis leges, sub quarum imperio exeunte anno 1808 Philippus decessit, disponendi facultatem parentibus jure concessam ita cohibuerant, ut nominatim caverent in *art.* 913 *ital. cod;* quod « *le liberalità tanto per atto tra vivi, che per testamento non potranno oltrepassare la metà dei beni del disponente, quando questi morendo non lasci che un figlio legittimo; il terzo se lascia due figli; il quarto se ne lascia tre, od un numero maggiore* ». Ex qua sane apertissima legis dispositione luculenter patebat, testamento suo potuisse quidem Philippum legitimum successionis jus Cajetano competens cohibere, et imminuere, non tamen ei prorsus adimere; nullumque proinde sibi locum vindicare in themate posse vulgatam communis juris censuram, qua passim docemur « *quamdiu possit valere testamentum tamdiu legitimum non admitti* » *ad text. in leg.* 89 *ff. de reg. jur.*

§ 5. Incassum autem praesidium mutuabatur Alexander ex renunciatione tum paternis maternisque, tum patruorum bonis haereditario defunctae ejus matris nomine, atque in exequutionem antenuptialis conventionis anno 1806 a Cajetano emissae, quasi insuperabilem ea obicem eidem praeberet, quominus petitam consuccessionem consequeretur, potissimum quum neque ejus nullitas in primordiali judicii libello fuit ab eodem petita, neque post diuturnum annorum tot spatium posci amplius valeret. Initio enim erat sedulo ponderandum, in nuptialibus tabulis fuisse conventum, Margaritam quidem, non tamen ejus filios nuncium mittere debere paternis, maternis, aliisque bonis id genus, renunciationemque proinde post ejus obitum, atque in meram conventionis hujus exequutionem a Cajetano ejusdem haerede emissam, cohiberi natura sua mereri ad matris tantum jura, neque porrigi eam ullatenus posse ad jura cetera ipsius Cajetani propria, licet in matris repraesentationem eidem delata, veluti tradit *Rot. in Ravennaten. consuccessionis* 16 *martii, et* 9 *julii* 1832 *coram Ruspoli, et in confirmatoria* 5 *martii* 1841 *coram Emo De Cursiis* ».

§ 6. Ceterum, hoc etiam seposito, duo gravissima urgebant in themate, *alterum* nimirum, quod nec verbum, nec vola in emissa renunciatione occurrebat de juribus futuris, atque ex nova, et futura lege manantibus, ad quorum ceterum classem referri adamussim valet successionis jus tum Margaritae, tum ejus filio ex italici regni legibus postea tributum; *alterum* vero quod notissima thermidoriana lege fuerat expressim cautum; non aliter ejusmodi mulierum renunciationes haberi in posterum posse « *operative ed efficaci* », nisi « *riguardate come contratti, possono essere operative e sussistenti a termine di ragione* ». Si ex correspectivitatis itaque defectu, ope judicialis etiam peritiae a maceratensibus judicibus comprobato, aliisque rerum adjunctis superius expositis res judicata censuit obicem nullum petitae consuccessioni praebere Cajetani renunciationem, nedum legem nullam manifesto violavit, quod unum foret satis, superque ad restitutionis in integrum beneficium Alexandro denegandum, sed universa imo iurisprudentiae dogmata ad unguem,et religiose servavit, voluti millies tradidit s. Rotae tribunal in *Signina petitionis haereditatis* 22 *martii* §. 10 *cor. Martinez; in Ferrarien. consuccessionis* 5 *junii* 1818 §. 8 *cor. Isoard; in Romana, seu Aquilana consuccessionis* 18 *maii* 1819 §. 5 *coram Tiberj; et in Forolivien. consuccessionis* 13 *junii* 1831 §. 8 *cor. Emo Corsi.*

§ 7. Quod autem blaterabat Alexander, in primordiali judicii libello renunciationis nullitatem, vel inefficaciam petitam nullatenus fuisse, facili negotio diluebatur. Ex integro siquidem illius contextu palam undique erumpebat, fuisse expressim ibidem a Cajetano expositum; nullum propositae actioni obicem emissam renunciationem parare posse « *si perchè mancante di correspettivo, si perchè. . . . . non può riguardare i diritti incogniti all'epoca, in cui venne emessa, come pure per le chiarissime disposizioni del codice italico, sotto il cui regime si verificò l'aperta successione, tanto più che la rinuncia in discorso non contempla espressamente i diritti futuri* ». Quum autem de ordinario ageretur petitionis haereditatis judicio, nil certe vetabat, quominus etiam *incidenter* praejudicialis ea quaestio super validitate, vel inefficacia renunciationis ad trutinam revocaretur, quum ea adamussim tenderet ad excludendam, vel admittendam petitam a Cajetano consuccessionem, veluti formiter articulo discusso statuit supremum tribunal *in Maceraten. circumscriptionis, et restitutionis in integrum* 3 *aug.* 1843 §. 3 *cor. R. P. D. La Grua Valdina.* Maxime vero quum ex demonstratis Cajetanus contenderet neque immerito quidem, sub renunciatione ea proprium bujusmodi, ac futurum, et inopinatum successionis jus nullatenus fuisse comprehensum. Praescriptam vero nullitatis id genus actionem ad diem instituti judicii jamdiu fuisse, vero haud congruebat. Ex Romanorum siquidem jure, quod ad diem emissae renunciationis adhuc vigebat, adeoque spectari ad hunc effectum meretur, ita etiam ferente *art.* 2281 *gallici codicis*, personales bujusmodi actiones nonnisi *trigenarii* saltem temporis lapsu praescribi scitissimum in foro est *ad text. in leg.* 3 *cod. de praescr.* 30 *vel* 40 *annorum*, quod ceterum spatium constat, minori detracta Cajetani aetate nullatenus impletum fuisse, dum judicium anno 1837 ipsemet instituit.

§ 8. At si quoad successionem *in genere* nefas omnino erat, justitiam rei judicatae in discrimen adducere, eo vel minus licebat quoad praescriptum *succedendi modum* vel leviter quidem eam carpere. Quum enim liberos tres superstites reliquisset Philippus, filios scilicet geminos *Dominicum, et Catharinam*, et nepotem unum *Cajetanum* ex Margarita ortum, (nullam enim querelam *in specie* quoad Catharinae successionem Alexander movebat) ex sanctione apertissima *art.* 913 *ital. cod.* superius relati nefas hercle ei erat, nisi de quarta dumtaxat bonorum suorum parte disponere, ac jure proinde et merito res statuit judicata consuccessionem Cajetano competere pro virili ejus quota super *dodrante* reliquorum bonorum, quae ex praecitati codicis censura legitimam aequabant symbolam inter liberos partiendam. Neque recte tuebatur Alexander, ideo injustam rem bujusmodi ortam judicatam renunciari mereri, quod virilem Cajetano quotam tribuerit « *super dodrante omnium bonorum Philippi habito respectu ad epocam factae donationis* , » quasi legitima ei debita super bonis ab anno usque 1795 contemplatione certi matrimonii Dominico donatis, non ex Gallicis quidem, sive italici regni legibus foret metienda

ad diem Philippi obitus vigentibus: sed ex Romanorum potius jure, quod anno 1795 in Picaeno obtinebat. Gravissima enim primum est quaestio, utrum nimirum hoc in casu leges potius romanae, quam gallicae forent sequendae, ad eamque, quod pertinet, doctores, et tribunalia in diversas abierunt sententias. In hoc itaque pugnantium sententiarum conflictu, expressa legis deficiente sanctione, manifesta ejus violatio concipi dubio procul nequibat; satisque imo id unum erat ad restitutionem in integrum victo denegandam. Nunquam enim extraordinarium hujusmodi beneficium conceditur, ubi expressa deficiat atque omnino evidens, et manifesta legis violatio, veluti post censuram apertissimam §. 1058 *cig. cod.* millies tradidit supremum tribunal, ac potissimum *in Ariminen. rest. in integrum* 19 *dec.* 1838 §. 17 *cor. Alessi; in Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 5 *junii* 1834 §. 7 *cor. De Bubalo; et in Maceraten. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 19 *ejusdem mensis et anni* §. 8 *cor. me.*

§ 9. Praeterea neque valida quidem argumenta deerant, ad justitiam eorum opinionis tuendam, qui super bonis etiam ante Gallorum leges alteri donatis legitimam filiis debitam, non secundum romanorum quidem, sed secundum Gallorum jura metiendam esse propugnant; quibusque adamussim adhaesit in themate resjudicata Cajetani favore edita. Legitima enim symbola non antea liberis debetur, nisi ad diem paterni obitus, ad ejusque proinde quantitatem praefiniendam illius tantum diei leges spectari mereri, vel ipsa naturalis ratio suadere videtur, donationem autem a Philippo Dominici favore antea emissam nullum Cajetani juribus afferre potuisse praejudicium, eamque imo ita habendam in themate esse, perinde ac nullum unquam sibi locum vindicasset, illud luculenter ostendit, quod ejusmodi nimirum donatio, utpote universa donantis bona complectens, adeoque ab initio usque excessivo, et immensa, vel in pendulo quoad filiorum legitimam (quae ad diem usque paterni funeris dubia est, et incerta, atque ex variis rerum adiunctis augeri vel minui valet) juxta sanctionem nov. 92 suapte indole manebat, Vel tacitam secum conditionem ferebat, quod donatarius, quem utpote universalem scitum est loco haeredis haberi, legitimam quotam juxta quantitatem, et modum ad diem paternae apertae successionis lis debitam religiose rependeret; quod utramque adeoque probibet, quominus sub donationis obtentu legitimam juxta Gallicas leges Cajetano debitam imminuere valeat Alexander.

§ 10. Quod locum potissimum hic obtinebat, cum universalis etiam haeres fuerit ia patre institutus, ac praeter antenuptialem donationem legitimam quoque sibi symbolam vindicaverit super paterna haereditate ad eumdem spectantem; Cajetani consuccessione a virilem tantum dodrantis quotam tali pacto cobibita. Si ei siquidem placuit Philippi haereditatem adire, ut ejus inde frueretur compendio, ex juris dispositione tenebatur bona sibi ab eodem Philippo antea donata in illius haereditatem denuo conferre, ut legitimam inde quotam secundum Gallorum leges ad diem apertae successionis vigentes ex iis etiam Cajetanus consequeretur, prout dotem a matre acceptam conferre, ejusque symbolam Alexandro tribuere fuerat pariter Cajetanus coactus; ita etiam ferente Gallici juris dispositione *in art.* 843 *praecit. codicis.* Neque themati huic congruebant, quae de inofficiosae donationis querela, vel infra *quinquennium* juxta Romanorum leges, vel infra *decennium* juxta Gallorum jus proponenda, deque hujus proinde actionis praescriptione ad diem instituti judicii jamdiu completa, Alexandri oggerebat orator. Non inofficiosi siquidem querelam Cajetanus instituit, vel instituere ei erat necesse, sed successoriam tantum instituit actionem, bona etiam Dominico donata sub Philippi hereditate ad legitimam ejus quotam metiendam comprehendi, aut conferri, vel ex universali ejus indole, vel ex paterna pariter haereditate a Dominico adita postulans, quod sane est diversissimum.

§ 11. At si consuccessionis causam juxta Gallorum leges dirimendam censuit res judicata, eadem justitiae postulabat ratio, quaestionem pariter super *fructibus* ad tramites earumdem legum judicari oportere. Haud enim decet ad imparia litigatores judicari. At qui, ad fructus quod pertinet, cautum adamussim erat *art.* 928 *civ. cod.* per id temporis vigentis, quod scilicet si immodica, et excessiva detegeretur donatio ultra quotam

sibi lege permissam a patre obsignata, « *il donatario restituirà i frutti di ciò che eccederà la porzione disponibile dal giorno della morte del donante, quando sia stata domandata la riduzione entro l'anno ALTRIMENTI DAL GIORNO DELLA DOMANDA* » Quum itaque post avi sui obitum, non integro quidem anno, sed diuturno annorum NOVEM SUPRA VIGINTI SPATIO siluerit Cajetanus, neque legitimam quotam super bonis etiam ab anno usque 1795 Dominico donatis debitam, nisi exeunte tandem anno 1837 postulaverit; ad hujusmodi quod pertinet bona ex censura apertissima *cit. art.* 928 nonnisi *a die motae litis* fructuum restitutionem decernere res judicata valuisset. Si secus itaque censuit, fructuumque omnium restitutionem *a die apertae successionis* indiscriminatim imperavit, *praecit. art.* dispositionem dubio procul manifeste violavit, eaque proinde ex parte extraordinario restitutionis in integrum beneficio erat Alexandro succurrendum. Et ita in acri partium certamine jus redditum est.

Die 2 Aprilis 1846 « *In decisis* »

Procuratores — D. Carolus Mancinelli — D. Alexander Piccinini.

DECISIONES

SUPREMI TRIBUNALIS SIGNATURÆ JUSTITIÆ

ab anno 1845 ad annum 1854.

Prot. 122 / 1845 R. P. D. LOLLI DECISIO LXII.

MACERATEN. CIRCUMSCRIPTIONIS ET RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 15 *Januarii* 1846

Argumentum

An sententiae incidentales circa competentiam vel appellationem latae, ab iisdem judicibus revocari possint.

§ 1. Antequam exequutioni mandaretur sententia tribunalis primae instantiae Urbini, qua Stephanus Justi ex oppido s. Viti damnatus erat ad solvendum scuta 1500 et obul. 65 nobili mulieri comitissae Magdalenae Gherardi Benigni senogalliensi viduae bo. me. equitis Flavii Cherubini uti matri tutrici et curatrici suarum filiarum Lucretiae et Claricis, e re duxit debitor Justi omnia ferme sua bona propriae uxori Mariae Sebbri die 19 septembris an. 1837 adivendere, ut quo fieri posset latae contra se sententiae effectus praepediret. Nec multo post eam sententiam vidua Cherubini reapse executioni commisit, et die 15 decembris ejusdem anni executio peracta fuit non tantum super paucissimis illis bonis, quae apud se Justius adhuc retinebat, sed super illis etiam quae in uxorem jam antea transtulerat. Inde Sebbria vidnam apud idem tribunal Urbini, ut nulla et irrita executio renunciaretur tamquam facta super bonis alterius, quam debitoris vadata est, et bona sibi vendita in tabulis censuariis a mariti nomine in proprium vertere sategit, ac versuram viduae indixit. Hujus petitionem tribunal sic excepit ut inefficacem exequutionem declaraverit, ipsam vero in expensis condemnaverit; decrevit namque in definitiva sententia diei 22 maii anni 1838 « *inefficace il pignoramento eseguito ad istanza delle ree convenute il di* 15 *dicembre* 1837 *sopra i beni di Stefano Giusti debitore come negli atti, colla condanna dell'attrice Maria Sebbri sua moglie alla rifazione delle spese verso le signore sud. ree convenute.* »

§ 2. Lata hac sententia, viduae prococurator pro nunc tantum venditionem aliorum bonorum ad Justium spectantium, quae in executione fuerant compraehensa petere, et obtinere curavit. Sebbria vero provocavit ad tribunal appellationis Maceratae, et die 20 Augusti an. 1841 postulavit, ut Sententia pro ea parte, quae sibi erat inimica, nempe pro expensis revocaretur. Biennio ferme res quievit donec vidua Cherubini etiam ipsa die 2 junii 1843 ab eodem appellationis tribunali, praevia declaratione velle sibi esse communem provocationem adversam, petiit ut revocatio decerneretur appellatae sententiae in ea parte, quae inefficacem executionem constituerat. Sebbria tunc incidentali edita instantia viduae procuratorem in jus rapuit « *per sentirsi dichiarare inefficace la sua serotina appellazione del* 2 *Giugno* 1843 *dalle parti ad essa contrarie contenute nella sentenza suddetta del* 22 *maggio* 1838, *e per tale effetto rigettarsi l'indebita domanda di revoca di quella sentenza nelle parti descritte in detta citazione* ». Novam haoc Sebbriae instantiam die 15 septembris anni 1843 per incidentale decretum tribunal dimisit decernens « *doversi rigettare l'istanza incidentale della signora Maria Sebbri . . . . . in* QUANTO E' DIRETTA AD OTTENERE LA DICHIARAZIONE D'INEFFICACIA DELL'APPELLAZIONE *della signora contessa Gherardi vedova Cherubini . . . . . .* SICCOME TALE ISTANZA HA RIGETTATO E RIGETTA, *e doversi avere ragione insieme col merito della causa principale dell'istanza stessa, in quanto è diretta ad ottenere la* REJEZIONE DELLA DOMANDA DI REVOCA DELLA SENTENZA 22 *maggio* 1838 ».

§ 3. Rejiciens igitur tribunal Sebbriae instantiam « *in quanto è diretta ad ottenere la* DICHIARAZIONE, OD INEFFICACIA DELL'APPELLAZIONE *della signora contessa Maddalena Gherardi Cherubini* » hoc ipso appellationis communionem a sententia urbinatensi favore viduae efficacem esse constituebat. Attamen in definitiva sententia lata die 10 maii an. 1844 revocato incidentali decreto, hanc ipsam appellationis communionem viduae denegavit, et legere est in dispositiva definitivae sententiae « *Il tribunale definitivamente sentenziando, e pronunciando non avuto riguardo alla sentenza proferita fra le parti da questo tribunale li* 15 *settembre* 1843 *ha detto e dichiarato non farsi luogo a pronunciare sulla inefficacia, o nullità del pignoramento di cui in atti decretata dal tribunale civile criminale di Urbino nella sua sentenza del* 22 *maggio* 1838 *accettata in questa parte dalla signora contessa Gherardi Cherubini* ». Hac ex re factum est ut tribunal bis in idem, ut ajunt forenses, sententiam tulerit, quapropter vidua Cherubini apud Ordinem nostrum recursum interposuit, et petiit circumscriptionem sententiae latae a tribunali appellationis Maceratae die 10 maii 1844 sin minus restitutionem in integrum contra sententiam latam die 22 maii 1838 a tribunali primae instantiae Urbini. Proposita hac mane quaestione Patres viduae recursum exceperunt rescribendo « *circumscripta per viam nullitatis sententia tribunalis appellationis Maceratae diei* 10 *maii* 1844 *ex defectu jurisdictionis* PP. UU. II. SS. » commisso mihi munere enucleandi decisionis momenta.

§ 4. Et merito: certum enim est judicis officium ac jurisdictionem omnem vix ipse pronunciavit, expirare, adeoque sententiam a se latam nequit subinde ullimode rescindere, vel reformare. *textus in leg.* 14. *et* 62 *ff. de re judicata in leg.* 42, *et* 55 *cod. eod., et in leg.* 1 *cod. senten. rescindi non posse.* Igitur si judex alia sententia priorem rescindere, aut reformare praesumpserit, haec altera sententia nulla erit, et irrita renuncianda, ac ex defectu jurisdictionis circumscribenda, veluti semper tenuit Ordo noster, et praesertim in *Romana circumscriptionis et appellationis* 26 *junii* 1828 §. 5 *coram Galimberti, et in Ferrarien. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 23 *junii* 1843 §. 4 *cor. R. P. D. meo Arnaldi.*

§ 5. Quod vero tribunal appellationis Maceratae per secundam sententiam diei 10 maii 1844 revocaverit priorem latam eadem super re diei 15 septembris 1843 est undique probatissimum. Siquidem tum *implicite*, tum *explicite* prior sententia fuit revocata. *Explicite* quia praeter animadversiones certam revocationem edocentes in secundae sententiae dispositiva tribunal dixit « *non avuto riguardo alla sentenza proferita fra le parti da questo tribunale li* 15 *settembre* 1843 » quod juxta §. 593 codicis neotericae praxeos idem sonat, ac sub veteri praxi « *praevia repositione* », et idcirco est explicita, et

positiva revocatio. *Implicite* quia decretum reperitur « *Non farsi luogo a pronunciare sulla inefficacia, o nullità del pignoramento decretata dal tribunale di Urbino nella sua sentenza accettata in questa parte dalla signora contessa Cherubini* ». Quod equidem prioris sententiae revocationem importat. Etenim dum tribunal declarabat non esse locum pronunciationi super appellata sententia, idem erat ac si dixisset nequaquam consistere appellationem, quam in priori sententia probaverat, rejiciens Sebbriae instantiam ejusdem appellationis inefficaciam flagitantis.

§ 6. Nec dici posset, fas esse judicibus in definitivis sententiis spernere, ac immutare quod firmaverint in incidentalibus inter quas habenda est sententia diei 15 septembris. Etenim licet hoc plerumque verum sit fallit tamen dum agitur de sententiis in quibus de competentia, aut de appellatione judicatum fuit, quia hae sententiae utcumque incidentales minime ab iisdem judicibus revocari possunt juxta §. 996 codicis praxeos.

§ 7. Hisce expositis, despiciendum erat quidquid a Sebbriae defensoribus obtrudebatur. *Ac primum* nullius esse ponderis Patres duxerunt distinctionem, quam ingerebant inter extrinsecam, et intrinsecam appellationis efficaciam. Ajebant enim sententiam incidentalem minime dici posse a definitiva revocatam, quia aliud in incidentali constitutum fuit, aliud in definitiva: scilicet in incidentali declaratam fuisse ad viduam pertinere extrinsecam appellationis efficaciam, seu etiam illi jus esse contra appellatam sententiam dicere coram appellationis tribunali; in definitiva verò judicatam fuisse de intrinseca ejusdem appellationis efficacia, seu de effectu appellationis. At quod asserebatur nullimode veritati, et sensui utriusque sententiae respondebat. Siquidem non tantum in incidentali, sed etiam in definitiva de extrinseca appellationis efficacia fuit judicatum, prout apertissime legitur in ipsa definitiva sententia « *ha detto e dichiarato non farsi luogo a pronunciare* » quae sane verba de extrinseca tantum appellationis efficacia latum fuisse judicium edocent, quia nec fingi potest de intrinseco alicujus rei merito eum judicasse, qui super re ipsa pronunciare se non posse declaravit.

§ 8. Opponebant *insuper* qui Sebbriam defendebant in sententia incidentali diei 15 septembris haud omnino tribunal rejecisse Sebbriae instantiam quoad inappellabilitatem, sed sibi reservasse de ea judicium ferendum una cum merito principali, ex quo sequi arguebatur a definitiva sententia incidentalem revocatam non fuisse: at hoc quoque perperam. Duo enim Sebbria petiverat: primo ut declararetur « *inefficace la serotina appellazione della Cherubini interposta dalle parti ad essa contrarie dalla sentenza 22 maggio 1838* ». Secundo ut rejiceretur expostulata a vidua Cherubini sententiae urbinatensis revocatio « *e per tale effetto rigettarsi l'indebita domanda di revoca di quella sentenza nelle parti descritte nella citazione* ». Quid tribunal ad haec? Utique quoad petitam sententiae revocationem edixit expectandum esse judicium in definitiva sententia hisce verbis « *doversi avere ragione insieme col merito della causa principale dell'istanza stessa in quanto è diretta ad ottenere la rejezione della domanda di revoca della sentenza 22 maggio 1838* ». Quoad alteram vero instantiae partem in qua petebatur « *inefficace la serotina appellazione dalla Cherubini interposta* » sine reservatione ulla judices pronunciarunt « *Doversi rigettare l'istanza incidentale della signora Sebbri in quanto è diretta ad ottenere la dichiarazione d'inefficacia dell'appellazione della signora contessa Maddalena Gherardi vedova Cherubini* ».

§ 9. Irrito *tandem* conatu contendebatur aliud fuisse subjectum incidentalis sententiae, aliud definitivae ex eo quod in illa, rejecta Sebbriae instantia appellationis communionem viduae denegante, a contrario sensu uti *text. in l.* 15 *ff. de except. rei judicat.* edisserunt judices communem esse appellationem a Sebbria interpositam etiam viduae Cherubini; in hac declararunt nefas esse super appellationis merito pronunciare statim ac ipsa vidua Cherubini appellatam sententiam accepto habuerat. Redibat enim semper in definitiva sententia denegatam viduae fuisse appellationem, quae illi in incidentali concessa fuerat. Atque hoc excusationem profecto nullam inveniebat eo quoniam non post, sed antequam super incidenti judices pronunciassent expleti fuerant a Cherubinia illi actus ex quibus sententiae acceptationem argui posse putarunt. Inde vel etiam incidentali sen-

tentia appellationem ei denegare oportebat, si reapse sententiam vidua acceptaverat, vel ei semel concessa, erat omnino impermissum ut declararetur appellationem nequaquam posse consistere. Et ita etc. utraque etc.
Die 5 Martii 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Philippus Maria Saliui — D. Alexander Picciuiui.

Prot. 42/1845 R. P. D. ARNALDI Decisio LXIII.

Veliterna seu Norbana Circumscriptionis et Restitutionis in integrum

Jovis 15 Januarii 1846

Argumentum

Ex eo quod in libello appellatorio adjecta quaedam fuerint, quae in consequentiam petitionis principalis derivari existimabantur, indolem judicii immutatam fuisse contenditur: idemque patere dicitur ex eis, quas in sententiae parte enunciativa fuerant intersecta.

§ 1. Cum in suburbio Norbae apud Campanos, plures hinc inde domus Oppidani aedificassent; municipali lege, via publica intermedia reformata fuit ope illius elevationis ad altitudinem trium pedum circiter ab antiqua superficie: atque idcirco omnes aedium illarum domini compellebantur ad elevandos ingressus, ne, Jove pluvio, inundarentur: prout quisque vellet domum extruere, ad libellam componere aedificium deberet. Providit quoque municipium constructioni cloacae, vulgo « *chiavica Tuschi* » in quam ex clivis, ac stillicidiis pluviales aquae dextrorsum, ac sinistrorsum fluentes recollectae simul influerent.

§ 2. Hoc in suburbio, hortum finitimum ex uno latere cuidam stabulo Paschalis Felici, ex altero Francisci Cellacchi domui, a fratribus Diana coemerat Angelus Marcelli « *esente ed immune da qualunque peso e servitù* » quo desuper horto, domum sibi aedificare censuit. Incaepto opere, inferiori quodam in pariete, foramen aperuerat, ut aquae fluentes in subjectam cellam ruerent, ubi calcem restinguerent, aliisque usibus ad aedificandum opportunis inservirent. Completo opere, foramen illud obturari debuit, tum quia nulli alio usui aquae aedificio forent, tum ne admissae aedificium damno afficerent. Ex quo factum est, quod, interrupto exitu, refluentes aquae stabulum Paschalis invaderent, qui tamen municipii praescripto audiens haud fuerat, ut elevata vis, normae illius stabuli sui aditum respondentem accomodaret.

§ 3. Nihilominus summariissimi possessorii judicii clypeo, Marcellum judiciali adoriri praelio putavit coram gubernatore Setiae, pro manutentione aquarum cursus per foramen illud, quod tempore aedificationis suae domus aperuerat Marcellus, clauseratque, completo opere; ut rursum illico reseraret, ne impatiens elementum refluens, ac per ostium stabuli intromissum, haud leve huic detrimentum, rebusque manentibus afferret. Parum, vel summis labiis ex indole judicii, quaestione peracta, in vota descendit jusdicens; indictis diebus, Marcello, quibus opus inciperet, et quibus perficeret; ut liber aquae cursus restitueretur; illaeque per ea proflueret loca; quo Paschalis erat in mente profluere debuisse.

§ 4. Verumtamen veliternum collegiale tribunal peritorum ope, testium examine, accessu demum judiciali peracto, agnovit, omni prorsus possessione, vel quasi destitutum esse Paschalem, nec tam ipsum esse turbatum, quam potius turbare Marcellum in proprii sui juris usu, atque exercitio, quin illi imputari ullo posset pacto obstructio foraminis illius ab eodem in proprio fundo, atque ad unam sui commoditatem peracto, ex nativa dominii sui libertate; et quin super illo formalem ullam apprehensionem Paschalis jactare valuisset. Itaque praecedentem sententiam revocavit, quae vel etiam in tertio jurisdictionis gradu a *Triumviris A. C.* confirmari promeruit. Autumans tamen Felicius

remjudicatam, sive nullam, sive injustam esse; circumscriptionem, vel saltem restitutionis in integrum beneficium conquisivit. Sed cum neutrum subsistere Patribus visum sit, idcirco incunctanter, hoc in priori certamine rescriptum «*nihil de circumscriptione, et restitutione in integrum*» ediderunt.

§ 5. Fundamentum nullitatis illud erat, tribunal secundi gradus, limites introductivi libelli priori judici exhibiti fuisse praetergressum, indolemque immutasse judicii, quod summariissimi possessorii in una facti inspectione consisteus; tamen de jure facti, de jure possessionis, de existentia damnorum fuisse judicatum. Quae sane omnia, quam longe a veritate aberrabant. Siquidem, post redditam a priori judice pronunciationem,in eo unice resedit quaestio, nimirum, an sententia gubernatoria firmo stare talo posset. Hinc libellus praeseferebat «*sentirsi ritrattare la ricordata sentenza del governatore di Sezze*». Idque ex parte Marcelli. Alter a Paschali ipso propositus, quaestionem ad summariissimi possessorii examen revocando, petebat e converso «*emanarsi la sentenza di conferma*». Tribunalis demum sententia atrictim, intra fines promoti judicii, se cohibuit «*Pronunciando in secondo grado di giurisdizione revoca la sentenza appellata, e rigetta la domanda del Felici sulla pretesa manutenzione*». Cum igitur de iis, quae Paschalis comminiscitur, de inspectione juris, de examine tituli possessionis, ac de existentia servitutis, vel damnorum nil constitutum, nil judicatum fuerit, dubio procul, intra limites peracti judicii tribunal veliternum suam protulisse sententiam; nec vel in minimo indolem judicii ea in definitione fuisse immutatam. Exulare omnino circumscriptionis animadversio debet; semelac pronunciatio libello respondeat, neque ultra id, quod judicio deductum est paululum excesserit.

§ 6. Nec movent in libello Marcelli adjecta verba, quod consequenter declararetur, nullum jus praesto esse Paschali aquas pluvias immittendi per foramen unice ad proprium usum a Marcello in suo pariete compositum. Princeps enim petitio illa est, quae attenditur solummodo; eaque fundabatur praecipue «*Sentirsi ritrattare la ricordata sentenza del governatore di Sezze*». Haud vero, quae in consequentiam petitionis ipsius derivari existimabatur: isthaec nullo haberi in pretio debent, cum neque augeant, neque imminuant id quod praecipue, et absolute ex se postulaverit actor; neque indolem naturamve petitionis, vel quod principaliter quaeratur, immutent, veluti constanter tenuit supremus Ordo praesertim in *Ravennaten. circumscriptionis* 20 *augusti* 1840 *cor. R. P. D. meo Lippi.* §. 11.

§ 7. Item perperam objiciebatur, plura in animadversionibus, seu motivis sententiae tribunalis, intersecta notari, quae jus, titulum, possidendique rationem indigitarent. Porro in judiciis, quid dispositum, non quod enunciatum spectatur; atque ad introspiciendum, num judex adversus Javoleni sententiam, sua excesserit potestate, haud quae fuerit causa, ratioque, quae ipsum ad pronunciandum impulerit: sed quid unice pronunciatio contineat, retinendum. Noto est notius enunciativas minime insectandas, sed a parte dispositiva, nempe a conclusione tantummodo esse eruendam intentionem, sub qua fuit pronunciatio concepta. *Bart. in l. cert. condict. ff. si cert. petat.* Spectanda conclusio, non quid fuit narratum: de jure attenditur dispositiva, et veritas actus, non autem enunciativae. Isthaec eatenus valent, quatenus opportunae, juridicae, et ad rectum, germanumque legis, jurisque sensum accommodatae possint dijudicari. *Rot. decis.* 192 *num.* 11 §. 10; *et supremus Ordo in Forolivien. circumscriptionis* 15 *septembris* 1825 §. 1 *et* 2 *cor. Grossi.*

§ 8. Nullo autem prorsus pacto judicibus succensendum, si ad rei veritatem pervenire studuerint probatorum testium fide, peritorum relationibus oculis ferme ipsis, non ut jus, sed factum possessionis perapecte agnoscerent; cum id penum actori sit a lege impositum «*provare il fatto del suo possesso*». Sane haud super jure, verum solum super facto, indago illa versata est, num vere alicui possessioni Paschalis niteretur; qua omnino carere, et in probatione facti deficere patuit. Foramen enim illud in proprio pariete, dum aperuit, subindeque occlusit Marcellus arbitrio usus est suo, quod negari nequit, nemini in rebus, quae a sola facientis pendent voluntate, nisi probihitione coercitum sit arbitrium; et subinde silentio, patientiaque sua probibitionem juxtam esse de-

monstraverit. Jam vero opus manufactum illud erat, quod in proprio fundo a Domino fuerat constructum, haud aedepol ulla servitutis imagine, cum res sua nemini serviat, neque ut ullam in extraneo possessionis umbram produceret, cum in suo fundo quilibet agere possit, quod velit. Neque ea, quae in proprio, sed quae in alieno fundo fiunt ad factum possessionis ostendendum attenduntur *Caepol. de servit praed. rust. cap.* 4; *Ciriac. contr.* 310; *Pecch. de servit. cap. quaest.* 36. Exulabat autem quaevis apprehensio, vel inibitio, quam silentium, et patientia Domini obfirmasset.

§ 9. Factum praeterea illud erat, quod perpendi debuisset, nunquam eo in horto vel aedificatae domus parte cloacam ullam extitisse, quae a Marcello clam fuisset obstructa, verum aquarum fluxum ex naturali impetu ad inferiora loca provenire, quique sane possessionem vel quasi producere haud unquam poterat facto hominis deficiente ut advertit *Bald. de praesumpt. q.* 4; *Mascard. de probat. conclus.* 125 *num.* 14; *Caepol. de servit. aquae cap.* 4 *n.* 27; *Pecch. de aquaeductu tom.* 1 *cap.* 4 *num.* 28. Qui praeterea fluxus, et aquarum ingruentia in stabulum Paschalis, longe a quocumque facto Marcelli, eveniebat ex municipali providentia ob elevationem viae, simulque dominis aedium onus adjectum ad libellam ostia componere, constructa vel etiam cloaca, quae aquas undequaque fluentes exciperet. Quid ergo damni ex proprio Paschalis facto derivat, ipsi est imputandum; atque absurdissimum, quod in alterius caput convertere nitatur.

§ 10. Cum ergo, ne latum quidem unguem tribunal appellationis ab instituto judicio abscesserit; nil mutaverit quaestionis, factum tantum, illiusque subsistentiam examini subjecerit procul abest quaevis nullitas, atque odiosa est repellenda circumscriptio. Eo vel magis, nullus patet aditus restitutioni in integrum, cum non modo falsum sit, quod ultra petita tribunal praetergressum sit: imo etiam justitiam judicaverit, dum summo studio veritate agnita, probatione facti destitutum Paschalem, merito in praetensa manutentione possessionis vel quasi minime esse manutenendum declaraverit. Et ita etc. utraque etc.

Die 5 Martii 1846 « *In decisis* »

Procuratores — D. Antonius Vasselli — D. Clemens De Donatis

Prot. 174/1845 R̃mo P. D. CONVENTATI Decano Decisio LXIV.

Romana Circumscriptionis seu Pertinentiæ Causae

Jovis 18 *Januarii* 1846

Argumentum

Habes in Decis. LII.

§ 1. Definita in comitiis diei quartae prox. praeteriti septembris quaestione sub titulo *pertinentiae causae* inter R. D. Aloysium Pancaldi, ac ducem Marinum Torlonia, ejusque consortes litis, teste decisione a me edita, quam victor Pancaldius pro confirmatione rescripti suis votis consoni Patribus in signatura 28 insequentis novembris exhibebat: eidem duci novum recursum expedire placuit super eadem re, verum diversae substantiae simulque orare, ut Patres dilationem tunc ei indulgerent, ad eamque diem propositionem transferrent, qua et novae suae instantiae occasio incidisset. Compos factus per rescriptum « *dilata et proponatur una cum altera* » hodie utraque causa ad Ordinem nostrum allata est. Maluerunt Patres prius mentem ad eam convertere, cui decisio data fuerat, quumque maturiori examine inspexissent per Pancaldium quaesitam fuisse circumscriptionem singulorum gestorum coram praesule Quaglia, et pertinentiam causae declarari inesse in altero Rotae ponente Boninio quatenus eis rescriptum mutare visum est, novo etiam titulo uti mihi opus fuit nempe *circumscriptionis et pertinentiae*. Universae disputationis pondus ad id Patres reduxerunt « *An Decano Rotae licuisset per suum rescriptum causam a nobis unitam coram Boninio* (superventa elatione praesulis Marini ab illo conventu ad praefecturam urbis) *de-*

ferre ad ponentem Quaglia, ne tres qui suffragium tulerant in secundo jurisdictionis gradu iterum in tertio jus dicerent ». Quum de justitia utrique contendenti decernenda Patres in Rota peragi serius animadverterint remissiones esse debere duxerunt, et a decisis sese avertentes novum rescriptum mihi praebuerunt « *nihil de circumscriptione, et causam spectare ad R. P. D. Quaglia* », ut super eo novam cuderem decisionem, quam ex novissima Principis nostri lege iterum victo oppugnare licebit.

§ 2. Dubio scisso per sacrum auditorium in causa redempturae salis et tabacci a Pancaldio adversus ducem Torlonia litisque consortes excitata, duae exortae sunt controversiae per binas sententias a praesule Alberghinio ad terminum perductae. Per appellationem quae de nullitate transactionis a duce ad R. P. D. Boninium allata fuit; quae de modo utilia dividendi jus dicebat a Pancaldio ad Marinium. Ex quo ad Ordinem nostrum socii devenere, ut divisae quaestiones sub uno eodemque ponente Boninio copularentur, qui (frustra eis obsistente Pancaldio) apicem assequuti sunt uberius per decisionem R. P. D. Jauni 17 aprilis anni mox elapsi narratione facta. Processissent unita judicia sub praesule Boninio nisi ad praefecturam urbis R. P. D. Marinius vocatus sedem liquisset in Rota ad quam inferior conscendit, ita ut et Boninius suam mutaret secumque novos correspondales adipisceretur, quos inter tres, qui in secunda jurisdictionis aula cum Alberghinio conjuncti de binis illis controversiis rem dixerant. Dux, ac socii studuerunt quid eis agere in tanto discrimine expedivisset. Nihil de majestatis Ordinis nostri laesione, ad quem pro unione confugerant, excogitarunt si pro subrogatione alterius ponentis rmum Rotae Decanum adivisent. Adiverunt quidem obtinueruntque praesulem Quaglia. Subrogationi Pancaldius resistebat, inaniter tamen. Idoneum tunc ei visum est ad Senatum nostrum instantiam deferre, ut acta jam coram Quaglia incoepta delerentur, immotaque dumtaxat consisterent quae coram Boninio confecta fuerant. In anteacta propositione diei quartae septembris simplicis pertinentiae judicium Patres fuisse duxerunt, ac lege secuta, ad normam §. 1049 tulere pro Aloisio rescriptum. Hodie vero sublatam penitus a praesule Boninio pendentiam fuisse arbitrati sunt, et unam circumscriptionem prae oculis habentes rescripserunt « *Nihil* ».

§ 3. Et merito. Statim ac enim a Rotae decano per subrogationem praesul Quaglia substitutus fuit quotquot acta ante Boninium confecta ad subrogatum translata sunt. Deficiebat igitur earumdem causarum pendentia sub uno alteroque judice « *quando una medesima causa è introdotta simultaneamente innanzi più giudici*, o *tribunali di eguale giurisdizione* » persistebatque dumtaxat sub praesule Quaglia. Supererat igitur noscere utrum delegans jurisdictione polleret, quo perducta investigatione, ad unam circumscriptionem Pancaldi instantia sese referret.

§ 4. Quaestio movebatur an rmo Rotae decano liceret, praeter casus quibus ejus jurisdictio ex decisione Ordinis nostri per R. P. D. De Bubalo kalendis aprilis 1830 evulgata cohibebatur, novum jam adito ponenti subrogare quateous per aliquid accidens ii ad suffragandum redirent qui jam in praesenti judicii sede vota deprompsissent. Visum Patribus fuerat in superioribus 4 septembris comitiis, ut in mea retuli ejus diei decisione, nefas ei esse tali arbitrio uti, magisque dedecere, eo quod per Signaturae rescriptum praesul Boninius judex constitutus fuerat in causarum unionis disputatione acta sub die 17 aprilis anni nuper elapsi. Diligentius tamen per ducis oratores enucleata controversia, docilitate qua Patres praediti sunt, ne nunquam justitia labefactetur veritati resistere noluerunt, planseruntque in sacri auditorii decano vim inesse ad hujusmodi subrogationem praecipiendam.

§ 5. Et sane recens non est haec praxis in Rota nec uno auctorum testimonio comprobata. *Villetti in praxi romanae curiae part.* 3 *cap.* 2; *Emerix in tractatu sacrae romanae Rotae card. Petr. ad constitut.* 14; *Joannis XXII sect.* 2 *num.* 39 40 *card. De Luca de relat. rom. cur. disc.* 32 *num.* 37. quorum aliqui de jure subrogandi affirmant communi Ordini nostro, ac Rotae rmo decano, ceteri de hujus privilegio admonent. Nec desunt hujusce consuetudinis exempla, quibus magis roboratur R. P. D. Quaglia acta subrogatio, et quoties ex mutatione sedum in ponentis turno correspondales supervenerint, qui in superiori judicio suffragia praebuerant velut eruitur ex *decisione Romana immissionis* 21 *martii* 1735 *cor. Buratto; Ful-*

ginaten. immissionis 20 *junii* 1796 *coram Guardoqui*; *Romana pecuniaria* 14 *februarii* 1828 *cor. Ruspoli*, et altera *Romana super subrogatione ponentis* 8 *januarii* 1836 *cor. Corsi*. Quare Ordinis nostri rescripti obicem amotum esse Patres duxerunt, quo Boninius in causarum unione praelatus fuerat, quippe qui tunc e conspectu alterius judicis Marini majorem novorum judicum numerum secum ferebat, ex eaque peculiari causa potior, quin novis, gravibusque circumstantiis superveutis habendus esset immutabilis, ac rmo Rotae decano adempta alium ponentem subrogandi jurisdictio crederetur, quae immota in eo manet, ne iterum in quaestionibus ab iis manus apponerentur, qui in praecedenti judicii sedu sensum adaperuerant. Ad quam sententiam Patres venire cobibebantur subrogandi jure ut hodie sunt a novissimo codice expoliati, nn remedium assequi duci impossibile videretur, quod singulis a lege tribuitur dum de legitima judicum suspicione loquitur §. 1054 *num.* 4, qua methodo uti dux nequivissnt, ne a rotali consuetudine, modisque adhuc in ea vigentibus discedere « *in tutto ciò, che non è altrimenti ordinato in questa sezione (V) sono mantenute le forme particolari di procedura vigenti nel tribunale della sacra Rota in quanto possono conciliarsi con le leggi generali, e comuni a tutti i magistrati giudiziari* » §. 1044. Praxis vero subrogandi ponentem nn judices jam interrogati iterum loquerentur conciliari potest, ut ea potius utantur in Rota, quam ad alteram partes confugiant quae pro suspicionn habetur: quae praxis subrogandi per rmum Rotae decanum quodammodo Senatus noster innuere non dubitavit in decisione edita a R. P. D. Janni in comitiis 17 aprilis superioris anni.

§. 6. Eo minus Patrum animum movet quod per Pancaldium subdebatur quasi contractus speciem inter ipsum ac ducem intercessissse tum quum (ad splendidius munus praesule Marino elato) nostri Ordinis rescripti executionem, unioni ipso adhaerente expetivit, obtinuitque adversariorum adstante procuratore, tum etiam quum superventa die vigesima maii eumdem Boninium Aloysius adiverit ad constituendam rotae destinationem quin dux ceterique socii aliquid egerint quo consensum in Boninio, licet mutatae fuissent sedus praestitum revocassent. Opus enim erat, ut antea per nostri rescripti executionem una, ut altera causa binc inde divisa sub uno judice copularetur, utraque simul unita, nihil afficit an Pancaldius praecesserit, petieritque coram Boninio destinari rotam, quum in sequenti die nempe 21 maii dum expediebat ad discordiam magis relevandam coram eo ponente sese resistere velle rmi Rotae decani authoritatem implorarunt, et subrogationem novi ponentis consecuti sunt quam illico adversario intimarunt. Quae quum inficiari nequeaut oratio Pancaldi evanescit, ac nibil superest quod de quasi contractus specie argumentum suppeditare valeat.

§ 7. Circumscriptione gestorum coram R. P. D. Quaglia penitus rejecta superaddere clausulam Patres « *causam spectare ad R. P. D. Quaglia* » quodammodo maluerunt, ne novi jurgii occasio inter contendentes oriretur, utrum liceret ad alium ponentem recurrere, vel iterum disputare de porrecta per Aloysium petitione ut ab Ordine nostro subrogaretur R. P. D. Magno. Ablatum siquidem a Signatura subrogationis munus novissima lex voluit, eaque in singulis paragraphis, quibus complectitur, perlustrata, nullum verbum invenitur, quo Patribus hujusmodi auctoritas collata vel confirmata sit.

§ 8. Expediebat igitur ut nibil praetermitterem, quo Patrum rescriptum clare intelligeretur, quibusque rationibus ab altero diei 4 septembris recesserint novumque ediderint « *Nihil de circumscriptione, et causam spectare ad R. P. D. Quaglia.* » Et ita renovato certamine juribusque partium discussis bodie sancitum est.

(Vide decis. LII).

Die 18 Martii 1846 « *Declaratio pro parte R. D. Pancaldi* ».

Procuratores — D. Augustinus Pagnoncelli. — D. Vincentius Bianelli
D. Petrus Aloysius Briganti
D. Aloysius Nardini

Prot. 105 / 1845 R̃mo P. D. CONVENTATI Decano DECISIO LXV.

ROMANA SUBROGATIONIS PONENTIS

Jovis 29 *Januarii* 1846.

Argumentum

Eadem quaestio de qua in decis. LII et LXIV peragitur.

§ 1. Ex uno argumento deprompto ex decisione per me edita sub die 4 septembris recens elati anni, quo Patres vehementius inficiabantur reverendissimum Rotae decanum potuisse tranferre ad R. P. D. Quaglia quaestiones, quae ab Ordine nostro copulatae fuerant sub praesule Boninio, dux Marinus Torlonia, ejusque socii marchio Camillus Pizzardi, et Dominicus Benucci eruerunt Patres intelligere voluisse sibi dumtaxat munus subrogandi novum ponentem spectasse. Qua suspicione impulsi alterum ab eo par adversarium Aloysium Pancaldinm promoto, et adhuc coram Senatu nostro pendente, confecerunt, veniaque obtenta de utroque sub iisdem comitiis disputandi, bodie ad nos conscenderunt expostulantes ut amotis ab R. P. D. Boninio singulis actis incolumis subrogatio praesulis Quaglia subsisteret, vel nova per Patres efficeretur cujuscumque Rotae auditoris qui correspousales complecteretur unmquam in superioribus quaestionibus redempturae salis et tabacci inter ipsos, ac Pancaldium adbibitos. Praecessit, ut in coeva mea decisione retuli, investigatio recursus, ac instantiae ab Aloysio excitatae, in qua, quum Patres a decisis recesserint, sicque vota ducis, sociorumque obsecundaverint superfluum visum fuisset aliud promanare rescriptum quod jam emisso quodammodo cobaeret. Aptius igitur in lucem venire nequibat quam quod prae eorum sapientia Patres mihi tribuerunt « *Provisum in contemporanea* ». Quod ut melius appareat brevi elocutione decisio a me suscepta perficiet, quin victo eam aggrediendi libertas adimatur.

§ 2. Dux ac socii deprecabantur, ut avulsis ab R. P. D. Bonini singulis actis, vel salva consisteret subrogatio praesulis Quaglia: vel alter Rotae auditor vices Bonini per Patres delectus susciperet. Quum in contemporaneo rescripto sancitum fuerit integra perseverare quae coram R. P. D. Quaglia gesta sunt, eique causam pertinere, formula « *Nihil de circumscriptione, et causam spectare ad R. P. D. Quaglia* » ad optatum littus orantes appulerunt. *Provisum* igitur *in contemporanea* punctum attigit quod dux ceterique litis consortes sibi expedire duxerunt.

§ 3. Illud unum mihi superaddere injunctum est, ne subrogatio R. P. D. Quaglia tamquam ab Ordine nostro hodie impetrata habeatur, sed ut justa disciplinam sacri auditorii recte ab ejus reverendissimo decano designata persistat. Olim enim comune erat Signaturae justitiae, ac rotae reverendissimo decano jus subrogandi, adeo ut ex antiquis legibus legitima fuisset subrogatio R. P. D. Quaglia loco praesulis Bonini: bodie vero subrogandi potestate Ordini nostro adempta, conservatisque ex §. 1044 peculiaribus disciplinis in sacro auditorio, inter quas viget privilegium ejus decani pro subrogatione eo magis ponentis Quaglia substitutionem immobilem perseverare debere Patres in coeva per me edita decisione definiverunt. Merito igitur novissimae ducis sociorumque instantiae responderunt « *Provisum in contemporanea.* Et ita in certamine partium jus redditum est. »

Procuratores — D. Augustinus Pagnoncelli — D. Vincentius Binarelli
D. Petrus Aloysius Brigauti
D. Aloysius Nardini

FIRMANA AVOCATIONIS ET UNIONIS

Jovis 29 Januarii 1846

Argumentum

De gradus juridictionis paritate, quae ad decernendam causarum unionem requiritur - De facultate a §. 981 neotericae praxeos tribunalibus concessa - De s. Rotae privilegiis §. 1044 servatis; et de litis pendentia.

§ 1. Ad praecidendas contentiones innumeras, quae honestissimum inter causidicum Joseph Fidanza, et Philippum Mandiroli, qua filium et heredem tum Cynthii Mandiroli ejus patris, tum Dariae Procaccini ejusdem matris plurimis jam ab hinc annis fervebant, privatae concordiae tabulae utramque inter partem ad diem 20 junii 1834 sunt obsignatae. Illud autem cetera inter conventum in iis est, quod Iosephi nimirum creditum unum interesse Philippi respiciens cohiberetur ad argenteos tantum nummos *quatuormille*, illudque prae ceteris cunctis, ac prae assertis ejusdem Philippi creditis ex dotalibus maternis juribus derivantibus, sibi Joseph vindicaret super pretio hausto ex venditione bonorum ad Cynthium jamdiu spectantium ab anno usque 1812 expleta, et apud rev. Cameram depositi loco adhuc manente; lege tamen in ipsis concordiae tabulis nominatim adjecta, quod *« in caso di questioni »*, non alibi exagitari eae deberent, nisi coram Urbis tribunalibus, speciali in id domicilio penes equitem Gregorium Conventati a Mandirolio electo.

§ 2. Distributionis autem judicio in sequelam transactionis hujus coram Camerali A. C. collegio a Fidantio resumpto, nulli studio tum Mandirolius, ejusque cessionarius Massinius, tum eques Conventati, uti assertus cessionarius Dariae Procaccini pepercere, ut praelationem ex apertissima transactionis lege Josepho debitam sub dotalium Cynthiae nominum fuco in discrimen adducerent. Verum post diuturnam integri lustri pugnam definitiva tandem prodiit sententia, quae Mandirolio, Massinio, et Conventatio omnino postbabitis, utilem Josepho gradum pro sibi competentibus nominibus tribuit. Animo tamen tum Mandirolius, tum Massinius haud fracti ad plenae Camerae provocarunt tribunal, quo coram in comitiis diei 11 julii 1842, proposita primum causa, vadimonium quidem caeteris litis consortibus omnino deserentibus, propitium Joseph retulit rescriptum, verum acta hujusmodi gesta deleri postea Mandirolius obtinuit. Interea vero temporis novum ex integro coram archiepiscopali firmana curia judicium, tum adversus Josephum, tum adversus caeteros patris creditores instauraverat Philippus postulans, ut *« previa la dichiarazione di nullità della citata transazione de' 20 giugno 1834, siccome infetta d'errore, dolo, falsa causa, e di lesione enormissima, »* vel *« JACENS omnino »* renunciaretur *« l'eredità del fù Cintio Mandiroli padre dell'istante con deputarsi a tal uopo alla medesima uno, o più curatori »*, VEL SIBI SALTEM concederetur beneficium restitutionis in integrum *« contro qualunque atto d'improvvida accettazione di detta eredità che possa esistere a di lui carico »*.

§ 3. Cui quidem instituto judicio quum declinatoriam fori exceptionem concordiae tabulis fretus opposuerit Joseph, incidens ad diem 18 julii 1842 decretum firmanae curiae tulit vicarius, quo reservato Philippo jure *« di potere proseguire la causa in punto di restituzione in intero contro la paterna eredità contro gli altri rei convenuti, »* quoad unum Fidantium decrevit *« che debba il Mandirola agire avanti il tribunale competente eletto a forma del patto per decidersi sulla validità o invalidità della transazione 20 giugno 1834 »*. Provocatione autem ab hujusmodi decreto interjecta, causaque ad s. Ordinem coram rmo P. D. Marini nunc almae Urbis praefecto delata, duplicem primum dubii formulam subscribi Mandirolius obtinuit, alteram nimirum *super incompetentia* ad hunc modum conceptam *« An constet de incompetentia in casu etc. »*; alteram vero *super merito* his verbis compositam *« An constet de nullitate transactionis et de jacenti haereditate Cynthii Mandiroli, ita ut sit locus deputationi curatoris, seu potius sit locus restitutioni in integrum in casu etc.; »* mox vero recursum ad Or-

dinem nostrum interposuit causae hujus avocationem, et unionem urgens una cum distributorio altero judicio apud plenae Camerae tribunal in gradu appellationis adhuc fervente. Cujus quidem licet moderationem in Comitiis diei 14 septembris 1843 apud Ordinem nostrum incassum flagitaverit Joseph, hodie tamen intimis ejusdem meritis ad trutinam revocatis, et dilationem frustra postulante Philippo, rescripserunt Patres « *Nihil de avocatione, et unione causarum* », mibique ex turno munus dedere decisionis vulgandae.

§ 4. Nec minus *extrinseca, quam intrinseca* utriusque controversiae merita omnino probibebant, quominus earum unio bodie decerneretur. Et quod *ad extrinseca* primum spectat, illud prae caeteris urgebat gravissimum, quod *specie* quidem tenus ad s. Rotam fuerat delata causa etiam princeps super praetensa transactionis nullitate, ac jacenti Cyntbii baereditate, sive restitutionis in integrum beneficio a Philippo implorato; RE tamen VERA universum contentionis subiectum ad meram simplicemque INCOMPETENTIAE quaestionem coram s. Auditorio cobibebatur, cui ceterum nulla prorsus erat, vel esse poterat connexio cum distributorio judicio apud plenae Camerae tribunal fervente. Aut enim propositae incompetentiae exceptioni, quam albo undique calculo excepit firmanus vicarius, confirmationis robur s. Rotae adiicit tribunal, et in hujusmodi casu leves illico abit in auras judicium princeps coram firmana curia a Philippo nulliter instauratum super praetensa nullitate transactionis, neque cumulari proinde cum distributionis causa amplius illud valet, vel ipso unionis deficiente subiecto, quod in causarum adamussim pluralitate residet, testibus §§. 1050 et 1052 *num.* 2 *vig. regiminis.* Aut negativo e contra responso dubii formulam dimittit super firmanae curiae incompetentia composita; et firmani judicii validitate tali pacto vindicata, ejusdem cognitio ad firmanam ipsam curiam, tamquam legitimum primarum instantiarum tribunal, in altero hujusmodi casu redeat oportet, neque causa proinde in primo jurisdictionis gradu coram firmana curia adhuc fervens cum graduationis judicio apud Camerae tribunal in gradu appellationis pendente consociari aeque poteat, apertissima probibente sanctione *cit.* §. 1052 *num.* 1.

§ 5. Quod locum sane eo vel fortius obtinebat in themate, quum incompetentiam suam quoad unum Fidantium, sive quoad unam nullitatem transactionis cum eo initae, utpote ad urbanos judices ex pacti conventi lege spectantem, firmanus declaraverit vicarius, jure expressim Pbilippo reservato « *di poter proseguire la causa in punto di restituzione in intiero contro la paterna eredità contro gli altri rei convenuti* ». Ex eo enim luculenter eruitur, controversiam principem super asserta jacenti Cyntbii baereditate, vel restitutionis in integrum beneficio, apud firmanam ipsam curiam, quoad caeteros praesertim litisconsortes, firmanam mansisse; eamque insuper, utpote ab incompetentiae exceptione unius tantum Fidantii nomine proposita, et quoad eum dumtaxat probata nullatenus pendentem, ex interjecta ab incidenti decreto appellatione neque transferri quidem ad s. Rotam potuisse. Non aliter siquidem princeps causa ex interposita ab interloquutorio vel incidenti decreto appellatione ad secundi gradus transit tribunal, nisi ubi incidens, vel interloquutorium decretum illius etiam meritum tangat, quod incompetentiae quidem decretis nullatenus congruit.

§ 6. Quin aliquid rei detrahat, litem etiam super merito ad s. Rotam deferri Mandirolium curasse. Scitum quippe est ad litis inducendam pendentiam, qua ceterum deficiente nullus causarum unioni locus poteat patere, non meram simplicemque citationem sufficere apud judicii etiam acta reproductam, sed veram litis contestationem requiri quam una principis negotii narratio et cognitio constituit, veluti post *text. in leg.* 1 *cod. de litis contestatione* firmavit millies supr. tribunal, ac potissimum *in Callien. unionis causarum* 22 *augusti* 1833 §. 6 *cor. emo Vannicelli, et in Romana avocationis causae* 19 *april. superioris anni* §. 4 *coram rmo P. D. meo Decano.* Et licet fingere paulisper luberet, ex actis a Mandirolio gestis causam etiam principem delatam ad s. Rotam fuisse, ibique contestatam, deque ea judicium ferre s. auditorio impune licere, non aliter tamen contentio ea, qua desuper nullam bactenus sententiam primarum instantiarum tulit tribunal, apud sac. Rotam pendens foret renuncianda, nisi *tamquam in prima*, sive in primo jurisdictionis gradu; illudque proinde firmum, immotumque perpetuo maneret, quod dispari nimirum jurisdictionis gradu utramque inter controversiam in themate concurrente, causarum unio ex censura apertissima cit. §. 1052 *num.* 1 decerni nequibat.

§ 7. Quibus demum cunctis veluti culmen, fastigiumque imponebat; luculenter patere, non alio quidem consilio unionis recursum fuisse a Mandirolio interpositum, nisi ad remorandum in aevum diribitorii judicii exitum, et honestissimum virum senio undique jamdiu confectum, qui plurimis jam ab biue annis legitimi ejus crediti, tum rebus judicatis, tum hypothecaria inscriptione suffulti solutionem urget, defatigandum et divexandum. Idque suadebant aperte singula rerum adjuncta. Post provocationem enim a cameralis A. C. tribunalis sententia Josepho undique propitia interpositam, plenae quidem Camerae tribunal Mandirolius adiit, verum diu postea siluit, aetaque imo cuncta sub bonae fidei clypeo a Josepho inibi gesta circumscriptionis gladio obtinuit deleri. Inde autem nulli primum pepercit studio, ut causae propositio apud plenam Cameram differretur in aevum; vero novum instituit coram firmana curia judicium, et ab incompetentiae nedum decreto provocationem ad s. Rotam interposuit, verum recursum etiam pro causarum unione interjecit, eoque vix singulis litis consortibus nunciato, integro fere triennio obdormivit, vadimoniumque bodie omnino deseruit novas dumtaxat sub futili diu tentatae conciliationis fuco quaerens inducias. Quae cuncta aedepol, una praesertim simul conjuncta, invictissime suadebant, locum sibi in themate vindicare vere disertam *cit.* §. 1052 *num.* 4 *vig. cod.* sanctionem, ubi expressim cautum, quod « *non è ammissibile il ricorso per l'avocazione e riunione delle cause. . . . quando avuto riguardo alle circostanze, ed alla qualità de' giudizj respettivi, si riconosca che il ricorso è diretto ad impedire*, e *ritardare il corso dell'*une e *dell'altre* ».

§ 8. Hisce autem graviora etiam accedebant *intrinsecus.* Vel ipsa enim utriusque judicii indoles impedimento erat, quominus Philippi petitio hodie exciperetur. Diribitorium enim judicium ad exequutoria pertinet acta, adeoque summaria inter et exequutiva judicia recenseri jure merito valet, ita ferente §. 538 *num.* 10 *vig. codicis.* Praeterea praelationis quaestio adversus Philippum a Fidantio in eo excitata ex transactionis tabulis oritur eos inter signatis, pactique conventi lege innititur, communi placito ab iis initae. Judicium vero alterum a Mandirolio institutum transactionis hujus nullitatem potissimum respicit, adeoque ORDINARIUM dubio procul est, neque cum altero proinde conjungi ullatenus valet. Haud enim pugnat, quod firma interim transactione manente, sedes ex ejusdem lege Josepho debita in graduationis judicio ei tribuatur; transactio vero ea incongruo et sejuncto ordinario judicio irrita, nulliusque roboris renuncietur, eaque ope absolutissimae rei judicatae rescissa, pecuniam in exequutivo judicio sibi tributam reddere e contra Fidantius cogatur, veluti respondit passim nostrum tribunal *in Romana remissionis causae* 19 *dec.* 1826 §. 5 *coram Alessi, et in Perusina unionis causarum* 31 *julii* 1834 §. 6 *et seq. coram Grossi*, alibique millies.

§ 9. Maxime vero quum institutum a Mandirolio judicium non ad unam transactionis nullitatem enhibeatur, sed eo potissimum tendat, ut beneficium restitutionis in integrum adversus inconsulto aditam patris haereditatem sibi tribuatur. Firma siquidem apud Philippum manente haereditaria patris qualitate, praesidium nullum licet et dubio procul mutuari ex dotalibus matris suae juribus, licet in eum jamdiu translatis, utpote mutua jurium, et personarum confusione sublatis ad *text. in l.* 7 *c. de pact., et leg.* 5 *de haered. act.* Verum missa etiam investigatione, utrum post diuturnum adeo temporis spatium beneficium hujusmodi implorare amplius liceat Philippo, illud certum indubiumque est, judicium id genus nullum obicem interim praebere, quominus adversus eum tamquam patris haeredem propria jura Cynthii creditores experiantur, nullamque proinde connexionem illud praeseferre eum diribitorio judicio super patris substantia inter Cynthii creditores fervente. Scripta enim lex est omnino diserta in §. 1579 *cit. regimin.* quod « *il giudizio di restituzione in intiero contro la semplice accettazione* (delatae sibi haereditatis) *non impedisce che s' introducano e si prosieguano i giudizj particolari contro gli eredi* ». Et ita etc. altera etc.

Die 26 martii 1846 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Joannes De Romanis — D. Vincentius Maria Biolchini
D. Vincentius Cini
D. Casimirus Janni
D. Franciscus Lasagni
D. Vincentius Binarelli

Prot. 162/1845 **R. P. D. ARNALDI** **Decisio LXVII.**

Romana Restitutionis in Integrum

Jovis 29 Januarii 1846

Argumentum

Agitur de cambio obliquo, quod pro extraordinaria fideicommissi conservatione haeres gravatus contraxerat, et de speciali hypotheca, quam pro illius securitate constituerat super fundo fideicommissario; cujusque cambii restitutionem creditor a successore ad fideicommissum postulat actione personali.

§ 1. Cambium obliquum scutatorum 6600 in tot nummariis tesseris nuncupatis « *cedole* » usuris quincuncibus, et per quadriennium, contraxerat vir princeps Aloysius Pallavicini cum Ignatio Bontus, publicis tabulis, in quibus nominis, fructuumque tutela se, baeredesque suos omniaque bona obligabat; aerisque alieni causam interserebat, ut nimirum impositis, per democraticos moderatores, subministrationibus occurreret. Per legem de papyraceis monetis, reductum fuit caput ad argentea 1718. 36., cujus restitutio, cum perfici anno 1802 baud potuisset, dilatio ad aliud biennium data est a creditore, elevatis usuris ad octunces. Usque ad annum 1829 eo modulo fructuum solutio processit. Verum aeconomus patrimonii principis Aloysii obstitit solutioni, contendens, invita lege, auctionem illam fructuum pro dilatione depactam: hinc transactio est sequuta, in qua creditor ad argentea 1200 reduxit collybum, fructu quincunci, remissis antea excursis, et constituta speciali hypotheca super fideicommissario rure « *Belpoggio* ».

§ 2. Cunctae stipulationes illae virum principem Aloysium inter ac Bontus intercesserant. Defuncto jam viro principe, anno 1835 hujusce haereditas, quoad omnia bona libera, deficientibus masculis, delata est tribus filiabus, quae superstites erant, fideicommissaria vero bona, jure proprio, Francisco viro principi secundogenito principis Julii Caesaris, obvenerunt. Hoc in rerum statu, ut cambii nomen ac fructus Joannes Baptista Bontus Ignatii defuncti patris baeres assequeretur, id ei venit in mentem vadimonium statuere apud tribunal A. C. viro principi Julio Caesari nomine Francisci « *a restituire il cambio in sorte di scudi 1200, non che a pagare i frutti decorsi* » secus judex emitteret « *l' opportuno ordine esecutorio* ». Ob non rite monitum viri principis procuratorem, nulla exceptione parata, facile consentaneam postulationi sententiam retulit actor. Sed in secundo gradu, a sacro Auditorio revocata sententia est, cum, omni prorsus personali actione, ex contractu principis Aloysii, destitutum actorem in comperto esset, agendi in virum principem Julium Caesarem, quem jure suo fideicommissaria obtinentem bona, nonnisi quam reali actione persequi potuisset, si quae hypotbeca villam tusculanam *Belpoggio* inumbraret. Qua de re consultissima prodiit pronunciatio. Nihilominus, altera subinde, in tertio gradu, edita sententia est, quae adversus immota juris principia, vulgatasque regulas obvertens, praecedentem revocavit. Protinus vir princeps Julius, nomine etiam filii, recursum ad supremum Ordinem interposuit, qui hodiernis comitiis albo exceptus est calculo, per rescriptum « *De causis, sine praejudicio reijudicatae, etiam quoad expensas* ».

§ 3. Siquidem de manifesta injustitia reijudicatae constabat, quae virum principem Julium Caesarem personali actione damnavit, dum hac minime prorsus ipse erga actorem Bontus devinctus esset. Contraxerat quidem actor collybum cum principe Aloysio Pallavicinio, qui se erga illum suaque bona obligaverat. Reductionem nominis cum illo peregerat. Transactionem demum stipulatus est hypotheca constituta super fundo *Belpoggio*, qui inter fideicommissaria bona recensebatur. Verum, etsi hodie hipothecatum fundum possideat vir princeps Rospigliosi, possidet quidem, quia proprio jure ad fideicommissaria bona successit, neque baeres Aloysii principis fuerit; ad bona enim illius libera universales baeredes filiae extiterunt. Non ergo neque ex ullo contractu, neque uti personam debitoris gerens erga Bontus tenetur; et idcirco manifesta laborat injustitia resjudicata, quae actionem persona-

lem in virum principem Rospigliosi admisit, invita jurisprudentia, ac judiciorum ordine conculcato; quo nil notius, singulis controversiis, singulas actiones a lege institutas, ac personalem actionem ineptam esse, ac rejiciendam, quae adversus nullo contractu devinctum, nec haeredem contrahentis, intendatur. Injuste divexatum reum observatione judicii esse absolvendum, monent leges; atque hanc firmiter retinendam juris disciplinam, ne secus modus litium summam et inexplicabilem difficultatem pariat, ut Paulus *ad l. 6. ff. de except. reijudicatae* docet confirmantque *l. 5 ff. eod. l. 35 ff. de obligat. et act, l. 43 §. 14 de reg. juris, l. 4 §. 2 ff. de nox. act., l. 9 §. 1 ff. de tribut. action.* Neque judicialis ordinis fundamenta convellantur, *Donnell. comment. ad tit. de action. §. 2, Card. De Luca in summa de credit. ac debit. cap. 5 num. 120, Rota in Ferentina contractus 1 januari 1830 cor. Celestini §. 4.*

§ 4. *Actionum quippe*, ut prudenter docuit Ulpianus in *l. 25 ff. de obligat. et action., genera sunt duo; in rem, quae dicitur vindicatio, et in personam, quae condictio appellatur. In rem actio est, per quam rem nostram, quae ab alio possidetur petimus, et semper adversus eum est, qui rem possidet. In personam actio est, qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum, vel dandum, et semper adversus eumdem locum habet* ». Quibus cohaerent *institut. imperial. §. de action.*, planeque profluit, quod, quemadmodum ineptum foret ut is, qui sibi unice devinctum reum habeat contractu, vel quasi ad aliquid dandum, vel faciendum, realem actionem instituerct, ita pariter absurdum, ut, qui jus tantum persequendi rem habeat, personalem tamen actionem exerceat.

§ 5. Cum autem princeps Julius Caesar ad fideicommissa ab institutoribus vocatus, ex generalibus principiis, minime ad dissolvendum aes alienum per gravatum haeredem conflatum adigatur; nihilominus in themate, personali vel etiam obligatione constrictum contendit Bontus, eo quia collybus contractus fuerat a principe Aloysio, dum bona per leges democraticas libera erant reddita; atque in fideicommissorum instauratione, vigore motus proprii diei 6 julii 1816 art. 130., alienationes, latissima significatione, susceptae « *comprensivamente all' ipoteche* » inviolabiles subsisterent. Quorsum vero haec? Recta porro, ut patet ad sensum legis sententia ea est: fideicommissa instaurari: at vero, nullo esse impedimento posse, quin hypothecae tempore libertatis bonorum super fideicommissariis fundis, qui ad vincula fideicommissi revocabantur, constitutae, in suo robore, ac firmitate manerent; fideicommissaria vincula, respectu illorum, ac si non existarent, vel ut dissoluta, haberentur. Qua ex prudentissima sanctione concludi minime fas est, quod fideicommisso ex propria vocatione succedens, personali constringatur actione ad aes alienum, de sui substantia, vel etiam praeter fideicommissarii fundi vim dissolvendum creditori, quo cum nullam ille inierat obligationem, neque causam habeat; verum potius clare constat, creditorem hypothecaria tantum actione fideicommissarium persequi posse; quemadmodum constanter censuit *s. Rota* praesertim *in Romana primogeniturae quoad I. dubium 7 martii 1817 cor. Bussi, Romana nullitatis apocae 12 junii 1828 §. fin. coram reverendissimo Marini, Romana laesionis, seu nullitatis contractus vitalitii* 3 *julii* 1835 §. 5 *coram eodem.*

§ 6. Jam vero, cum legis dispositio effectum hypothecae servaverit, et idcirco non ultra quam hypothecariae actioni succedentes fideicommissis onerare voluerit; sequebatur, nullo in calculo habendam esse alteram illam contentionem; virum principem Julium Caesarem, assequuta possessione bonorum fideicommissariorum, tacite onus, quod illis inerat in se suscepisse; ideoque ex quasi contractu sese obligavisse pro illius dimissione. Etenim susceptio illa, tacitusque consensus in eo versari dici poterat, nimirum, ut ratione fideicommissi, hypothecam oppugnare non posset, eique minime contradicere, praetextu, quod super re fideicommissaria constituta esset. Sed juxta legem hypothecaria actione de fundo « *Belpoggio* » persecutionem pati aequum est, haud vero quod ex possessione, cum nullus contractus, vel quasi exurgeret, qui personalem actionem secumferret, de quo, nihil dispositum in lege reperitur; quapropter ulla consentio, ac voluntas, ad id, quod non fuit cautum, neque distendi potest, neque intelligi. Minimeque subsistit ex dispositione illa derivare, unum principalem debitorem habendum esse fideicommissarium, qui omnino debitum exsolvat. Dispositio quippe hypothecis providit, eorumque effectui, qui ex juris dispositione ille est; quod

possessori electio sit, utrum velit, fundum dimittere, vel debitum persolvere; neutiquam quod possessor ultra vires possessi fundi teneatur. Creditori vero, si lex hypothecam servaverit, ac succedentibus ad fideicommissa, exceptiones, de eorum proprio jure, ademerit, non ideo in principalem debitorem, cum quo contraxit agendi jus abstulit; nec, perabsurdum dici potest, statuisse, quod hypothecarii fundi possessor haberi debeat, ac principalis debitor; hujusque aes alienum, praeter etiam fundi vim, subire, adversus quidem juris dispositionem, ad quam se retulit; eaque nil notius, hypothecarii fundi possessorem, dimssio si voluerit, fundo, penitus ab actione liberatum, nil ultra posse divexari. Quapropter manifesta erat judicati injuria, quod absque ulla ad hypothecata bona restrictione, mandatum in bona propria ipsamque personam, si bona deficerent, exequendum concesserat.

§ 7. Objiciebatur praeterea, aes illud alienum fideicommissi utilitatem respexisse, ut bona defenderentur a militari incursu, in quem incidissent, ob non solutas, in anarchico illo regimine, petitas subministrationes. Animadvertendum in primis est; quo tempore conflatum negotium illud est, nulla existebant bona fideicommissaria; dum omnia erant libera, et idcirco si quae bona fuissent hostili executioni subjecta nonnisi quam libera esse potuissent. Rursum ad utilitatem probandam edoceri de versione debuisset. Cum autem princeps Aloysius praeter illa bona, quae qualitatem fideicommissariam exuerant, possideret plura de liberis suis fortunis, incertum est, ad quae tandem bona tuenda aes illud alienum fuisset comparatum. Porro, ut actio de in rem verso concedatur, oportet demonstrari, susceptam pecuniam, versam adamussim in utilitatem illius, pro qua asseritur fuisse conquisitam, alias ex una ambiguitate submovetur, *ad Ulpianum in l. quod si servus §. pen. ff. in rem verso.*

§ 8. Accedebat contrahentium voluntatem, haud pro defensione fideicommissorum in collybo stipulando consistere valuisse. Nam, tunc omnia erant libera, et incognitum sane, illa ad vitam fore reditura; quamobrem voluntas trahi quidem non poterat ad incognita. Confirmatque factum prorogationis obventae anno 1802, quo redivivis fideicommissis, nec verbum, nec vola excidit collybum stipulatum pro tuendis illis bonis; atque isthaec satisfactioni illius esse devincta; quod expresse dictum esset, si principi Aloysio ea mens fuisset in cambii illius creatione haud sua propria bona libera, sed fideicommissaria, oneri subjugandi.

§ 9. Ulterius ad transactionem anni 1830 provocabant defensores Bontus, ex qua personalem actionem, in fideicommissarium exortam suadere conabantur. Veruntamen transactio illa, non aliud de re fideicommissaria exhibet quam exhibere possit cambium illud anno 1798 ab Aloysio principe contractum, quod, ob omni jure debitam illicitarum usurarum imputationem, reductum ad scutata 1200 fuit, usuris revocatis ad quincunces ut erant in ipso collybo praefinitae. Id unum in perniciem fideicommissi adjectum, quod a creditore hypothecam super tusculana villa « *Belpoggio* » inscriberetur. Jamvero ut transactio ab haerede gravato stipulata succedentes ex propria vocatione devincat, demonstrari oportet, illam cum bona fide, de re fideicommissaria, ad utilitatem postea vocatorum fuisse celebratam; alias proprio jure venientibus, tamquam res inter alios acta, non obstat; et quoad ipsos habetur, ac si emanata non fuisset. Ut docet *Urceol. de transact. q.* 10 *num.* 83., *Rota cor. Riminaldo decis.* 406 *n.* 6, *cor. Pianetti decis.* 35 *num.* 12, *cor. Olivatio decis.* 668 *n.* 3.

§ 10. Tametsi bona cum fide, justaque causa transactio illa concinnata dici possit, defuit tamen de re fideicommissaria fuisse confectam, atque in utilitatem postea venientium rediisse; cum imo, non modo utilitas nulla, sed detrimentum attulerit ex stipulata hypotheca de tusculano rure, dum Bontus ob non renovatam inscriptionem, tempore a legibus hypothecariis praefinito, hypothecae jure exciderat, quoad ipsum fundum, qui fideicommissarius jamdiu erat antea, sub vinculo primogeniali inscriptus. Neque excipienda replicatio, inscriptione hypothecae haud egere Bontus, qui cum hypothecariis creditoribus haud decertat, sed hypothecae insistit ex contractu adversus debitorem. Perperam et inepte quidem; ponit enim pro certo, virum principem Julium Caesarem, principalem esse debitorem; dum imo hactenus ostensum sit, nullo unquam contractu cum

creditore Bontus esse devinctum. Imo verò alterum ex postea vocatis, quibus vetitum est a lege hypothecae contradicere ratione fideicommissi; haud vero quod lex principalem debitorem effecerit, quod numquam dixit, neque ulla in pagina piauae sanctionis, quae de fideicommissorum instauratione lata est, plane legitur.

§ 11. Postremo neque ea aucupanda est fideicommissi utilitas, quia in transactione, reliqua dissoluta sint bona ab hypotheca, reducta illa ad unum rus tusculanum. Attamen ne verbum de hac reductione in transactione occurrit solummodo « *ha ipotecato, ed ipoteca in favore del signor Gio: Battista Bontus la villa Belpoggio* » quin prorsus de reductione ulla ineunda pactum intuebatur; neque ulla a Bontus renunciatio sit unquam emissa. Rediret autem animadversio, quod neglecta a creditore innovatione inscriptionis, in fundum tusculanum sub primogeniali vinculo jam inscriptum, haud in utilitatem, sed in detrimentum fideicommissi, ea hypothecae stipulatio in transactione, rediisset.

§ 12. Quocirca cum actio personalis a creditore Bontus promota, nullo subsistere modo possit in virum principem Julium Caesarem Rospigliosi, eamque adversus immota juris principia, resjudicata probaverit; jure, meritoque restitutionis in integrum beneficium, supremus Ordo clargiendum esse censuit. Et ita etc., utraque etc.

Die 26 martii 1846 « *Nihil, et extendatur decisio per R. P. D. Ferrari, et reproponatur* ».
Die 7 maii 1846 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Paschalis Corradi — D. Dominicus Baffi

Prot. 76/1845 **R. P. D. LIPPI** Decisio LXVIII.

Bononien. Circumscriptionis

Jovis 29 *Januarii* 1846

Argumentum

Cum pupillorum nomine vidua eorum mater citata fuerit, qui eorumdem tutoris munere fungi jactabat, petit actorum circumscriptionem ex defectu citationis.

§ 1. Domunculam Benoniae sitam, quam Joseph Prati partim ex amitae Daviae Amoratti haereditate, partim vero Rosae Cappelli ipsius cohaeredis cessione acquisiverat, Aloysio Cappelli vendidit pro pretio libellarum mille italicarum, qui paucos post menses eamdem in Joannem Orlandini transtulit, pretio in scut. 320 constituto. Quemadmodum autem Pratus generalem super omnibus suis bonis, ac specialem super fundo nuncupato « *Fornace* » hypothecam favore Aloysii pro evictionis casu concesserat, ita hic eamdem hypothecam Orlandinio cessit, qui tamen in inscriptione renovanda negligentissimum se praebuit. Atque ab inito hoc contractu vicennium jam effluxerat, quum Arcangela Brunelli contendens hypothecarium sibi nomen in Pratum, tamquam Daviae cohaeredem, competere, obtenta prius contumaciali adversus istum sententia, actionem realem in Orlandinium coram bononiensi tribunali instituit, veluti fundi hypothecae obnexii, domunculae videlicet venditae possessorem.

§ 2. Illatas sibi molestias Orlandinius in Aloysium Cappelli convertere existimavit, a quo fundum ipse comparaverat, ac sententia prodiit, qua, Brunelliae actione adversus tertium possessorem excepta, locum tamen non esse petitae a molestiis liberationi decretum fuit ob praetermissam hypothecariae inscriptionis intra legitimum tempus renovationem. Ab hac sententia appellationem Orlandinius interposuit, sed quum inter judicii moras decesserit, causam ejus procurator, utpote litis dominus, prosequutus fuit, ac sententiam tribunal appellationis tulit, qua priorem super praetensa liberatione a molestiis confirmans, Brunelliae actionem penitus rejecit, ita ut quoad Cappellium orta fuerit res judicata.

§ 3. In sententiarum conflictu causam Brunellia ad sacrum Rotae auditorium detulit, citatis tum Orlandinii filiis, ac vidua uti pupillorum tutrice et curatrice, tum etiam Cappellio, rescriptumque rotale prodiit, quo prior bononiensium judicum sententia con-

firmata fuit. Sed dum Brunellia exequutionis actus super fundo hypotheca devincto explebat, recursum quidam Lugdovicus Orlandini apud Supremum nostrum tribual interposuit, contendens circumscribenda esse ex citationis defectu omnia coram Rotae auditorio gesta, ex eo quod tutelae munus non a vidua, sed ab ipso, qui nunquam vadatus fuit, exerceretur. Ast, vadimonium Lugdovico hodie deserente, proposita circumscriptionis querela rejecta fuit rescripto « *Nihil* », commisso mihi munere decisionem vulgandi

§ 4. Ac praeprimis quoad Cappellium duo aderant peculiaria rationum momenta, quae omnino efficiebant, ut de opposito citationis defectu teneri ipse nequiret. Primum videlicet, quod res judicata ipsius favore orta esset, antequam hujuscemodi defectui locus esse potuisset, quum sive appellationis judices in id consenserint, ut petita a molestiis liberatio rejici deberet. Hinc fiebat, ut etiamsi nullitate rotalis sententia laboraret, hoc tamen nullam Cappellio perniciem afferre valeret, quippequi anteriori rejudicata tutus jam erat. Alterum est, quod citationis defectus Cappellium minime respiceret, quum ipse non fuerit actor, sed reus conventus. Etsi enim hic defectus reapse intervenisset, de hoc Brunellia tantummodo teneri potuisset, a qua judicium institutum fuit, minime vero Cappellius, qui nihil egit, sed jussus judicio se sistitit.

§ 5. Sed illud insuper accedebat, quod nullus citationis defectus reperiretur. Ut enim dici posset citationem defuisse, probare Lugdovicus debuisset, non penes viduam, sed penes se tutelae munus adfuisse, ita ut ipse unus esset legitima persona, quae pupillorum nomine vadanda fuisset. Ast hoc non modo ipse non probavit, sed immo excludebatur. Scitum quippe est, matrem esse ex legis praescripto impuberum et minorum liberorum tutricem, ac curatricem, nec non quibuslibet aliis in munere hoc obeundo praeferri, quod ab ipsa non exulet nisi per transitum ad secundas nuptias. Judicium igitur adversum viduam tutorio nomine institutum, atque ab ipsa acceptatum, et prosequutum, legitime institutum fuisse dicendum est.

§ 6. Quod si ob secunda vota, aut quamlibet aliam causam mater tutrix esse desiisset, probare tamen Lugdovicus debuisset, se in tutela exercenda suffectum eidem a Magistratu fuisse. Ipse enim tutor legitimus non erat, sed dativus, ideoque actum exhibere tenebatur, quo demonstraret collatam ei fuisse tutelam, atque collationem ipsam palam in publicis urbis locis ad omnium notitiam deductam fuisse. Sed quum nihil horum Lugdovicus probaverit, quum immo ipsius persona ignota penitus esset, nullo prorsus pacto fieri valebat, ut ex sola cognominis identitate tutor reapse consereretur, utque idcirco ipsius de citationis defectu querela promota post biennium a judicio coram s. Rota instituto admitteretur. Non enim ad obtinendam circumscriptionem sat est citationis defectum opponere, sed defectus ipse evidenter probandus est juxta vigentis praxeos §. 1047 sanctionem « *Il ricorso per l'annullamento, o circoscrizione non può essere ammesso, se alcuno dei tre difetti annunciati nel* §. 780 *non è chiaramente provato* ». Atque ita, Brunellia tantum, ac Cappellio jura sua deducentibus, decisum est.

Die 3 Septembris 1846 « *In decisis* »

Procuratores — D. Philippus Guarnieri — D. Joannes Baptista Ruggeri

---

Prot. 1198 / 1842 R. P. D. FERRARI Decisio LXIX.

Bononien. Circumscriptionis

Jovis 5 *Februarii* 1846

Argumentum

Eo quod actor, dum facile noscere potuisset reum a pontificia ditione discessum ante promulgationem codicis gregoriani, Mediolani lares fixisse, eumdem per affixionem vadatus fuit, petitur circumscriptio actorum ex defectu citationis.

§ 1. Creditum comitissa Elisabeth Cecchetti jactabat erga Antonium et Carlottam Cosetti in scut. 575; quum judicio eos provocavit coram tribunali primarum actio-

num Bononiae, ut illam summam persolverent. Dicam, Antonio misit in oppido Bazzani, ubi lares habebat. Ignorare vero finxit Carlottae domicilium; proindeque eam vadata est, veluti, ac si esset *d'incognito domicilio*, affixa citatione ad valvas tribunalis, eaque postea relata in ephemeridibus bononiensibus. Sicuti vero aut notum omnibus erat Carlottam usque ab anno 1821 habitationem suam transtulisse Mediolanum, aut comitissa facile poterat factum hoc cognoscere, ita citationis exemplar mittendum erat Praesidi provinciae, ut ita per organum ministeriale in ejus manus perveniret. Qua substantiali forma neglecta factum est, ut Carlotta penitus indefensa damnaretur sententia tribunalis Bononiae, quae exequutioni quoque super domo ad eamdem pertinente commissa fuit. Ut tanto vulneri medelam afferret, confugit ad nostrum Ordinem postulans circumscriptionem actorum tum ex defectu citationis, tum ex defectu mandati. Sed PP. posthabita mandati querela rescribendum esse existimarunt « *Circumscriptis per viam nullitatis ex defectu citationis omnibus gestis coram tribunali civili Bononiae in primo turno, partes utantur juribus suis* ».

§ 2. Nam toties patet citationis defectus, quoties « *fu omessa la citazione introduttiva del giudizio, ossia quando il reo convenuto non fu citato in principio della lite, nè in persona, nè al domicilio, nè alla sua dimora, nè in altro luogo determinato dalla Legge* », uti totidem verbis sancitum est in §. 781 *del regolamento legislativo, e giudiziario*. Jam vero exploratissimum erat, comitissam, neque personaliter, neque in domicilio, vel habitatione Carlottam vadatam fuisse, sed citationes judictae ei fuerunt ope affixionis ad valvas curiae bononiensis, et insertionis in ephemeridibus, qui modus dicendi diem tunc solum a lege permissus est, quum rei conventi domicilium ignotum esset, sed trahi non potest ad casum, in quo innotescat ubi ille moram ducat. Contra comitissa aut sciebat, aut scire poterat Carlottam lares suos jamdiu ab anno 1821 Mediolanum translulisse; ideoque citanda erat « *alla sua dimora* » normis servatis a §. 485 constitutis; nimirum mittenda erat « *una copia dell'atto di citazione al Preside della provincia, ed in Roma all'Assessore della direzione generale di polizia; l'uno, e l'altro apporrà il suo visto sull'originale e trasmetterà la copia alla Segretaria di Stato, affinchè la medesima per la via ministeriale, e senza alcuna formalità di giudizio pervenga nelle mani dell'estero, e dell'assente* ».

§ 3. Quum itaque in facto liqueat rationem hanc a lege praescriptam servatam non fuisse, acta omnia gesta coram Tribunali Bononiae ex defectu citationis corruant oportet. Nam simplex affixio ad valvas curiae, et insertio in ephemeridibus satis esse nequibant, ut judicii scientia ad subditum pontificium in extera morantem ditione perveniret; sapientissime itaque lex voluit, ut per organum ministeriale citatio ad eum mitteretur. Si igitur media illa comitissa neglexit a lege indigitata, quibus judicii notitiam Carlotta habere posset; si igitur citationem scire nequivit, adempta fuit defensionis potestas; proindeque manifestissimus est citationis defectus. Nam idem est aliquem non citare, vel indebito illegitimoque modo citare. Nam utroque casu indefensus manet reus; id quod nec humanae, nec divinae leges patiuntur, uti *post Ubertum de citationibus cap.* 13 *num.* 10 *et* 14 docuit *s. Rota in Pisauren. seu Mediolanen. circumscriptionis* 12 *junii* 1826 §. 11 *cor. Cardinali Patrizi*, et docuit quoque noster Ordo in *Ferrarien. circumscriptionis* 30 *aprilis* 1840 §. 4. *cor. R. P. D. meo Arnaldi.*

§ 4. Has praxeos regulas impugnare non videbatur comitissa tuta in eo, ut excluderet onus investigandi Carlottae domicilium; sed haec defensio PP. minime arrisit. Nam primum probe noscebat Carlottam Mediolanum ivisse, ut in ea civitate stabilem habitationem haberet. Quum enim judicio anno 1837 eam provocavisset pro solutione fructuum, illius frater tam proprio, quam sororis nomine terminum ad solvendum postulavit, qua occasione ei significavit sororem suam Mediolanum domicilium suum transtulisse, et civem mediolanensem factam fuisse « *di Milano.* » Satis ergo superque anno 1839 comitissa noverat illam habere domicilium apud exteros in civitate Mediolani; idque noverat ex recenti fratris declaratione. Ignorantia igitur nimis affectata visa fuit; proindeque nullo in pretio habenda, ut illegitima citationis ratio excusari posset.

§ 5. Ceterum non negabat, neque negare poterat comitissa Carlottae domicilium adeo ignotum sibi fuisse, ut eam vadata fuerit *per affixionem*. Verum antequam hunc citandi modum eligeret, censum bononiensem perquirere debebat, ex quo innotuisset, quod Carlotta usque ab anno 1820 discesserat *per Milano*; perquirere debebat acta « *della Polizia Provinciale* » ex quibus quoque novisset, quod Carlotta Mediolanum se transtulerat. Quae investigationes peragendae omnino erant. Nam ut quis valeat per affixionem alterum citare, satis non est ignorantis domicilii, sed ea opus ignorantia, quae vinci nequeat diligentiis adbibendis aut apud censum civicum, aut apud « *la Polizia Provinciale.* » Quocirca si actrix has investigationes neglexit, ex quibus scire poterat quod rea in civitate Mediolani moram ducebat, per organum ministeriale citanda erat; quod quum factum non fuisset, acta consistere nequeunt.

§ 6. Neque Carlotta tamquam domicilium habens in ditione Pontificia considerari poterat, quia ad sancita in §. 426 codicis gregoriani nunquam declaraverat apud acta tribunalis civilis, aut sui judicis animum moram sub alio imperio ducendi. Nam ea discessit a Pontificiis terris anno 1821 quo tempore leges pianae obtinebant, quae hanc declarationem minime imperabant. Si igitur tunc ad illam explendam obstricta non erat, si tempore quo latae fuerant leges gregorianae jam absens erat, et larem Mediolani fixerat, nova lex eam minime obligabat. Dat enim formam futuris negotiis, sed ad facta praeterita minime revocatur; uti expressum est *textus in leg.* 7 *cod. de legibus.*

§ 7. Quum itaque manifestus esset citationis defectus, PP. immorandum non censuerunt in altero mandati defectu, qui valde implexus visus fuit, ex eo quod Franciscus Matthaejus verus procurator existimari poterat ex antiquo, quo pollebat mandato ab eo repetito. Et ita etc. utraque etc.

Die 2 Aprilis 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Raphael Borghi

Prot. 170 / 1845 R. P. D. PACCINELLI DECIS. LXX.

PISAUREN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM SUPER FRUCTIBUS

Veneris 13 *Februarii* 1846

Argumentum

In disceptatione super requisitis castrensibus, agitur de privilegio argentariorum sibi vindicandi fructus ex sterili pecuniario credito; de incerta vel litigiosa crediti qualitate, et de mora debitoris.

§ 1. Judicio per remjudicatam coram maceratensi appellationis aula absoluto super solutione libellarum 20000 quas vindicavit Guillelmus Levi adversus fratres haeredesque Samuelis Della Ripa in vim epistolii, antequam Samuel ipse Lutetiae Parisiorum sibi mortem conscisceret, ita conscripti « *io vi devo* 20000 *franchi* . . . . . . *I miei cari fratelli vi pagheranno* », aliud et idem Levius, licet jam solutione capitis assequuta, instituit vadimonium pro fructibus, quorum condictionem in primaevo usque libello reservatam tunc praefinivit in scut. 2116: 22 hoc facto discrimine « *in quanto a scudi* 1557: 57 *per frutti legali in ragione del sei per cento ed anno dal giorno* 4 *ottobre* 1829 *sino al giorno* 22 *aprile* 1836 *epoca, in cui per l'aumento del frutto vennero interposti i requisiti castrensi, ed in quanto a scudi* 656: 65 *pel rimanente frutto in ragione dell'otto per cento, ed anno dal detto giorno* 22 *aprile* 1836 *sino al giorno* 11 *luglio* 1838 *giorno in cui venne soddisfatta la sorte* ». Infausto tamen Levius pugnavit omine: altera enim rejudicata in eodem tribunali exorta actoria instantia ad diem usque indictae prioris reijudicatae ivit penitus reprobata. Nec quidquam Guillelmo profuit ad

supremum nostrum Tribunal confugere expostulando in integrum restitutionem: namque ejus petitio responso « nihil » fuit dimissa.

§ 2. Animadvertebant siquidem Patres restitutionem in integrum, quae aliqua intercedente legis violatione efflagitatur, non ex quocumque titulo, vel ex qualibet fure clargiendum causa, sed tantum « *qualora il ricorrente dimostri la ingiustizia manifesta della cosa giudicata* », ceu scriptum est in §. 1057 vigentis praxeos. Ex quo autem fonte dimanare debeat istbaec manifesta reijudicatae injustitia, in sequenti §. 1058, ducto canone *a leg.* 19. *ff. de appellat.*, sic legumlator sapientissimus statuit « *deve risultare dall'essersi espressamente contravvenuto ad una legge in vigore* ». Fit inde, ut extraordinarium restitutionis in integrum beneficium potius legis, quam litigantium favore inductum hoc in casu doceat gregorianus codex, qui in hac parte juris antiqui dispositioni plaudet *in leg.* 1 §. 2 *ff. Quae sentent. sine appellat.*, *et leg.* 32 *ff. de rejudic.* Seclusa igitur vigentis alicujus legis manifesta violatione, vel salebrosa aut conjecturali accedente controversia, merito tum ex neoterici juris sanctione, tum ex constanti nostri Ordinis disciplina perpetuo memoratum beneficium fore rejiciendum munent prae caeteris *Romana seu Æsina restitutionis in integrum* 7 *decembris* 1837 §. 11 *coram R. P. D. meo Ferlisi*, *Ferrarien. restitutionis in integrum* 21 *junii* 1838 §. 6 *coram Amici*, *et Romana seu Viterbien. restitutionis in integrum* 21 *augusti* 1845 §. 2 *coram R. P. D. La Grua*.

§ 3. Porro in themate dum ullam manifeste violatam fuisse legem Levius ipse ostendere nequibat, luculentissima e contra exurgebat reijudicatae justitia. Guillelmi namque creditum libellarum 20000 in fratres atque haeredes Samuelis della Ripa uriebatur ex uno tantum epistolio, quod Samuel ipse priusquam se morti daret, ita conscripsit « *io vi devo ventimila franchi. . . . . . . I miei cari fratelli vi pagheranno.* » Ex hoc igitur epistolio non aliud proficisci poterat, nisi creditum Levi favore ut mere pecuniarium, quodque propterea ex ipso tantum corpore, et procul ex alia qualibet causa usuras gignere nullo modo poterat. Quare resjudicata jure optimo fructus Levio petenti denegavit in capite libellarum 20000, utpote quod praeseferens creditum mere pecuniarium, ac proinde de natura sua sterilissimum, fructus parere nequaquam valebat ad textum *in leg.* 131 *ff. de verb. signif.*; *Rich. in jurisprud. univers. tom.* 9 §§. 1051 *et* 1053; *Rota in Caesenaten. pecuniaria* 5 *julii* 1819 §. 3 *coram Martinez*; *in Senogallien. executionis contractus quoad fructus* 3 *junii* 1820 §. 3 *coram Tiberi*; *in Forolivien. pecuniaria* 23 *julii* 1829 §. 9 *coram eminentissimo Falconerio*; *in Maceraten. pecuniaria* 23 *februarii* 1825 *coram R. P. D. Marini*, *et in Auximana pecuniaria* 12 *januarii* 1835 §. 8 *coram eminentissimo Corsi*. Idemque recentissime confirmavit supremus hic Ordo *in Romana restitutionis in integrum* 14 *maii* 1840 §. 2 *coram R. P. D. meo Ferlisi*.

§ 4. Nec ad vindicandam reijudicatae manifestam injustitiam Levio proderat mercatoris ac negociatoris qualitatem in medium proferre, ut sarcta tectaque jura sibi ostendere posset ad fructus condicendos. Seposita namque qualibet indagine, quam sibi altiorem postulare posset jactata Levi qualitas, Patres prospexere, Guillelmo licet inter mercatores ac negociatores adnumerato, fructus citra labem usurae minime deberi super credito mere pecuniario, et de natura sua infructifero, eum praesertim nulla per Levium afferretur concludentissima probatio de damno intercesso, deque lucro reapse deperdito, ut in similibus tenuit constantissime Rota *in Anconitana pecuniaria* 3 *julii* 1778 §. 7 *coram Origo*; *in Camerinen. condictionis indebiti* 27 *junii* 1696 §. 5 *coram Guardoqui*; *in Anconitana seu Senogallien. fructuum dotis* 7 *maii* 1802 §. 10 *coram Caesarei*; *in Romana litterarum cambii super reservatis* 24 *januarii* 1803 §. 7 *coram Guardoqui*; *in Romana pecuniaria* 22 *junii* 1821 §. 11. *coram Gamberini*; *in Bononien. fructuum quoad legatum Frizzati* 26 *novembris* 1827 §. 6. *coram eminentissimo Patrizi*; *in Romana cambii* 27 *junii* 1836 §. 6 *coram R. P. D. Muzzarelli*. Unis tantum argentariis, in quorum numero certe Levius non est, juris nostri aequitas interdum indulsit

ex sterili ac pecuniario credito sibi fructus posse vindicare, *Navell.* 136 *cod. de argentar. contract. cap.* 5 *in fine; Gudelin de jure noviss. lib.* 3 *num.* 8 *et* 13; *Rota in Romana census* 30 *martii* 1781 §. 9 *coram Sentimanat, et in Romana seu Massilien. litterarum cambii* 12 *maii* 1815 §. 7 *coram Tassoni.* Mercatoris igitur, et negociatoris qualitas minime confundenda erat cum argentarii illa ad privilegia praesertim protrahenda contra certissimam regulam, quae monet jura singularia non egredi posse personam *leg.* 1 §. *ult. ff. de vi et interpretat. privileg. et leg.* 9 §. *ult. ff. de public. et vectigal.*, contraque eamdem juris censuram, qua sacer Ordo propositam sequens distinctionem inter mercatores, et argentarios recentissime usus est ad denegandum beneficium restitutionis in integrum, ceu videre est *in Romana restitutionis in integrum* 14 *maii* 1840 §. 3 *coram R. P. D. meo Ferlisi.*

§ 5. Deterius pariter Levius objiciebat remjudicatam manifeste in legem peccasse, saltem quia sibi ipsi fructus quoque denegavit *a die* 22 *aprilis* 1836 in quo castrensia requisita interjecit, *ad diem usque* 11 *julii* 1838 in quo caput libellarum 20000 fuit reapse persolutum. Ad vindicandos siquidem fructus ope castrensium requisitorum praesto erat animadvertere sic cautum fore in §. 1619 vigentis judiciariae praxis « *I requisiti del Castrense potranno interpellarsi perchè divenga fruttifero un debito certo, e liquido, e che sia scaduto* ». Quidquid ergo esse posset de crediti liquiditate, ac de die, quae licet in epistolio non apposita, tamen pro effectu solutionis venisse confestim videbatur, ex quo Samuel ipse se morti dedit, juxta Pomponii monitum *in leg.* 14 *ff. de reg. juris*, id tamen non satis erat ad condicendos fructus ex interpositione castrensium requisitorum, cum Levi creditum *certum* nullo modo dici poterat, antequam judicio probaretur. Etenim recens, qua moderamur, lex statuit ad assequendos fructus ex castrensium requisitorum interpellatione non unum et alterum extremum, sed tria insimul in debito concurrere debere, nempe debitum fore « *certo, liquido, e che sia scaduto* » doctrinamque istiusmodi jam apud omnes usque receptam tradit *Rota in Romana fructuum* 5 *maii* 1823 §. 3 *coram Martinez del Campo.*

§ 6. Quod autem Levi creditum de tempore interpellationis castrensium requisitorum nullo modo *certum* dici poterat, hauriebatur ab investigatione ortus ejusdem crediti, quod originem ducebat ab informi quodam epistolio Samuelis ipsius della Ripa manu conscripto priusquam sibi mortem consciscerct. Quaestionem igitur implexam ac involutam illud praeseferebat epistolium, cum investigare ageretur quanti ipsum a suicida exaratum faciendum esset, utrum auctor tunc foret compos sui, tandem quid valere posset illa obligatio « *di franchi* 20000 » omni necessaria causa prorsus destituta. Quod adeo verum est, ut Levius ipse sui boni juris non ita bene conscius principem causam in judicium septennio quasi post Samuelis mortem deducere distulerit. Hisce accedit solemne Pisauri primae actionis tribunalis factum, quod non obstante titulo scripto in quaestionis exordio gravitatem agnoscens decrevit « *che la presente causa sia iscritta nel ruolo ordinario.* » Tandem maceratensis appellationis aula non ita facile creditum Levi certum agnovit, vix ubi in facto compertissimum est opinionem pandidisse argumentis non utique spernendis innixam super inefficacia obligationis, ac super infirmatione provocatae sententiae. Abhorrebat itaque praesenti specie quaelibet exceptio per Levium proposita super mala fide fratrum haeredumque della Ripa, dum constat ipsos non tergiversandi animo solutionem distulisse, vel dolo malo pro facienda mora provocasse ad judicium, sed justam ac probabilem habuisse litigandi causam, et jura propria in quaestione nimis ardua ac difficili, ut par erat, experirentur. Haec itaque omnia sufficiunt ut quaelibet excludatur debitoria mora *leg.* 63 *ff. de reg. juris, et leg.* 21, 32 *ff. de usur.*; sine qua fructus, licet castrensibus interjectis requisitis, nequaquam consistere posse scribunt *Gothofred. in corpore jur. civ. lib.* 22 *tit.* 1 *de usur. et fruct.; Cujac. comment. in tit.* 17 *de divers. reg. jur. ad leg.* 63 *qui sine dolo tom.* 6 *edit. Prati pagin.* 1899; *et in recitation. ad eumd. tit. in eadem leg. tom.* 6 *pag.* 206; *Gratian. discept. for.* 42 *numer.* 23; *De Marin. resolut. jur. cap.* 109 *num.* 4

et seq.; Mantius consult. 58 *numer.* 5 *et* 52; quibus concinit Rota *in Romana cambiorum* 26 *martii* 1700 *coram Muto, et in confirmat.* 14 *februarii* 1701 §. 1 *et seq.; in Bononien. damnorum* 1 *junii* 1808 §. 7 *coram eminentissimo Falconerio; in Romana fructuum* 5 *maii* 1823 §§. 3 *et* 5 *coram Martinez del Campo; in Romana liquidationis damnorum super fructibus requisitorum castrensium* 12 *maii* 1823 §§. 3, 4 *et* 7 *coram Tiberi; in Nepesina super solutione fructuum* 20 *martii* 1827 §. 2 *coram Ruspoli; et in Perusina fructuum* 5 *junii* 1835 §. 2 *coram R. P. D. Muzzarelli.*

§ 7. Atque incassum Levius regereret justam ac probabilem litigandi evanuisse causam, simul ac perfecta resjudicata in lucem prodiit, quae eodem tempore quo in fratres haeredesque della Ripa controversae obligationis adimplementum, et controversi debiti solutionem decrevit, retrotrabenda esse videbatur ad omnes juris effectus ad eam diem, qua judicium caeptum fuit, quaque requisita castrensis interposita fuerunt, eoque magis, quia in casu isto dubietas non resultavit tota *ex facto*, sed praecipue *in jure* constitit, cujus ignorantia neminem excusat. At Patres prae eorum sapientia animadvertere putarunt non litis exitum utut infelicem semper inspici debere pro dignoscenda justa litigandi causa, cum ille nil aliud sit quam simplex conjectura, quae tunc solum admittitur, quando aliae urgentes circumstantiae concurrunt ostendentes litem susceptam fuisse a debitore pro differenda solutione. Sed de hoc in casu non constat: quin imo comprobata remanet materia nimis dubia, ac maxime involuta, quae proinde dum dubietati et ignorantiae facti aequiparanda venit *cap. cum dilectus de consuetud.; De Marin. resolut.* 92 *numer.* 10; *Magan. dec. luc.* 59 *numer.* 22; *Rota in Romana cambiorum* 14 *februarii* 1701 §. 5 *coram Muto* excusat fratres haeredesque della Ripa a qualibet culposa mora, et ab acerba nimis usurarum actione, uti respondet Rota *in Romana cambiorum* 14 *februarii* 1701 §. 4 *coram Muto, in Romana fructuum* 5 *maii* 1823 §. 6 *coram Martinez del Campo, in Romana liquidationis damnorum super fructibus requisitorum castrensium* 12 *maii* 1823 §. 4 *coram Tiberi, et in Romana fructuum* 12 *maii* 1823 §. 9 *coram emo De Cursiis.* Caeterum cum in praesenti, qua versamur specie, res sit non de impediendo usurarum cursu ac de inducenda saltem compensatione, sed de odiosissimo effectu adstringendi succumbentem ad praestandas usuras, hinc visum est reijudicatae retrotractionem minime sibi posse locum vindicare per ea, quae secernendo casum a casu edocet Rota in jam citata *Romana cambiorum* 14 *februarii* 1701 §. 6 *coram Muto, et in Romana fructuum* 5 *maii* 1823 §. 5 *coram Martinez del Campo.*

§ 8. Tandem ad ostendendam reijudicatae manifestam injustitiam Levio inutile prorsus erat contendere quaestionem super fructibus non juxta pontificias leges, sed ad gallici juris normam fuisse definiendam. Praeterquam quod enim in facto valde incertum est utrum obligatio, de qua quaerimus, Lutetiae Parisiorum orta sit, vel ibi a Samuele per illud epistolium ejusdem obligationis peracta tantum confessio, non idcirco diversa sors Levium manebat. Gallorum namque codex dum *sub articul.* 1246 ita praescribit « *I danni ed interessi sono dovuti, quando il debitore sia in mora di eseguire la sua obbligazione* », in subsequenti artic. 1153 sic sese habet « *Questi danni ed interessi non sono dovuti se non dal giorno della domanda, eccettuati i casi, in cui la legge dichiara, che debbano ipso jure decorrere* ». Cum itaque Levius non doceat suum creditum in legis exceptione consistere, ita ut fructus « *debbano ipso jure decorrere* » inspiciendum idcirco est utrum fuerit « *il debitore in mora di eseguire la sua obbligazione* » et quanam sub die transmissa fuerit per Leviem petitio pro fructibus; nam « *questi danni ed interessi* », sic lex praecipit, « *non sono dovuti se non dal giorno della dimanda* ». Sub cujus dictione venire non capitis, sed fructuum petitionem exploratissimum est, Gallorum inspecto jure, veluti tradunt *Merlin in repert. univers. sub verbo* « *Interessi* » §. 4 *numer.* 6; *Rogron dans le cinq. codes explique à l'art.* 1153 *du cod. civil, et Paillet dans le manual de droit civil. liv.* 3 *tit.* 3 *à l'art.* 1153. Verum extra omnem dubietatis aleam evadit capitis solutionem a fratribus haeredibusque della Ripa peractam fuisse Levio *sub die* 11 *julii* 1838, petitionem e contra per actorem pro fructibus assequendis non ante diem 17 *septembris* 1839 extitisse transmissam. Quare juxta quoque leges gallicas resjudicata merito fructus denegavit, cum inutilis fuisset petitio post assequutam libellorum 20000

solutionem, quae docebat de tempore petitionis fructuum minimo fuisse « *il debitore in mora di eseguire la sua obbligazione.* » Nulla itaque debitoris mora respectu gallicarum legum, quaeque praeterea numquam in Gallico regno, sed in uea tantum ditione Pontificia, in qua fieri solutio debeat, debitorumque domicilium extabat, verificari poterat, quaeque proinde pontificia moderanda erat dumtaxat legibus ad concedendos vel denegandos moratorios fructus, ceu ad rem *post text. in leg.* 3 §. *ultim. ff. de act. empt. et vendit.* animadvertit *Merlin in suo repert. univers. sub verbo* « interesse » §. 4 *num.* 7. Et ita utraque etc.

Die 2 aprilis 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Henricus Giusti — D. Antonius Vasselli

Prot. 52/1845 R. P. D. LOLLI DECISIO LXXI.

PERUSINA UNIONIS

Veneris 13 *Februarii* 1846

Argumentum

Patet ex titulo.

§ 1. Ob jura, quae eminentissimo principi Ugoni Petro Spinola contra Ruggerum, et Leonellum Goga comitissa Florenzi Genuini, et quidam Brutti cesserunt, vir eminentissimus latifundium « *di Torgiano* » ad eosdem Leonellum et Ruggerum pertinens veno posuit, illudque sibi adjudicavit. Huic venditioni adjudicationique obstitit nobilis mulier Virginia Perotti Goga latifundii condomina. At frustra: siquidem compertum erat etiam ipsam in instrumento diei 24 junii 1837, quod exaraverat Perusiae notarius Ciuffetti quamplures obligationes erga comitissam Florenzi Genuini et Bruttios, aliosque eorumdem Leonelli et Ruggeri creditores suscepisse. Unum quod Virginia valuit obtinere, hoc fuit, ut in pratopraniae judicio judices perusini illi facultatem reservarent agendi seorsim de ejusdem instrumenti nullitate, imperato interim deposito pecuniae, quae illis obligationibus responderet.

§ 2. Quod Virginia concessum, hoc ipsum tributum fuit minorenni Francisco Goga Leonelli filio, qui et ipse in eodem instrumento 24 junii 1837 quasdam obligationes erga eosdem creditores Genuini, et Brutti susceperat. Itaque minorennis Franciscus primus de nullitate instrumenti questus est, et eo quia inter Bruttios aderat clericus Annibal, coram generali vicario Perusiae instituit « *per sentir dichiarare la nullità dei patti, convenzioni ed obbligazioni emesse dall' istante a favore dei citati* (Bruttios nempe et Genuiniam) *coll' istrumento* 24 *Giugno* 1837 *rogito Ciuffetti* ». Non multos post dies etiam Virginia Perotti Goga apud R. P. D. Camerae auditorem, quippe inter reos conventos recensebatur eminentissimus cardinalis Spinola, et hunc una cum Bruttis, et Genuinia vadata est « *per sentir dichiarare la nullità dei patti, convenzioni, o obbligazioni emesse dall' istante in favore dei detti sig. Genuini e Brutti coll' istromento* 24 *giugno* 1837 *rogito Ciuffetti ec.* » Duobus hisce institutis judiciis cum de eorum connexione ambigi non possit, comitissa Genuinia venit ad acta generalis perusini vicarii, ibique ad nostrum Ordinem recursum interposuit, ut causa ab eo judice avocaretur, et uniretur cum altera coram R. P. D. auditore A. C. instructa. Vix recursus hic fuit indictus, statim Franciscus Goga, et Virginia Perotti Goga illum accepto habuerunt quorum exemplum deinde secuti sunt Annibal et Lugdovicus Brutti, Amalia Rosellini Brutti, nec non eminentissimus cardinalis Spinola, et omnes declararunt acceptasse recursum, et nolle amplius apud supremum hoc nostrum tribunal de unione contendere. Quapropter postulatam unionem R. P. D. auditor probavit assueto decreto « *obtinuit ad formam declarationum.* »

§ 3. Re huc usque perducta innotuit Virginiae Perotti Goga recursum illum a Genuinia indictum haud fuisse Julio Brutti qui et ipse in causis interesse habebat, quapropter

ne ex hujusmodi omissioue actorum processus vitiaretur, recursum praedicto Julio indixit, eumque apud nos iu jus rapuit « *in sequelam recursus interpositi a domina comitissa Lavinia Genuini Florenzi, et ipsi citato jam notificati, jam ab aliis omnibus litis consortibus ad formam legis acceptati pro petita unione causarum de quibus agitur coram R. P. D. auditore Camerae, sive illustrissimo domino advocato Sarzana, praevia avocatione causae penden. coram vicario generali Perusiae videre etiam quoad citatum Julium Brutti decerni, ac declarari eamdem unionem, et avocationem praedictarum causarum, ut procedant, et expediantur ad formam supradicti recursus.* » Proposita itaque hac maue quaestioue, Julio vadimonium deserente, Patres mei rescripserunt « *pro informante* », nempe « *eidem R. P. D. Camerae auditori in statu, et terminis.* »

§ 4. Certissimum in jure est, quod causae quae connexae sunt, quaeque coram diversis judicibus aguntur, uniri una simul debeant, ne causarum continentia dividatur, ac sententia oriatur contra sententiam. Ita tradit jus nostrum *in leg.* 10 *cod. de judiciis*, ac sancitum reperitur tum in piano tum in leonino cod. §. 525, atque in ea, qua ad praesentem diem regimur gregoriana praxi §. 1050, scriptum litteraliter legitur « *Quando una causa medesima, ovvero più cause connesse, o l'una dall'altra dipendente sono introdotte avanti a diversi giudici, o tribunali, ha luogo il ricorso per l'avocazione, e riunione di esse avanti un sol giudice, o tribunale, affinchè da uno solo siano decise* » et prosequitur « *sono connesse e dipendenti le cause, che hanno una stessa continenza, cosicchè il farle decidere da diversi giudici produrrebbe contrarietà di giudicati* ».

§ 5. Quin vero causae, de quibus agitur, counexae sint, etiam dubitari non potest. Etenim quaestio quam Franciscus excitavit apud Perusiae vicarium eo tendit ut declararetur « *La nullità dei patti, convenzioni, obbligazioni emesse dall'istante a favore dei citati coll'istromento dei 24 giugno* 1837.» Et Virginia apud R. P. D. Camerae auditorem punctim judicium instituit « *per sentir dichiarare la nullità dei patti, convenzioni, o obbligazioni emesse dall'istante a favore dei detti signori Genuini e Brutti coll'istromento 24 giugno* 1837.» Cum igitur tam apud vicarium Perusiae, quam apud R. P. D. Camerae auditorem quaestio sit *de nullitate obligationum*, quae tum Franciscus, tum Virginia eodem illo iu instrumento 24 junii ex eadem causa, eosdem erga Bruttios et Genuiniam susceperunt, jam sequitur coram diversis judicibus *idem circa subjectum* litem verti, quo in casu semper connexio causarum apprime patet, ceu post *Carneval. de judiciis disput.* 1 *num.* 3 *et seq.* docuit Ordo noster *in Romana pertin. causar.* 12 *julii* 1827 §. 2 *cor. Cioja.*

§ 6. Probata hac causarum connexione certo certius decernenda erat unio causarum juxta censuram legum, quae superius allatae reperiuntur. Et ita etc. altera etc.

Die 2 aprilis 1846 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Pontianus Desantis. — . . . .

Prot. 2290 / 1840 R. P. D. FERLISI Decisio LXXII.

Sabinen. Circumscriptionis et Appellationis

Jovis 5 Martii 1846

Argumentum

De novatione - De periculo rei depositae, vel pignori datae - De fide quam ratiocinatorum testimonia, circa ea quae ad eorum spectant officium, in judiciis sibi vindicant.

§ 1. Defuncto ex singulari infortunio, atque inter aedium suarum ruinas, dum iu suo Gabiniani feudo morabatur, marchione Philippo Simonetti, judicio illius filiae et haeredes coram A. C. Grimaldi egere, tum adversus Gregorium Gregori, qui ad februarium usque mensem anni 1824 bona cuncta iu eodem oppido ad defunctum spectantia

conductionis nomine retinuerat, tum adversus Henricum Scarinci solidalem illius fidejussorem, solutionem urgentes scutorum 735 et obul. 35 seu verioris alterius summae pro residuo affictus dictorum bonorum sibi debitae. Licet autem petitionem hujusmodi *bonificatis solutionibus* pluribus a reis conventis adductis, quoad summam tantum sc. 403. 61 innocentianus judex excreverit, provocatione tamen interjecta ad Ordinem nostrum secundum praxeos leges per id temporis vigentes ii convolarunt, vel acta cuncta coram A. C. Grimaldio gesta circumscriptionis gladio deleri, vel suspensivam sibi appellationem concedi postulantes. Proposita vero in comitiis diei 23 julii 1829 causa, ac vadimonium reis conventis omnino deserentibus, contumaciale prodiit rescriptum « *Nihil de circumscriptione, in reliquis sine praejudicio et omnes* »; quod post diuturnum annorum septem supra decem silentium, ob generalem creditorum concursum super haereditariis marchionis Simonetti bonis interea temporis coartum, ad trutinam tandem hodie revocatum albo undique calculo ope clausulae « *in decisis* » meruit comprobari, dato mihi munere resolutionis momenta enucleandi.

§ 2. Et quod ad circumscriptionem primum pertinet, vel ipse reorum defensor ejusmodi spartam hodierna die omnino deserebat, suoque proinde eloquentissimo facto fatebatur, nullum ex triplici nullitatis vitio in themate occurrere, quod actorum circumscriptioni sterneret semitam. Quod vero ad appellationem, de summario et exequutivo agebatur judicio super conventae annuae pensionis solutione instituto, ac nedum scriptis locationis tabulis, verum cameralis etiam obligationis formulae anno 1815 adhuc in foro vigenti, in iisque adjectae, innixo, quod suapte quidem indole suspensivae appellationis respuebat beneficium.

§ 3. Extrinsecae autem judicii indoli intima etiam accedebat editae sententiae justitia. Quod enim primo loco Henrici tuebantur haeredes, ex posterioribus nimirum tabulis marchionem inter Simonetti, illiusque conductorem Gregorium anno 1819 obsignatis anteriorem, ac solidalem Henrici obligationem seu fidejussionem, novatam, et extinctam fuisse, commentum erat, quod et cum apertissima legis dispositione et cum solemni conventionis lege e diametro prorsus pugnabat. Quod unum enim in tabulis iis cautum partes inter fuerat, ad id cohibebatur quod pro majoris locatoris securitate in illius borreis deponere teneretur conductor fruges fere singulas ex locatis bonis provenientes, easque stata die, si emptorem non reperiret conductor, vendere locatori liceret « *a quel prezzo reperibile, che troverà, per saldarsi della corrisposta scaduta* ». Verum deerat primum in themate explicita partium conventio, qua « *contrahentes ipsi specialiter remiserint priorem* », ac veterem Henrici obligationem; quod unum quidem satis erat superque ad assertam excindendam novationem. Scitissimum quippe in jure est, procul ab explicita partium conventione, ac declaratione nunquam tacite inductam novationem censeri, veluti litteralis edocet textus in notissima *leg. ultima cod. de novationibus*. Nedum autem declaratio ea omnino deficiebat, verum conceptis imo verbis in eodem actu fuerant expressim contrahentes professi « *che con questo atto non venga fatta alcuna innovazione ai patti tutti convenuti nell'istromento di affitto* »; quae sane verba futile novationis commentum prorsus explodunt ad passim tradita per *card. De Luca disc.* 32 *n.* 11, *et disc.* 67 *n.* 3 *de credito; Gratian. disc. for. cap.* 509 *n.* 16; *Rot. dec.* 165 *n.* 8 *p.* 14 *rec.; cor. Molines dec.* 984 *n. ult., et cor. Lancetta dec.* 1370 *n.* 5.

§ 4. Nec melioris quidem erat furfuris exceptio altera ab Henrici haeredibus proposita, ex eoque hausta, quod corruentibus anno 1853 Gabiniani aedibus ad marchionem Simonetti spectantibus inter palatii ruinas, quae infausto ejusdem funeri causam praebuere, fruges etiam plures deperierint ad conductorem Gregori pertinentes, et in locatoris borreis ex pacti conventi lege, aut pignoris etiam loco depositae. Nil enim vulgatius in jure, quam si fortuito casu res depositae, vel pignori etiam datae perierint, damnum ex hujusmodi casu derivans, non ad eum pertinere, qui depositum, vel pignus acceperit, sed ad unum earum dominum, veluti post apertissimos textus *in l.* 1 *c. depositi vel contra, l.* 5 *ff. de pignor. act., et l.* 8 *cod. eod.* universa juris-consultorum edocet schola-

Erat hinc scurrile, et nugatorium depositarum rerum periculum ac detrimentum Philippi haeredibus, vel ejus creditoribus hodie imputare, prout futile, ineptumque erat de assertis frugibus a Philippo divenditis rationes ab iis exigere. Nullum enim praesto erat monumentum, unde compertum fieret, jure sibi in tabulis anni 1819 tributo depositas vendendi fruges usum cum unquam fuisse, quod unum satis, ut gratuita contraria asseveratio despici omnino mereretur.

§ 5. Quod demum tertio loco Henrici subiiciebant haeredes, vel de locatoris credito ex privato ipsius ratiocinatoris testimonio apud A. C. Grimaldinm exhibito non satis constare, vel illius solutionem luculenter undique emergere ex acceptilationibus pluribus apud rmum nostri Ordinis decanum depositis, vero nullatenus congruebat. Quod enim ad crediti veritatem pertinet, misso etiam, ratiocinatorum testimonia in iis, quae ad suum spectant officium, atque ex rationalibus nobilium praesertim familiarum erumpunt apud eos manentibus, plenissimam sibi fidem in judiciis vindicare solere; illud insuper vere peremptorium urgebat in themate, quod locatoris nimirum creditum ex locationis tabulis manabat partes inter signatis, sive ex annua oriebatur pensione scutorum 830 in tabulis iis conventa, cujus proinde veritas procul etiam a ratiocinatoria testimonio satis superque ex iisdem tabulis probata manebat, nisi ejusdem solutionem rei conventi, quibus hujusmodi inerat onus, luculenter evincerent. Quo vero ad assertam nominis hujus extinctionem constabat ex facto, acceptilationes singulas, quas Henrici haeredes in medium hodie proferebant, debitorum favore, et in longe majori etiam pecuniae vi fuisse jamdiu in calculo habitas, atque ex pensionum cumulo detractas, tum ante controversum judicium anno 1829 coram A. C. Grimaldio institutum, tum in ipsamet sententia ab innocentiano judico edita quae *bonificatis* expressim *solutionibus* singulis, locatoris creditum ad argenteos tantum nummos 403, obolosque 81. cohibuit. Et ita etc. utraque etc.

Procuratores — D. Michael Angelus Claudi — D. Petrus Paulus Savelli.

Prot. 198/1845 | R. P. D. LIPPI | Decisio LXXIII.

Bononien. Circumscriptionis

Jovis 5 Martii 1846

Argumentum

Agitur de incompetentia judicis ecclesiastici in causa successionis inter mere laicos instituta, et in qua, ad effugiendam competentis judicis jurisdictionem, Minimorum Coenobium in jus vocatum fuit, quod vel nullum, vel tamquam actor in causa interesse habebat.

§ 1. Ineunte praeterito saeculo, quaedam Catharina Borghi cantatrix operam suam locavit bononiensis theatri redemptori, quo tempore puerum ipsa enixa est, quem se suscepisse declaravit a Camillo ex nobilissima gente Gypsia, qui senatoria tunc dignitate fulgebat. Post nonum aetatis annum baptizatus hic puer fuit, ac, nulla matris mentione facta, dictus est ex Camillo progenitus, nomenque tulit Caroli. Paulo post, mortuo Camillo, ipsius haereditatem, nec non quatuor fideicommissa, quae in familia reperiebantur, adiit Rynaldus ejusdem nepos ex fratre. Carolus vero, obtenta prius a quodam marchione Malvetio natalium legitimatione, vadimonium anno 1784 dixit adversus eumdem Rynaldum, petens Camilli successionem. Sed, lite vix incboata, transactio celebrata fuit Pii VI etiam chirographo, et sacrae congregationis Episcoporum, et Regularium rescripto roborata, quia inter Caroli filios unus recensebatur, qui Minimorum religioni nomen dederat.

§ 2. Per quinquaginta annos istbaec transactio suis stetit viribus; donec Aloysius Gessi Caroli nepos ex Seraphino, ac caenobium Minimorum, apud quos Aloysii patruus

professus fuerat, venia a summo Pontifice impetrata, judicium de transactionis nullitate, et aperitione oris coram s. Rota instituerunt, ut hisce remotis obstaculis, via ipsis ad antiquam successionem vindicandam sterneretur. Sed s. Rota oris aperitionem denegavit, validitatemque transactionis proclamavit. Tunc Aloysius, et Fratres Minimi, relicta in ultimis propositionibus defensione quoad Camilli haereditatem, petitionem cohibuere ad obtinendam tantummodo successionem super fideicommissis comprehensis in haereditate Rynaldi defuncti anno 1784, quo tempore Caroli jam legitimatio intervenerat. De hac tamen petitione, ad quam transactio non referebatur, quacque a libello judicii introductivo extranea prorsus erat, nihil sacrum Rotae auditorium statuere voluit, sed jurium exercitium ipsis reservavit « *si, prout, quatenus, et coram quo de jure.* »

§ 3. In vim igitur hujus reservationis novum Aloysius judicium instituit, postulans successionem fideicommissariam super Rynaldi Gypsii haereditate. Sed hoc judicium non coram civili Bononiae tribunali institutum fuit, quemadmodum actionis indoles, ac reorum conditio expostulabat, sed coram vicario generali anconitani episcopi. Hinc ad supremum nostrum tribunal recursum marchio Joseph De-Buoi, Rynaldi haeres, interposuit, contendens circumscribenda esse ex jurisdictionis defectu omnia coram vicario gesta. Atque haec petitio, Aloysio, ac Fratribus Minimis vadimonium deserentibus, excepta fuit hodie rescripto « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram vicario Anconae cum omnibus inde secutis ex defectu jurisdictionis* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 4. Et sane duplici sub adspectu jurisdictionem vicario defuisse dicendum erat ad propositam controversiam dirimendam, ideoque duplex aderat circumscriptionis ratio. Prima in eo versabatur, quod judicium institutum respiceret haereditariam successionem fideicommissariam juxta testamenta majorum ex familia Gypsia. Hinc fiebat, ut causa non ad anconitanum forum, sed ad bononiense deferenda esset. Perspicua enim est vigentis praxeos §. 441 dispositio « *Saranno introdotte avanti il tribunale del luogo ove è aperta la successione* 1.° *le azioni sul diritto di succedere in tutto o in parte per qualunque titolo alla eredità del defonto, abbenchè siano sequela di una istanza per nullità di testamento.* 2.° *le azioni che nascono da disposizioni fatte dal defonto a causa di morte in favore di qualunque persona* ». At supremum nostrum tribunal idem etiam tenuit, quod semper circumscriptionem decrevit quoties actiones successoriae institutae fuissent in foro diverso ab eo, ubi successio aperta extitisset, prout videre est in *Verulana circumscriptionis* 22 *maji* 1828 *coram Tacchi; in Civitatis Castellanae circumscriptionis* 23 *augusti* 1832 *coram Alessi, et in Bononien. pertinentiae et circumscriptionis* 22 *aprilis* 1841 *coram Caracciolo* ». Atqui dubitari nequibat, familiam Gypsiam, de cujus fideicommissaria successione disceptabatur, esse senatoriam bononiensem, atque ibi lares semper fovisse, bona possedisse, omnesque majores fato cessisse. Ergo causa ad bononienses judices erat deferenda, ita ut quum delata e contra fuerit ad anconitanum generalem vicarium, jurisdictionem huic defuisse dicendum esset, ac circumscribenda idcirco essent omnia coram isto gesta.

§ 5. Sed altera accedebat circumscriptionis ratio in eo posita, quod in re laica aditus esset judex ecclesiasticus, qui nullo pacto fieri valebat judex in causa successionis a laico adversus laicum instituta. Nec quidquam movebat, quod inter reos conventos Minimorum etiam coenobium recenseretur. Nam vadimonium adversus coenobium collusorie, et in fraudem legis excogitatum fuisse videbatur, quia istud aut non erat citandum, utpote a judicio extraneum, aut si quod habebat in causa interesse, id tamquam actor, non tamquam reus habuisset, unde et ipsum ad forum laicum accedere debebat. Et sane incontroversum est, et a supremo nostro Ordine firmiter statutum, ut perperam judex caeteroquin incompetens adeatur, ex quo collusorie, ac in fraudem legis actor vadimonium adversus aliquem dicat, cui fori privilegium competat, quoties id e natura, et indole actionis ad competentem dumtaxat judicem declinandum factum fuisse appareat. Ita in *Ferentina circumscript.* 28 *januarii* 1830 *cor. emo Vannicelli; in Fabrianen. circumscript.* 6 *april.* 1838 *cor. me, et in Romana seu Reatina circumscript.* 10 *april.* 1834 *coram Vannicelli* ».

§ 6. Jamvero patebat coenobium ad judicium vocatum ideo adamussim fuisse, ut fo-

rum ecclesiasticum adiri posset potiusquam civile bononiense tribunal. Judicium etenim institutum respiciebat petitionem haereditatis, in qua actione is profecto citandus tantummodo erat, qui haereditatem possideret, quum actio detur haeredi adversus possessorem; *leg.* 9 *ff. de petit. haered.; leg. potior cod. eodem.; Voet eod. num.* 7.; *Donnell. in comment. ad jus civile l.* 19 *et* 12 *num.* 2. Atqui anno 1784 haereditatis petitae possessio penes familiam De-Buoi reperiebatur. Ergo actio instituta dirigenda dumtaxat erat adversus hanc familiam, minime vero adversus coenobium, quod nihil possidebat, et a quo idcirco nil peti poterat. Quod si istud aliquo jure gaudere existimasset super eadem petita haereditate, hoc efficere potuisset, ut actorem se constituere valeret, minime vero ut tamquam reus judicio vocaretur. Quapropter evidens fiebat, coenobium ideo tantum ad judicium vocatum fuisse, ut nempe causa ecclesiastica evaderet, quae laica ex sui natura omnino apparebat. Aliud insuper collusionis argumentum in eo deprehendebatur, quod coenobii superior, qui coenobium citari absque ulla necessitate sivit, frater sit procuratoris actoris. Quamobrem acta coram vicario generali gesta circumscriptionis gladio delenda erant, quia sive ex actionis institutae indole ac natura, sive quia Minimorum coenobium nullum in causa tamquam reus conventus interesse habere poterat, causae cognitio ad civile bononiense tribunal spectabat, ita ut vehementissima collusionis urgeret suspicio actorem inter, ipsius procuratorem, et coenobii superiorem patratae ad civilis tribunalis jurisdictionem effugiendam, et ad competentem reddendum judicem illum, qui incompetens caeteroquin fuisset. Atque ita, marchione tantum De-Buoi jura sua deducente, decisum est.

Die 23 aprilis 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Petrus Proja — . . . .

Prot. 54 / 1845. R. P. D. LOLLI Decisio LXXIV.

Romana seu Anconitana Circumscriptionis et Restitutionis in integrum

Jovis 26 *Martii* 1846.

Argumentum

De vi inscriptionis vinculi fideicommissarii — De curatore dando futuris vocatis in controversiis fideicommissum respicientibus — De peremptione ex lapsu fatalium juxta sanctionem §. 1062 *codicis gregoriani.*

§ 1. Supremo elogio, quod anno 1752 condidit Antonius Andosilla haeredes instituit fratres Philippum, Didacum, Alexandrum, et Simonem ex praemortuo Julio nepotem, praetermissis penitus Constantia et Catharina ex alio praedefuncto fratre Dominico neptibus, a quarum altera nempe Catharina originem ducit haec foeminarum Teloniarum turba quae nunc est in judicio. Deinde scriptos haeredes universali dividuoque oneravit fideicommisso, quod ad alterius fideicommissi per praesulem Angelum Andosilla centum ante annos instituti regulas conformavit, addito tantum discrimine quoad vocationem personarum, quam arctissime cohibuit ad haeredes supra nominatos eorumque descendentes inquiens « *con espressa dichiarazione, che intendo, e voglio che le dette mie istituzioni, e sostituzioni debbano aver luogo, e proseguire sempre nel modo e termini da me sopra espressi, ed ordinati in cadauno dei colonnelli dei sopra nominati miei eredi istituiti* ». Cum vero omnis Antonii haereditas inde constituta apparuerit bonis sitis *in Serra di Conti*, quod est oppidum in Piceno prope Anconam, in his adamussim bonis fideicommissum constituit, quod ab haeredibus institutis ad eorum filios gradum fecit, scilicet ab Alexandro ad Josephum, a Didaco ad Raphaelem, et a Simone ad Angelum. Hi tres erant substantiae possessores gallorum tempore, quo fideicommissa quolibet vinculo soluta sunt, et eadem manente libertate bonorum. Elato anno 1814 Raphaeli successit filius Philippus junior.

§ 2. Restituto Pontificio regimine, et per motum proprium s. m. Pii VII Romae, et

in provinciis primae receptionis fideicommissis valorem 15000 scutatorum pertingentibus ad vitam revocatis, Andosilli omnes in consilium venerunt inscribendi in archivio hypothecario, quod Romae adservabatur, vinculum fideicommissarium super bonis, quae penes ipsos remanebant ex fideicommisso praesulis Angeli, de quo erit sermo in coaeva mea decisione. Imo comprehenderunt in ea inscriptione etiam bona sita in oppido *di Serra di Conti*, etsi haec ad fideicommissum ab Antonio fundatum, uti vidimus pertinerent, et posita reperirentur in provinciis secundae receptionis, in quibus nunquam fideicommissa reintegrata fuerant. Ex hoc factum est ut etiam bona ab Antonio Andosilla profecta una cum aliis a praesule Angelo profluentibus veluti fideicommissaria haberentur et ad fideicommissariae successionis tramites deferrentur. Et sane sublato Josepho anno 1818 successerunt aequis partibus Angelus, et Philippus. Mortuo deinde anno 1827 Angelo, licet haeredem ex asse uxorem Theresiam ducissam Benedetti instituisset, bona tamen omnia, quae uti fideicommissaria habebantur in manus Philippi coaluerunt, qui inscriptionem vinculi fideicommissarii anno 1828 renovare curavit, reportata etiam venia a sacratissimo Principe ut omnes removerentur difficultates ob neglectam, post mortem Josephi Andosilla, inscriptionis renovationem.

§ 3. Decessit tandem anno 1830 etiam Philippus, et haeredem suam uxorem Catharinam Mercandetti nuncupavit. Haec prima inexistentiam vinculi fideicommissarii suspicata est; quapropter sine ullo discrimine possessionem coepit bonorum omnium, tum eorum quae libera, tum eorum quae fideicommissaria habebantur. Vix tamen capta per Catharinam bonorum possessione, in medium prodierunt Fidelis Teloni, Aloysius pariter Teloni, et comes Fanelli, qui uti descendentes a Catharina filia Dominici Andosilla immissionem ad bona omnia habita fideicommissaria apud A.C. collegium expostularunt, et his spem omnem praecidit, excitatumque judicium dissipavit venerabile asceterium Cordis Jesu apud S. Ruffinam urbis. Etenim ut primum monasterium praesensit, omni nexu esse soluta bona, quae eo usque fideicommissaria fuerant aestimata, cognovit statim horum bonorum medietatem, ex successione mariti ad Theresiam deferendam fuisse non ad Philippum Catharinae conjugem, et auctorem. Quapropter ex juribus Theresiae hanc medietatem bonorum a Catharina vindicavit, vadatis etiam pro omni juris effectu Teloniis, ac Fanelli, qui se se ad ea bona sub specie fideicommissi vocatos esse jactabant. Et ex quo bona, quae uti libera Catharina detinebat a duplici fideicommisso derivarent, nempe ab eo quod praesul Angelus instituerat, et ab altero quod Antonius efformaverat, duplex judicium monasterium instituit, et in primo de Antonii haereditate et bonis in oppido *di Serra di Conti* sitis actum fuit, proposita coram prima sectione tribunalis A. C. instantia « *a sentirsi dichiarare, che la metà de' fondi posti a Serra di Conti di pertinenza di casa Andosilla spetta al monastero istante, come successore ai diritti ed azioni spettanti al defunto Angelo ed alla defunta sua consorte ed erede testata Teresa de' duchi Benedetti, e quindi accordarsi a favore del predetto monastero l' immissione al possesso alla metà di detti beni* ». Omnibus vadimonium deserentibus, consonam monasterii votis tribunal A. C. edidit sententiam, quam deinde ob appellationem a Catharina Mercandetti interpositam confirmavit s. Rota lata sententia die 11 aprilis 1843 a R. P. D. De Petro. Orta igitur rejudicata, Catharina Mercandetti coacta fuit bona cum monasterio dividere, eique expensas judicii, et fructus indebite perceptos restituere, ceu factum est ex liquidatione inter partes inita mense majo ejusdem anni 1843. Quo ex actu, qui extremus dici potest in sequelam reijudicatae gestus, praeterlapsi erant annus unus et menses decem, quin aliquis de rejudicata quaestus fuisset, dum extemplo quaedam foeminae Teloni sorores Teloniorum qui fuerant ad judicium vocati, adeoque et ipsae descendentes a Catharina Dominici Andosilla filia, erumpunt, et per interpositum recursum die 28 martii 1845 ab Ordine nostro ex quo citatae a monasterio haud fuerant, actorum circumscriptionem, sin minus ob praetensam jurium laesionem restitutionem in integrum petunt. At proposita hac mane quaestione, Patres recursum dimiserunt rescripto « *Nihil*. »

§ 4. Non aliter actorum circumscriptio ex defectu citationis ab eo qui citatus non fuerat peti potest, quam si appareat ipsum principale interesse in causa habuisse, et laesionem,

seu praejudicium ab edita sententia reportasse. Ita cautum in §. 1046 cod. judic. « *Un terzo, che avea interesse principale nella causa, e che non fu citato, e che non chiese d' intervenirvi, può domandare l' annullamento degli atti e delle sentenze, che ledono i suoi diritti, per difetto di citazione.* » Longe aberat tamen ut sorores Teloni his duobus extremis satisfacerent.

§ 5. Nullam enim easdem principale interesse in causa habuisse Patres animadvertebant, quia compertum erat ipsas carere omni prorsus vocationis, seu successionis jure ad bona « *di Serra di Conti* », quorum medietatem monasterium a Catharina Mercandetti vindicavit. Siquidem ea bona pertinebant ad fideicommissum institutum ab Antonio Andosilla, qui dum hoc ipsum fideicommissum condidit ad similitudinem atque imitationem ejus, quod praesul Angelus centum ante annos instituerat, vocatos voluit Andosillos omnes, praeter descendentes ex praedefuncto fratre Dominico, inter quos Teloniae reperiuntur. Et sane in ipsis testamenti tabulis rotunde legitur « *istituisco miei eredi universali i signori marchesi Filippo Andosilla mio fratello germano, Diego, ed Alessandro Andosilla miei fratelli ex patre tantum, e signor Simone Andosilla mio nipote figlio della bo. me. di Giulio Andosilla già altro mio fratello germano sotto gl' infrascritti fidecommessi, sostituzioni, dichiarazioni, e condizioni* »; et mox additur « *con espressa dichiarazione, che intendo, e voglio che le suddette mie istituzioni e sostituzioni debbano aver luogo, e proseguire sempre nel modo, e termini da me sopraespressi, ed ordinati in cadauno dei colonnelli dei sopranuominati miei eredi istituiti* ». Igitur si Antonius Philippum, Didacum, Alexandrum, et Simonem haeredes tantummodo instituit, si expresse jussit omnem vocationem cohibendam esse ad columnellos haeredum qui fuerant instituti, equidem Telonias a Dominico venientes utpote stipite a se minime contemplato exclusit, adeoque fatue sorores Teloni ad fideicommissum se se vocatas esse clamitabant.

§ 6. Perperam autem ut suum in causa interesse docerent sorores Teloni suae vocationis sedem collocabant in verbis « *intendo, e voglio che la mia eredità ratatamente come sopra s' intenda, e sia incorporata alle suddette disposizioni fatte da monsignor Angelo* » insinuantes ex hoc, eodem modo, quo ad Angeli fideicommissum vocatae essent, vocari perinde ad aliud ab Antonio institutum. Deprehendebant enim Patres ea verba testatorem adhibuisse, non ut ampliaret seriem vocatorum, a quibus Dominicum ejusque descendentes excluserat, verum potius, ut fideicommissi qualitatem, et succedendi ordinem definiret eumdem, quem Angelus senior praestituerat. Et nefas profecto esset putare, ut ubi testator progrediebatur ad qualitatem fideicommissi, et succedendi ordinem determinandum rediret ibidem ad alios tacite nominandos fideicommissi sui successores praeter eos, quos jam prius designaverat. Et ideo non alia de causa suum adjungi voluit fideicommisso praesulis Angeli, nisi ut in utroque eadem succedendi ratio servaretur. Non egent interprete, quae testator addit verba « *a tenore delle dette sue* (nempe Angeli) *disposizioni, e sostituzioni debba anche succedere, e s' intenda da me sostituito nel medesimo modo, e sotto le medesime disposizioni, e sostituzioni.* »

§ 7. Praeterea non solum sorores Teloni nullum in causa interesse habebant, quia nequaquam vocatae erant ad fideicommissum ab Antonio institutum, de cujus bonis agebatur, sed etiam quia bona haec sita reperiuntur in provinciis secundae receptionis, in quibus postquam semel bona fideicommissaria libera facta sunt ex gallorum legibus, libera remanserunt ex pontificia sanctione; veluti statuitur in art. 130 motus proprii s. m. Pii VII an. 1816 et in §. 264 motus proprii gregoriani, ac docet *Rota in Auximana primogeniturae 4 julii* 1817 §. 6 *cor. Ziuanni, in Romana stipulationis instrumenti quoad substitutionem fideicommissariam* 26 *novembris* 1832 §. 6 *cor. emo De Curtis, et in confirmatoria* 1 *martii* 1838 §. 3 *coram eodem.* Impossibile enim est ut is qui solo fideicommissariae vocationis juri nititur, interesse habere possit super bonis a quocumque vinculo ob conservatam libertatem exemptis.

§ 8. Nec rem immutat quod in archivio hypothecario, quod Romae est, vinculum fideicommissarium inscriptum ab Andosillis fuerit etiam super bonis *di Serra di Conti.*

Primo quia inscriptio ad servandum non ad inducendum vinculum fideicommissi comparata est. Si ergo nullum extat vinculum nil prodest inscriptio prout firmat art. 72 motus proprii piani « *Le iscrizioni dei vincoli di fidecommesso, conservano questi vincoli quando legittimamente esistano, ma non si consolidano qualora siano soggetti a qualunque eccezione.* » Secundo quia inscriptio Romae suscepta est, non autem Anconae ubi jacent bona, et ubi fuisset explenda juxta art. 34 ejusdem motus proprii « *Se i fondi esistono in diversi circondarj d'uffici d'ipoteche, l'iscrizione deve essere fatta in cadauno officio nel di cui circondario esistono i fondi* ». Demum animadvertebant Patres nulli adiumento esse posse sororibus Teloni rescriptum, quod supremus Princeps edidit die 1 novembris 1822. Etenim ex quo ab eo concedebatur Philippo Andosilla facultas renovandi inscriptionem vinculi fideicommissarii, et removeretur impedimentum, quod omissio renovationis post decessum Josephi ei objiciebat, non inde sequi potuit ut vinculum fideicommissarium exurgeret, et expleta Romae inscriptione afficerentur bona, quae Anconae sunt. Semper enim rescriptum coercetur ad limites causae, ob quam emanavit, ne magis dilatetur, quam ipsa causa rescribendi, *Surd. cons.* 418 *num.* 11; *Allograd. cons.* 71 *num.* 39 *lib.* 2; *Salgad. in labyrint. credit. part.* 2. *cap.* 9 *num.* 14; *Cyriac. controv.* 438 *num.* 85; *Rota in recen. dec.* 176 *num.* 8 *part.* 11.

§ 9. Tandem uti omne deficit sororum interesse in causa, deest etiam praejudicium illis a sententia adlatum, quod est alterum extremum a lege requisitum, ut actorum circumscriptio peti possit. Et revera cum inter Monasterium et Catharinam Mercandetti, aliosque Telonios actum fuerit non de deletione vinculi fideicommissarii, quod causam status adeoque sororibus praejudicialem posset efformare, sed tantum de immissione ad bona, quae tum ex gallorum legibus, tum ex jussu pontificio libera evaserant, equidem ex sententia inde orta nullum detrimentum in sorores Teloni in judicio minime comprehensas derivare potuit, juxta vulgatissimum illud in jure, quod suppeditat *l.* 2 *cod. quibus res judicata non nocet* « *Res inter alios judicatae neque emolumentum adferre his qui in judicio non interfuerunt, neque praejudicium solent irrogare* ». Agant igitur sorores, si velint, in novo, separatoque judicio pro vindicandis suis juribus si quae habeant, super bonis *di Serra di Conti*, et sciant nunquam fore, ut quispiam eis possit opponere rei judicatae exceptionem.

§ 10. Hisce profligatis irrito pariter conatu Teloniae circumscriptionem inde flagitabant, quia absolutum judicium fuit non dato curatore futuris vocatis. Siquidem curatorem tunc tantum dandum esse lex jubet, cum super existentia vel expiratione vinculi fideicommissarii quaestio instituatur. Cum vero in themate nec verbum quidem de hac existentia vel expiratione vinculi fideicommissarii factum fuisse pateat, sed tantum lis agitata fuerit super immissione ad bona, quae utpote sita in provinciis secundae receptionis, ministerio juris nullo fideicommissario nexu poterant alligari, nequaquam necessitas exurgere poterat dandi curatorem futuris vocatis, et ideo ex hujus dationis omissione nullum vitium in judicium irrepsit.

§ 11. Quaeque dicta sunt pro vindicanda actorum validitate redeunt omnia ad evincendam ipsius reijudicatae justitiam, et cum nil praeter ea quae jam rejecta sunt sorores Teloni pro obtinenda in integrum restitutione in medium attulerint, etiam hoc alterum extraordinarium remedium Patres eis denegare non dubitarunt.

§ 12. Tandem etsi omnia quae huc usque Patres perpenderunt prorsus defecissent, denegaoda tamen erat tam circumscriptio, quam in integrum restitutio, quia tempore quo a sororibus recursus fuit interpositus iam praeterlapsa erant fatalia, quae pro utraque obtinenda jus nostrum indulget. Sancitum siquidem est in §. 1062 cod. jud. « *La legge accorda un termine di tre mesi dall'ultimo atto di esecuzione della sentenza emanata in ultimo grado ad interporre il ricorso per l'annullamento, o circoscrizione, ed un termine di mesi sei dalla stessa epoca ad interporre il ricorso per la restituzione in intiero. Questi termini sono perentorj per tutte le parti, e per tutte le persone.* » Itaque ex quo ultimus actus in sequelam reijudicatae gestus fuit die 30 maii 1843 veluti docet syngrapha de recepto inter

partes conscripta, recursus vero interpositus die 28 martii superioris anni 1845, jam sequitur sorores Teloni haud amplius nec pro circumscriptione, nec pro in integrum restitutione recursum interponere potuisse, quia inter diem 30 mali 1843, et diem 28 martii 1845 non menses tres, aut sex, sed annus unus, et menses decem intercedunt.

§ 13. Et frustra Teloniarum defensores captando nonnulla verba citati §. 1062 quae sic habentur *« questi termini sono perentorj a tutte le parti »* regerebant fatalium sanctionem minime percellere sorores Teloni, quae utpote in judicio non comprehensae, judicii partes non fuerunt. Etenim ex eo quod citatis verbis incontinenter adjicitur *« ed a tutte le persone »* fatendum necessario est ad personas quascumque sine discrimine porrigendam esse vim peremptionis utcumque fuerint, vel non judicii partes. Secus autem hoc oriretur absurdum, nempe ut liceret cuique tertio non citato post lapsum fatalium recursum interponere, cum hoc idem ei, qui in judicio fuit esset impermissum, quod quantum a distributiva justitia abhorreat nemo non videt. Nec meliori demum consilio ad extrinsecum hujusmodi removendum obicem iidem defensores pergebant dicere, ultimum actum in sequelam reijudicatae nondum expletum, fuisse cum monialibus adhuc superesset versura bonorum perficienda in tabulis censuariis. Siquidem versura bonorum haberi non potest nisi cautela quaedam extrajudicialis, atque extranea a quovis actu executorio, quam fiscales leges requirunt ut norma sit tributis percipiendis, ac proinde nil commune habet cum iis, quae fiunt in executionem judicati, ut est bonorum possessio, restitutio fructuum, liquidatio, et solutio expensarum. Et ita acri partium certamino definitum est.

Die 26 novembris 1846 *« In decisis. »*

Procuratores — D. Antonius Ruggeri — D. Amadeus Bacchi.

Prot. 55 / 1845 D. P. R. LOLLI Decisio LXXV.

Romana Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 26 Martii 1846

Argumentum

Agitur praecipue de fideicommissaria substitutione favore foeminarum; de exceptione reijudicatae super deletione vinculi fideicommissarii, et de curatore dando futuris vocatis in hujuscemodi judiciis.

§ 1. Praesul Angelus Andosilla anno 1653 extremum condidit testamentum, in eoque universa sua bona perpetuo dividuoque fideicommisso subjecit, ad cujus compendium pronepotem Angelum Andosilla, ejusque descendentes masculos et foeminas successive juxta statutum urbis invitavit, bis verbis *« di tutti i miei beni mio erede universale fo, e costituisco il signor Angelo figlio del quoudam Raffaele Andosilla mio pronipote, al quale sostituisco tutti i suoi discendenti maschi e femmine successivamente secondo lo statuto di Roma ».* Reapse Angelus primus patrui magni fideicommissaria bona consecutus fuit, et cum sex masculos filios, nempe Julium, Philippum, Alexandrum, Didacum, Antonium, et Dominicum suscepisset, in eos illa bona deinde [illegible]. Decessit ex his primus Dominicus masculina prole destitutus, relictis tantum duabus [illegible] Constantia scilicet, et Catharina nupta Aloysio Teloni, quae a successione fideicommissi fuerunt exclusae, ex quo juxta cap. 146 statuti urbis, ad quod praesul Angelus sese in instituendo fideicommisso conformaverat, existentibus masculis, foeminae a quavis fideicommissaria successione removebantur. Itaque omne fideicommissum in reliquos agnatos coaluit, et ex ististempore, quo fideicommissi vincula abrogata fuerant, tres tantummodo supererant fideicommissi possessores, nempe Joseph ex Alexandro, Raphael ex Didaco, Angelus III ex Simone Julii filio, et eadem manente vinculorum solutione, defuncto Raphaeli successit ejus filius Philippus.

§ 2. Interea, Deo favente, Pontificio regimine restituto, et fideicommissia in provinciis primae receptionis valorem scut. quindecim millium praeseferentibus ad vitam revocatis,

Andosilli omnes, quemadmodum narrat coaeva mea decisio, in tabulis hypothecariis, quae Romae sunt, vincula fideicommissaria super bonis ex fideicommisso a praesule Angelo instituto profectis inscribere sategerunt. Hinc factum est ut bona haec ad tramites fideicommissi deferrentur, adeo ut Josepho anno 1818 sublato, ejus portio accreverit Angelo, et Philippo tamquam vocatis, demptoque Angelo 1827, licet uxorem Theresiam ducissam Benedetti universalem haeredem instituisset, omnem fideicommissi substantiam Philippus occupaverit. At mortuo tandem 1838 etiam Philippo, ejus uxor Catharina Mercandetti ab eo haeres nuncupata, numquam fideicommissum revixisse autumavit, quapropter possessionem omnium bonorum tum eorum, quae libera, tum quae fideicommissaria habebantur capere non dubitavit. Haud diu vero inexturbata haesit in possessione. Etenim quidam Aloysius et Fidelis Teloni, et Franciscus Fanelli descendentes a Catharina filia Dominici Andosilla existimantes se ex defectu lineae agnatitiae ad fideicommissum vocatos esse, coram A. C. collegio immissionem ad bona omnia fideicommissaria expostularunt. Sed hoc judicium praepedivit, disjecitque aliud inde excitatum ab asceterio Cordis Jesu apud s. Ruffinam urbis haerede Theresiae ducissae Benedetti Angeli Andosilla viduae. Siquidem etiam monasterium numquam vincula fideicommissaria revixisse existimans ex juribus Theresiae, quae successerat viro, vadatis Catharina Mercandetti, Aloysio, et Fidele Teloni, ac Francisco Fanelli coram prima sectione tribunalis A. C., tum deletionem vinculi fideicommissarii super bonis et fideicommisso praesulis Andosilla profluentibus, tum immissionem ad horum bonorum medietatem flagitavit, et consonam suis votis sententiam obtinuit.

§ 3. Tunc primum in aciem prodierunt tres foeminae Teloni sorores Teloniorum, qui fuerant in judicio comprehensi, asserentes se quoque ad fideicommissum vocatas esse, et ideo ab edita sententia appellationem interposuerunt, et coram R. P. D. De Silvestris, ex quo citatae non fuerunt, addita reservatione convolandi ad Ordinem nostrum, etiam sententiae circumscriptionem petiverunt. Licet haec foeminarum instantia apud acta s. Rotae producta appareat, tamen inter instantiae litem omnis mulierum impetus sese cohibuit; nec ultra praetergressus est. Hac de causa Catharina Mercandetti et ipsa aegre ferens sententiam A. C., alia appellatione interposita, ad sacram Rotam coram alio ponente confugit. Sed frustra; nam sententia primi gradus, solo monasterio informante, fuit confirmata, teste alia edita sententia a R. P. D. Muzzarelli. Hanc litem ita per rem judicatam definitam denuo mulieres Teloni excitarunt; nam ferme sex menses post latam sententiam a s. Rota recursum ad Ordinem nostrum interposuerunt, et tum actorum circumscriptionem ex quo citatae non fuerant, tum in integrum restitutionem ob praetensam jurium violatione implorarunt. Proposita itaque hac mane quaestione mulierum recursum benigne Patres mei acceperunt, edito rescripto « *Circumscriptis omnibus gestis coram congregatione civili A. C. in primo turno cum omnibus inde secutis ex defectu citationis, partes utantur juribus suis* ».

§ 4. Actorum circumscriptio ex censura §. 1046 cod. jud. tum ab eo, qui citatus non fuerat peti potest, cum pateat ipsum principale interesse in causa habuisse, et praejudicium ab edita sententia retulisse. Utrumque oppido sorores Teloni ostendunt. Ac primo principale mulierum interesse in causa fuisse apparet, quia in ea actum fuerat de delotione vinculi fideicommissarii super bonis, ad quae etiam illas ab institutore vocatas fuisse verba testamenti suadent. Siquidem scriptum in testamento reperitur « *Di tutti i miei beni mio erede universale fo, e costituisco il signor Angelo figlio del quondam Raffaele Andosilla, mio pronipote, al quale sostituisco tutti i suoi discendenti maschi, e femmine secondo lo statuto di Roma.* » Igitur si testator non masculos tantum, sed foeminas etiam ab Angelo descendentes ad fideicommissum invitavit, dubio procul etiam sorores Teloni ad fideicommissum vocatas retinere debemus, quia et ipsae ab Angelo per Catharinam ipsius Angeli neмpe Aloysio Teloni nuptam descendunt. Nec ad excludendam vocationem recte monasterium confugiebat ad decisiones s. Rotae anni 1848 et 1849 a Vicecomite, et Molino editas, a quibus eadem ipsa Catharina Andosilla Teloniarum auctrix a successione fuerat exclusa. Etenim ex earum decisionum contextu apparet nequaquam firmatum fuisse Catharinam, foeminasque ab Angelo descendentes exterres esse a vocatione, sed tantum immissionem ad bona fideicommissaria

Catharinae fuisse denegatam, quia ex Angelo adhuc extabant masculi, qui juxta statutum urbis, cujus regulis testator vocationem submiserat, foeminas à successione repellebant.

§ 5. Sororum vocationem inficiari non volentes frustra monasterii defensores objiciebant, easdem haud habuisse in causa interesse principale, sed secundarium tantum, et remotum (quod ex nonnullis adlatis doctrinis circumscriptionem haud importat) eo quia extant earum fratres Aloysius et Fidelis Teloni, qui utpote masculina qualitate pollentes, in quaque hypothesi mulieribus essent praeferendi. Deprehendebant enim Patres nullam praelationem masculorum in specie hac locum habere posse, quia versamur in secunda substitutione favore foeminarum inducta, ubi respuenda semper est masculinitatis praelatio, veluti optime semper tenuit s. Rota praesertim in *Melevitana fideicommissi* 23 *februarii* 1740 §. *prout, et* 13 *junii ejusdem anni* §. *haud refragante coram Priolo, et* 20 *martii* 1711 §. *pro suadenda coram Crispo, in Balneoregien. fideicommissi* 13 *junii* 1712 §. *potissimum coram Aldovrando, et in Romana, seu Interamnen. fideicommissi* 1 *aprilis* 1715. §. 10 *cor. Cerro et in Aesina Fideicommissi* 11 *januarii* 1723 §. *longe levioris ponderis coram eodem, ac tandem in decis.* 97 §. 14 *coram Ratta.* Itaque si sorores Teloni pari passu cum suis fratribus ad fideicommissum concurrunt, immotum remanet, ipsas in causa principale interesse habuisse, adeoque jure optimo circumscriptionem expostulant, ex quo monasterium eas vadari praetermisit.

§ 6. Insuper de praejudicio sororibus a re judicata adlatum, quod est alterum extremum a lege requisitum ut circumscriptio locum obtineat, dubitari nec potest. Simulac enim judicatum fuit fideicommissum in auras evanuisse, ac delendum esse super bonis vinculum fideicommissarium, omnis statim aditus sororibus praeterclusus fuit, qui illis viam sterneret ad immissionem obtinendum, cum certum sit, neminem ad fideicommissum vocatum obtinere immissionem ad ea bona posse, quae a quocumque nexu soluta fuerant declarata. Nec ex quo sorores a judicio fuerunt extraneae aptari his potest regula quae habetur *in leg.* 2 *cod. quibus res judicata non nocet « Res inter alios judicatae neque emolumentum adferre his qui judicio non interfuerint, neque praejudicium solent irrogare. »* Siquidem utcumque haec regula verissima sit, exceptionem tamen patitur in causa super deletione vinculi fideicommissarii, quia haec inter eas, quas status, dicunt adnumeratur, etiam illos afficiens, qui a judicio extranei fuerunt *text. in leg. ingenuum ff. de stat. homin.; Rota cor. Falconerio de reb. credit. decis.* 15 *n.* 8. *cor. Ratto dec.* 58 *n.* 8, *et cor. Olivatio dec.* 699 *n.* 9.

§ 7. Quin his quoque missis, circumscribenda erat res judicata quia judicium absolutum fuit, non dato curatore futuris vocatis. Sancitum enim est *in* §. 250 *cod. judic. « Il tribunale ordinerà il cancellamento quando mancano i requisiti prescritti dalla legge per la validità delle istituzioni fidecommissarie ovvero quando è spirato il fidecommisso . . . . Se vi possono essere ulteriori sostituiti non ancora nati, il tribunale nominerà un curatore speciale, che ne difenda le ragioni. »* Atqui cum in themate ageretur de delendo vinculo fideicommissario super bonis, ad quae ex voluntate testatoris, qui perpetuum condiderat fideicommissum, etiam non nati vocabantur, praetermitti ideo absque nullitatis labe curatoris datio non poterat.

§ 8. Nec ad peremptorium hoc effugiendum obstaculum bene monialium defensores regerebant, curatoris dationem sperni impune posse, quia haec pertinet ad solemnia judicii, non vero ad ejus integritatem. Praeterquamquod enim nec ea sine nullitatis vitio relinqui aliquando possunt, sciendum est, curatoris dationem nequaquam ad solemnia, sed ad integritatem judicii pertinere, ex quo ita datur curator ut vocatorum jura defendat, defensio autem praecipuam judicii partem constituit, quia neque divinae, neque humanae leges patiuntur, ut quis inauditus condamnetur. Praeterea rejiciendum etiam erat alterum, quod obtrudebatur ad eumdem declinandum obicem, nempe nequaquam a sororibus Teloni opponi posse curatoris futurorum vocatorum deficientiam eo sub fuco, quod exceptio haec sit de jure tertii. Siquidem, ex quo is, qui advertendum agit fideicommissum, agere non valet nisi dato curatore, necessario admittendum erit, exceptionem hujusmodi exclusivam esse juris agentis, eamque propterea, quam ipsae sorores

Teloni opponere valeant. Exceptionem enim, quae exclusiva est juris agentis a quocumque proponi posse tradit *Gratian. cap.* 855 *numer.* 20; *Rota dec.* 275 *part.* 9 *n.* 14 *recen.*, *dec.* 140 *n.* 19 *cor. Tanar.*

§ 9. Et frustra iidem monialium defensores pergebant dicere, circumscriptionem ex defectu citationis ab Ordine nostro sorores Teloni flagitare baud potuisse, quia hanc eamdem circumscriptionem coram R. P. D. De Silvestriis expostularunt, dum, appellatione a sententia primae sectionis tribunalis A. C. interposita, ad s. Rotam confugerunt. Etenim licet exploratum sit praeventionem judicis impedire quominus ad alium judicem convoletur, tamen cum quidquid gestum est coram R. P. D. De Silvestris praetergressum non fuerit limites primae citationis, ac per consequens locum non habuerit litis contestatio, nulla videtur inducta praeventio judicis, quae impediret recursum ad Ordinem nostrum, quia praeventio non a sola citatione, sed ab ipsa litis contestatione inducitur, uti docet *Mascard. de probat. in conclus.* 1226 *n.* 2, *ac tradit Rota in dec.* 185 *n.* 28 *part.* 5 *decis.* 189 *n.* 4 *part.* 17 *dec.* 779 *n.* 12 *part.* 6 *recen.*

§ 10. Tandem asserendo praeterlapsa fuisse fatalia, quae ad circumscriptionem petendam lex nostra indulget, irrito conatu praesidium mutuabantur a §. 1062 cod. judic. ubi statuitur, post tres menses ab ultimo actu in sequelam rei judicatae gesto, impermissum esse circumscriptionem flagitare. Tanto enim aberat, ut doceretur tres menses ab ultimo actu in sequelam reijudicatae gerendo effluxisse, ut imo adhuc multa supersint perficienda cujusmodi sunt divisio bonorum, refectio expensarum, atque alia quae res judicatas consequuntur. Et ita partibus streue dimicantibus jus redditum est.

Die 26 novembris 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Joannes Baptista Polidori — D. Amadeus Bacchi.

Prot. 86/1845 R. P. D. ARNALDI DECISIO LXXVI.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 26 *Martii* 1846

Argumentum

De usufructu causali, vel formali — De curatore dando futuris vocatis in judiciis fideicommissum respicientibus.

§ 1. Obtenta sententia pro credito argenteorum *quinquaginta novem ultra biscentum* a Josepho marchione Ossoli adversus alterum marchionem Antonium, vadato hujusce curatore, et oeconomo tunc advocato Theodulpho Mertel, nunc praesule meritissimo, naturae debitum persolvit Antonius; testamento scripto, quo filios suos Franciscum, et Ferdinandum in legitima haeredes instituebat, atque insimul in universo usufructu; nuncupando universales haeredes filios ex illis nascituros, cum reciproca substitutione, sique sine filiis utrique decederent, substituit « *i figli nati, e da nascere dalla mia carissima figlia Porzia maritata in Carletti* » addebat praeterea « *I due usufruttuarii col concorso dell'esecutore testamentario dovranno provvedere, che sia pagato ogni debito entro cinque anni dalla mia morte.* » Demum, quia illud maxime esset in votis « *che questa mia eredità passi negli eredi universali sceverata da debiti* », ne male res in gestione procederent « *perciò voglio, che l'esecutore testamentario in forza di questa mia disposizione sia economo nato, ed un alter ego* ». Ad quod opus praelaudatum praesulem nominavit.

§. 2. Verum quidquid de illa miscellanea dispositione, executoris testamentarii, oeconomi nati, alter ego, mortuus, et ut videbatur in interdictione, senserit jurisconsultissimus vir, certum est, quod muneri solemnem nuncium misit, itaque Ferdinandus, atque Franciscus, descriptionem haereditatis paternae in rerum gestarum diario indixerunt « *come eredi del defonto loro genitore* » declarantes se adituros « *col beneficio della*

legge, e dell'inventario », exprimentesque qualitatem « *figli, ed eredi testamentarii fidecommissarj* », omnia demum gerentes, uti haeredes, talesque habiti ex universae haereditatis possessione, uti domini, nemine coevo altero existente haereditatis proprietario, quam ipsi. Hisce igitur a creditore nunciata sententia est, a qua protinus provocationem interjecerunt, ipsique revocationem damnationis ad alteram sectionem postularunt, ipsisque contendentibus, primae sedis judicium probatum est. Exortae reijudicatae executioni dedit operam marchio Joseph, emancipatis quibusdam stabilibus ad clivum testaceum, usque ad acta, quae praeconis acerba voce conficienda sunt.

§ 3. Quid post haec gesta? Dominicus eques Carletti parens Lavinii, Caesaris, Archimedis, quos susceperat ex uxore Portia Ossoli, quique remotissime ad haereditatem vocantur, sategit, quod alter sufficeretur testamentarius executor, ad formam testamenti loco praesulis, qui se munere abdicaverat, quod summa facilitate impetravit a priori sectione A. C., quae deputavit Antonium Sciarra in curia praestantem de collegio patronum « *in esecutore testamentario per l'effetto di cui nell'istanza* ». Hoc praesidio curator supremo Ordini recursum exposuit pro circumscriptione actorum gestorum coram prima sectione A. C. in gradu appellationis ex defectu citationis, cum eo in judicio, haud citati sint futuri vocati, sive non esset curator datus, ut eorum substineret jura; quod implorat etiam uti procurator equitis Carletti, nomine filiorum hujusce, cum jam nati, et de ipsorum interesse agi contendat. Debitores Franciscus, et Ferdinandus apertis ulnis recursum accepto habere declararunt. Quocirca cum quoad ipsos firma stet declaratio; postulationem administratoris, seu curatoris, nec non procuratoris equitis Carletti, omni ex parte rejiciendam *Patres Domini* existimarunt, edito, incunctanter, rescripto « *nihil.* »

§ 4. Et jure merito. Namque Francisci, ac Ferdinandi filii nascituri, atque illi, qui ex Portia nati erant, nullum prorsus praecipuum interesse jactare poterant, cum prorsus sint illo destituti. Porro Joseph sententiam retulerat pro credito pecuniario, quo erga eum tenebatur Antonius, et quo perfuncto, simul abierant facultates, et repraesentatio oeconomi, qui Antonio a principe ad illius vitam fuerat datus; ergo adversus illos Joseph prosequi debebat judicium, qui ad universae haereditatis Antonii possessionem venerant, haeredesque nunciabantur, et judicialibus et extrajudicialibus negotiis, uti haeredes habebantur; et quemadmodum dubitari haud contingit in hos actiones omnes sive activas sive passivas defuncti transitum fecisse, ita neque ambigi, in hos judicium creditorem recte ac valide fuisse prosecutum.

§ 5. Nec movet ex paterno elogio Franciscum ac Ferdinandum in legitima dumtaxat haeredes nuncupatos esse, atque in universo usufructu institutos; etenim in proprietate vocabantur haeredes filii ex illis nascituri; qui si utrique sine filiis decederent, haeredes proprietarii essent filii nati, sive nascituri ex Portia. Cum igitur hoc in themate incertum maneat an ex Ferdinando, et Francisco orituri sint filii; nec filii Portiae, pendente adhuc conditione nullum prorsus in praesentia jus habeant assequendae haereditatis, sequitur Franciscum et Ferdinandum, absque conditione, non tam haeredes in legittima, quam universae haereditatis usufructuarios habendos esse interim tamquam « *haeredes ex asse* », ducto argumento ex leg. 5 ff. si par. haered. petatur « *Illud sciendum, ut si mulier praegnans non sit, existimetur autem praegnans esse; interim filium haeredem ex asse. Idem est in extraneo si ex certa portione haeres institutus sit; ex reliquo posthumi* ». Porro ea in haesitatione, Franciscus, atque Ferdinandus jure accrescendi existimari debent *uti haeredes ex asse*; interim quidem; nam verificata conditione per jus decrescendi in sola legitima haeredes manerent, juxta expressa in *leg. 4 ff. si pars haered. pet.* Et requidem vera, si uti haeredes ex asse habendi haud essent, neque usufructu potiri universae haereditatis posseut, toto eorum vitae cursu, ut testator jussit, ex juris regula, usumfructum non deberi, nisi post aditam haereditatem ad *l. ult. 4 ff. quando dies ususfr., et l. 2 et 3 ff. quando dies legatorum.*

§ 6. Et re sane vera ex postrema dispositione Antonii, sat scatet abunde, fi-

25

lios illius, toto eorum temporis fluxu vitae, usufructu potiri debere, constituto accrescendi jure si alteruter sine filiis praedecederet; nullo edito de proprietate, ac dominio jussu; nulla, ex contextu elogii, data interim suspensione dominii; nequit ergo inficiari, haud de formali, sed de causali usufructu testatorem intellexisse, qui cum proprietate cohaeret atque est implicitus, tamquam effectus a sua causa, ideoque dicitur causalis. Qui utens *interim* ut vere dominus, ac proprietarius retineatur, ad perbelle exposita a s. Rota, signanter in *decis. Maceraten. seu Anconitana* 2 *junii* 1834 §. 3 *cor. De Retz.* Alias si fingeretur de formali testatorem sensisse, sequeretur absurdum, quod proprietas, ac dominium esset in suspenso, donec certus prodiret proprietarius quod alienissimum est in jure, usufructum, et si sic resolubilis, a proprietate tamen separatum posse consistere. Exinde per necesse, retinendum ad unum causalem usumfructum testatorem respexisse, veluti egregie perpendit *idem s. Tribunal in decis. Tiburtina fideicommissi, et immissionis* 20 *martii* 1778 §. 5 *cor. Ratta.* Vestigia sequens *in Romana nullitatis extinctionis cambii super non resolutis* 5 *januarii* 1808 §. 8. *coram Serlupi, et cor. Isoard.; Maceraten. pecuniaria* 17 *aprilis* 1826 *numer.* 7 *coram rmo Bofondi.*

§ 7. Quocirca tantum abest, quod pro filiis nasciturís ex Ferdinando, ac Francisco curator, ac pro filiis Portiae pater administrator lamentari de defectu citationis possint; quin imo ludicrum et ineptum fuisset, eos in contentionem judicii adducere, cum nulla adhuc pro hisce purificata existeret conditio, nec jus certum, sed ex futuro humanarum rerum aventu pendens retineant. Caeterum nulli non dictum aequeque perspectum, haud interesse prinrlpe potiri eos, qui de praesenti carent jure, ac de futuro dumtaxat spem foveant, ut nimirum sunt substituti et fideicommissarii, qui vivente haerede habent jus dumtaxat de futuro, ut illi, qui nondum nati sunt de tempore, quo per alium agitur judicium contra haeredem, et acciri judicio scurrilitatis esset magis quam juris, ceu *Ubertus notat in tract. de citationibus cap.* 14 *num.* 179. Et antea *Bartol.* docuerat *in l. fin. num.* 10 *cap. de rejudic., et leg. naturales num.* 4 *c. de probat.* Atque ad rem de substitutis ac fideicommissariis apprime statuit supremus Ordo *in Romana circumscriptionis, et restitutionis in integrum diei* 16 *februarii* 1837 *coram Grossi,* firmans regulam, eos, vivente haerede jus solum de futuro habentes perperam conqueri de nullitate actorum, ex defectu citationis, cum secundarium jus obtineant, ac non directe, sed per consequentiam laedi possint.

§ 8. Prosilit ex hacteuus dictis ineptia et futilitas, creditori oportuisse rogare pro deputatione curatoris futuris vocatis, ut judicium contra horum auctorem institutum potuisset instaurari. Principio, si vadari oportuisset, nonne iidem futurorum vocatorum parentes haud erant legitimi procuratores, et administratores filiorum intuitione jurium communium utpote qui curatori cuipiam, vel interdicto haud subjiciebantur? Sed cum nulla erat ratio illis vadimonia sistere, item nulla ad excitandum curatorem, ut in contentionem venirent. Nec quid attinent auctoritates, supremique nostri tribunalis decisiones de curatoribus daudis futuris vocatis. Nam id locum obtinet si de fideicommissis sustollendis agatur, vel abolendis vinculis, vel de jure, quod vocationem futurorum successorum tangat. Hic de aere alieno testatoris ipsius peragitur, quo personali actione, ut illum, sic haeredes quoscumque persequi, jus est. Imo de debito ab ipsis usufructuariis filiis extinguendo, quibus praecipue ex recitatis testamenti verbis onus fuerat injunctum. Ipsique qui fuissent haeredes futuri ergo auctoris sui creditores tenebantur; proderat imo, quod dissolveretur, nec alio modo impleri voluntates testatoris ipsius poterant, qui jusserat ab usufructuariis et executore testamentario infra quinquennium aes alienum haereditarium dissolvendum esse. Utcumque autem sit, non alios prosequi debebat creditor, quam qui actu haeredes, vel loco haeredum existerent, neque ullo pacto eos requirere, qui de futuro succedentes incertam spem haereditatis foventes, omni primario jure vel interesse destituebantur.

§ 9. Quae cum ita sint, missa indagine de jure executoris testamentarii, an a tribunali potuisset subrogari, an ad judicium provocari, an ab ordinario tribunali dari oeconomum, quod principi reservatum est, illud tutissimum fundamentum fuit resolutionis, ex ipsa testamentaria dispositione, quae pro nullitate actorum objiciebatur, et in qua pro circumscribendis actis

totum fundamentum repoocbatur, certo manere, filios in causali usufructu institutos, uti baeredes esse habendos, in eosque unice in statu baeredum, debuisse judicium jam in auctorem institutum instaurari, atque ad finem perduci; injuria circumscriptionem actorum rogari ab his, qui incertum remotum, ac secundarium interesse habere profiteantur. Et ita utraque etc.

Die 23 Aprilis 1846. « *In decisis* ».

Procuratores — D. Antonius Sciarra — D. Joannes Tuccimei.
D. Alexander Franchi.

Prot. 162/1845 R. P. D. FERRARI Decisio LXXVII.

ROMANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 26 *Martii* 1846

Argumentum

Habes in Decisio LXVII.

§ 1. Vir princeps Aloysius Pallavicini, ut mandato obtemperaret consulatus, quo sub poena publicationis bonorum indicta ei fuerat solutio argenteorum 10000, mense junio anni 1798 ad collybum accipere ab Ignatio Bootus summam scut. 6600 papyraceae monetae, atque tam propriam personam et baeredes, quam omnia bona obligare debuit, in qua generali bonorum omnium obligatione comprebensa fuerunt etiam bona fideicommissaria, a quibus gallorum leges quodvis restitutionis vinculum jamdiu deleverant. Sortis restitutione post quinquenoium promissa, fructus interea conventi fuerunt ad rationem scutorum quinque pro quolibet centenario et anno. Evulgata binc ducis Naselli lege, collybus reductus fuit ad scut. 1718. 36, et adventa solutionis die prorogatus ille fuit ad aliud biennium, foenore aucto ad scuta octo in singula centena. Iterum supervenientis gallorum legibus, Ignatius creditum inscripsit super omnibus bonis tam liberis, quam fideicommissariis familiae Pallavicini, sed inscriptionem hanc primum judicis capitolini decretum super latifundio *di Passerano*, super nobili aede Romae sita, et super rure *di Belpoggio* cohibuit; deinde Bontus renovare neglexit.

§ 2. Adventa solutionis die, vir emus Joseph Albani curator datus patrimonio Pallavicini, et pro eo advocatus Dominicus Morelli, foeneratitia labe inquinatum existimavit fructuum augmentum, sed cum fideicommissi utilitate quaestio omnis composita fuit amica transactione diei 30 septembris 1830, qua caput collybi cohibitum fuit ad scuta 1200, atque illius restitutio ad aliud quinquennium prorogata fuit, fructus ad quincuncem rationem conventi fuerunt, donatis iis omnibus decursis et non solutis, atque hypothecae unum tantum praedium fideicommissarium, rus nimirum *di Belpoggio* subjectum fuit. Morte obita ab Aloysio Pallavicino, bona omnia fideicommissaria babuit vir princeps Franciscus Rospigliosi, qui proinde ex edictali lege diei 6 julii 1816 obstrictus mansit ad omnia debita fideicommissi Pallavicini persolvenda; quocirca Joannes Baptista filius atque baeres Ignatii Bontus eum provocavit coram triumviris A. C., ut terminus praefigeretur tum ad collybum restituendum, tum ad fructus persolvendos, et absolutissima rejudicata illius instantia probata fuit. Obtinuit quidem princeps Franciscus ab hac rejudicata in comitiis diei 29 januarii currentis anni ab Ordine nostro restitutionem in integrum, sed re melius perpensa, bodie PP. mei rescribendum existimarunt « *Nihil* ».

§ 3. Nam princeps Franciscus creditum minime impugnabat. Id unum contendebat, legem violatam fuisse, quia personali actione condemnatus fuit ad debitum persolvendum, quod neque ab eo, neque ab ejus auctore contractum fuerat. Sed non quaevis legis violatio satis est ad restitutionis in integrum beneficium concedendum, sed ea expressa esse debet. At vero tot tantaque rei adjuncta simul confluebant, ut dubii plenum visum fuerit, utrum res judicata legem pessumdedisset, utrum potius eam minus recte interpretata fuisset, quo-

in secundo casu restitutioni in integrum nunquam locus est. Dubium vero ex eo prodibat, quod licet verum sit, quod obligatus ad aliquid faciendum, vel dandum, vel qui ab eo causam habeat, personali actione lacessiri non possit, in praesenti tamen themate ex facto occupationis bonorum fideicommissariorum Joannem Baptistam contra principem Franciscum actionem personalem exercere potuisse existimatum fuit.

§ 4. Nam primum occurrebat edictalis lex diei 6 julii 1816, qua Pius VII deletionem omnium vinculorum confirmavit. Declaravit enim « *liberi i beni di qualunque specie alienati, preso il nome di alienazione nel suo largo significato comprensivo anche delle ipoteche* », hinc fideicommissarium vinculum restituit in iis tantum bonis, quae valorem excederent scutor. quindecim millium « *libero ed immune da ogni debito, peso e detrazione* ». Si igitur super bonis hypotheca devinctis (quoad comprehensionem crediti fideicommissarii) vinculi deletio confirmata fuit, si nihilo tamen secius princeps Franciscus rus *di Belpoggio* occupavit, quod favore Bontus tempore illius libertatis hypothecatum fuerat, neque illud creditoris actionibus reliquit, hoc suo facto obligationem, quae fideicommissariae substantiae inhaerebat, cum eodem creditore contraxit propria pecunia ei satisfaciendi. Rei enim alienae retentio quasi contractum secumfert, accollationem nimirum, ex qua actionem personalem proficisci exploratissimum in jure est.

§ 5. Quod apprime consentaneum erat legumlatoris menti. Si enim bona hypothecis subjecta a fideicommissario vinculo liberavit, si vinculum hoc restituit tantum in iis bonis, quae valorem superarent scutor. quindecim millium « *libero ed immune da ogni debito, peso e detrazione* » certo certius voluit, ut fideicommissorum possessores aut creditoribus ea relinquerent, aut si retinere cupiebant, ab aere alieno liberarent; quocirca obligationem implicite eis imposuit dimittendi omnia debita, quae ea gravabant; hinc condictio oritur ex nova lege, actionem personalem in debitorem inducens ad *text. in leg. si obligavi ff. de condict. ex leg.; Heinnecius in elementis jur. civ. secundum ordinem pandect. lib.* 13 *tit.* 2 §. 77 *et* 78, *et ad instit. lib.* 4 *tit.* 5 §. 1127. Haec vero lex justissima omnium fuit. Quum enim creditores tempore libertatis bonorum, bona fide cum illorum possessoribus contraxissent, minus aequum fuisset, si in restitutione fideicommissorum juribus, quae legitime acquisiverunt, destituti fuissent, quibus juribus ut Pius VII consuleret, voluit, ut bona hypothecata pro comprehensione crediti sub vinculo fideicommissario minime redirent; voluit, ut actiones omnes creditorum salvae manerent, qui ingens vero detrimentum accepissent, si actio quoque personalis eis non tribuisset. Nam contra haeredem ultimi gravati bonis orbati exercere illam nequivissent; contra nulla injuria vocatis irrogabatur; poterant enim bona creditoribus relinquere. Si igitur principi Francisco placuit ea occupare, ac retinere; si propter hoc suum factum obstrictum mansit ad debitum persolvendum, de se ipso, minime vero de lege queri debet, quae immo jus suum unicuique tribuebat.

§ 6. Neque verum est, legis dispositione effectum tantum hypothecae servatum fuisse, proindeque non ultra quam hypothecaria actione successores ad fideicommissa oneratos fuisse. Nam Pius VII uti novus institutor deletorum fideicommissorum habendus est sub expressa conditione, ut vocatus bona olim fideicommissaria cum hypothecis possideret, quae conditio secum ferebat ut creditores dimitti deberent exemplo haeredis gravati, qui personaliter obligatus est onera subeundi a fideicommissi institutore imposita. Regulae igitur, quae respiciunt tertium possessorem, aptari nequeunt huic casui, in quo legislator nihil detractum voluit creditorum actionibus, quique fideicommissi possessoribus neque excussionis beneficium, neque regressum concessit contra haeredes ultimi gravati, quos insuper a quacumque obligatione liberavit. Quod si beneficia non dedit tertiis possessoribus spectantia, nequit princeps Franciscus uti talis considerari.

§ 7. Post haec nihil officere visum fuit, si Bontus tempestivo tempore inscriptionem hypothecariam non renovavit. Nam inscriptio necessaria est contra alios creditores, minime vero contra debitorem. Quum itaque princeps Franciscus sive ex accollatione, sive ex condictione ex lege ex propria persona, et non qua tertius bonorum fideicom-

missariorum possessor obligatus sit ad nomen Joannis Baptistae dimittendum, absonum omnino est, inscriptionem hypothecariam quaerere, quae in id unum requiritur, ut in concursu cum aliis creditoribus anterioritatis gradus servetur.

§ 8. Gravissima tamen hac quaestione praetermissa, quae tam ex liters, quam ex intima legis diei 6 julii 1816 ratione exoritur, illud Patres mei animadvertebant funestissimo reipublicae tempore post deleta fideicommissa pecuniam ab Ignatio Bontus suppeditatam Aloysio fuisse, ut bona omnia tam quae libera erant, quam quae libera democraticis legibus facta fuerunt, ab executione militari et hostili immunia faceret, uti manifestissime patet ex ipso collybi instrumento. At vero id quod impenditur pro extraordinaria fideicommissi conservatione fideicommissum idem afficit, et quilibet fideicommissi successor etiam personaliter a sui antecessoris facto obligatur ad textum expressum *in leg. ubi pure* §. *final. ff. ad S. C. Trebell.; Peregrin. de fideicomm. art.* 50 *num.* 34*; card. De Luca de feudis disc.* 66 *numer.* 8 *et* 9*; Surd. cons.* 383 *numer.* 20*; s. Rota coram Seraphino decis.* 925 *numer.* 3*; coram Duran. decis.* 53 *numer.* 6, *et in Romana pecuniaria* 1 *martii* 1819 §. 19 *cor. Odescalchi.*

§ 9. Neque rem mutabat tempore contracti debiti omnia bona fuisse libera. Nam illud perpensum fuit, quod sive ea libera sive fideicommissaria, solutione scut. decem millium sarta tectaque servata fuerunt; proindeque in fideicommissorum reintegratione princeps Franciscus invenire ea potuit, secus vero in haereditate fideicommissaria unum vel alterum praedium minime invenisset. Maximam itaque utilitatem fideicommissum retulit; quae utilitas obumbrari non poterat sub fuco, quod Aloysius plura possedisset bona origine libera, proindeque incertum fuisset ad quae tandem bona servanda aes illud alienum fuisset comparatum. Nam nulla tunc fieri poterat separatio bonorum fideicommissariorum a bonis liberis; omnia fuerunt a quolibet vinculo soluta, omnia subjecta erant periculo hostilis executionis, a quo periculo liberata fuerunt pecunia hoc collybo comparata. Debitum itaque contractum pro omnium bonorum defensione ex possessoris voluntate tum bona afficit, quae semper fuerunt libera, tum quae gallorum legibus a restitutionis vinculo soluta fuerunt. Nam praesumi nequit bona fideicommissaria conservare noluisse.

§ 10. Quibus omnibus superaccedit transactio diei 30 septembris 1830. Non negabant strenui principis Francisci defensores ex transactione oriri posse actionem personalem adversus haeredem gravatum, dummodo tamen haec tria concurrerent requisita; nempe, ut facta sit bona fide, ut cadat super re fideicommissaria, ut afferat fideicommisso utilitatem. De bona fide minime querebantur. Cetera vero duo requisita inficiabantur, sed contra rei veritatem. Princeps Aloysius possidebat latifundium *di Passerano*, aedes *di Monte Cavallo*, atque rus *di Belpoggio*, quae tria praedia fideicommissaria erant, quaeque sicuti favore Bontus pro credito scut. 1718. 36 hypotheca mancipata erant, ita pro ejusdem crediti assequutione persequi ipse poterat. At hac transactione ab omni hypothecario onere liberata fuerunt latifundia *di Passerano*, atque aedes *di Monte Cavallo*; atque unum rus *di Belpoggio* hypothecae subjectum fuit. Si Bontus itaque tria praedia persequi poterat; si transactione ad unum tantum praedium actio, qua pollebat, cohibita fuit; manifestum est super bonis fideicommissariis transactionem initam fuisse, atque substantiam fideicommissariam respexisse.

§ 11. Neque regerat princeps Franciscus tria illa praedia a quolibet hypothecario vinculo soluta mansisse, quia inscriptio a Bontus renovata non fuerat. Nam, uti animadversum fuit, inscriptione opus est adversus alios creditores, ut qui prior est tempore, potior sit jure, minime vero adversus debitorem, quae negligentia in inscriptionis renovatione neque quead futuros vocatos transactionis injustitiam demonstrare existimata fuit. Nam certum erat post legem edictalem diei 6 julii 1816 super bonis hypothecatis fideicommissi vinculum restitutum non fuisse; si non certum, dubium erat, utrum successores ad fideicommissa actione personali obstricti essent ad debita persolvenda tempore libertatis contracta, praesertim nostro in casu, in quo debitum contractum

fuit, ut bona fideicommissaria ab hostili executione immunia fierent. Quod si dubium erat, utrum successores ad fideicommissum actione personali deviucti essent, dubium quoque erat, utrum renovationis defectus opitulari eis posset; justa itaque fuit transactionis causa, ideoque etiam futuros successores afficere debet.

§ 12. Utilitatem tandem fideicommisso ea attulit. Fuit revera unum tantum praedium hypotheca mancipatum, fuit caput collybi a scutis 1718. 36 ad scuta tantum 1200 cohibitum, fuit tempus ad illius restitutionem ad aliud quinquennium prorogatum, fructus insoluti usque ad summam scut. 150 donati fuerunt, atque e bessali ad quincuncem rationem imminuti; quae imminutio nullo pacto debebatur. Quum enim creditum origine frugiferum fuisset, poterant illi absque labe usuraria augeri, uti pluries definitum fuit a s. Rota, et articulo formiter discusso in *Romana imputationis fructuum* 16 *junii* 1828 §. 2 *coram R. P. D. Marini.* Si transactio inita non fuisset, Boutus executionem super tribus praediis fideicommissariis pro summa scut. 1718. 36 patrare potuisset, atque insuper condicere fructus ad rationem scutorum octo pro quolibet centenario. Manifesta igitur est fideicommissi utilitas; proindeque haeredes gravati ex hac sola transactione obligati sunt ad sortem collybi et fructus persolvendos. Et ita in acerrimo partium conflictu jus redditum fuit.

(Vide Decis. LXVII.)

Die 7 maii 1846. « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Paschalis Corradi — D. Dominicus Baffi.

Prot. 190 / 1844 **R. P. D. PACCINELLI** DECISIO LXXVIII.

BONONIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS SUPER EXECUTIONE REI JUDICATAE

Jovis 2 *Aprilis* 1846

Argumentum

Quaeritur ubi instituendum sit judicium pro redditione rationum in casu quo actio pro earam expunctione a re judicata oriatur.

§ 1. In vim reijudicatae rotalis, quae Antonio, Lucretiae, Donato, et Joanni Donato Barbieri, nec non Joanni Rotelli, uti sanguinis haeredibus prae haerebibus extraneis Isabellae Barbieri haereditatem concesserat, ab anno usque 1825 coram A. C. tunc Grimaldio hi omnes pro assequendis bonis haereditariis cum eorum fructibus, accessionibus, ac vi scut. 4365. 21. 8, quam in haereditatis compendio repertam dixerunt, causam constituere adversus marchionem Virgilium Davia haereditatis, priori pendente judicio, depositarium atque sequestrem. Actorum intentioni obstitit marchio, utpote qui neminem renunciari posse ajebat debitorem nisi prius rationibus dispunctis. Hinc, habito in reliquis pro servato, decreta primum per judicem rationum redditio, qua peracta siluit quaestio usque dum ineunte anno 1839, perinde ac si res foret adhuc integra, ipsimet haeredes una cum filiis ac successoribus Joannis Donati interim defuncti coram tribunali primae actionis Bononiae in secunda sectione rursus in marchionem Davia institerunt, ut ipsi praefigeretur « *un breve, e perentorio termine entro cui debba presentare il rendiconto dell'amministrazione da esso tenuta di tutto l' intero patrimonio della fu Isabella Barbieri* ». Verum per Davia interjecto contra institutum Bononiae judicium recursu ad supremum nostrum Ordinem pro circumscriptione ex defectu praesertim jurisdictionis, causae propositio pluries compereudinata, modo ob alterum recursum ab Isabellae haeredibus transmissum super pertinentia judicii ad A. C. tribunal, qui tamen in comitiis diei 15 januarii labentis anni velut exlex meruit moderari, modo vero ob dilationes ab iisdem efflagitatas. Cum autem hoc mane quaestio iterum definienda pro-

ponatur, Patres, omnibus Isabellae haeredibus a judicio absentibus marchionis petitionem tandem aliquando excipere putarunt rescripto « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram secundo turno tribunalis civilis Bononiae cum omnibus inde secutis ex defectu jurisditionis* PP. DD. II. SS. »

§ 2. Neminem latet ex Marcelli responso *in leg.* 30 *ff. de judic.* « *ubi acceptum est semel judicium, et ibi finem accipere debere.* » Cum itaque Isabellae Barbieri haeredes judicium super rerum haereditariarum liquidatione, quod natura sua illud redditionis rationum secumferebat, coepissent adversus depositarium ac sequestrem marchionem Davia ab anno usque 1825 coram A. C. tunc Grimaldio, cujus in locum ex nuperis legibus suffecta est civilis A. C. congregatio, non poterant ipsi, hac litis pendentia penitus despecta, ad Bononiense secundi Turni tribunal pro suo arbitrio convolare, atque ex integro eamdem actionem instituere. Atque hoc magis quia A. C. Grimaldius non modo « *per narrationem negotii causam audire coepit* », quod satis est, ut lis contestata videatur *leg.* 14 §. 1 *ff. de judiciis, et nov.* 53 *cap.* 3, sed etiam terminum unius mensis decurrendi a die intimationis decreti marchioni praefixit « *ad effectum exhibendi in actis redditionem rationis a die obitus Isabellae* », subdelegato in id pro-vicario generali curiae archiepiscopalis Bononiae in judicem pro receptione illius redditionis rationis, prout revera actum fuit, habitoque in reliquis pro servato. Quare cum A. C. Grimaldium *judicem praeventum* fuisse res ipsa doceat per ea, quae ad rem tradit *Carleval. de judic. lib.* 1 *tit.* 2 *disp.* 2 *quaest.* 7 *sess.* 3 cui concinit supremus noster Ordo *in Eugubina circumscriptionis et appellationis* 10 *februarii* 1832 *coram Alessi*, prono veluti fluit alveo nulla pollere posse jurisdictione bononiense in hac quaestione tribunal; nam praeventio est jurisdictionis praeoccupatio, ob quam in judice ex multis competentibus jurisdictio ipsamet pro una vel pluribus causis consolidatur, et caeteri competentes eadem jurisdictione penitus orbantur ad tradita per eumdem *Carleval. loc. cit. numer.* 899 cui plaudet supremus hic Senatus *in Romana circumscriptionis* 9 *aprilis* 1829 §. 9 *coram Grossi.*

§ 3. Luculentior insuper sese dabat videndum in Bononiae tribunali jurisdictionis defectus attenta quoque causae natura, ac qualitate. Res namque erat de judicio redditionis rationum, seu dati acceptique liquidationis ab iis omnibus, qui rejudicata rotali Isabellae haereditatem nacti fuerant, instituto adversus marchionem Davia ejusdem haereditatis pendente successionis causa, depositarium atque sequestrem. Nulla itaque dubitatio, quin coeptum vadimonium respiceret reijudicatae executionem ad tradita per gregorianam praxim, a qua dum *sub* §. 1141 edocemur in executionis reijudicatae judiciis venire ante omnia « *gli atti, le controversie e le liquidazioni, che hanno luogo in sequela de' giudicati* », in sequenti §. 1142 accipimus istiusmodi controversias dijudicandas debere omnino deferri « *ai giudici ed ai tribunali, che hanno proferito le sentenze* ». Incapax ergo in hac causa Bononiae tribunal, atque una tantum erat competens civilis A. C. congregatio, modo locumtenentibus subrogata; nam non illud tribunal, sed A. C. locumtenens, ad quem ex notissima *lege unica cod. quando imperator etc.* per illud tempus vigenti causa fuerat super merito principe delata, ab eoque edita sententia « *in primo grado* ». Quare *privativa* a lege, quae in hisce casibus fuit concessa jurisdictio judicibus ac tribunalibus, qui tantum in primo jurisdictionis gradu sententiam dixere, nullo modo ab aliis judicibus, diversisque tribunalibus caeteroquin incapacibus exerceri valet. *Ad textum in leg. fin. cod. de jurisd. omn. jud.*; idemque firmatum fuisse apparet ab hoc supremo tribunali in *Maceraten. injunctionis facultatum* 9 *julii* 1829 §. 4 *coram Galimberti, ac in Perusina circumscriptionis* 5 *februarii* 1835 §. 3 *coram emo Vannicelli Casoni.*

§ 4. Et inutile post haec prorsus foret contendere etiam Bononiae tribunal competens haberi posse pro definienda quaestione, quae postremo reijudicatae executionem respicit ducto argumento *a* §. 1149 *vigentis praxeos.* Lex enim probe distinguit sub tit. XIV sect. I, quae inscribitur « *Della esecuzione dei giudicati - Regole generali* »,

quando in executione reijudicatae sufficeret adire tribunalia primi gradus ab alio casu, in quo ad aliud sit redeundum a quo prior sententia fuerit prolata, ceu videre est *in* §. 1141 *ad* 1149. Cum igitur legis littera clarissima sit, cumque pariter in praesenti themate versemur in illa reijudicatae executione, de qua cognoscere tantum possunt ea tribunalia, quae « *hanno proferito le sentenze in primo grado* », hinc quaelibet alia interpretatio adversaretur juris regulae in foro notissimae, quae monet nulla opus fore interpetratione, dum manifesta est legis sententia, *Rich. jurisprud. civil. et crim. tom.* 1 §. 17; quin imo incivile prorsus evaderet non §. 1149 proposito, caeteris aliis despectis, judicare vel respondere, ceu tradit textus apertissimus *in leg.* 24 *ff. de legibus.*

§ 5. Denique nullius momenti esset judicii naturam in discrimen adducere objicendo haud rem esse de judicio liquidationis in sequelam reijudicatae, sed bene de novo per Isabellae haeredes vadimonio instituto super redditione rationum, quod exinde poterat Bononiae quoque institui. Objectio autem ex facto diluitur: marchio namque Davia nec *pro haerede* nec *pro possessore* haereditatem detinuit, sed veluti depositarius ac sequester principe pendente causa super ejusdem haereditatis adjudicatione: hi vero, qui rejudicata rotali prae caeteris haereditatem assequuti sunt, non alia pollent in depositarium ac sequestrem actione, quam ea, quae a rejudicata oritur ipsa, nempe ad res sibimetipsis tradendas una cum earum fructibus, accessionibus, aliisque consequentibus, ad quae omnia liquidanda in primis necessaria omnino est rationum dispunctio. Nemini itaque dubium, quin judicium coram altera Bononiae tribunalis aula respiciat « *atti, controversie e liquidazioni le quali hanno luogo in sequela de' giudicati* », quodque praeterea proponi nequibat nisi coram judicibus aut tribunalibus « *che hanno proferito le sentenze in primo grado* », ac proinde coram una alterave congregationis civilis A. C. sectione in locumtenentis, qui primus sententiam dixerat, ex lege suffecta subsellium. Atque ita unica etc.

Die 7 maii 1846 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Petrus Aloysius Briganti.

Prot. 203 / 1845 R. P. D. LIPPI DECISIO LXXIX.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 23 *Aprilis* 1846.

Argumentum

Agitur de rei conventi absentia necessaria, quae ab exilio manat, et de ignorantia ejus domicilii, quae diligentiarum auxilio vinci facile poterat: ex quibus substantialis deducitur citationis defectus.

§ 1. Luciani principis Bonaparte alter ex filiis Petrus criminali inquisitioni subjectus anno 1837. sedentis Pontificis indulgentia exilii poena mulctatus est ab universa temporaria ipsius ditione. Quare Corcyram se recepit, a qua pariter, et ab omnibus Londini dominiis fugam arripere deinde coactus, sequenti anno 1838 apud Belgas se transtulit, ibique domicilium, seu moram constituit in loco nuncupato « *Mochimont comune di Daverdisse cantone di Wellin, circondario di Neuchateau* ». Interea tamen ut propriis necessitatibus et itineris expensis occurreret, obtinuit ab argentario corcyrensi Josepho Conrage libellas *sterline* 287 quae aequant vim argenteorum 2328 et ob. 38 ob quarum restitutionem ipsius favore signavit binas collybi tesseras diebus 11 aprilis, et 9 maji ejusdem anni post mensem Londini solvendas ab aliis hujus civitatis argentariis fratribus Bouringh et Brothers. Quae litterae in alios etiam per giratas translatae, cum statuta die insolutae permanserint, respondentes protextus rite recteque redacti fuere.

§ 2. Post haec ad creditoris notitiam pervenit debitori jus esse super paterno patrimonio consequendi legitimam hic Romae a fratre principe Musiniani, quae in vim solemnis transactionis diei 11 novembris 1841 ad liquidum perducta fuerat in summa scut. 15000. Quo cognito in jus eum vocavit post ordinarium octo dierum terminum, et perinde ac si esset « *d'incognito domicilio* » affixa citatione ad valvas tribunalis, eaque postea relata in ephemeridibus; etsi sciret, vel scire facile potuisset memoratum ipsius apud Belgas domicilium. Hoc enim constabat ex epistolis et mandato, quem Petrus miserat ad advocatum Laurentium Ruelle, ut ad effectum ipse perduceret praedicta super legitima liquidationem ac compositionem, quae litterae in manibus pervenerant notarii qui transactionis instrumentum celebravit, ac praesertim mandatum, uti hujus instrumenti fundamentum in ejusdem actis existebat.

§ 3. Nec solum ipse terminos substantiales violavit, quoad tempus ad comparendum praescriptum in citandis absentibus, et formam praetermisit quoad modum citandi eos, qui non ignotum, sed notum domicilium, seu moram ducant apud exteras nationes, verum etiam de re commerciali coram incompetenti tribunali civili A. C. in prima sectione judicium instituit. Ex quo factum, ut cambialium solutionem hoc tribunal definierit contumaciali sententia, vi cujus creditor processit ad actum formalis sequestri super dicto credito scut. 15000. Interea tamen hoc ipsum integrum creditum Petrus cessit alteri argentario Martiniano Barretto, qui, cedentis etiam nomine, circumscriptionis recursum interposuit apud supremum nostrum tribunal omnium actorum, qui gesti a Courage fuerant coram praedicta civili A. C. congregatione. Sed tunc deficiente pro hujus recursus interpositione legitimo Petri mandato, hic fuit moderatus in Signatura diei 21 augusti anni praeteriti. Hodie vero novo ipsius nomine interjecto circumscriptionis recursu ex citationis et jurisdictionis defectu, a RR. PP. excepto rescripto « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram congregatione civili A. C. in primo turno cum omnibus inde sequutis ex defectu citationis et jurisdictionis* », mihi commissum fuit munus decisionem vulgandi post viceudium juxta praxim ad trutinam revocandam.

§ 4. Atque revera citationis defectus patebat ex eo, quod creditor Courage vadatus fuerit debitorem Petrum ad cambialium solutionem modo, et forma illegitima sub duplici respectu. Primus in eo est, quod terminos substantiales violaverit. Debitor enim in Italia nec morabatur, neque ullo pacto morari poterat, postquam in exilium damnatus fuerat. Nonnisi itaque intra congruum temporis spatium judicii notitiam habere, atque eo sisti poterat, quod adamussim spatium proponendum omnino erat in citatione juxta diversam locorum distantiam juxta normam, quam tradit vigentis codicis §. 479 « *I termini delle citazioni per quelli che dimorano fuori dello Stato Pontificio sono di giorni quaranta, se dimorano in uno stato confinante; di giorni sessanta, se dimorano in uno stato non confinante, ma situato in Italia; di giorni cento, se dimorano fuori dell'Italia, ma nell'Europa* ». Sed etsi Petrus extra Statum non morari non potuisset, citatus tamen fuit ordinario octo dierum termino; perinde ac si Romae vitae degens judicii notitiam habere, atque eo sisti illico potuisset. Quare ex hac substantialis termini violatione evidens insurgebat citationis defectus. Nam idem est aliquem non citare, vel indebito, illegitimoque modo citare. Utroque enim casu indefensus manet reus, quod nec humanae, nec divinae leges patiuntur, uti post *Ubert. de citat. cap.* 13 *numer.* 10 *et* 14 *tenuit noster Ordo in decis.* 123 *tom.* 2 *inter collectas numer.* 1 ; *in Ferrarien. circumscriptionis* 30 *aprilis* 1840 §. 4 *coram R. P. D. meo Arnaldi.*

§ 5. Alter vero manabat ex alio §. 781 ubi sancitum legitur « *Si verifica il difetto di citazione, quando fu omessa la citazione introduttiva del giudizio, ossia quando il reo convenuto non fu citato nè in persona, nè al domicilio, nè alla sua dimora, nè in altro luogo determinato dalla legge* ». Nam erat in facto exploratissimum debitorem in judicium vocatum fuisse non personaliter, non in domicilio, seu habitatione, sed citationes ei indictas fuisse opo affixionis ad valvas tribunalis civilis A. C., et insertionis in

ephemeridibus, qui modus, seu forma dicendi diem tunc solum a lege permissus est, quum rei conventi domicilium ignotum esset juxta §. 483. Sed trahi non potest ad casum diversum, in quo innotescat, ubi ille moram ducat. Contra creditor sciebat, aut scire poterat eum domicilium, seu moram jamdiu ab anno 1838 apud Belgas a *a Machimont comune di Daverdisse, Canton di Wellin, circondario di Neuchateau* » translulisse, ideoque vadari debebat « *alla sua dimora* » juxta modum, seu formam praescriptam a §. 485; nimirum mitti debebat « *una copia dell' atto di citazione al preside della provincia, ed in Roma all' assessore della direzione generale di polizia; l'uno, e l'altro apporrà il suo visto sull' originale, e trasmetterà la copia alla segreteria di stato, affinchè la medesima per la via ministeriale, e senza alcuna formalità di giudizio pervenga nelle mani dell' istesso assente* ».

§ 6. Quum itaque in facto liqueat hunc modum, seu formam a lege praescriptam servatam non fuisse, acta omnia gesta coram tribunali civili A. C. ex hoc quoque respectu corruant oportet ex citationis defectu. Nam simplex affixio ad valvas curiae, et insertio in ephemeridibus satis esse nequibant, ut judicii scientia ad debitorem in extera ditione morantem perveniret. Quare sapientissime lex voluit, ut per organum ministeriale citatio ad eum mitteretur. Si igitur argentarius Courage media illa neglexit a lege indigitata, quibus judicii notitiam Petrus habere posset, evidentior fiebat citationis defectus, cum hoc etiam modo sine citationis scientia adempta ei fuerit defensionis potestas, contra omnia justitiae et aequitatis principia, ut in casu identico decisum fuit in *Bononien. circumscriptionis* 5 *februarii* 1846 *coram R. P. D. meo Ferrari.*

§ 7. Nec hujus cordatissimae praescriptionis adplicatio obnubilari poterat ex animadversione, quod sententia, qua Petrus fuit exilii paena mulctatus, non fuerit vulgata, atque idcirco creditor non cognosceret ipsius a Pontificia ditione discessum, nec ubi domicilium, seu moram constituisset; ita ut considerari, et citari debuisset forma ac modo praescripto a §. 483 adversus absentes ignotum domicilium habentes, nempe affixa citatione ad valvas curiae, atque ejusdem in ephemeridibus relatione. Si namque Courage pecuniam Petro suppeditavit Corcyrae, tutissime quidem sciebat, ipsum moram in Pontificio statu amplius non habere, atque ex actis gubernii corcyrensis omni facilitate scire poterat quo se in posterum contulisset. Objecta igitur actoris ignorantia nimis affectata visa fuit, ac nullo idcirco in pretio habenda. Multo vero magis quia ex ipso transactionis hic Romae inito instrumento, in quo ad liquidum perducta fuerat Petri legitima, quae a creditore deinde sequestris facta est, ejusdem apud Belgas mora tutissime comprobabatur. Haec videlicet scatebat ex litteris, et mandato, quod ille transactionis tempore scripserat advocato Ruelle, quodque instrumenti veluti fundamentum constituebat. Si ergo creditor sciebat, vel scire omni facilitate poterat controversam Petri moram, nullo modo vadari valebat tamquam ignotum, sed notum apud exteros domicilium habentem. Ut enim quis valeat per affixionem aliquem citare, satis non est ignorantia domicilii, sed ea opus ignorantia, quae vinci nequeat ope, atque auxilio diligentiarum, quemadmodum respondit nostrum tribunal in d. *Bononien. circumscriptionis* 6 *februarii* 1846 *coram R. P. D. meo Ferrari.*

§ 8. Nec praeterea Petrus tamquam domicilium habens in Pontificia ditione considerari poterat, quia juxta §. 426 nunquam declaraverat apud acta tribunalis civilis suum animum moram sub alio imperio ducendi, vel quia ut princeps romanus, etsi absens, stabile semper domicilium Romae retineret. Haec enim animi declaratio respicit tantum absentiam voluntariam, nec ulla ratione aptari potest ad casum omnino diversum absentiae necessariae, quae ab exilio dimanat. Quantum enim rationi et justitiae congruum est, ut qui vult suum in statu domicilium relinquere, eamdem declarationem emittat, eo vel magis deridiculum foret eumdem actum exigere in eo, qui exilii poena mulctatus, nec volens potest suum domicilium in statu retinere, cum hoc sit cum exilii poena incompatibile. Quae ratio aeque militat in principe, qui fortasse retinere potest stabile proprium domicilium, si voluntarie sit absens, nequaquam vero in hoc casu necessariae absentiae, seu potius discessus, etsi haec romani principis qualitas in Petro ne ante quidem exilii indictionem verificabatur in facto.

§ 9. Huic vero patulo citationis defectui jurisdictionis alius etiam concurrebat ex duplici pariter respectu, ita ut de petitae circumscriptionis justitia dubitari nulla ratio valeret. Cum enim ageretur de actione procul dubio commerciali, ea erat instituenda, vel coram tribunali domicilii et morae rei conventi, vel loci initi contractus, vel traditionis, aut faciendae solutionis, secundum praescriptum §. 448. « *In affari commerciali l'attore è in facoltà di promuovere la sua istanza, o avanti il tribunale del domicilio e dimora del reo, o avanti il tribunale del luogo, in cui si è fatta la promessa, o consegnata la mercanzia, o finalmente avanti il tribunale del luogo, in cui doveva effettuarsi la consegna, o pagamento* ». Cum itaque nec Mobimont apud Belgas institutum fuerit judicium, ubi domicilium reus habebat, et morabatur, nec Corcyrae, ubi contracta fuit obligatio, signatae videlicet cambiales, nec Londini, ubi earumdem solutio fieri debebat, alter pernecesso descendebat jurisdictionis defectus ex eo, quod judices A. C. rem definiverint, quae ad alienam jurisdictionem pertinebat ex manifesta dictae legis sanctione.

§ 10. Ex alia vero ratione hic quoque jurisdictionis defectus evidentior fiebat, quia cum res esset de cambialibus trajectitiis, Corcyrae nempe signatis, et Londini solvendis, actio omnino spectabat ad jurisdictionem tribunalis commercialis, haudquaquam procul dubio tribunalis civilis. Quin obstent auctoritates ex parte creditoris adductae, quibus probabatur etiam tribunalia civilia habere potestatem dijudicandi causas commerciales, si partes non dissentiant, ai nempe in eorum jurisdictione consentiant. Cum enim in rei contumacia causam definiverit A. C. tribunal, dici equidem non potest eum illius jurisdictioni assentitum fuisse. Inter tot itaque citationis, et jurisdictionis defectus nulla ratio erat, cur petita circumscriptio non exciperetur. Et ita etc. utraque parte acriter dimicante decisum est.

Die 9 julii 1846 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Pius Bossi — D. Manlius De Angelis.

Prot. 180/1845 R̃mo P. D. CONVENTATI Decano Decisio LXXX.

Maceraten. Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 23 *Aprilis* 1846

Argumentum

Plura enucleantur, ex quibus constare censetur de ratihabitione mandati, vel de remissione nullitatis ortae ex ejusdem mandati vel citationis defectu. — Agitur praeterea de facultate elargiendi restitutionem in integrum concessa a §. 1059.

§ 1. Nonnulla praedia advocatus Vincentius Jusi domo Neapolis coemerat in finibus Tolentini in Piceno quibusdam hypothecis devincta erga fratres Contaldi et Josephum D'Orta concives suos. Horum quisquis pecuniam suam recuperare satagebat: procurae mandato ideo munierunt Nicolaum Casanova in Fani Monte scribam, ut ea venumdaret meliori quo potuisset pretio: sive omnem fidem reponere advocatus in mandatario detrectasset, sive hypothecarii creditores consensum praebere ad inscriptiones amovendas renuissent, mandatum ea lege conceptum fuit, ut venditionis compendium per litteras cambiales Neapoli repraesentaretur « *con legge però, che il prezzo de' suddetti fondi debba essere sborsato prontamente e quà in Napoli con cambiali in testa dei Signori Jusi, fratelli Contaldi, e d'Orta* ». Eorumdem praediorum administratione interea Nicolaus Casanova fungebatur, et neapolitanis modo unum, modo alteram contractus venditionis propositionem exhibebat, qua ratione plures inter utrosque intercesserunt epistolae quin umquam ad optatum finem pervenire liceret. Contigit ut Petrus filius Francisci Bocci recinetensis se Neapolim conferret, vicibusque patris suffultus a Jusio, Contaldis et D'Orta

praedia illa adeptus fuerit. Suspicasset nec ne Casanova Boccium directe cum neapolitanis egisse, latet, id prorsus innegabile est ipsum eodem fere tempore Antonio Crispini quidem recinetensi eadem praedia mandantium nomine vendidisse haud eorum favore cambialibus susceptis, verum pretio scutorum quatuor millium, quatuor centum manibus suis exacto. Scire parum interest sub die prima februarii 1843 Neapoli Contaldium et Jusium per epistolam admonuisse Casanova de contractu perfecto cum Boccio: constat enim scribam apocham subscripsisse cum Crispinio die 12 januarii ejusdem anni, et regestro subjecisse die tertia februarii. Ad suos lares Boccio remeante, confidens meliori jure se potiri quam Antonium Crispini, hunc, et mandatarium Casanova coram primae instantiae aula maceratensi vadatus est, ut in eorumdem praediorum comparatione ipse praeferretur. Opus erat, ut procura perhiberetur, qua contractum cum mandatario Crispinius perfecerat, abscondebatur tamen. Tum ut actionem suam Boccius roboraret novam dicam Crispinii procuratori transmisit, ut mandato in actis producto, pateficret an venditio subsistere posset, vel nulla a judicibus proclamaretur quatenus a legibus in eo contentis mandatarius excessisset, de cujus nullitate disputare Boccius profitebatur « *Attesochè prima d'impegnarsi in altra questione interessa agl'istanti* (padre e figlio Bocci) *di conoscere, se siasi o nò avuto dal Casanova il mandato di vendere, e se siensi o nò eccedute le facoltà, giacchè in caso di difetto, o di eccesso il contratto del signor Crispini è nullo, e di nessuna efficacia* ». Originali procura in actis deposita Boccius prosecutus fuisset, prout jam innuerat, contendere nullitatem venditionis agrorum per Casanova peractae; verum quum jurgium incaluisset, et protestatio supervenisset advocati, fratrum Contaldi ac D'Orta, qua essentia contractus impugnabatur initi inter Crispinium, eorumque mandatarium, judices pro munere duxerunt ad causam vocari Jusium velut ab actione per Boccium explicata haud extraneum quin imo ejusdem negocii participem. Quo decreto intimato adhaerens advocatus juribus per Boccium deductis institit tum pro praelatione contractus Neapoli celebrati, tum pro nullitate apochae inter Crispinium et Casanova subsignatae utriusque procuratoribus admonitis. Ne discors tribunal a prolato decreto se videret, Boccii et Jusii instantias ad unum idemque judicium remisit, indeque sententiam edidit, qua apocham Crispinii nullitate laborare, et in praediorum possessione Boccium immittendum esse definivit, quin ad aulam appellationis quaestione delata meliori omine orare Crispinius quivisset. Parta re judicata Crispinio infensa ad extraordinaria remedia experiunda circumscriptionis, vel restitutionis in integrum sese contulit Senatum nostrum deprecans nisi primum saltem alterum ei tribueretur. Respondissent Patres in superioribus diei secundae aprilis comitiis quando thesis proponebatur; verum ad hodierna pro eorum prudentia rescripti emanationem differre malentes mihi onus injunxerunt, ut decisionem perficerem, qua argumenta proderem quare arido vocabulo « *Nihil* » instantiam Crispinii dimiserint, ut inde, iis perpensis, victus consulat an ei novum aggredi certamen expediat.

§ 2. Ad quaestionem lacessitus Antonius Crispini ab aemulo suo Petro Bocci patri conjuncto quis eorum praeferendus foret in contractu, ac possessione praediorum in tolentinate districtu advocato Jusio olim pertinentium, inficiabatur per antiquum dominium, licet ad praelium per judices adscitum, posse subjectum judicii immutari, quin vel sibi, vel domicilio suo, potiusquam ejus procuratori apparitor dicam reliquisset: conjiciebat ideo absque citatione, ac mandato super nullitate contractus ab ipso initi cum mandatario neapolitanorum disputatum fuisse tum in primo, tum in secundo jurisdictionis gradu quippe qui nullo fulciebatur mandato Nazarius Pantaleoni ejus procurator dum appellationem interjecit eamque prosecutus fuit; quare ex defectu citationis et mandati singula circumscribenda esse clamabat a die 8 februarii in posterum quum nempe Jusius novam actionem instituit, quae in maceratensi utroque tribunali gesta fuerunt. Plura tamen Patres animadverterunt quae rationibus Crispinii adversabantur, ac ne facilius quam lex innuit, ad circumscriptionem indulgendam proni viderentur, ad eam hodie repellendam, compulsi sunt « *Nel dubbio il tribunale supremo rigetterà la dimanda per l'annullamento* » §. 1047. Et sane: statim

ac Crispinius in procuratorem constituit Nazarium Pantaleoni, cui passivam citationem per Boccium transmissam tradidit, evidens est quaeque in eo judicio supervenissent, nemini magis quam Pantaleonio agenda tuendaque ipsum mandasse; proptereaque quidquid procurator gessit ratum firmumque esse debet, ac si ipse mandans gessisset. *Cap. 1 de procurat.* Accedebat insuper quod Boccius, moto super praelatione judicio, iter straverit ad jura sua augenda coegitque Crispinium ad exhibendum procurae mandatum, quo cum Casanova contraxerat, ea tamen voluntate, ut quatenus vel mandatum deesset, vel finea mandati excessi fuissent de nullitate potius contractum arguisset, quam in praelationem ferventius incubuisset « *Attesochè prima d'impegnarsi in altra questione interessa agl'istanti di conoscere, se siasi o nò avuto dal Casanova il mandato di vendere, e se siensi o nò eccedute le facoltà, giacchè in caso di difetto, o di eccesso il contratto del signor Crispini è nullo e di nessuna efficacia* » eo magis quod Boccius reminiscebatur se praeter praelationem in primordiali instantia petiisse et instrumenti Neapolis celebrati executionem, quam assequi validiori argumento nequivisset, nisi eo adducto nullitatis contractus adversarii « *ed ordinarsi altresì l'esecuzione dell'istromento stesso in data del 27 gennaro 1843 contro il citato Crispini per quel che concerne il possesso nei modi e termini in esso convenuti* ». Haud igitur indigebat Boccius iterum provocare Crispinium dum de ejus contractus nullitate conquerebatur, ne dici velit singulas rationes novum efficere judicium.

§ 3. Ita se res habebant quum pro suo munere judices Jusium vocari ad causam decreverunt: qui ab ejus statu et terminis non declinavit nullitatem objiciens Crispinio contractus, quo Boccio praevalere audebat. Visum est igitur Patribus advocatum exordium instantiae suae sumpsisse ab iis, quae jam deducta fuerant a Boccio adversus Crispinium inque initio judicii implicite continebantur quin concedere possent Jusium a subjecto causae declinasse, ita ut ei opus fuisset partes vadari, nec legi satisfecisset earum procuratores admonuisse. Quod si uno eodemque judicio Boccius praelationem, ac instrumenti executionem, et advocatus nullitatem contractus Crispinii requirens praeclarius ea ipsa adaperuit, prorsus otiosum est sive de citationis sive de mandati defectu acta arguere quae a die 8 februarii 1843 in posterum gesta sunt in tribunali primae instantiae, ac appellationis Maceratae.

§ 4. Fuisset tamen quod Jusius novum plane judicium movisset adversus Crispinium in prima jurisdictionis sede: perperam hodie qui illud ratum habuit, totisque viribus dimicavit, insurgere praesumebat ita ut nullitatum, quibus ipsemet nuncium dedit Ordinem nostrum vindicem voluisset. Ad nullitatem enim ipsam contractus repellendam Crispinius studuit praeter apocham, quam in actis exhibuerat, epistolas subjicere judicibus, quas mandatarius retulerat a Francisco Contaldi uno ex interesse habentibus in praediis divenditis, tantamque vim in iis constituit, ut argumenta refellere judices coacti fuerint, velut ex sententiis rem judicatam conficientibus Patres erueruut. Insanum igitur orat post evidentissimam actorum agnitionem et confirmationem adhuc contendere citationem, et mandatum defuisse, et pene inscium nulloque ejus interventu Crispinium damnatum fuisse dum os ei obstruit lex in paragraphis 784 et 787 « *È rimesso o sanato il difetto di citazione 1. se la parte non citata deduce le sue ragioni, o difese sul merito senza allegare la nullità.* » *È sanato o rimesso il difetto di mandato per qualunque atto posteriore anteriore alla querela di nullità da cui risulti la ratifica a termine del comune diritto* ».

§ 5. Nec in documentis dumtaxat allatis in prima sede judicii, quae nisi ex manu Crispinii recepta, ejusque voluntate procurator exhibere potuisset, consistit ratihabitio citationis, et mandati, sed gravioris ponderis Patribus visum fuit novum illud mandatum effraenatissima clausula vallatum *alter ego*, quo ipse Crispinius Dominicum fratrem Nazarii Pantaleoni suum procuratorem constituit, tum ad alteram quaestionem tuendam adversus Jusium jam in aula primae instantiae Maceratae promotam; tum ad ceteras orditas atque ordiendas etiam in appellationis tribunali. Etenim Dominicus Pantaleoni nomine et vice mandantis (adhuc pendente in secundo jurisdictionis gradu definitione judicii praelationis et nullitatis) ad sententiam remorandam recursum interjiecit, ut una cum memorata quaestione a Crispinio adversus advocatum recens excitata judicium illud proxime expediendum

copularetur. Incassum consensum suum abfuisse Crispinius ajebat ab unionis illius recursu, dum a novissimo procurae mandato descendebat, tamquam effectus a causa, propterea quod magis magisque lucebat cujuslibet praetensae nullitatis condonatio atque remissio. Nequivissent igitur bodie Patres nimiae Crispinii confidentiae respondere circumscribentes quae a die 8 februarii in civili primae instantiae tribunali maceratensi gesta fuerunt, indeque secuta: aptius igitur ac justitiae consonum rescriptum dedere « *Nihil* ».

§ 6. Haud unam circumscriptionem a Crispinio hodie petitam, verum et in integrum restitutionem rejicere Patres arbitrati sunt quippe quae a lege penitus probibeatur impertiri, nisi a re judicata protinus scateat manifesta injustitia vel ob documenta recens reperta authentica et derisiva, vel ob unius aut alterius legis sive violationem, sive praeteritionem; quam tamen injustitiae intrinsecam labem, quantum Crispinii oratores dixerint, nullo modo innuere potuerunt ita ut Patres eorum orationi aures praebere debuerint. Arguebant enim ipsi oratores rem judicatam du incivili ac falsa interpretatione mandati a Jusio subscripti, quatenus ex ea nullitatem contractus a Casanova cum Crispinio celebrati deprompserint judices atque definierint. Plura ideo loquebantur ad evincendum nunquam ad fundorum emptorem Neapolim pecuniae transmissionem per collybisticas litteras referri, verum ad mandatarium dumtaxat; errasse igitur in facto rem judicatam in adversa interpretatione inferebant: et quidem in jure, transgressa quidem conditione mandati, subdebant, pecuniam Neapoli solvendi, haud descendere contractus nullitatem, sed actionem imo ad quod interest ut ait Paulus in lib. 2. Sententiarum: perperam tamen. Adeo enim littera ac sensus procurae a Jusio exaratae, qua Casanova mandatarium suum ad praedia vendenda designavit Crispinium, ejusque oratores urgebat, ut e calamo scribae conficientis mandatum aliquid excidisse (quod ipsi addebant) effinxeriut, ne eorum clienti, ut jacent verba obfuissent: speciem vero a Paulo in lib. 2. Sententiarum inductam extra thesim usurpatam fuisse Patres noverunt: in ea enim integrari quod omissum fuerit a mandatario; et conditio adhuc a rerum emptore impleri poterat; haud vero Crispinius efficere valeret, ut pretium praediorum manibus mandatarii Casanova traditum, per ipsum apud Jusium litteris collybisticis favore etiam Contaldi ac D'Orta repraesentaretur. Conditio illa « *che il prezzo de' fondi debba esser sborsato prontamente, e qui in Napoli con cambiali in testa dei signori Jusi, fratelli Contaldi e d'Orta nel domicilio di esso signor Jusi* » omne periculum amovebat ne mandatarius pecunia abuteretur, ac interesse tuebatur fratrum Contaldi ac D'Orta penes Jusium, adeo ut comode pretium divideretur inter possessorem praediorum ac fratres Contaldi et D'Orta creditores hypothecarios, quibus intererat, ne inscriptio deleretur antequam de credito satisfacti non fuissent. Igitur conditio in Jusii mandato suppleri nequibat, sicque constans erat, ut ea praetermissa contractus numquam extaret. Haec animadvertebant Patres qui tamen si aliquo modo oratoribus Crispinii credere maluissent ne eis quidem licuisset indulgere restitutionem in integrum. Etenim an judices rei judicatae prudentiorem, vel infirmiorem interpretationem conditioni in mandato alligatae dederint, inquirendum non erat, sed dumtaxat utrum manifeste aliqua lex vel pessumdata, vel neglecta ab iis fuisset, quod non accidit dum egerunt de interpretatione sive facti, sive juris, quam singuli judices pro arbitrio praebent, quin argui de violatione legis valeant, ut saepius Senatus noster respondit.

§ 7. Praemissa contractus nullitate, eaque a re judicata sancita incassum Crispinius violationem legis « *quoties de rei vindicat.* » adducere arbitratus est ita ut numquam ei in praediorum possessione Boccius praeferri potuisset, qui extra eam reperiebatur, ac insuper nec juxta contractum cum Jusio in institutione judicii dies advenerat, quo eadem praedia adoriri posset. Nullum enim jus Crispinius jactare poterat super iis praediis praeter illud quod a contractu cum mandatario advocati ei derivabat; amoto contractu obstructum est os ejus: quidquid igitur egeriut judices Crispinio non attinet omni loquendi ratione destituto.

§ 8. Crispinio placuisset quoquo modo in integrum restitutionem assequi; hanc igitur expetebat saltem ex parvipensa legum disciplinae methodo « *La inosservanza delle forme*

prescritte dalle leggi di procedura potrà ritenersi dal tribunale supremo come violazione di legge all'effetto di accordare la restituzione in intiero ne' seguenti casi . . . . 3.° se non fossero osservati i termini sostanziali del giudizio » §. 1059. Dica qua ejus procurator provocatus fuerat a Jusio ad dicendum contra nullitatem, unius diei potiusquam octo terminum, ut a praxi praescribitur, continebat: conjiciebat igitur Crispiuius tribuendam sibi esse in integrum restitutionem ob termini substantialis praevaricationem. Patres vero arguebant in incidentibus terminum dumtaxat unius diei a lege esse vocatum, ac insuper paragraphum 1059 haud Senatum nostrum adigere, sed dumtaxat libertatem ei concedere elargiendi restitutionem in integrum, ut plane eruitur ex verbo *potrà*. Ea igitur nostrum tribunal uti debere Patres existimarunt dum aliqua spes adsit, quod beneficium illud prodesse possit: verum quum quaestio inter Crispinium, Advocatum et Boccium omni fundamento careret, ut in posterum judicium reformari queat ad parcendas supervacaneas expensas Patres rescribere in utilitatem utriusque partis putarunt « *Nihil.* » Et ita conflicto experto jus redditum est.

« *Nondum reproposita* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Alexander Piccinini.

Prot. 10/1846 R. P. D. FERLISI Decisio LXXXI.

Ripana Circumscriptionis

Jovis 23 *Aprilis* 1846

Argumentum

Agitur de litis valore metiendo in actione vindicatoria, qua fructus quoque et damna, atque terminorum praedii in pristinum restitutio postulantur.

§ 1. Quum ex universali bonorum donatione, ineunte anno 1834 favore germani sui fratris Eusebii a canonico Seraphim Bassotti expleta, praediola etiam nonnulla, quae ab anno usque 1823 sacri patrimonii vinculo, ecclesiastica intercedente auctoritate, Seraphim subjecerat, proprio lubitu occupasset Eusebius eorum etiam finibus dejectis, judicio coram ripano vicario anno tandem 1837 adversus fratrem egit canonicus vindicatoria urgens actione « *che i predetti appezzamenti, dal citato indebitamente, non meno che ingiustamente tenuti, sieno dichiarati appartenere all'istante, il quale è in diritto rivendicarli, e che l'occupatore Eusebio sia costretto dimetterli, e restituirli con tutti li frutti pendenti, e che potevano percepirsi . . . . da fissarsi da uno o più periti* »; illud insuper in ima ejusdem libelli postulans cera, quod periti nimirum eligerentur viri « *anche per la stima dei danni . . . , e per la remissione dei termini divisorj qualora ec., e secondo il risultato* » reus conventus damnaretur « *alla restituzione o valore di tutto, e come di ragione* », sibique concederetur « *l'ordine esecutorio di restituzione, di remissione in possesso, e qualunque altro necessario ed opportuno* ». Amica undique sententia Seraphini favore a ripano vicario edita ad R. P. D. auditorem Camerae provocavit primum Eusebius. Dum autem novit non meliorem sortem apud eum sese fore experturum, ad imminentem, si fieri posset, avertendam cladem supremum nostrum adiit tribunal, acta cuncta in gradu appellationis gesta ex jurisdictionis defectu poscens delori. Quam tamen petitionem in hodiernis comitiis propositam rescripto « *Nihil* » ab omni procul cunctatione Patres rejecerunt.

§ 2. Res porro in thomate erat de unius, alteriusque praedioli *vindicatione* adversus germanum ejus fratrem Eusebium a Seraphino proposita, deque petita hujus *reintegratione* in ejusmodi fundorum possessionem. Litis ergo valor, unde praesens dirimenda contentio, non aliter quidem ex sanctione apertissima §. 457 *gregoriani regiminis* erat hauriendus, nisi ex *censuali* eorundem bonorum *aestimatione*. Quum pacificum itaque partes inter foret censualem eorumdem praediorum aestimationem in hypothesi qualibet Eusebio magis propitia

argenteis *quingentum* longe esse inferiorem, ambigi certe nullatenus poterat, quin proposita circumscriptionis petitio rejici omnino mereretur. Scitum quippe est, ex praxeos, quibus vivimus, legibus, ad unum R. P. Camerae auditorem controversias cunctas pertinere « *non maggiori di cinquecento scudi decise in prima istanza . . . . . dagli ordinarj diocesani dello Stato* », ita ferente §. 371 *ejusdem regiminis*.

§ 3. Perperam autem Eusebii oggerebat orator, ad litis valorem praefiniendum, censuali bonorum, de quibus agitur, aestimationi adjici insuper oportere tum *fructus et damna* quorum restitutionem vel emendationem in eodem libello actor postulavit, tum *aestimationem* praediorum ad Eusebium spectantium, quae a controversis praediolis in vim petitae terminorum restitutionis segregari debuissent: quibus sane nominibus singulis una simul junctis contendebat Eusebius, vel *indeterminatum* ob genericam fructuum damnorumque petitionem adjectam, vel argenteis saltem *quingentum* longe superiorem, litis valorem renunciari oportere. Incassum tamen. Quod enim primum ad fructus et damna pertinet, propositam diluebat difficultatem censura disertissima §§. 461 et 462 *praecitati regiminis*, ubi cautum nominatim est, accessorias petitiones id genus, nisi certam fructuum, vel damnorum quantitatem contineant, nullo prorsus in calculo ad litis augendum valorem haberi unquam mereri, quemadmodum supremum etiam tradidit tribunal *in Caesenaten. circumscriptionis* 19 *decembris* 1839 §. 6 *coram me; in Romana seu Spoletana circumscriptionis* 1 *aprilis* 1841 §. 5 *coram rmo P. D. meo Conventati decano, et in Romana circumscriptionis* 28 *martii* 1844 §. 5 *cor. R. P. D. Arnaldi.*

§ 4. Quam sane vulgatissimam regulam locum eo vel fortius in realibus etiam actionibus sibi vindicare, nedum rationis suadebat identitas, vel etiam potioritas, verum praecedens etiam *cit.* § 457 suadebat censura. Quum enim in realibus hujusmodi judiciis fructuum praesertim restitutio, licet expressim haud petita, ex ipsomet tamen legis veniat ministerio *ad text. in l.* 35 §. 2 *ff. de rei vindicat; et* §. *Inst. de offic. jud.*, si legislator hinc voluit, litis valorem ab una censuali bonorum aestimatione in iis metiri, propriomet quidem facto vere eloquentissimo satis luculenter ostendit, nullam prorsus de fructuum restitutione, quamvis sub vindicationis libello tacite comprehensa, habendam umquam esse rationem. Secus quippe nunquam praecedens *cit.* §. 457 dispositio in realibus et vindicatoriis actionibus sibi posset locum vindicare, quo sane nihil absurdius, veluti firmavit jamdiu nostrum tribunal *in Bononien. circumscriptionis, vel restitutionis in integrum* 16 *sept.* 1841 §. 4 *cor. R. P. D. Caracciolo Santobono nunc s. Congreg. boni regiminis a secretis, et in Bononien. circumscriptionis* 12 *sept.* 1844 §. 7 *cor. rmo P. D. Conventati decano.*

§ 5. Fructuum autem, damnorumque nomine ab Eusebii calculo dempto ruebat mole sua exceptio etiam altera ab eodem proposita, quod valor nimirum suorum quoque bonorum ad litis valorem metiendum haberi in pretio mereretur, quasi *de finium regundorum* ageretur judicio, in quo non agentis tantum, sed ejus *etiam, cum quo agitur*, jus in discrimen solet adduci *ad text. in l.* 10 *ff. finium regundorum, et* §. 20 *Inst. de action.* Licet enim fingeretur, veram *finium regundorum* actionem praeter actionem alteram ac principem *vindicationis* in Seraphini libello contineri, et censualem praediorum omnium aestimationem conjungi in themate opertere, quum tamen pacificum esset, fructuum damnorumque nomine seposito, causae valorem secundum perditissimam etiam hujusmodi hypothesim, calculesque ab Eusebio exhibitos summam scutorum 462 *et obol.* 91, haud excedere, firmum perpetuo immotumque manebat, nefas omnino esse de actorum validitate in themate dubitare.

§ 6. Hisce autem duo insuper accedebant gravissima; *alterum* nimirum, quod non veram quidem *finium regundorum* actionem, ab actione altera *vindicatoria* omnino sejunctam, Seraphini continebat libellus, sed meram tantum, simplicemque eorum *restitutionem* ipsemet postulaverat; quod sane petitionis genus nil aliud redolebat, nisi pedissequum et accessorium principis vindicationis, et reintegrationis actionis *consequens* et *corollarium*, unde scitum est causae valorem nunquam augeri; *alterum* vero in eo residebat, quod nunquam prorsus animo sibi Seraphim proposuerat, ullam super peculiaribus Eusebii bonis querelam excitare, neque alio quidem consilio dejectos fines in pristinum restitui statum is flagitaverat, nisi ut

praediola patrimonii sacri vinculo affecta sibi vindicaret; quo sane in themate absonum etiam erat ad censualem Eusebii bonorum aestimationem confugere, quemadmodum in simillimo casu supremum statuit tribunal *in Centumcellarum circumscriptionis* 5 *septembr.* 1839 *coram rmo decano.* Et ita etc. utraque etc.

Die 4 martii 1846. « *Declaratio pro parte D. Eusebii Bassotti.* »

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Marcus Antonius Marconi.

Prot. 32/1846 R. P. D. ARNALDI Decisio LXXXII

Romana Restitutionis in Integrum

Jovis 7 *Maii* 1846

Argumentum

Quaeritur an sub imperio Leoninae reformationis qui ex fiscali agebat privilegio creditoribus inscriptis denuntiare debuisset adjudicationem fundi sub hasta positi, et residui pretii sequutam depositionem.

§ 1. Vectigalibus cameralibus exigendis praepositus Camillus advocatus Costanzi, anno 1828 in Joachim Mariottum egit manu regia in summa argenteorum centum septuaginta novem, positis sub basta nonnullis stabilibus debitoris, inter quae, domus sita in via quam audiunt « *Cappellari* ». Cujus cum nemo licitatorum acquisitioni annuisset, altero programmate, ut reliquam summam scutatorum octo supra septuaginta assequi posset, oblatores excitavit; quod cum inani studio evenisset, e re sua duxit, domum sibi adjudicare, lucratoque triente, ut jus est ex lege, detentaque summa pro vectigalium solidatione, reliquam in scutis quingentis sex deposito reliquit quin creditoribus inscriptae in fundo hypothecae fulcitis, quidquam nunciaret, inter quos praestabat illustre urbis institutum quod ab angelica salutatione Deiparae Virginis nuncupatione decoratur, hypothecam specialem eo in fundo habens scutatorum vi tercentum quadraginta novem et assium quindecim. Quo factum est, ut deposita summa chirographarios quosdam creditores inter ipsumque debitorem Mariottum iverit in pessum, actui illegitimo per procuratorem Constantio consensionem praebente, atque institutum vacuis remaneret manibus pro assequutione crediti profluentis ex canonibus sibi debitis, effectu inscriptionis destitutum.

§ 2. Vix instituti pii moderatoribus innotuit, hypothecae vinculo devinctam domum a tertio possideri, ut aliquando inscripti crediti satisfactionem obtinerent, hypothecariam actionem instituere existimarunt adversus Camillum possessorem, coram secundo turno congregationis A. C. assueta formula, ut vel debitum persolveret, vel fundum dimitteret. Tam quae prior judicium protulit sectio, quam altera in gradu appellationis, utraque instituti vota excepit, actionemque probavit. Rejudicata perculsus, haud fractus animo Constantius, restitutionis in integrum postulatum interposuit, quod tamen Patres hodierna die rejiciendum censuerunt edito responso « *nihil* », ex juris momentis mox exponendis.

§ 3. Nulla quippe injustitiae labe remjudicatam notari posse, quin imo in jure rationeque optima fundamenta ponere Patres noverunt. Constabat profecto de credito et hypotheca legitime inscripta, eamque minime unquam juxta legum canones deletam fuisse. Merito igitur actio instituti probata est, quae in rem sine traditione, proprie hypothecaria dicitur, ejusque effectus ut inscriptam summam aut solvere, aut rem exhibere possessor agenti creditori teneatur ad *leg. si fundus* 16 §. 3 *et leg.* 17 *ff. de pignor.*

§ 4. Verum haec juridica principia neque Constantius possessor negabat, id unum summo nisu contendens, minime se ex privilegio fisci obligatum creditoribus inscriptis adjudicationem, pecuniaeque depositionem sequutam denuntiare, sed, pro quavis denunciatione, programmate licitatores ad alliciendos repetito, fixam satis superque fuisse, juxta

disposita in leonina reformatione *articulis* 448, 450 cujus ad imperium controversia temperanda esset. Perperam vero, et absurde. Etenim adducti articuli de manus regiae executione in debitores fiscales, pluribus resecatis praxeos formulis, programma unicum ad subjicienda pignora praeconis carmini acerbo sufficere providebant, neque alio prorsus spectabant, quam veluti canit intermedius articulus 449 « *la più spedita percezione di ciò che appartenga all'erario* ». Verumtamen generalis florebat dispositio, quae methodum universalem praescriberet, regulasque observandas juberet pro hypothecarum incolumitate eorum creditorum, qui servatis legibus publico codici hypothecas inseruerant. Quoad harum purgationem januarii circa exitum mensis anni 1828, ejusdem Pontificis motus proprius super hypothecario regimine jubebat articulo 158 « *La delibera, o aggiudicazione sarà intimata a tutti li creditori iscritti sopra il fondo, o fondi subastati compresi anche quelli iscritti posteriormente alla prima intimazione* ». Atque ipsa in leonina reformatione eadem observatur universalis disciplina *ex art.* 805 « *L'istanza, e decreto di subasta per mezzo dell'esibitore dovrà trascriversi nell'officio delle ipoteche del circondario, dove esistono i fondi. Tale iscrizione dovrà intimarsi al debitore, o al suo procuratore, ed a tutti quelli creditori le di cui ipoteche trovansi iscritte.* »

§ 5. Itaque ineptissimum erat arguere ex privilegio fisci, quod satis ei sit programma unicum ad licitationes ineundas, idem sufficere denuntiationi a lege praescriptae creditoribus hypothecariis. Speciale enim illud privilegium erat in casu licitationum, et ad finem obtinendae solutionis vectigalium quam citius. Generalis autem dispositio in altero casu ac fine, scilicet existentiae inscriptionum, et ad incolumitatem creditorum, cui lex providit, ne servata inscriptionis lege eorum credita defraudarentur. Quod si concessum a lege in casu illo licitationum conficiendarum, minime concessum in casu inscriptionum purgandarum dici debet. Ex regula, quod voluit expressit, quod non expressit noluit. Et jure; nam privilegium illud fisco concessum ejus favorem respiciens arbitrarium erat; poterat enim, si voluisset, aliis etiam programmatibus uti. Alterum pro substantiali forma jussum erat ad evitandum creditorum praejudicium, fideque optima sub legis clypeo commorantium. Neque ullo sane modo intelligi posset, sacratissimum Principem, qui sapienter optimoque consilio creditorum hypothecariorum juribus providit, ea tamen convelli ex privilegio celeritatis judicii pro vectigalibus exigendis voluisse, quod sane evenisset, si insciis creditoribus, pecunias, quae juxta hypothecarum seriem distribui oportuissent, alii per injuriam corradere voluissent. Ast nemini non dictum generale statutum sive universalem dispositionem suaptae vi omnes casus omnesque personas, etiamque privilegiatas, ipsumque fiscum includere ad *text. in leg. in fraudem* §. *fin. ff. de testam. milit. dec. consil.* 531 *numer*. 30; *Boss. de jure fisci et privilegio ejus numer.* 76. Nam fiscus nominatim in specie privilegio haud donatus, jure privato communique utatur oportet *ad text. in leg. quod placuit in fin. ff. de jure fisci; Menoch. consil.* 242 *numer.* 9; *Surd. dec.* 63 *numer.* 11. Quod vel etiam in dubietate privilegii procedit *Peregrin. in tract. de jure fisci lib.* 6 *tom.* 1 *numer.* 1.

§ 6. Cum igitur monita legis in uno casu, protrahi sive intelligi minime possunt in longe diverso, redargui nequit resjudicata si, haud obstante obsignatione reliquae summae, nihilominus actionem hypothecariam probaverit; nullam quidem violavit legem, neque objectis leoninae reformationis articulis contradixit. Nam et si ex privilegio valida existimari debeant acta usque ad sequutam adjudicationem, nihilominus, si super fundo purgandas esse hypothecas placuisset, juxta formam constitutam a lege omnes casus omnesque personas ipsumque fiscum amplexante, creditoribus inscriptis actus adjudicationis effectique depositi nunciandus erat. Alioquin omissa substantiali forma legis, fundum cum vinculis hypothecisque suis adjudicatarius in generali dispositione, omni exutus privilegio, in se transferebat, coactus subinde vel aes alienum dissolvere, vel rem exhibere ipsam ex jure superius exposito.

§ 7. Maxime vero cum duo concurrant quae remjudicatam honestant. Primum, quod idcirco depositi administri custodes reliquae illud obsignatae summae quibusdam

chirographariis ex condicto cum debitore Mariotto tradiderunt, et ex approbatione per procuratorem Constantii scripto reddita. Quod saee factum minime unquam tertiis innocuis atque insciis, jus certum ac praecipuum super summa, loco rei posita, habentibus, praejudicium potuit inferre. Alterum quod idem Constantius cum in alia simili licitatione super solutione vectigalium ordinem relatum pro subhastatione mense septembris anni 1825 eidem instituto pro alio inscripto nomine nunciaverit, facto edocuit suo, denunciationem creditoribus inscriptis esse ineundam. Neque increpandus actus ille est veluti erroneus vel imprudens. Non enim quod lege jubente fit, erroneum imprudensque iucusandum, sed juridicum ac necessarium habendum. Contra imo omissio fieri absque injuria non potuisset; quemadmodum ex recitatis dispositionibus de regimine hypothecario ipsiusque Leoninae reformationis articulis, exequi denunciationem cavetur, quae jussio parendi necessitatem secumferebat. Atque ita utraque strenue etc.

Die 6 augusti 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Antonius Fabj — D. Stanislaus Vannutelli.

Prot. 211 / 1845 R. P. D. FERRARI Decisio LXXXIII.

Montis Alti Circumscriptionis

Jovis 7 Maii 1846.

Argumentum

Cum judicio praeventivo et in sequelam disdictae petita fuerit coloni exfractatio vix colonia finem habuisset, quaestio est de hujusce litis valore.

§ 1. Joseph, Laurentius et Franciscus De Sanctis anno 1844 agrum colendum a Brephotrophio Firmi receperunt pro quota parte fructuum, qui quolibet anno ad scuta 85. 75 assurgere poterant, uti inter litigantes pacificum est. Insequenti hinc anno, quum illius pii loci moderatores consilium coepissent ab eo contractu recedendi mense majo, tempestivo nimirum tempore disdictam colonis nunciaverunt, quam Joseph tam nomine proprio, quam fratris atque patris validam declaravit, acceptam habuit, ac promisit « *di abbandonare ogni e qualunque atto possessorio sull'enunciato fondo consumata appena la vendemmia del corrente anno* 1845 ». Revoluto vero pallio impedimenta postea paravit, quominus novus colonus terram ad futuram messem colligendam pararet; quocirca brephotrophii curatores praeventivum judicium urgenti via coram gubernatore Montis Alti introduxerunt, quo postulaverunt « *sentirsi decretare che saranno tenuti abbandonare la colonia del terreno appena compiuta la vendemmia del corrente anno;* » simulque petierunt « *inibirsi formalmente di non impedire, ed in qualunque modo molestare il nuovo colono nei lavori preparatorj per il futuro anno sotto pena dell'emenda di ogni danno, spese ed interessi da liquidarsi* ». Fori declinatoriam ratione valoris rei conventi exceperunt, sed gubernator propria competentia declarata brephotrophii instantiam probavit sententia diei 27 octobris praeteriti anni. Recursum hinc coloni apud nostrum Ordinem interposuerunt ut omnium actorum circumscriptionem obtinerent, atque voti compotes facti fuerunt rescripto « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram gubernatore Montis Alti cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisditionis partes utantur juribus suis* ».

§ 2. Nam praetermissa quaestione utrum colonia societatis contractui similis sit, vel potius locationis regulae aptari ei debeat, jurisdictione tamen gubernatorem Montis Alti destitutum esse PP. mei censuerunt. Nam agebatur de exfractatione post finitam coloniam, uti liquet ex ipso libello, quo judicium inceptum fuit. Hoc vero in casu patula est codicis pragmatici littera in §. 455, in quo sancitum est, quod « *allorchè la espulsione si domanda dopo scorso il termine dell'affitto la competenza si determina con le norme indicate nel* §. 452, » quo in §. cavetur litis valorem sumendum esse a re-

sponsione vicies multiplicata « ibi » *Nei giudizj di caducità, o cessazione di enfiteusi il valore della causa si desumerà dal canone enfiteutico moltiplicato venti volte.* » Quum itaque ex quota fructuum quotannis colonum summam scutorum 85. 75 percipere potuisse pacificum utrinque sit, calculanti patet quod summa haec vicies aucta longe superat vim scut. biscentum, intra quam vim judicum singularium jurisdictio cobibita est.

§ 3 Perperam vero brephotrophii defensores objiciebant exfractationis instantiam promotam fuisse antequam colonia exitum haberet; quo in casu valor litis mensurandus est « *da tutto il tempo, che ancor ne rimane al compimento* » prout sancitum est in §. 454. Nam PP. perpenderunt actum fuisse de judicio vere praeventivo, quod judicium si in quovis casu institui valet, eo magis pro colonorum exfractatione instaurari posse docent recta ratio et experientia. Ceterum cum causa petendi in finita colonia posita fuisset, valor idem manet, quantumvis durante colonia judicium motum fuerit; praesertim quum mandatum petitum fuisset, ut post coloniae finem, videlicet absoluta vindemia decerneretur « *che saranno tenuti ad abbandonare la colonia compiuta la vendemmia del corrente anno* ». Minime itaque oberat coloniae existentia tempore incepti judicii, statim ac tota exfractationis causa in coloniae fine recumbebat, uti in simili casu definivit noster Ordo in *Perusina circumscriptionis* 6 *aprilis* 1843 *coram rmo P. D. meo Decano.*

§ 4. A veritate abhorrebat id quod brephotrophii patroni contendebant, judicium nimirum versatum fuisse super validitate et efficacia disdictae, quo in casu de singularis judicis jurisdictione dubitari non potuisset. Nam primum ipsa sententia animadvertit, quod « *non è stata fatta alcuna opposizione alla disdetta volontariamente accettata* »; deinde litis valor ab actoris petitione metiendum est. Brephotrophium vero pro exfractatione tantum ob finitam coloniam, minime vero pro disdictae validitate egisse satis superque evincit pars dispositiva libelli. Etiamsi itaque in litis aestu disdictae nullitatem vel inefficaciam coloni excepissent, nihil tamen proficerent. Nam pro litis valore constituendo quid petitum fuerit, non quid exceptum, non quid judicatum inspiciendum est, uti *post text. in leg.* 19 §. *quoties de jurisdict. omnium jud.*, sancivit *codex praxeos* §. 463 « ibi » *In tutti i casi il valore della lite sarà determinato dal valore della cosa richiesta* ».

§ 5. Neque ullo in pretio haberi poterant ea, quae post absolutum judicium in actu recursus apud Ordinem nostrum interpositi jactata fuerunt, judicium videlicet versatum fuisse super acceptatione disdictae, quam coloni oppugnabant. Si enim ad litis valorem constituendum spernenda sunt ea omnia, quae ipso procedente judicio per viam exceptionis in medium allata fuerunt, eo magis posthabendae sunt rationes in recursu expressae. Nam absurdum fuisset absoluti jam judicii naturam et valorem litigantium placito, declaratione videlicet ad opportunitatem excogitata, immutare; si enim doctrina haec puncto temporis obtineret, regula illa prorsus prorsusque everteretur, qua docemur litis valorem ab actoris tantum petitione constituendum esse. Et ita etc. utraque etc.

Die 23 Julii 1846 « *Nihil de circumscriptione, et extendatur decisio per R. P. D. Arnaldi, et reproponatur* ».

Die 3 Septembris 1846 « *In secundo loco decisis.* »

Procuratores — D. Petrus Xistus Angelini — D. Philippus Maria Salini.

Prot. 24 / 1846 Rmo P. D. CONVENTATI Decano Decisio LXXXIV.

Verulana Circumscriptionis

Jovis 9 *Julii* 1846.

Argumentum

Disceptatio instituitur super prorogatione jurisdictionis juxta formam constitutionis Benedictinae, nec non super nullitatis remissione quae ex jurisdictionis defectu oriebatur.

§ 1. Duae sorores, quae in sacris concessae fuerant, videlicet Cajetana Joanni Novelli, et Vincentia Aloysio Fiorilli, erant sacerdoti Angelo Mazzoli verulano, quibus communis parens in cujus jura filius successerat, dotem expromiserat, quin soluta earum neutri fuisset. Mortua Cajetana filiam Franciscam reliquit, quae nupsit Jacobo Papetti. Nec post avunculi funus juribus matris induta Vincentiam viduam Fiorilli fratris haereditate pollentem adorta est, quam postea coram vicario generali Verularum vadata est viro suo adjuncta, ut scuta tercentum rependeret quotquot pro matris dote adstipulata enitebant. Vice procurae dicam rea conventa cuidam procuratori tradidit, per quam in actis exhibitam judicium contestatum fuit. Quaestio progrediebatur, adeoque Vincentia pugnavit, ut nisi integrum dotis compendium per documenta producta, ejus medietatem datam fuisse probare valuerit. Viduae tamen displicuit judicis animum penitus vincere non posse, et poenitens se ejus jurisdictioni subjecisse, incompetentem esse declaravit in actis, insuperque de nullitate processus protestata fuit, quatenus ad judicem idoneum adversaria quae essent sua jura non attulisset. Sprevit verulanus vicarius serotinam foeminae querelam, ediditque sententiam qua eam ad scuta centum quinquaginta solvenda dumtaxat damnavit. Vincentia appellationem interjecit se experturam obtestans actorum nullitatem coram Ordine nostro. Inde conscendit ad assessorem A. C. Soffredini in ecclesiasticis, tulitque ut inscriberetur in classe causarum vulgo *ruolo* appellatum judicium, de eoque disputaretur utrum executivum vel devolutivum a judice renunciaretur. Hisce remediis decepta, praebabito consueto recursu, Patres hodie oravit ut singula circumscriberentur ex defectu jurisdictionis quae Verulis acta fuerant cum ceteris inde secutis. Inaniter tamen. Nam mihi injunctum est prodere argumenta quibus rescriptum « *nihil* » fulcitur, ex quibus vidua conjicere queat utrum ei novum certamen aggredi presit.

§ 2. Universa oratio Vincentiae Fiorilli versabatur super constitutione summi Pontificis Benedicti XIV ac paragrapho 358 gregoriani codicis, quam regulam Senatum nostrum haud raro secutum fuisse, allatis decisionibus demonstrabat. Arguebat inde frustra patronum pro ea defendendi munus suscepisse, nullo per se praestito consensu, ut lex omnino indicit, irritans imo quidquid pro aequipollenti aliter actum sit. Argumenta laudabilia, Patribus haud recentia, foeminae prorsus inutilia.

§ 3. Nova per nuper elatum Principem maximum adducta praxi singulis paragraphis cum ceteris haud subito conciliatis quaedam decisiones eruperant, quae viduae eloquiis respondebant; verum, maturius thesi perpensa, novae subingressae sunt, quae ab antiquarum proposito recesserunt. Mitto quod quis ex Patribus hodie constitutionem Benedicti XIV in urbe cohibebat ut uni eminentissimo Vicario directam, quin ea ideo uti posset foemina verulana. Illud vero quod suffragantium animum continuit, ne incaute ad circumscriptionem elargiendam descenderent, eminet ne dumtaxat in postremis eorum decisionibus, verum maxime in argumentis, quibus eae fulciuntur, quaeque convelli haud amplius possunt.

§ 4. Gloriosissimi Pontificis Benedicti XIV constitutionem inficiari Patres non audent, eamque ad judices ecclesiasticos quascumque controversias deferre sivisse contendentium arbitrio concedunt, ea quidem lege ut reus conventus laicus in actis sui proprii judicis suam voluntatem promat se libenter sistere coram ecclesiastico, qua decla-

ratione omissa, nullum irritumque judicium sponte sua decidat. Fatentur etiam nulla limitatione paragraphum 358 codicis gregoriani servatam voluisse laudatam constitutionem, ut inter laicos jurisdictio ecclesiastici judicis valeat, quin tamen caetera despicere eis liceat quae in eodem codice sancita leguntur.

§ 5. Sciebat Vincentia incompetentem esse vicarium verulanum ad controversiam definiendam, quam conjuges Papetti in ipsam suscitaverant: id enim probavit quum in postrema litis periodo sero sollicita eidem judici incompetentiam objecit, actorumque nullitatem secus se vindicaturam esse professa fuerit. Vidua igitur contumaciam servans ab illius jurisdictione convalidanda abstinere debebat, vel saltem renuens jura sua ac documenta causae merito idonea coram eo judice perbibere; tunc et constitutio Benedicti XIV, et §. 358 foeminae profuisset, cum ejusque sermone hodie Patres convenissent. Experiri tamen eam voluit: legi igitur se subjiciat, quae in §. 785 jus ei adimit nullitatem actorum provocandi, eorumque circumscriptionem. « *E' rimesso e sanato il difetto di giurisdizione in ordine alle persone laiche, se la parte comparisce, e senza opporre l'eccezione di nullità produce documenti e difese relative al merito della causa.* » Quam legis prudentiam statim ac Patres ad citatum paragraphum mentem verterunt, secuti sunt, eamque in posterum retinuerunt veluti patet ex *Ariminen. circ. si rest. in integr.* 6 *junii* 1839 *cor. R. P. D. Grossi, ac ex Romana circ.* 20 *junii* 1839 *cor. R. P. D. Morichini;* ex altera *Civitatis Castelli* 20 *junii* 1843 *cor. eodem Grossi*, ac tandem ex *Interamn. circ.* 3 *aprilis* 1845 *cor. R. P. D. La Grua.*

§ 6. Perculit et viduam evidentissima relati paragraphi praescriptio; quare studuit illa ejus sensum contorquere, ne obesse ei posset. Inficiari haud arbitrata est de laicis loqui in quorum classe tum ipsa, tum aemula sua reperiuntur: maluit igitur proprio marte genus excipere, et ad peculiarem speciem dumtaxat paragraphum referre, nempe quum extra domicilii fines qui laicus jurisdictionem prorogaverit judicis non sui ratione loci. Patres vero quorum interest ne leges deturpentur, extraneam illam distinctionem repulerunt satis instructi ut quum lex generaliter loquatur, generaliter sit accipienda; *Leg.* 1 *§. generaliter ff. de legat. praest., leg. de praet. ff. de public. in rem action., leg. dissentientem cod. de repud., et leg. illam cod. de collat.*

§ 7. Parum Vincentiae Fiorilli videbatur legis evidentiae non credidisse; quatenus ab ea se redimere non posset, nullum consensum praebuisse jurisdictioni vicarii verulani sine rubore adfirmabat, documentaque in ea curia producta nihil affecisse, quaeque nec ex ejus manibus procuratorem (quem nullo mandato suffultum dicere praesumebat) recepisse subdebat, ex iisque conjiciebat tempestive de incompetentia judicem monuisse et constitutionem Benedicti XIV ac §. 358 sibi aptandum esse iterum clamabat.

§ 8. Mirati sunt patres foeminae libertatem, qua nec procuratorem a se constitutum fuisse, nec ei documenta praebuisse dicebat, quum loco mandati libellum quo ad judicium vocata Vincentia fuit mandato aequivalentem causidico Josepho Pennati dederit simul et documenta, quae ab alio nemine in lucem venissent, quaeque adeo profuerunt, ut pro medietate expetitae dotis adversariae satisfactum fuisse probationes subministrarint. Ex actis enim Patres eruerunt quanta validitate Vincentia Josephum Pennati sibi et procuratorem delegerit, quaeque documenta ei suppeditaverit, et quidem utilissima. Convincatur igitur vidua se jurisdictioni libenter subjecisse vicarii verulani, eamque convalidasse ita ut insanum sit pro nullitate actorum orare: eo magis vero quia post latam ab eo judice sententiam a qua dum Vincentia appellationem interponebat ac profitebatur se nullitatem experire velle, propositi oblita eam cum festinatione coram assessore Soffredini in ecclesiasticis prosecuta est, tulitque ut de judicati executione disputaretur ac adversus se definiretur, potiusquam circumscriptionis querela anteiret, quae potius ante judicem ordinarium peragenda erat quam deferenda ad Ordinem nostrum, ut Patrum unus arbitratus est cum sensu et littera cohaerens §. 789 « *Le nullità delle sentenze per tre difetti sostanziali non rimesse, e non sanate si propongono innanzi i tribunali*

di secondo o di terzo grado a cui si porta l'appello del merito principale ». Valedixit igitur vidua cuicumque nullitati si qua coram verulano vicario irrepsisset quum ordinario uti magis quam extraordinario remedio praetulerit.

§ 9. Postremum argumentum, a quo diffugi nequit, quodque vires auget dispositioni §. 785 ut bujus generis quaestionibus referri non dubitetur, consistit in insuperabili legis manifestatione ac invariabili doctrina, qua eae dumtaxat nullitates, quovis intercesso partium consensu, absolvi nequeunt, quas complectitur §. 786. « *Il difetto di giurisdizione concernente la materia ed il valore della lite, ovvero le persone e le cose soggette al foro ecclesiastico è assolutamente insanabile* ». Igitur quidquid praeter illas species judicum jurisdictionem afficit, sanari potest, sed laicos aute ecclesiasticos judices traducere extra exceptam classem a lege invenitur; igitur nihil viduae superest quo ad Benedictinam constitutionem ac ad §. 358 recurrere valeat.

§ 10. Parvi fecerunt Patres quae circa excessum vicarii verulani in proferenda sententia vidua reminiscebatur, quum ea pertineant ad implorandam assequendamque restitutionem in integrum, ut Senatus noster in postremis decisionibus jure merito firmavit, potiusquam ad circumscriptionem juvandam, cujus petitio quum rationibus penitus careat, aptissime meruit rescriptum « *nihil* ». Et ita utraque confligente parte jus redditum est.

Die 2 septembris 1847 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Dominicus Amici — D. Aloysius Tirinelli.

Prot. 212/1844 R. P. D. PACCINELLI Decisio LXXXV.

Interamnen. Circumscriptionis

Jovis 9 *Julii* 1846

Argumentum

Agitur de competentia in causa minori, quam interesse municipii respicere contenditur.

§ 1. *Causam* de restitutione vectigalis in scut. 53. 90, quam adversus Antonium Morelli « *nella qualità di subappaltatore del dazio sulle carni suine della città di Terni* » coram tribunali Spoleti instituerat a die usque 26 augusti 1835 popularis civis Joseph Cruciani, quamque praecedentes meminere « *decisiones jam prolatae ab R. P. D. meo Arnaldi* 17 *aprilis* 1845, *et R. P. D. meo Lippi* 12 *junii ejusdem anni* », SSmi rescriptum 27 aprilis nuper elapsi editum ad normam §. 8 edictalis legis 25 julii 1835, et §. 1700 vigentis praxeos declaravit « *spectavisse, et spectare ad Magistratus ordinis judiciarii, ac propterea causam etiam super petita actorum circumscriptione a supremo tribunali Signaturae esse definiendam* ». Cum itaque post haec Cruciani petitio contra Morellium, contraque Aloysium Venturini ex interventu necessario ad principem causam vocatum pro assequenda nullitate sententiarum, quas super merito post diem 6 februarii 1840 Spoleti primae actionis tribunal protulerat, hoc mane definienda coram nostro supremo Ordine rursus fuerit proposita, voti compos tandem recurrens factus est rescripto « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis post diem* 6 *februarii* 1840 *coram tribunali Spoleti cum omnibus inde secutis ex defectu jurisdictionis rr. uu. jj. ss.*

§ 2. Ut legis, qua moderamur, praecepto sub §. 1084 « ibi » *Il tribunale emanerà il rescritto contenente il suo opinamento sull' istanza promossa* », Patres obsequentissime inservirent, sic in rescribendo circumscriptionem duxerunt coercere, licet prospicerent aeque caetera coram Spoleti tribunali usque ab initio gesta insanabili nullitatis vitio penitus laborare. Patulus autem erat jurisdictionis defectus in memorato nuper tribunali, ex quo exploratissimum ibat in themate causam scut. 53. 90, quam utpote de *minoribus* lex vigens adsessorum aliorumve jusdicentium judicio in prima sede expresse

reservavit, ita ferentibus §§. 286 *et* 292 *judiciarii regiminis*, tribunalis subselliis in primo jurisdictionis gradu pro definitione fuisse delatam; quando eadem jubente lege sub §. 291 tribunalia civilia cognoscere ac judicare tantum valent « *in prima istanza le cause maggiori di ducento scudi, o di valore indeterminato* ». Non erat itaque, de quo dubitari posset in decernenda circumscriptione ex apertissimo jurisdictionis defectu, quem veluti *ex litis valore* haustum nullo litigantium facto, aut consensu abstergi vel leviter posse, quemque ex privilegiata quadam exceptione ab hoc uno supremo Ordine definiri omnino debere lex ipsa nominatim statuit sub §. 786 « ibi » *Il difetto di giurisdizione concernente la materia ed il valore della lite, ovvero le persone, o le cose soggette al foro ecclesiastico è assolutamente insanabile* », et sub §. 791 « ibi » *È riservata esclusivamente al tribunale supremo la nullità per difetto di giurisdizione, se il difetto riguarda la materia, o il valore della lite, ovvero le persone, o le cose appartenenti al foro ecclesiastico* »: cui plaudet supremus hic Senatus in *Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 6 *junii* 1839 §. 4 *coram R. P. D. meo Ferlisi, et in Beneventana circumscriptionis* 18 *martii* 1841 §. 9 *coram R. P. D. meo Lippi.*

§ 3. Neque adversantibus Morellio et Venturinio quidquam profuit contendere actum in judicio de interesse communitatis, quae a Morellio vectigalis restituendi subredemptore in jus rapto repraesentabatur, atque ita ad circumscriptionem effugiendam uterque totus erat in recitanda censura §. 291 num. 2 « ibi » *Li tribunali conoscono, e decidono in prima istanza . . . . 2. Le cause di qualunque somma abbenchè non maggiori di ducento scudi, che riguardano l'interesse de' comuni e delle provincie* ». Perpenderunt siquidem PP. mei, qua solent prudentia et aequanimitate, sub causarum nomine, quae respiciunt « *l'interesse de' comuni* », eas tantum venire quaestiones, quae verum, directum ac praecipuum continent municipiorum ac provinciarum interesse ad tradita in *Firmana circumscriptionis* 6 *junii* 1839 §. 3 *in fin. coram rmo P. D. Decano.* In praesenti autem themate istiusmodi interesse impossibile erat Morellio atque Venturinio qualibet ratione ostendere, tum quia ex vectigalis restitutione nullum afferebatur praejudicium communitatis juribus, cui aequa semper ac certa rependenda erat redempturae depacta pensio, tum quia ad instar locationis quaesturae hi contractus conficiuntur, quin de subconductionum effectibus, deque pactis onerosis municipium vel fiscus unquam vereatur, ceu ostendunt ejusdem redempturae generales articuli vulgo *capitolato*, qui sub num. 2 procul a quovis municipii interesse ac praejudicio mandabant vectigalis restitutionem a redemptore cuilibet privato faciendam, quoties hic suillarum carnium quantitatem asportationem, peractumque commercium extra Interamnae agrum docuisset. Ad rem supremus hic Senatus in modo dicta *Firmana circumscriptionis* 6 *junii* 1839 §. 2 *cor. rmo P. D. Decano.*

§ 4. Atque inutili nisu post haec Morellius pro actorum validitate sustinenda, sese juvare studebat de propria quoad municipium Interamnae cessionarii qualitate ob ipsam subredempturam, vi cujus fori quoque privilegium induci contendebat, cumulatis in id plena manu auctoritatibus post textum *in leg. via §. quicumque ff. si servit. vindicet., in leg. fiscus ff de jure fisci, in leg. qui a tale ff. solut. matrim.; dec. in leg. omnibus causis ff. de rejud.; Soccin. cons. num.* 3; *Gallerat. lib.* 1 *cap.* 4 *num.* 25 *et* 42; *Olea de cess. jur. et act. tit.* 6 *quaest.* 3 *num.* 13, *et Rota decis.* 400 *num.* 4 *et seqq. part.* 9 *tom.* 2 *recen.* Facto namque discrimine inter privilegium, quod inhaeret *personae*, et illa, quae *rei* tantum aptantur, Patres iisdem freti Morelli doctrinis sibi facili studio suadere debuerunt, memorata a Morellio jura vel contra ipsum retorqueri, vel nihil comune habere posse cum praesenti quaestione, in qua non reale, sed personale tantum privilegium, veluti illud fori est, *Olea de cess. jur. et act. tit.* 6 *quaest.* 3 *num.* 30*; Gutien. quaest.* 26 *num.* 12 *ex Castill. Azevedo*, in discrimen venit. Neque vera ex jure modo dicti §. 291 num. 2. tribunalia civilia a lege data sunt ad causas municipiorum, qua municipia sunt, pro directo eorum interesse singillatim dirimendas. Fiunt ergo hoc in casu ipsamet tribunalia tot *privativa* in jure dicundo subsellia ex uno privilegio morali municipiorum

personae indulto, quod proinde nec dari nec in alium transferri ullo modo valet; nam personale privilegium privilegiati personam, atque in casu municipia ipsa, quae ab uno moderatore « *che ne fa le veci* » ita monente praxi *sub* §. 488 repraesentantur, egredi non posse juris est compertissimi *in leg.* 1 §. *ult. ff. de vi et vi arm., in leg.* 9 §. *ult. ff. de public. et vectig.*, quibus congruit *Gironda de privileg. quaest.* 226 *num.* 1201; *Olea de cess. jur. et act. quaest.* 3 *num.* 22, ac tandem supremus noster Ordo *in Pisauren. restitutionis in integrum super fructibus,* 12 *februarii* 1846 §. 4 *in fin. coram me.* Atque ita utraque etc.

Die 20 augusti 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Vincentius Binarelli — D. Bartholomaeus Belli.
D. Pontianus Desantis.

Prot. 241/1843 **R. P. D. FERLISI** Decisio LXXXVI.

Privernen. Circumscriptionis

Jovis 9 *Julii* 1846.

Argumentum

De judicii indole ex praecipua petitionis parte metienda, et de interesse in causa primario, vel secundario disceptatur.

§ 1. Ad varias praecidendas lites Theresiam inter Tasselli Caroli Leoni viduam, et germanum hujus fratrem canonicum Joachim Leoni ferventes, ex quibus altera falsitatem respiciebat assertae bonae fidei declarationis post Caroli obitum in medium repente a canonico prolatae ad vindicandam sibi proprietatem rustici praedii nuncupati « *Colle Rotondo* » Caroli nomine anno 1810 coempti, privata concordiae syngrapha ad diem 6 maii anni 1823 Theresiam inter et Joachim obsignata est, illudque caetera inter in ea cautum, ad unum reapse canonicum memorati fundi dominium pertinere. Brevi tamen defuncta Theresia, ac veteribus rursus jurgiis testamentarium inter ejusdem haeredem Jo. Carolum Terdozzi et canonicum Leoni redintegratis, diem huic in urbe apprehenso coram A. C. Manari septembris labente mense anni 1829 Jo. Carolus dixit, solemni postulans ritu declarari « *nullum, irritum, ac nullius roboris et effectus contractum transactionis diei* 6 *martii* 1823, *et pro hujusmodi effectu mandari per citatum restitui instanti praedium positum in territorio Priverni in vocab. Colle Rotondo, et in illius possessionem eumdem instantem redintegrari* ».

§ 2. Undique tamen cor. innocentiano judice Joachim victus ab illius sententia ad s. Ordinem cor. R. P. D. Marini, nunc almae urbis praefecto, provocavit; quo coram integram primum litem, tum super nullitate transactionis, tum super restitutione praedii est contestatus; verum nuncio postea principi nullitatis causae apud judicii acta misso contentionem omnem ad unam praedii restitutionem cohibuit. Post duplicem autem acceptam cladem, ac vere innumeras forenses adhibitas tricas recursum in volvente tandem anno 1840 ad Ordinem nostrum interjecit, acta cuncta in hujusmodi judicio gesta poscens deleri, vel causam saltem eam cum judicio altero jurgans conjungi easdem inter partes cor. R. P. D. Alberghini fervente. Causa tamen in comitiis diei 17 septembris ejusdem anni proposita, rescriptum in acri partium certamine prodiit « *Nihil de circumscriptione et unione* », veluti palam facit decisio ab R. P. D. meo Arnaldi ad eam diem edita, quam albo undique calculo in conventu diei 17 decembris ejusdem anni supremum probavit tribunal. Re autem absolutissima judicata adversus canonicum orta, novit Terdotius praedium *Colle Rotondo* dotis nomine in illius neptem Annuntiatam Leoni viduam Setacci migrasse, novumque proinde *ex integro* judicium coram frusinonensi primarum instantiarum collegio adversus eam tam proprio, quam tutorio filiorum nomine instituit,

eorum expulsionem e controversi praedii postulans possessione, votique compos factus is plenissime est tum ex frusinonensis collegii sententia illius favore edita, tum ex geminis et elucubratissimis s. Rotae decisionibus ab R. P. D. Boninio in gradu appellationis interea temporis vulgatis. Haud tamen animo fracta Annuntiata acceptae cladi medelam facile sese parare posse censuit, anterioris judicii cum canonico Leoni jamdiu acti nullitatem, licet incassum ab eo jamdiu petitam, proprio iterum nomine urgens. Ejus tamen spem hodie fefellit eventus; « *nihil* » enim Patres rescripserunt, dato mihi ex turno munere decisionis vulgandae.

§ 3. Non acta in expulsionis judicio adversus eam gesta circumscriptionis gladio deleri urgebat hodierna die Annuntiata; sed ejus petitio ad anterius dumtaxat cohibebatur judicium quod adversus ejusdem patruum canonicum Joachim Leoni coram A. C. Manari anno 1829 instituit Terdotius, et in rem jamdiu abiit judicatam. Duplici autem ex titulo actorum hujusmodi validitatem eadem carpebat, tam ex *citationis* scilicet defectu, quam ex defectu altero *jurisdictionis*. Et primum ex citationis defectu. Quum controversi enim praedii possessio ad diem instituti hujus judicii, non apud canonicum quidem, sed apud eam potius, ejusque virum dotis nomine maneret, eoque adamussim proposita a Terdotio tenderet actio, ut illius restitutionem et redintegrationem consequeretur, pro aris ac focis Annuntiata tuebatur, sibi, utpote interesse in hujusmodi causa habenti, vadimonium debuisse Terdotium offerre, actaque proinde cuncta in ea gesta ex propriae citationis defectu omnino corruere. Illud tamen sedulo ponderarunt Patres, principem actionem adversus canonicum in judicium adductam eo duntaxat spectasse, ut innocentianus nimirum declararet juridicus « *nullum, irritum, et nullius roboris et effectus contractum transactionis diei* 6 *martii* 1823 » eum inter et Theresiam initum; nec nisi in merum ejusdem consequens, sive, uti libellus ipsemet inquit, « *pro hujusmodi effectu* » memorati praedii restitutionem, actorisque redintegrationem in ima ejusdem scriptura fuisse petitam.

§ 4. Quum princeps itaque propositi libelli pars unam transactionis nullitatem respiceret, quam caeterum scitum est *personalem* secum actionem indole sua ferre, veluti statuit pluries nostrum tribunal, ac potissimum in *Perusina circumscript.* 1 *sept.* 1832 §§. 4 *et seqq. cor. Grossi, et in Ferrarien. circumscript.* 12 *febr.* 1843 §§. 2 *et seqq. cor. R. P. D. Caracciolo Santobono, nunc s. congregat. Boni Regiminis a secretis*, illud prono vel alveo fluebat, jure merito adversus unum canonicum Leoni ejusmodi fuisse actionem propositam. Quum is siquidem unus transactionem eam cum Theresia inivisset, ejus potissimum intererat illius validitatem tueri, aliumque neminem praeter eum, quo cum propria contraxerat auctrix, vadari tenebatur Terdotius. Scitum quippe est, ac veluti tralatitium habetur in jure, *eodem modo quidve dissolvi, quo colligatum est, ad text. in leg.* 35 *ff. de reg. jur.*

§ 5. Quin aliquid Annuntiatae prodessent caetera ejusdem petitionis verba, quae praedii restitutionem respiciebant. Ea enim utpote accessorie tantum, et in merum dumtaxat petitae transactionis nullitatis consequens adjecta, neque principis instituti judicii naturam poterant immutare, neque secum quidem aliud ferebant, nisi illius judicii exitum *secundario* saltem, non tamen *primario* Annuntiatam quoque afficere, ac proinde *secundarium* utique, et *consecutivum* fuisse in hujusmodi causa interesse, non interesse vero alterum, quod *primarium, solidale, individuum et aeque principale* nuncupatur in foro, et ab altero est diversissimum. In eo enim unum ab altero differt, quod *primarium* nimirum habens interesse in judicium debeat omnino vocari; ceteri vero, quorum *secundario* dumtaxat instituti judicii exitus intersit, ad litem quidem ultro libenterque valeant accedare, nullum autem actori sit onus vadimonium iis indicendi, eoque minus iis liceat ex propriae citationis defectu actorum nullitatem arguere. Distinctionem in foro vulgatissimam tradidit millies supremum tribunal, ac signanter in *Romana emphyteusis super circumscriptione* 25 *aug.* 1825 §. 2 *coram Olivieri, in Centumcellarum circumscriptionis* 16 *junii* 1828 §. 7 *cor. R. P. D. Arnaldi et in Romana circumscriptionis* 4 *sept.* 1845 §. 2 *cor. R. P. D. meo Lippi.*

§ 6. Et deteriori studio Annuntiatae oggerebat orator, quoad s. Rotam nuncium controversae transactionis nullitati misisse canonicum, et ad unam pretii restitutionem uni-

versam fuisse investigationem cobibitam. Nemo enim est in forensi palestra hospes adeo, ac peregrinus, quem lateat, ad judiciorum indolem eorumque validitatem metiendam unum actoris libellum, causaeque initium spectari mereri; nullo vero prorsus in calculo haberi oportere, quae fervente lite, et in secundo praesertim jurisdictionis contigerint gradu. Quum certum itaque, atque exploratum undiquo visum Patribus fuerit, nonnisi secundarium et consecutivum Annuntiatam in proposita contentionis thesi habuisse interesse, jure merito circumscriptionis petitionem ex ejus citationis haustam defectu, negativo rescripto ii rejecerunt; maxime vero quum ex Leonina praxi ad diem instituti hujus judicii adhuc vigente, et in hodierna proinde contentione spectanda, res judicata inter alios lata tertio quidem haud noceret, nullum tamen ei jus tribueret illius nullitatem provocandi, veluti tradidit nostrum tribunal *in Romana, seu Verulana circumscriptionis* 27 *maii* 1841 *coram rmo P. D. meo Conventati Decano*. Quod sane Leoninae praxis dogma eo vel fortius servandum in themate erat, cum re judicata adversus canonicum vix orta, non illius quidem executionem adversus Annuntiatam Terdotius postulaverit, sed ea omnino seposita, et loco dumtaxat jurium apud frusinonensis tribunalis acta exhibita, novum potius ex integro adversus eam judicium instauraverit, illudque diu acriterque tum coram primarum instantiarum juridicis, tum in gradu appellationis coram s. Rota fuerit postea discussum.

§ 7. Citationis autem defectu undique exploso mole sua omnino corruebat defectus etiam alter jurisdictionis ex eo haustus quod nulliter fuerit in urbe institutum judicium adversus canonicum privernatensi ordinario subjectum. Nedum enim exceptionem id redolebat *de jure tertii*, quam nefas prorsus Annuntiatae erat in medium proferre, verum neque ea insuper canonicus ipsemet potuisset amplius juvari post nostri Ordinis rem judicatam anno 1840 adversus eum editam, quae circumscriptionis petitionem adversus ejusdem judicii acta illius nomine jamdiu propositam omnino rejecit, veluti testatur decisio in comitiis diei 17 septembris 1840 ab R. P. D. meo Arnaldi vulgata, ac superius relata. Et ita etc. utraque etc.

Die 20 Augusti 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Candidus Tosi — D. Antonius Sciarra.

Prot. 152 / 1844 R. P. D. LIPPI Decisio LXXXVII.

Anagnina Pertinentiæ et Circumscriptionis

Jovis 23 *Julii* 1846

Argumentum

Agitur de judicio incepto ante promulgationem codicis Gregoriani, et de judice, quo coram resumi postea debuisset.

§ 1. Vita functo Hieronymo Giannuzzi usque ab anno 1820 filii Diomedis tutelam assumpsit superstes conjux Anna Maria Ambrosi, quae post quatriennium ad secunda vota pertransivit cum Dominico Bacchetti. Quare in tutelae locum successit patruus Bernardinus Giannuzzi, qui die 13 junii 1825 judicium instituit coram locumtenente A. C. Colapietro contra praecedentem tutricem, atque ejus virum, ut conficeretur inventarium tutelare rerum mobilium, quo confecto mandaretur earumdem consignatio, praeter redditionem rationum administrationis a die assumptae tutelae. Reque vera judex instantiae inhaerens decrevit, ut, firma remanente causa tam super consignatione rerum pupillarium, quam super redditione rationum, petitum inventarium conficeretur, ad quem effectum subdelegavit Ananiae gubernatorem. Hinc interlocutio fuit executioni commissa, sed ad ulteriora tutor non processit; donec Diomedes major factus judicium resumpsit die 8 novembris 1843 coram frusinonensi tribunali, quod ex novis pragmaticis superventis legibus competens sibi videbatur. Cum vero coram tribunali civili A. C. resumptio fieri debuisset, ad supremum nostrum

tribunal recursum interposuerunt conjuges Baccbetti pro circumscriptione omnium gestorum coram judicibus Frusinonis ex defectu jurisdictionis. Quam postulationem cum RR. PP. exceperint rescripto « *Causam spectare ad congregationem civilem A. C., circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis cor. tribunali civili frusinonensi cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisditionis rr. vv. ss. ss.* » mibi commissum fuit munus decisionem vulgandi.

§ 2. Atque revera nemini dubium, quod judicia ubi coepta sunt ibi finem accipere debeant, ut ait *l.* 30 *ff. de judiciis et* 4. *cod. eod. tit.*; quodque per in jus vocationem et litis contestationem ad judicem rite recteque praeventum causae definitio pertineat, ideoque ad alium convolari minime possit ad monita per *text. in* l. 7 *ff. de jud., l.* 6 *cod. eod. tit. et l. fin. cod. de in jus vocat.*; quod tandem ex lege edictali 1831 causae pendentes coram judicibus A. C. devolutae fuerint ad alios judices in eodem tribunali A. C. prioribus subrogatos, quemadmodum legitur in ejusdem legis §. 83 « ibi » *Le cause pendenti innanzi i giudici attuali dell'A. C. in prima istanza, ed in appello saranno riassunte, e decise dagli assessori, e dalla congregazione civile, secondo il grado, e la competenza rispettiva* ». Quare fiebat, ut judicium Diomedes non coram tribunali civili Frusinonis, sed A. C. resumere teneretur, quo coram ab anno 1825 fuerat rite recteque institutum, atque ita radicatum, ut tunc locumtenens Colapietro interlocutorie pronuncians sibi firmiter et expresse causae cognitionem reservaverit. Stante igitur pertinentia causae ad tribunal A. C., non sine nullitatis vitio eam resumpsit Diomedes cor. tribunali Frusinonis, quod omni carebat jurisdictione in judicio jam pendenti coram diverso A. C. tribunali ad tradita per nostrum tribunal in *Sublacen. circumscriptionis* 6 *septembris* 1834 *cor. Alessi* §. 3 *et* 4.

§ 3. Quod vero obiiciebatur, leges pragmaticas ut mere ordinatorias judicia etiam pendentia afficere ita ut in vim vigentis codicis praedicta controversia tam ratione domicilii, quam qualitate actionis ad tribunal Frusinonis pertineret, excludebatur expresse ex ipsius codicis §. 1803, ubi legitur « *Le cause, che al giorno dell'attitazione del regolamento si trovano già introdotte, saranno proseguite e terminate innanzi i tribunali e giudici rispettivi, abbenchè secondo le nuove leggi appartenessero ad altre magistrature* ». Inde consequebatur dispositionem §. 433, 439, et 441 applicandam esse ad judicia in posterum instituenda, nentiquam ad jam instituta et contestata, pro quorum resumptione et definitione lex judices in eodem tribunali subrogatos designavit. Neque necessarium erat, quod tempore vulgati novi codicis causa jam resumpta esset cor. A. C., quia patet ex dicto §. 1803 desiderari tantum, ut lites essent « *introdotte* », quod inficiari non potest, cum non solum in jus vocatio et litis contestatio, sed expressa judicis reservatio adsit definitivum judicium ferendi super rerum pupillarium consignatione, et rationum redditione. Atque ita utraque etc. decisum est.

Die 20 augusti 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Amadeus Bacchi.

Prot. 311 / 1845 R. P. D. ARNALDI DECISIO LXXXVIII.

MONTIS ALTI CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 23 *Julii* 1846.

Argumentum

(Habes in Decis. LXXXIII.)

§ 1. Brephotrophium Firmi anno 1844 agrum, quem audiunt *Molino Vecchio* in territorio *Monte Varmine* Josepho De-Santis excolendum tradiderat, dominicali parte rependenda, quae ad scutata octuaginta quinque et assium 75 redibat. De tempore, quo coloniae illiusmodi perdurare debeant, si nihil peculiari pacto statutum sit, ex illius regionis agrariis statutis, de unico anno intelligitur; nam haec venia datur, petiturque

vicissim locatori simul et conductori, ut qui abnuat perseverare, nunciet alteri mense majo, se nolle in colonia perseverare. Hoc peracto, novus adscriptus colonus praeparatoriam pro futuri anni messe, navare operam debet; et vix post vindemiam vetus migrare colonus collectisque sarcinulis eo abscedere. Quod ita paratum ex lege erat, pium Hospitium exercuit; nam non modo significationem illam animi statuto tempore mensis maii nunciavit Josepho, qui videbatur familiae institor, huicque in administratoriis codicibus erat praedium assignatum, verum etiam, expressam litteris ab ipso Josepho, nunciationis illius acceptionem fuit assecutum nomine etiam fratris Laurentii, communisque patris Francisci. Postea vero de hac nunciatione, sive uti ajunt, disdicta, ejusque acceptione, querimonias parens, fraterque Josephi coeperunt extollere, sive quia minus legitime ab uno Josepho accepto habita, sivo quia Josephum errore ac illecebris ad illam adductum putarent. Quamobrem nec novos colonos parare culturam patiebantur, neque, completa vindemia, liberum reddere praedium profitebantur. Vocati ergo ab hospitio in jus fuerunt coram gubernatore « *attesochè il nominato Giuseppe, qual capo di famiglia, ricevesse nel decorso anno la colonia, e si disdettasse nelle debite forme, obligandosi a ciò anche per il suo fratello Lorenzo e Francesco suo padre . . . sentirsi decretare che saranno tenuti abbandonare la colonia del terreno, appena compita la vendemmia del corrente, anche per la loro infedeltà, e mala coltura del terreno medesimo* ».

§ 2. Dum conventi rei incompetentiam judicis obiicere arbitrati sunt, nil prorsus de merito disdictae excipientes, judex competentiam declaravit suam; et visa disdicta; perpendensque « *Che non è stata fatta alcuna opposizione alla disdetta volontariamente accettata* » sententiam dixit postulationi consonam « *per l'espulsione de' coloni* ». Accepta clade, supremo Ordini suppetias petierunt fratres De-Santis innixi articulo judiciarii codicis §. 455, in quo statuitur « *Allorchè l'espulsione si domanda dopo scorso il termine dell'affitto, la competenza si determina con le norme indicate nel* §. 452 », idest vicies elevatur annuus reditus, qui cum ad scutata octuagintaquinque attingeret, idcirco controversia jurisdictionem pedaneam longe excedebat; eoque ex defectu nulla, irrita, declaranda esse omnia gesta coram gubernatore postularunt, atque obtinuerunt reapse in comitiis diei septimae maii hujusce anni prout patet ex decisione ad dictam diem *ab R. P. D. meo Ferrari* evulgata. Hodierna vero die mutata est judicii alea, et circumscriptionis postulatum rejiciendum esse saniori rescripto « *nihil* », Patres censuerunt.

§ 3. Melius enim ad lancem veritatis pensato controversiam pondere, ad hoc constituendum in comperto habitum est minime attinere recitatum articulum legis de vicenaria annui reditus cumulatione. Illud enim praeprimis ante oculos observari debet quod principe loco ad judicium deductum fuit. Porro libelli verba haec sunt « *Atteso che il nominato Giuseppe De-Santis ricevesse nel decorso anno la colonia* » et modo « *se ne disdettasse nelle debite forme* » idcirco « *sieno tenuti abbandonare la colonia del terreno ove attualmente si trovano appena compiuta la vendemmia del corrente anno* ». Ex litera et sensu libelli facile intelligitur expulsionem haud peti post finitam coloniam juxta sententiam §. 452 juncto altero 455; verum juxta disdictam effectumque ejusdem, qui ille est, ut, adhuc non effluxo integro anno, post vindemiam colonus migret; alias, si disdicta luxuriet, pacifice compleat annum in colonia, et in jure colendi maneat in posteriori. Quod quidem controversiae genus tanti valere potest, vel quanti illius reliqui temporis annua pensio praeseferat, vel integra unius anni sequentis. Ceu ad rem in simillimis casibus earum coloniarum, quae annales sunt et ad partium contrahentium arbitrium subsistunt, dum mense majo libera est utrique potestas revocandi animum, ac provisionem specialem obtinent ab agrariis regulis, servatisque statutis, supremus Ordo statuit in *decis. Perusina circumscriptionis* 15 *septembris* 1836, *et Firmana circumscriptionis* 13 *julii* 1839 *cor. R. P. D. meo Decano.*

§ 4. Verum enim vero ipsi colonorum defensores fatentur ingenue, justissime circumscriptionem esse denegandam, si reapse quaestio super validitate disdictae instituta fuisset, ac de illa pronunciatum; sed nil horum, ajunt, gestum; expulsionem directe

petitam; disdictam tamquam petendi, decidendique rationem adductam. Sed longe quidem haec magno nisu conclamata, a veritate aberrabant. Etenim petitio tota fundatur in disdicta, ejusque per Josephum peracta acceptione. Ejectio e praedio postulata est, attenta disdicta. Stat ergo ejectio conditionate; nec disdicta ut causa petendi proposita, sed utpote conditio, cujus defectus idem effecisset ac si imo ejectio nec petita nec scripta esset. Quaestionem vero haud decet confundere utrum bene an male ea praecesserit disdictae adprobatio, id quaerendum unice, quod principaliter petitum est, nimirum –, attenta disdicta, ejectionem decernendam esse –, ex quo patet, ejectionem e praedio in conditione positam fuisse; neque in libello directe vel principaliter illam fuisse propositam, sed consequenter, dum in primis de purificatione, vel existentia conditionis obfirmandum erat judicium, ut, quid ex ea consequeretur, locum haberet; alias, deficiente, omnis in auras evanescebat effectus.

§ 5. Morosa autem investigatio illa est de coloniae partiariae natura, an societatem redoleat, cum quaestio inter socios haud ad gubernatoris jurisdictionem, verum ad tribunalia civilia attineat. Siquidem petitio ab hospitio proposita legi agrariae innititur, cujus sanctio observanda est, quod scilicet si vel dominus vel colonus recedere a contractu velit, mense majo formiter nunciet revocationem consensus; quo exequuto, novo colono jus est praeparatoria opera incohare in fundo, ac veteres ex agro migrare coloni debeant statim post vindemiam. Jamvero cum petitio speciali juri fulciatur, id spectandum num hic praescripto sit adimpletum, et quid valere possit effectus illius revocationis, qui non alias quam ad unum coloniae annum cohibetur.

§ 6. Perperam demum insectarentur verba in petitione adjecta colonos De-Sanctis ejiciendos esse *« anche per la loro infedeltà, e mala coltura »*. Expressiones enim isthaec haud indicant aliud quam causam et impulsum cur hospitii curatores disdictam emiserint, et tamquam rationes et justae causae sunt, cur id peregerint et ex illius vigore expulsionem proposuerint. Recte ipsi pro De-Sanctis verba facientes advertunt, numquam ad constituendum causae valorem rationes petendi illasque decidendi attendendas esse; prout statuit supremus Ordo in *Veliterna seu Norbana circumscriptionis januarii* 1846 *per me evulgata*. Sed illa prudens at probata dispositio exulat, dum non ut causae rationesque petendi verba in libello sunt interserta, sed ipsa petitio conditionata est, ut valeat atque admittetur, quatenus impleta et verificata conditio agnoscatur, ut superius dictum est.

§ 7. Quibus accedit ut non solum ex illius libelli forma, cui maxime inhaerendum est, clare et perspicue eo modo actio asset instituta, verum etiam acta quoque judicialia idem explicant ex professo. Dum enim ab hospitii moderatoribus resumptum judicium fuit, ipsi declarabant *« di volerlo riassumere nelle debite forme, affinchè avessero luogo gli effetti della disdetta »*. Ipsi coloni non modo coram gubernatore advertebant judicium resedisse *« nel far dichiarare cessata la colonia per la supposta accettata disdetta amichevole »*, verum etiam in recursu ad nostrum conventum fatebantur *« perchè non trattavasi di espulsione dal terreno per finita colonia, o per mora nell'adempire i patti, ma di accettazione di disdetta amichevole totalmente insussistente per parte loro »*. Tam ergo ex instantia principe, quam ex judicialibus agnitionibus evidens est disdictam haud adductam fuisse ut causam rationemque expulsionis e praedio, sed ut precipua et causalis petitio fundata est, ut ex ea veluti accessoria et consecutiva expulsio descenderet, porro ut effectus a causa. Nec quid interest, quod coloni adversus disdictam nil opposuerint; minime secum id fert quod de disdicta praecipuum propositum in libello haud fuisset constitutum ac de ea primitus inquirendum ac disputandum, verum id sequitur, quod de illius efficacia ex facto reorum conventorum nil opponentium, expulso e praedio per necessariam consequentiam proveniret. Et ita etc. utraque etc.

(Vide Decis. LXXXIII.)

Die 3 septembris 1846 *« In secundo loco decisis. »*

Procuratores — D. Petrus Xistus Angelini — D. Philippus Maria Salini.

Maceraten. Restitutionis in Integrum

Jovis 6 *Augusti* 1846

Argumentum

Manifestam injustitiam reijudicatae eruere contenditur ex interpretatione data pactionibus in contractu nuptiali statutis; ideoque petitur restitutio in integrum.

§ 1. Dum anno 1812 sacro se connubio devinxit cum equite Francisco Massuccio Recineteusi praenobilis puella Senensis Marianna ex marchionibus Bichi Ruspoli, conspicuam marito dotem attulit di *francesconi* quatuordecim millium, adjecto in nuptialibus tabulis pacto, ut si forte ipsa improlis ante virum decederet, iste medietatem dotis nempe *francesconi* septem mille lucraretur. Vicissim eques Massucci in §. 4 earumdem tabularum uxori constante matrimonio splendidissimam promisit exhibitionem, quae nobilibus divitibusque mulieribus praestari solet, scilicet « *oltre l'intero trattamento di vitto, servitù, carrozza, ed ogni altro che potesse essere necessario e conveniente al di lei grado, un annuo assegnamento a contanti di piastre* 240 » in singulos tres menses solvendarum « *per supplire al piccolo mantenimento del di lei vestiario, e per le minute spese di suo uso* ». Deinde transiens ad viduitatis eventum in §. 5 suos successores erga uxorem quoad viveret, eadem exhibitione, seu *trattamento*, eodemque assignamento Massuccius oneravit, quod in praecedenti spoponderat, nempe « *a carico della sua successione posc quell'istesso trattamento, ed appuntamenti nelle forme indicate nel precedente paragrafo, di lei vita naturale durante* ». Nec prospicere neglexit casum, in quo vidua commode cum filiis, si adessent, vel aliis mariti defuncti haeredibus in domo maritali morari nequiret. Ad hoc enim, ne jurgium ullum oriretur circa liquidationem eorum, quae pro victu, curru, famulisque, scilicet « *per il trattamento* », viduae essent pensitanda, haec cavit in §. 6. « *Nel caso poi la medesima futura sposa avesse dei figli, e non le piacesse coabitare con i medesimi, o che sopravvivendo al signor Francesco Massucci suo futuro sposo senza alcuna prole non le piacesse di ricevere il trattamento sopradestinato, per evitare qualunque questione; o contestazione che potesse insorgere sulla tassazione ed assegnazione predetta, il ridetto signor Francesco Massucci intende, e vuole che sia passato alla signora Marianna sua futura sposa, di lei vita naturale durante, ed a carico della di lui successione, e fino che condurrà vita vedovile la somma e quantità di piastre mille e duecento romane, o franchi seimila duecento ottanta annualmente in effettivo contante per i di lei congrui alimenti pagabili di trimestre in trimestre, ed anticipatamente la rata senza che però possa essa pretendere i frutti che dovrebbero alla medesima pervenire sul credito dotale* ». Praeterea statuit, ut eidem traderetur sive relinqueretur anulus benedictus, vestes, equi, currus, ususque mobilium, in dicta denuo viduitate, ita ut si uxor ad secunda vota convolasset jus tantum retinendi vestes, et recipiendi dotem ad legum tramitem illi concesserit.

§ 2. Stetit conjugium ad annum 1840, quo occubuit omni prole destitutus eques Massucci, cui remotissimi cognati successerunt, nempe Xaverius, Joannes, Valerius fratres comites Canali, et eorum soror Theresia nupta in domo Calcagni. Viro defuncto, statim vidua pacis et quietis amans impossibile fore cognovit, ut jurgia effugi possent si exhibitionem seu *trattamento* expectaret a viri haeredibus, quos vix nomine eo usque cognoverat; quapropter ad contestationes evitandas, coram tribunali primarum actionum Maceratae instituit declarari sibi competere adversus haereditatem viri jus percipiendi tum annuam summam scutorum millium biscentum « *pel trattamento così liquidato* » in ipsis nuptialibus tabulis, tum aliam annuam vim scutorum biscentum quadraginta « *pel piccolo mantenimento del li lei vestiario, e per le minute spese* ». Primam petitionis partem etiam ob ipsorum haeredum assensum statim excepit tribunal; et declaravit competere viduae quoad usque in viduitate permaneret, jus percipiendi annua scuta

biscenta supra mille « *per il trattamento* » veluti docet ejusdem sententia diei 13 junii 1844. Anceps vero haesit in altera parte, quia haeredes pro aris ac focis contendebant haud deberi summam scut. 240 vix aliam scut. 1200 vidua obtinuisset; ideo causam penes se retinuit quoad petita annua scuta biscenta quadraginta, et deinde etiam haec praeter annua 1200 jam admissa, viduae prestanda esse, alia lata sententia diei 18 martii 1843 judicavit. Provocarunt Massucci haeredes ab hac sententia, quae cum a maceratensi appellationis tribunali confirmata fuisset, rei judicatae vires nacta fuit. Sed rei judicatae Massucci haeredes haud acquieverunt, et ex quo contra eam unum restitutionis in integrum beneficium supererat, hoc ab Ordine nostro per interpositum recursum flagitarunt. At frustra. Proposita enim hac mane quaestione, recursum Patres dimiserunt sterili rescripto « *nihil.* »

§ 3. Restitutionem in integrum Massucci haeredes implorabant existimantes nonnullas juris nostri leges a rejudicata pessumdatas fuisse; sed aliter Patribus visum. Perspectis enim, perpensisque nuptialibus tabulis unde viduae actio oriebatur, deprehenderunt, rem judicatam nullam legem violasse, cum constituerit viduae praestandam esse non tantum annuam summam scutorum biscentorum supra mille, sed etiam aliam annuam vim scutorum biscentorum quadraginta. Et revera annua haec scuta biscenta quadraginta viduae deberi tum §. 4 tum §. 5 tabularum clare suadent. Siquidem in §. 4 constante matrimonio, uxori Massuccius spopondit « *oltre l'intero trattamento di vitto, servitù, carrozza, e tutt'altro che potesse essere necessario - un annuo assegnamento a contanti di piastre* 240. » pro vestibus, minutioribusque expensis. Et in §. 5 quod uxori dum staret conjugium promisit, id eidem post suum obitum tribui jussit nempe « *quell'istesso trattamento ed appuntamenti nelle forme indicate nel precedente paragrafo, di lei vita naturale durante* ». Igitur si Massuccius uxori praeter exhibitionem, seu *trattamento*, etiam assignamentum scut. 240, constante matrimonio, promisit, si hanc eamdem exhibitionem et assignamentum eidem, dissoluto conjugio, praestandum esse ab haeredibus jussit, admittenda necessario erat viduae petitio, qua hoc assignamentum scut. 240 a viri haeredibus postulabatur.

§ 4. Et perperam Massucci haeredes asserebant, viduae haud amplius scuta haec biscenta quadraginta deberi, cum vi §. 6 tabularum alia scuta biscenta supra mille obtinuerit. Quandoquidem scuta 1200, quae debentur ob §. 6, haud excludunt ea quae pensitanda veniunt ex §§. 4 et 5. Idque ex ipso §. 6 satis evincitur. Ibi enim Massuccius praeconcipiens animo quod viduae « *non le piacesse di ricevere il trattamento suddetto* », in hunc eventum « *per evitare qualunque questione e contestazione, che potesse insorgere per la tassazione ed assegnazione predetta* » quoad viduitatem servaret, jussit praestari « *la somma e quantità di piastre* 1200 *romane, o franchi* 6288 *annualmente in effettivo contante per i di lei congrui alimenti* ». Itaque si in casu quo vidua respueret « *il trattamento* » ad praecavendas contentiones, quae exoriri inde possent « *per la tassazione ed assegnazione suddetta* » Massuccius pensitari mandabat « *la somma e quantità di piastre* 1200 », apparet prospecto haec scuta biscenta supra mille in locum « *del trattamento* » subrogata fuisse, illudque unum repraesentare. At si scuta mille biscentum ex voluntate promittentis repraesentant « *il trattamento* » nequaquam assignamentum quod solvi debet « *per supplire al piccolo mantenimento del di lei vestiario, e per le minute spese* » repraesentare potest, quia in §§. 4 et 5 « *il trattamento* » ab assignamento penitus discriminat Massuccius, et ideo scuta 1200 pro « *il trattamento* » pensitanda haud excludunt scuta biscentum quadraginta, quae pro assignamento juxta §§. 4 et 5 debentur.

§ 5. Praeterea ex quo Massuccius « *per evitare qualunque questione, che potesse insorgere per la tassazione, ed assegnazione suddetta* » scuta mille et biscentum viduae tribui jussit, animadverterunt Patres hanc summam comprehendere tantum « *il trattamento* » ex victu, famulis, equis curruque efformatum, circa cujus taxationem, seu liquidationem jurgia et quaestiones exurgere potuissent, haud vero assignamentum pro vesti-

bus, minutioribusque expensis, quod utpote jam in scutis 240 praefinitum sicut nec taxatione, nec liquidatione indigebat, ita nec conventionibus, nec jurgiis praebere occasionem poterat.

§ 6. Tandem nec perpendere Patres omiserunt, quod Massuccius sub dictis scutis 1200 in annos singulos praestandis cautissime explicuerit comprehensos esse debere fructus dotis, cum e contra nihil dixerit de supra promissa scutorum 240 praestatione; unde facili negotio deduxerunt, illum noluisse hanc praestationem scut. 240 sub scutis 1200 comprehendere juxta argumentum sumptum a discretiva, et juxta regulam « *quod voluit expressit, ergo quod non expressit noluisse dicendum est.* » *Arg. ex leg. unic.* §. *Sin autem ad deficientis cod. de caducis tollendis, et Rota dec.* 302 *num.* 6 *part.* 16 *recen. decis.* 669 *num.* 11 *coram Molines, decis.* 991 *numer.* 8 *coram Emerix, Romana nullitatis inscriptionis hypothecariae* 17 *januarii* 1823 §. 12 *coram Molines, et Praenestina manutentionis* 14 *januarii* 1833 §. 5 *coram Ruspoli.*

§ 7. Nec bene Massucci haeredes ut ostenderent scut. 240 comprehensa esse sub annuis scutis 1200 praesidium mutuabantur ex verbis « *tassazione, ed assegnazione predetta* » quae in §. 6 adhibentur, perinde ac si *tassazione* respiceret liquidationem *del trattamento: assegnazione* vero *predetta* se referret ad assignamentum scut. 240 pro vestibus, minutioribusque expensis in §§. 4 et 5 adpromissum. Siquidem eorum verborum vi, et effectu inspecto innotuit statim ambo haec verba unice congruere cum *il trattamento.* Et sane si Massuccius scutata mille, et biscentum haud subrogasset *al trattamento* in casu, quo vidua illud nollet recipere, si reapse hic casus evenisset, prout evenit, ministerio judicis non tantum liquidandum seu ad certam pecuniae summam erat redigendum « *il trattamento* », sed etiam liquidata summa ita erat viduae assignanda, ut veluti annuum assignamentum haberi posset. Itaque ex quo in casu liquidatio simul et assignatio locum habere debebat, certo certius ea verba « *tassazione ed assegnazione predetta* » sese ambo referunt tantum « *al trattamento* », nec per nos ea extendenda sunt « *all'annuo assegnamento di piastre* 240 *per supplire al piccolo mantenimento del di lei vestiario, e per le minute spese* ».

§ 8. Irrito etiam conatu iidem haeredes pergebant dicere Massuccium sub scutis 1200 subrogatis in locum « *del trattamento* » comprehensa etiam voluisse scuta 240 pro vestibus minutioribusque expensis assignata, quia ille praestari jussit haec scuta mille et biscentum « *per i di lei congrui alimenti* », sub quorum nomine juxta textum in *leg.* 7 *ff. de alimentis et cibariis legatis* non victus tantum venit, sed etiam vestitus, pro quo scuta 240 pensitabantur. Etsi enim in sensu juris alimentorum nomen non victum tantum, sed vestitum etiam comprehendat, tamen cum annua scuta biscentum subrogata fuerint in locum *del trattamento*, a quo ex promittentis voluntate exclusus erat vestitus, verbum *alimenta* utcumque adhibitum extendi ad vestitum non debet, quia quoties adest pactum, juris sanctio conticescat oportet ex regula, quam firmat Rota *in Romana legati* 22 *junii* 1833 *cor. emo Corsi.*

§ 9. Perdite etiam ad discretivum argomentum haeredes et ipsi confugebant asserentes annua scuta 240 pensitanda non esse, quia Massuccius postquam scut. 1200 dari jussit, addit etiam concedendum fore anulum, vestes lugubres, equos, currum usumque mobilium, et jugi silentio annuam scutorum 240 praestationem praetermisit. Siquidem in promptu est responsio. Scilicet Massuccius de scutis 240 mentionem non fecit, non quia eorum praestationem excludere volebat, sed quia illi compertum erat ex §§. 4 et 5 ea scuta 240 viduae deberi.

§ 10. Post haec ruere mole veluti sua debebat praetensa violatio *legis* 43 *ff. de action. et obligationibus*, qua sancitum est, ex duobus rebus, vel summis alternatim promissis non utramque sed unam tantummodo peti posse. Etenim ex quo Massuccius in §. 4 et 5 viduae spopondit tum *il trattamento*, quod deinde in §. 6 liquidavit in annuis scutis 1200, sponte fluit conjunctim, non alternatim ea duo promissa fuisse, et ideo nequaquam dictam legem res judicata offendit, cum assignamentum scutorum 240, et scuta

1200 in locum *del trattamento* subrogata viduae tribuenda esse constituerit. Idem dicendum est de altera, quam haeredes ingerunt, violatione legis 99 *ff. de verborum obligat.*, quae obligationem ampliandam non esse jubet. Siquidem ex superius dictis nullam ampliationem invenire Patres potuerunt. Nec verum est, quod ad ampliationem inveniendam somniabant Massucci haeredes, scilicet judices Maceratenses vi §. 6 viduae tribuisse assignamentum scut. 240 « *per il piccolo mantenimento del di lei vestiario e spese minute* ». Patet enim judices illos non ob §. 6, quod si factum esset equidem obligatio ampliata dici posset, sed vigore §§. 4 et 5, qui nullimode quoad assignamentum a §. 6 fuerant revocati, scuta haec 240 viduae competere declarasse.

§ 11. Pariter nec audiendi erant haeredes conclamantes, dubium saltem esse an Massuccius voluerit viduae etiam scuta haec 240 praeter 1200 in §. 6 promissa tribuere, et ideo pessumdatas esse *leges* 9, 35, 163 *ff. de regul. jur. leg.* 27 *ff. de reb. dubiis, leg.* 46 *ff. de action. et obligat., leg.* 66 *ff. de judiciis, leg.* 12 *ff. de verbor. obligat.*, quae in ambiguitate stipulationis contra stipulantem, et favore promissoris interpretationem sumendam esse constituunt. Etenim res erat de lucris a Massuccio promissis correspective ad amplam dotem receptam, et lucrum semissis ipsius dotis sui favore depactum in casu quo superstes uxori fuisset; his autem lucris omnia privilegia, quae doti tributa sunt, competunt, ut tenet *Zanchius de privileg. credit. exercit.* 2 §. 2 *numer.* 33, *s. Rota in recen. part.* 9 *tom.* 1 *decis.* 229 *numer.* 1, *decis.* 664 *num.* 13 *coram Cerro.* Dotis vero privilegium est ut in ambiguis semper sit pro dote respondendum, uti habetur *in leg.* 85 *in princip. ff. de regulis juris, in leg.* 71 *ff. de jure dotium, in leg.* 1 *ff. soluto matrimonio, et Rota in Firmana dotis super quantitate monetae* 11 *junii* 1802 §. 5 *coram Serlupi, et in Centumcellarum deletionis hypothecae* 18 *martii* 1833 §. 3 *coram Muzzarelli.* Igitur etsi verum in jure sit, in dubiis contra stipulantem, et favore promittentis interpretationem sumendam esse, tamen in themate si favore potius Mariannae stipulantis quam Massucci haeredum promittentium resjudicata tabulas nuptiales interpretata est, nequaquam violavit supra recensitas leges, quae prout est observatum, limitationem patiuntur dum agitur de lucris dotalibus dotis privilegio perfruentibus.

§ 12. Caeterum quidquid Massucci haeredes contra remjudicatam dicere potuissent, semper restitutio in integrum erat deneganda quia numquam occurrere poterat reijudicatae injustitia. Tota enim stetit controversia in definiendo num sub annuis scutis 1200 in locum *del trattamento* subrogatis comprehenderetur etiam assignamentum scut. 240, quam rem ut judices extricarent §. 6 tabularum interpretari debuerunt. In controversiis vero ubi interpretatio adhibenda est, res judicata procul abest a manifesta injustitia sive unam sive alteram partem sequatur, veluti centies definivit noster Ordo et praesertim *in Romana restitutionis in integrum* 2 *augusti* 1832 §. *fin. coram R. P. D. meo Ferlisi, et in Ariminen. restitutionis in integrum* 19 *decembris* 1843 §. *fin. coram Alessi, et in Caesenaten. restitutionis in integrum* 22 *augusti* 1834 §. *fin. coram emo Piccolomini Amadori, et in Bononien. restit. in integrum* 16 *martii* 1843 §. 4 *cor. bon. mem. Grossi.* Et ita etc. utraque etc.

Die 26 novembris 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Philippus Guarnieri — D. Raphael Borghi.

Bononien. Circumscriptionis

Jovis 6 *Augusti* 1846

Argumentum

De effectu sententiae incidentalis super nullitate citationis appellationis; nec non de efficacia renunciationis, quae emissa fuit actis hujusmodi incidentalis controversiae, postquam ab altero ex litigantibus, per novam citationem, processus causae principalis legitimatus fuerat.

§ 1. Supremis tabulis, quibus decessit comes Petrus Malvezzi, postquam multa scripserat legata, haeredem usufructuarium instituit Josephum Segni, proprietatem vero detulit Æmilio, et Carolo marchionibus Malvezzi, vinculo tamen adjuncto perpetui fideicommissi. Hujus testamenti nullitatem postulavit Rosa Campori Bovio, et judicio stantibus non solum haeredibus universalibus, verum etiam legatariis a tribunali primae actionis Bononiae validum declaratum fuit sententia diei 15 maii 1841, in qua tamen sententia judices illi neglexerunt actricis haeredes interea vita functae ad expensas favore legatariorum reficiendas condemnare.

§ 2. Appellatione die 20 julii 1844 interposita, indicta ea minime fuit Petro et Ginevrae Bovio a Rosa legitimis tantum honoratis. Quod vix fratres Malvezzi noverunt coram aula appellationis Bononiae incidentali petitione postularunt declarari nullam citationem die 20 julii anni 1844, et voti compotes die 11 novembris facti fuerunt. Ante vero hujus sententiae expeditionem judicii status immutatus fuit. Legatarii enim eodem appellationis actu accepto a Rosae haeredibus interposito, die 2 decembris 1844 impugnative illum omnibus interesse habentibus, atque etiam Petro et Ginevrae Bovio indixerunt, simulque nova citatione eos omnes ante idem tribunal vocarunt, ut confirmata quoad testamenti validitatem primi gradus sententia, quoad refectionem tantum expensarum reformaretur. Fratres itaque Malvezzi, et curator futuris vocatis datus, existimantes post legatariorum factum incidentale judicium omni ratione caruisse, solemnitatibus adhibitis ad acta venerunt, atque valedixerunt « *agli atti della lite incidentale per la nullità della citazione, e a tutti gli atti successivi* ».

§ 3. Duplex post haec emersit appellationis processus. Alter designatus in protocollo *num.* 5338 *ad fasciculum* 175, alter *vero inscriptus ad num.* 8572 *et fasciculum* 314. Unionem igitur horum processuum die 7 januarii superioris anni legatarii coram appellationis tribunali postularunt; hinc siculi die 18 januarii ejusdem anni haeredes Rosae provocaverunt ad s. Rotam a sententia, qua citatio nulla declarata fuerat, ita fratres Malvezzi, ne renunciationis efficacia « *agli atti della lite incidentale* » in discriminis aleam revocari posset, petierunt ab eodem tribunali appellationis ut ea renunciatio decerneretur « *buona e valida* »; atque die 4 aprilis duae prodierunt sententiae, qua renunciatio probata fuit, et causarum processus conjuncti fuerunt. Quae sententiae quum Rosae haeredibus minime arrisissent sub obtutu, quod tribunal Bononiae qualibet jurisdictione ad eas ferendas caruisset, recursum apud Ordinem nostrum interposuerunt ad hoc ut circumscriptionis gladio delerentur « *acta facta coram tribunali appellationum Bononiae post diem* 11 *novembris* 1844, *et signanter citationes dierum* 7 *et* 20 *januarii* 1845, *et consonas sententias ab eodem tribunali editas die* 4 *aprilis cum omnibus inde sequutis* »; sed re sedulo perpensa, querela odii plena rejecta fuit rescripto « *nihil* ».

§ 4. Nam aula appellationis jurisdictione pollebat judicandi *tum* de validitate renunciationis, *tum* de actorum unione. Quoad enim renunciationis validitatem sancitum est in codice gregoriano §. 914 quod « *Se nasce controversia sul valore della rinuncia l'incidente sarà portato all'udienza* ». Quum itaque renunciatio apud acta appellationis expleta fuisset, nonnisi coram eo tribunali de ejusdem viribus disputari poterat. Nec secus sentiendum erat

quoad unionem. Duo apud idem tribunal reperiebantur aperti processus, qui nihil prorsusque nihil inter sese discrepabant; ex altero Rosae haeredes infirmationem sententiae primi gradus profluebant, quo validum testamentum Petri Malvezzi declaratum fuerat; ex altero, sed distincto processu, ejusdem sententiae confirmationem legatarii quoad validitatem testamenti, reformationem vero quoad expensas petebant. Ne itaque ejusdem causae continentia divideretur, acta illa conjungenda erant; et sicuti non agebatur de causis coram diversis tribunalibus pendentibus, sed de actis penes idem tribunal expletis, ita potestas ea uniendi ad tribunal appellationis, minime vero ad nostrum Ordinem pertinebat.

§ 5. Neque verum erat post declaratam nullitatem citationis diei 20 julii 1844 quamlibet litis pendentiam super nullitate testamenti apud tribunal appellationis defecisse; proindeque idem tribunal neutram nequivisse ferre sententiam. Nam tempore, quo vel ab legatariis, vel a Malvetiis motae fuerunt instantiae, de quarum nullitate quaeritur, eadem lis iterum excitata reperiebatur. Certum enim in facto erat fratres Malvetios nunquam interpositae appellationis nullitatem postulavisse, sed eorum instantiam cohibitam fuisse ad citationis tantum circumscriptionem obtinendam, qua eadem appellatio tam haeredibus, quam legatariis indicta fuerat; certum quoque in facto erat legatarios post sententiam, qua citatio nulla judicata fuerat, interpositam appellationem acceptam habuisse, illamque omnibus interesse habentibus, et Rosae quoque legitimariis *impugnativamente* denunciavisse, atque hinc primi gradus sententiae confirmationem super merito, reformationem super expensis postulavisse. Lis igitur iterum excitata fuerat, ideoque die, qua instantiae missae fuerunt, certo certius pendebat. Res quippe facti erat, quo nihil potentius.

§ 6. Eoque minus recte objiciebatur post sententiam diei 11 novembris tribunalis jurisdictionem adeo extinctam fuisse, ut legatariorum factum nequiverit eam tribunali restituere. Nam sententia, quae super incidentali illo judicio nullitatis citationis prodiit, illius tribunalis jurisdictionem suspensam quidem reliquit donec vel lis terminata, vel acta rite recteque gesta fuissent, minime vero eamdem jurisdictionem omnino, atque perpetuo ademit. Nam non agebatur de sententia definitiva, qua evulgata judex functus est officio suo, sed de sententia incidentali in secundo jurisdictionis gradu lata, a qua etiamsi provocari licuisset, causa tamen ad tribunal appellationis redire debebat. Nam judicium cohibitum fuerat ad unam processus ordinationem. Cessata itaque nullitatis causa ex superventa ejusdem processus legitimatione, judicis jurisdictio redierat, veluti ac si nullus ab initio obex intercessisset, uti docent *Gratian. discept.* 913 *num.* 22, *et Polit. dissert.* 4 *num.* 24.

§ 7. Quae adeo vera sunt, ut si appellationem Rosae haeredes ab incidentali illa sententia interposuissent, causa super nullitate testamenti ad superiores judices, sive ad s. Rotam minime conscendisset, ne litigantes unum jurisdictionis gradum omitterent, et ne in tertio gradu (secundo omisso) causa absolveretur ad ea, quae nuperrime decisa fuerunt a s. Rota in causa *Ferrarien. propositionis causae inter advocatum Fulgentium Folegatti et adv. Franciscum Bonaccioli proposita in comitiis diei* 13 *martii labentis anni.* Jam vero si tribunalis Bononiae jurisdictio extincta fuisset, lis a judice superiori dirimi debuisset; quod quum praxi adversetur, inferendum necessario est, illius jurisdictionem suspensam tantum mansisse. Habeat itaque nec ne sententia incidentalis vim definitivae, id inquiri vix potest ad effectum appellationis. Ad effectum reintegrationis jurisdictionis satis superque est, quod sit interlocutoria, incidentalis, ordinatoria, ut, processu legitimato, lis reviviscat coram judice primo, qualis erat ante sententiam.

§ 8. Hanc reapse jurisdictionem poterant certo certius Rosae haeredes restituere. Nulla lex enim impedimento ipsis erat, quominus aut ante, aut post evulgatam sententiam super nullitate citationis, illam renovarent, atque omnibus interesse habentibus denunciarent, comprehensis quoque legitimariis in prima denunciatione neglectis. Si Rosae haeredes hanc agendi rationem sectati fuissent, de rite recteque jurisdictione restituta nemo dubitavisset. Id vero quod illi praetermiserunt, legatarii egerunt. Judicio et ipsi stabant; interpositam ab haeredibus appellationem suam fecerunt; eam omnibus interesse habentibus denunciaverunt, atque hinc pro parte confirmationem, pro parte reformationem sententiae

tribunalis primarum actionum petierunt. Contra jus, quod habebant Rosae haeredes, legatariis quoque praesto erat. Nam « *in tutti i casi* (verba §. 987 codicis gregoriani) *gioverà all'attore l'appello interposto dal reo, e viceversa* ». Si igitur legatarii ad ineptam obtruncandam quaestionem in gradu appellationis Rosae legitimarios comprehenderunt ab illius haeredibus neglectos, circumductum mansit incidentale judicium, proindeque jurisdictio illa, quae eo judicio stante suspensa manserat, ad vitam rediit, atque redintegrata fuit.

§ 9. Accedebat quod fratres Malvezzi antequam a sententia diei 11 novembris Rosae haeredes provocavissent, solemni ritu valedixerunt « *all'incidente di nullità degli atti di appello, ed a tutti gli altri successivi e dipendenti da tale domanda, che dovranno quindi aversi come non avvenuti per tutti gli effetti di ragione* ». Qua stante renunciatione incidentale judicium deletum, atque radicitus avulsum fuit. Nam renunciatio « *ammessa dai giudici, ovvero non impugnata dalla parte, produce in ogni caso i seguenti effetti ; 1. Che le cose s'intendano rimesse di pieno diritto nel medesimo stato in cui erano prima degli atti in essa compresi* », quae totidem verba sunt §. 915 codicis gregoriani.

§ 10. Perperam Rosae haeredes distinctionem faciebant inter renunciationem ante vel post sententiam expletam, contendentes posse utique renunciari ut edita sententia confirmetur, minime vero ut evertatur. Nam nullibi scripta hujusmodi distinctio reperitur, neque salva ratione scribi poterat. Nam sicuti quilibet proprio favori renunciare potest, ita prohibitum minime est, quominus actor sententiae pro se latae valedicat. *Galleratus de renunciat. tract.* 3 *renunciat.* 172 *num.* 3 *et* 4*; Surd. decis.* 175 *num.* 2*; s. Rota coram Buratto decis.* 277 *num.* 6*, et in Verulana fructuum census* 23 *novembris* 1830 §. 4 *coram Zacchia, et noster Ordo inter collectas dec.* 169 *num.* 2. Discrimen quod intercedit inter renunciationem ante vel post sententiam latam hoc unum esse potest, quod primo casu « *le cose s'intendono rimesse di proprio diritto nel medesimo stato, in cui erano prima degli atti in essa compresi* », altero vero casu « *la sentenza equivale ad una regiudicata contro il rinunciante* ». Lex igitur sine ulla distinctione, scilicet sive victus, sive victor post sententiam renunciet, supponit remjudicatam « *contro il rinunciante* », supponit videlicet nostro in casu quod resjudicata orta sit contra nullitatem citationis, scilicet contra clientes renunciantes. Si igitur ob renunciationem post editam sententiam orta fuit resjudicata, qua valida citatio declarata fuerat, hoc ipso tribunalis appellationis jurisdictio restituta fuit, proindeque acta coram eo gesta valida censenda erant.

§ 11. Neque renunciatio juribus tribunalis superioris, vel Rosae haeredibus, vel legitimariis laesionem ullam intulit. Nam quando lex sancivit sententiam post renunciationem reijudicatae aequiparandam esse « *contro il rinunciante* », hoc ipso vetuit superiori judici de ejusdem sententiae justitia judicium ferre, quia scilicet renunciatio eumdem gessit effectum, quem judicum superiorum sententia, seu resjudicata gignere potuisset. Neque ullum Rosae haeredes praejudicium pertulerunt. Nam ex iis, quae enucleavimus §. 7, etiamsi appellationis beneficio usi fuissent a sententia diei 11 novembris, tamen s. tribunal super testamenti nullitate sententiam ferre nequivisset. Legitimarii tandem praeter quam quod judicio non stabant, proindeque eorum jura integra manebant, citatione eisdem a legatariis missa, obtinuerunt id quod poscere aut sperare poterant. Ex quibus manifestissime patebat nullius jura renunciatione laesa fuisse, proindeque eam validam et efficacem censendam esse, illo momentosissimo praesertim inspecto rerum adjuncto, renunciationem nimirum re integra expletam fuisse ante sententiae expeditionem, atque appellationis interpositionem. Et ita in strenuo partium conflictu jus redditum fuit.

Die 10 Septembris 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Joannes Papi — D. Vincentius Binarelli.
D. Raphael Borghi.

Prot. 38/1846 R̄mo P. D. CONVENTATI Decano DECISIO XCI.

ROMANA UNIONIS CAUSARUM

Jovis 3 Septembris 1846

Argumentum

Plurium causarum unio postulatur, quarum altera rescissionem contractus, aliae ejusdem exequutionem respiciunt.

§ 1. Nuvis per Italiam diffusis eruditionis operibus typographus Benedictus Zampi Romae etiam duxit illud edere quod complecteretur ipsius urbis quamdam nobiliorem historiam familiarumque quae in ea maxime floruerunt, vel adhuc eminent simul et caeterarum civitatum oppidorumque ditionis Pontificiae, earumque gentium, quae gloriam meruerunt, vel etiam hodie in laude habentur, aeternsque sunt memoris dignae. Eques Petrus Hercules Visconti munus suscepit cuncta colligere quae ad rem pertinent ut in unum opus redigeret. Oportebat ut plurimorum nomina quaereret, quorum fide Zampius innixus tutus ad expensas sustinendas fiui sibi proposito responderet. Edicta vulgavit, quibus laboris indoles ejusque auctor intelligeretur. Adeo specimen placuit, ut innumeri libenter data subscriptione typographi animum erexerint, ac ad expedienda promissa excitaverint. Universarum rerum congeries duodecim volumina excedere nequibat, et in singulis mensibus usque ad operis perfectionem singuli socii quatuor particulas *vulgo fascicoli* recipere tenebantur. Visconti scripta titulum praeseferebant *di dizionario*, verum ne, ut intelligi solet, alphabeticum illud quisquam arbitraretur, a littera *R.* initium ducere evidenter explicabatur. « *L'opera avrà principio da Roma e sue famiglie* ». Historiam igitur Zampius evulgare coepit, quique ei nomen dederant, particulas, seu fascicoli suo soluto pretio sine ulla querela susceperunt. Extemplo sociorum pauci a data fide recedere studuerunt, qui ut facilius scopum attingerent caeteros congregare adnisi sunt. Renuentium numerus augebatur; maximum damnum typographo imminebat nisi jura sua experiri sollicitus fuisset. Adiit itaque Zampius judices tum Romae tum extra, quorum nemo ab edenda sententia sese abstinuit ut, brevissimo temporis spatio elapso, quisque in jus vocatus cogeretur ad particulas juxta contractum recipiendas, vel eorum periculo deponendas, et continuo pretium typographo rependendum. Quum in executivo judicio sociis illis spes nulla superesset, simul conjuncti aliud ordinarium adversus Zampium instituerunt coram civili congregatione A. C. in secundo turno, ut rescinderetur contractus, et a quavis obligatione ipsi absolverentur, vel saltem ut praeciperetur « *essere luogo ad emendare, rettificare, regolare a termini di giustizia e di equità il progresso dell'opera suddetta, fissando i termini e limiti della medesima sotto ogni e qualunque rapporto coll'obbligare l'intraprendente citato, anche all'emendazione dei fascicoli pubblicati* ». Diu hinc inde pugnatum quin judices ad unam vel alteram partem sese converterent; tandem cujusque voluminis paginas adstringere se posse autumarunt, sensuque pseudito, millium numerum superare typographo non licere arbitrati sunt. A certamine tamen prosequendo neutra pars sistebat quin imo nova momenta Zampius ac socii adducere non reliquerunt. Anceps tribunal quem eorum magis audiret, decretum protulit, quo collegio philologico urbis examen detulit, utrum methodum auctoris servare, vel aliam sequi arbitraretur, ut rerum ordo, ac voluminum mensura salva consisteret. Haud placuit consociis, ab eoque appellatione interjecta ad Rotam conscenderunt ut ex privilegio et meritum ipsum definiret. Interea Zampius, dum consulebatur, ipse unus non succumberet, adversus renuentes novas assequebatur sententias quibus adigebantur particulas ipsis pertinere, earumque pretium solvere. Festinantes hi appellabant, quin umquam desisterent dum appellationis judices suspensionem adimebant. Ad Senatum nostrum sese confugere duxerunt deprecantes ut in tanta colluctatione castrum unum daretur, et quae in gradu appellationis coram A. C. a minoribus judicibus pro typographo datae sententiae pendebant ad maximum judicium Rotae delatum unirentur. Summa diligentia Patres perpenderunt an quae a consociorum oratoribus laudabili alacritate dice-

bantur justitiae responderent. Verum quaquaversus eorum instantiam perspexerunt adeo legibus adversabatur, ut harum vindices a rescripto arcere sese nequiverint *« nihil de unione »*. Mihi onus injunctum fuit ut in decisione argumenta promam ab iisdem legibus desumpta, ac declarem quanta prudentia in hodierna unione deneganda emineat.

§ 2. Eo tendit lex dum causas huc illuc excitatas sub uno judice copulari jubet, ut ab uno eodem intellectu prospiciantur adeo ut quatenus arcta inter utramque causam intercedat connexio unus et idem judex eas definiat, ne sententia unius discrepet ab altera: discrimen quod facile accidere posset juxta diversas hominum mentes, nisi ab iisdem judicibus investigarentur, atque dirimerentur. Una haec est prudentia quae sub paragrapho 1050 et sequentibus hodierna continetur praxi, quam jugiter Patres secuti sunt, ac ne ad ampliorem sensum quam decet, doctrinam extenderent, distinctionem quamdam usurparunt, quam passim in decisionibus retulerunt. In causarum enim unionibus haud eadem usi sunt jurisprudentia dum utraeque executivae quaestiones, vel ordinariae, et una executiva, ordinaria altera adesset; verum perraro dum diversam induebant naturam, causae divisae ad unum eumdemque judicem eas transferre maluerunt. Quam distinctionem sociorum oratores non latebat, eique ut obviam irent Patribus insinuare studuerunt, pari modo, quo Zampius in executionem contractus instabat ut oblatarum particularum seu *fascicoli* pretium ei daretur, et hi ut juxta pactum in praeliminare operis inductum speciem historiae hujusque ordinem, ac non immutatum reciperent. Perperam tamen; miserunt enim Patres dari non posse idem judicium ordinarium simul et esse executivum, quod constituere quodamodo anxii oratores voluissent, qui dum non inficiabantur primam libelli petitionem qua rescissionem contractus a judicibus expectassent ad indolem pertinere ordinariam, asserere non verebantur in reliquis judicium ab A. C. ad Rotam translatum esse executivum. Illud vero animadverterunt, Zampium procedere ex littera contractus, ne remorari queat pretium statim ac particulas sociis transmittat, quod minime scatet ex eo quod socii ad tramites justitiae et aequitatis a judicibus deprecantur ut corrigatur, in melius aptetur, ac dirigatur operis processus, vel quod jam typis mandatum est, emendetur *« essere luogo ad emendare, rettificare, regolare a termini di giustizia e di equità il progresso dell'opera suddetta, fissando i termini e limiti della medesima sotto ogni qualunque rapporto coll'obbligare l'intraprendente citato anche all'emendazione dei fascicoli pubblicati »*; altioris indaginis indigent singula haec antequam judices definire valeant. Volvere, et revolvere debent prospectum, quo opus nunciatum sunt subscribentes amplexati, et comparare cum particulis, seu *fascicoli*, utrum respondeant promissis; perpendere insuper an rerum scribendarum auctori aliam methodum imponere liceat, quam sibi proposuit, calamumque temperare, ne fines excedat, quos auctores esse oportere socii contendunt. Nisi petitionem ejusque definitionem ab altera sociorum libelli parte derivantem ad ordinarium judicium retulissent Patres, nescivissent quo alio clariori intuitu ordinarius ritus ab executivo discerni posset. Dum igitur unionem judiciorum socios impellentium ad particulas recipiendum, debitamque pecuniam Zampio solvendam cum altero per eosdem socios instructo Patres repulerunt, illud confirmare eis placuit quod in quamplurimis decisionibus jam explicaverant ne cum executivo judicio ordinarium plerumque copuletur ut perhibet *Bononien. avocation. seu unionis causarum* 14 *decembris* 1826 *coram R. P. D. Ciri. Caesenaten. circ. vel avocationis causae* 13 *decembr.* 1827 *coram R. P. D. Olivieri, ac Pisauren. unionis causar.* 24 *julii* 1828 *coram R. P. D. Galimberti.*

§ 3. Nec uno hoc dumtaxat argumento ducti sunt Patres ad unionem causarum denegandam, verum potiora eorum animum imbuerunt, ut conceptum rescriptum *nihil* emitterent. Et sane eo perveuit Zampius, ut amicas sententias retulerit, easque coram judicibus appellationis A. C. quasi confirmatas habuerit dum hi exequendas esse jam dixerint. Ejus adversarii e contra fere post annum adhuc in litis initio reperiuntur, cujus exitus, quatenus eorum voluntati responderet, numquam a jactata sententiarum antinomia judicium expers iret, licet hodie palmam coram senatu nostro consecuti fuissent. Finis igitur legis super causarum unione adimpleri amplius nequit *« cosicchè il farle decidere da diversi giudici o tri-*

bunali produrrebbe contrarietà di giudicati §. 1050 »; nam typographi instantia judicata jam est, quin definiens sacrum auditorium juxta sociorum vota sententias jam latas praeripere vel earum antinomiam evitare valeret. Verum si integrae hinc inde quaestiones adhuc forent, nullus discrepantium sententiarum timor adesset. Suffredinius judex cohaesit petitioni Zampii: en sententia qua socii adiguntur ad particulas sumendas earumque pretium rependendum. Dicat modo Rotae tribunal instantiam sociorum excipieos « *essere luogo ad emendare, rettificare, regolare a termini di giustizia e di equità il progresso dell'opera, fissando i termini e limiti della medesima sotto ogni e qualunque rapporto coll' obbligare l'intraprendente citato anche all'emendazione de' fascicoli già pubblicati* » numquam pugnabit cum adsessoris judicio eo quod socios non liberat a particularum receptione, pretiique solutione quidquid praecipiat ut particulae seu *fascicoli* jam in lucem editae emendentur. Actio tunc orietur in sociis ut a typographo particulae emendatae sibi darentur, numquam ut ab iis acceptandis absolverentur. Possent quidem dicere praesules rotales, ut in prima sociorum instantiae parte requiretur contractum extinctum esse nullaque obligatione eos amplius fungi erga Zampium, et tunc videretur hujusmodi sententiam pugnare cum ea quae compulit socios ad particulas habendas earumque pretium praebendum. Absit tamen. Nam judex Suffredinius, caeterique cum eo executi sunt contractum adhuc vigentem; tribunal Rotae illum eriperet invalidaretque, et tunc dumtaxat carere inciperet effectu. Sociorum oratores ipsi ab ea veritate minime dissentiebant, ideoque de secunda libelli parte pro assequenda unione verba faciebant.

§ 4. Praecipuum, vero ac maximum praesidium super quod typographus innitebatur, quodque Patres necessario impulit ad unionem hodie rejiciendam, et sociorum os mirifice obstruebat in legis evidentissimo praecepto adeo eminebat, ut Zampius moderationem etiam recursus implorare, ac obtinere potuisset quanto magis unionis spretum, ac repulsam « *Non è ammissibile il ricorso per l'avocazione, o riunione delle cause . . . . . 4. quanto avuto riguardo alle circostanze, ed alla qualità dei giudizj rispettivi si riconosca che il ricorso è diretto ad impedire, o ritardare il corso o dell'uno e dell'altre* » §. 1052 codicis praxeos. Numquam apud Patres actum est avidius ad impediendum removendumque causarum progressum quam hodie, quatenus sociis unionem assequi accidisset. Proposuerant socii hi, qui coram Suffredinio vocati in jus fuerunt, exceptiones quae pro obtinendo unionis rescripto Patribus alto clamore submittebantur, iisque rejectis inimicam subiere sententiam; alacres ad A. C. advolarunt appellantes, refricatisque exceptionibus, ne suspendi quidem posse executionem judices illi dixerunt, qui tot tantaque audierant super merito controversiae per eosdem socios promotae. Eorum momentis a nemine acceptis a supremo nostro tribunali adprobari voluissent, ut quodamodo typographi victoriae gravibus expensis consecutae cohiberentur, vel adeo in aevum differrentur, ut dum palmam tandem Zampio colligere evenisset, cladem ipse retulisset. Toti enim erant socii, ut paratam executionem adversario probiberent sub fuco unionis causarum, ut ad incitas Zampio redacti typi essent, sibi pecuniae singulasque expensas de sua crumena typographus exolvisset, diemque remotissimum finis ordinarii judicii expectasset, ut eas redimeret, et quatenus tunc singuli socii ad eas refundendas iu bonis haberent. Enormissimum Patribus visum est sociorum studium adversus quod scriptum profecto in lege nuncistur « *Non è ammissibile il ricorso quando avuto riguardo alle circostanze ed alle qualità dei giudizi respettivi si riconosca, che il giudizio è diretto ad impedire o ritardare il corso dell'uno e dell'altro* ». Quibus positis, ac hisce maxime in postremo hoc paragrapho per me enucleatis, justitia et Patrum voluntas supereminet, quo eorum rescriptum elucet « *nihil* ». Et ita utraque parte dimicante jus redditum est.

Die 17 decembris 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Candidus Tosi — D. Joseph Pomponi.

Ripana Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 3 Septembris 1846

Argumentum

De jurisdictione cui subjicitur clericus, qui vitam et habitum clericalem deseruerit. — De alienatione bonorum, quae patrimonii sacri vinculo sunt obnoxia, et de eorumdem fructuum perceptione, quoad bonae fidei possessorem. —

§ 1. Post inutiliter petitam ab Eusebio Bassotti in comitiis diei 23 aprilis labentis anni circumscriptionem actorum, quae eum inter, germanumque ejusdem fratrem canonicum Seraphim Bassotti coram R. P. D. Auditore Camerae in gradu appellationis locum obtinuerant, quemadmodum pandit decisio in praefatis comitiis a me edita, et factorum etiam continens historiam, cuique titulus *Ripana circumscriptionis*, novum apud judicii acta interposuit Eusebius recursum circumscriptionem urgens actorum etiam caeterorum, quae in primo jurisdictionis gradu coram ripano vicario in hujusmodi causa fuerant gesta, vel restitutionis saltem in integrum flagitans beneficium adversus rem judicatam, quae interea temporis sibi undique prodierat infensa. Hodie tamen nova ejus petitione proposita, non meliorem is expertus est sortem. Pro sua enim justitia rescripserunt Patres « *Nihil de circumscriptione et restitutione in integrum* »; mihi rursus decisionis vulgandae munere ex turno commisso.

§ 2. Et quod ad circumscriptionem primum attinet, id unum pro aris ac focis Eusebii tuebatur orator, institutum nimirum coram ecclesiastica ripana curia a canonico Seraphino judicium, licet ad sacri ejus patrimonii, reique proinde dubio procul ecclesiasticae vindicationem tenderet, ex notissima tamen censura *cap. Si clericus de foro compet.* ideo ad laicum ablegari debuisse tribunal, quia ecclesiasticae rei dominium lite vix contestata in discrimen reus conventus adduxerat. Verum misso etiam, non ecclesiasticam, sive sacram rei qualitatem in themate Eusebium oppugnasse, sed objecisse dumtaxat, sub universali donatione a canonico Seraphino illius favore expleta, fuisse eam comprehensam, quod sane est diversissimum, supervacaneum censuerunt Patres ea desuper re maturam investigationem suscipere. Quum ex authenticis enim monumentis in responsionis libello a Seraphino allatis luculenter constaret, nedum actorem, verum reum etiam conventum ecclesiasticae fuisse militiae addictum, nefas prorsus Eusebio erat, quamvis conjugato, ecclesiasticae Curiae jurisdictionem oppugnare. Nil siquidem in canonica jurisprudentia vulgatius, quam clericos, qui uxore ducta clericalem vitam et habitum deseruerint, fori quidem privilegium amittere, eoque juvari nullatenus posse, non ab ecclesiastica vero episcopi jurisdictione ita liberari, ut coram ecclesiastico judice conventi ab ejus foro valeant declinare. Ita statuit immortalis Pontifex *Benedictus XIV de synod. dioec. lib.* 12 *cap.* 2 *num.* 3, tradiditque perpetuo supremum tribunal, ceu videre est in *Anagnina circumscriptionis, avocationis et unionis* 7 *decembr*. 1843 §. 4 *cor. R. P. D. Mertel, nunc A. C. locumtenente, et in Aesina circumscriptionis* 20 *junii* 1844 §. 3 *cor. R. P. D. meo Lippi.*

§ 3. Quod vero ad restitutionem in integrum, nedum de manifesta et evidenti rei judicatae injustitia, prout ad extraordinarium hujusmodi sibi vindicandum beneficium debuisset Eusebius ostendere, nihil constabat in themate, verum insuper in invitos cujuslibet oculos ejusdem erumpebat justitia. Et ecclesiasticas quidem leges religiose, et ad unguem res judicata dubio procul servavit, dum controversa praedia sub Seraphini donatione minime fuisse comprehensa statuit. Quum enim ambigi prorsus nequiret in facto, patrimonii sacri vinculo eadem subesse, ejusque reapse constitutionem, licet pertenui tantum quantitate annui unius scuti, super integris tamen praediis, eorumque proprietate, sive in tribus « *appezzamenti di terreno suoi proprj* » cecidisse, il-

lud prono velut alveo fluebat, vel ipsam eorum indolem omnino prohibere, quominus sub posteriori donatione, quamvis amplissima et universali, comprehensa ea censerentur. Scitum quippe est, patrimonialia ejusmodi bona sacrarum rerum naturam induere, et ex rerum humanarum commercio ita eximi, ut procul a legitima episcopi venia in alium transferri, vel alienari nunquam valeant. Ita expressim sancivit sacrosancta Tridentina *Synodus in sect.* 21 *cap.* 2 *de reform.*, firmavitque perpetuo, tum s. Concilii congregatio *in Cujacien.* 6 *martii* 1638, quam refert *Zambonius in collect. verbo patrimonium num.* 3, tum s. Rotae auditorium *in Romana pecuniaria* 23 *martii* 1751 §. 3 *cor. Molino, in confirmatoria* 28 *junii ejusdem anni* §. 2 *cor. eodem, in Firmana donationis* 11 *martii* 1781 §. 2 *coram Bayane, et in Sutrina donationis* 5 *februarii ejusdem anni* §. 2 *cor. Lancellotto.*

§ 4. Juris autem dispositioni donationis etiam lex accedebat. Nec verbum enim, nec vola de patrimonii sacri bonis in universis illius tabulis occurrebat, quod unum aedepol satis erat superque, ne sub amplissima etiam verborum universalitate ea continerentur. Quum enim hominum soleat voluntas ab eorum potestate metiri, vel ipsa naturalis ratio suadet, bona alienari prohibita ac patrimonii praesertim sacri vinculo affecta, sub universali qualibet donatione numquam comprehensa censeri, veluti tradit *Rota in Firmana manutentionis super bono jure* 5 *julii* 1784 §. *fin. cor. Origo, in confirmatoria* 8 *apr.* 1785 §. 8 *cor. eod., et in alia confirmatoria* 3 *julii* 1786 §. 4 *coram eodem.* Non tacite autem modo, sive ex praesumpta donantis voluntate, verum expressim etiam, sive ex apertissimis donationis verbis patebat, patrimonium sacrum sub universali sua donatione comprehendere Seraphinum haud voluisse. Dum enim de hujusmodi bonis universa silebat donatio, sibi e contra in ejusdem tabulis nominatim is reservavit usumfructum et administrationem ecclesiastici beneficii et canonicatus, quibus ipsemet fruebatur, tum etiam *« qualunque altra provvista ecclesiastica »*; quae sane generalia verba eadem praesertim urgente ratione sacrum etiam patrimonium complecti suomet quisque facile percipit sensu.

§ 5. Vindicata autem rei judicatae justitia quoad bonorum, de quibus agitur, proprietatem, in necessarium veluti consequens descendebat, jure pariter merito eorumdem fructus a die occupatae ab Eusebio possessionis fuisse Seraphino tribuendos, ad eorumque restitutionem Eusebium damnatum. Ad unum enim clericum patrimonii sacri fructus pertinere adeo certum indubiumque est, ut neque valida quidem dijudicetur conventio de iis haud percipiendis, et in ss. canonum fraudem ab eodem inita, veluti perbelle edocet Benedictus XIV in edictali lege *« sopra il patrimonio degli ordinandi »* relata in *edict. Neapol. anni* 1772 §. 14. Perperam autem bonam suam fidem in medium proferebat Eusebius, violatas fuisse propugnans leges cunctas, quae a restitutione fructuum ante motam litem perceptorum bonae fidei possessorem absolvendum esse constituunt. Neque enim de bona ejusdem fide ullatenus constabat in themate, quum non facti quidem, sed *juris* potissimum ignorantia quae nemini valet prodesse, eadem uteretur; neque praesidium insuper ullum licebat ex ea Eusebio mutuari, cum de sacro ageretur patrimonio omnino alienari prohibito, et ab hominum commercio penitus exempto, cujus proinde fructus neque bonae quidem fidei possessor suos facere valeat *ad text. si quis presbyterorum* 6 *de reb. eccles. non alien., et in leg. jubemus nulli cod. de sacros. Eccles.*

§ 6. Deteriori demum consilio rem editam judicatam carpebat Eusebius duplici sub obtentu, quod neque melioramentorum refusionem ejus favore eadem praeceperit, neque mutuam germanos inter fratres expensarum compensationem decreverit. Quod enim ad melioramenta pertinet, eorum quidem refusionem res judicata non imperavit, neque tamen pariter negavit hac imo investigatione ad congruum sejunctumque allegata judicium. Quum ea itaque desuper re ordinarium adhuc remedium Eusebio suppeteret, talique pacto indemnitati facile suae consulere eidem liceret, haud erat ex hoc capite extraordinarium ei remedium concedendum. Maxime vero quum apud primarum

instantiarum judicem nullam de assertis melioramentis probationem is protulisset, eaque insuper appellationis etiam judici non satis certa et liquida visa fuerint; quo sane in casu jugi constantique fori congruit disciplinae, eorum examen ad sejunctum ablegari judicium, veluti passim *tradit. Rot. in rec. dec.* 307 *num.* 8 *p.* 7, *dec.* 726 *num.* 12 *cor. Olivatio, in Romana immissionis super melioramentis* 14 *febr.* 1753 §. 2 *cor. Elephantutio, in confirmatoria* 17 *januarii* 1782 §. 11 *cor. Sentmanat, in Ravennaten. immissionis* 3 *junii* 1793 §. *fin. cor. Acciajuoli, et in Perusina immissionis* 6 *maii* 1816 §. *fin. coram Bussi.* Quod vero ad judicii sumptus, facultatem quidem judicibus lex tribuit mutuam eorum compensationem inter sanguine conjunctos praecipiendi « *secondo le circostanze* » teste §. 606 *greg. cod.* Quum ejusmodi vero fuerit facultas prudenti eorum arbitrio commissa, nullam certe legem iidem violarunt, si universis causae adjunctis sedulo maturequo libratis arbitrio sibi lege concredito haud utendum censuerint. Et ita etc. in acri partium conflictu jus redditum est.

Die 18 martii 1847 « *Quoad circumscriptionem provisum per renunciationem; in reliquis in decisis.* »

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Marcus Ant. Marconi.

Prot. 143/1845 R. P. D. PACCINELLI Decisio XCIII.

FULGINATEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 3 Septembris 1846

Argumentum

Quaeritur an generalis regula quae in §. 490 *neotericae praxeos continetur, subjecta sit exceptioni in casu domicilii electi, in vim alterius* §. 486.

§ 1. Publicis in tabulis, quibus de julio usque 1831 collybi nomen scut. 8200 adstipulatus fuerat sui favore Paulus Lattanzi, ejusque mater vidua Margarita Roncalli, debitor Antoninus Valentini tam suo, quam procuratorio quoque nomine fratris Hieronymi, accepto in id speciali mandato, domicilium elegit in civitate Fulginii « *nel negozio del signor Domenico Spezi . . . . per tutti gli effetti contenuti nel presente contratto* », ad hoc insuper ad reliqua adstringendo pacta « *la sua propria persona, quella del signor Girolamo suo fratello, i loro beni, ragioni ed eredi* ». Istiusmodi penes electum domicilium (uti jam pro fructibus non solutis semel ac bis petitionem transmiserat, quin umquam de citationis defectu actum fuerit) Paulus una cum vidua matre ac tutrice, advento cessoque collybi repetendi tempore sub die 11 augusti 1837 coram tribunali primae actionis Fulginii tum contra Antoninum Valentini, tum contra Victoriam Corvini matrem ac tutricem Consalvi, veluti filii haeredisque defuncti pariter nonnullis ab hinc annis Hieronymi, libellum indixit, ut debitores damnarentur « *al pagamento di scudi* 8200 *in restituzione della sorte principale del cambio* ». Lata hinc sententia, quae executioni commissa super praedio « *Casone* », abiit exinde in remjudicatam. Actum post haec coram tribunali Camerti, sub cujus ditione erat executum praedium, de caeteris subhastationis ac deliberationis actibus. In hoc judicio super executione sententiae in remjudicatam transactae debitor pupillus ejusque mater ac tutrix semper in jus rapta, modo infelix quoque rapuit, donec ventum fuit ad graduatoriam usque sententiam, a qua primum ipsa appellationem interposuit, eaque exinde neglecta, iterum rediit ad acta primae actionis tribunalis Fulginii, ac recursum sub die 8 augusti anni nuper elapsi pro obtinenda ex primaevae citationis defectu omnium actorum nullitate ad nostrum Ordinem interponere curavit, reservato insuper petendi quoque jure restitutionem in integrum. Ex efflagitata obtentaque per utramque partem dilatione, causa

hoc mane fuit proposita, Corvinia tamen filioque a judicio absentibus; ideoque rescripto « *Nihil* » eorum petitio fuit penitus reprobata.

§ 2. Non modo enim actorum a vadimonio absentia, quae de eorum non bono jure quodammodo specimen praebet, sed et perdita ipsius recursus natura ita fore rescribendum in casu Patres docuere. Reque vera ex lege, qua moderamur, ita cautum est in §. 486 « ibi » *Il domicilio eletto od indicato a forma dei §§. 428 e 446, si ritiene come domicilio reale anche all'effetto di notificarvi gli atti di citazione. Il reo convenuto ed i suoi eredi potranno essere citati, o nel domicilio reale, o nel domicilio eletto, od indicato a scelta dell'attore.* » Cum igitur in *facto* inficiari nequeat, quoad Consalvum Hieronymi Valentini alterius ex debitoribus filium atque haeredem, ejusque matrem ac tutricem Corviniam, fuisse primaevam citationem relictam « *al domicilio* », quod procuratoris ope ipsius pater et auctor in publicis tabulis Fulginii elegerat « *nel negozio del signor Domenico Spezi* », aberat idcirco juxta censuram §§. 428, 446 et 486 ex hoc capite quaelibet expostulata nullitas. Etenim « *si verifica il difetto di citazione* » ita monente nuper dicta lege sub §. 781 « *quando fu omessa la citazione introduttiva del giudizio, ossia quando il reo convenuto non fu citato in principio della lite, nè in persona, nè al domicilio, nè alla sua dimora, nè in altro luogo determinato dalla legge* ».

§ 3. Nec Victoriae pro nullitate agenti, veluti Consalvi matri ac tutrici legitimae quidquam prodesset, ducto argumento *ab auth. matri et aviae cod. Quando mulier tutel.*, contendere libellum relinquendum esse ad suum reale, non ad domicilium illud electum, cum patula sit in hisce casibus nostrae legis dispositio in §. 490 « ibi » *I pupilli, gl'interdetti, i minori saranno citati in persona, o al domicilio dei tutori, economi, o curatori.* » Visum est siquidem Patribus generalem regulam, quae in mox citato §. 490 continetur, exceptioni iri subjectam in casu domicilii electi, de quo singillatim meminit alter supra memoratus §. 486 eo quod « *in toto jure, generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est* » ad tradita *in leg.* 80 *ff. de R. J.* Praeterea Corvinia, uti mater ac tutrix legitima, quae pupilli propter aetatem se minime defendere scientis personam repraesentat, ac tuetur, melioris esse nequit conditionis, quam est ille ab ea repraesentatus ad textum in *leg.* 143 *ff. de R. J.* « ibi » *Quid ipsis, qui contraxerunt obstat, et successoribus obstabit* ». Cum itaque pater atque auctor pupilli, cujus personam Victoria gerit, vi publici contractus domicilium elegerit, cum istiusmodi electio, ceu substantialis illius contractus pars, conventa fuerit « *per tutti gli effetti contenuti nel presente contratto* », cum denique ad hoc ad reliqua observanda pacta Hieronymus, specialis procuratoris ope, non modo seipsum, sed quoque « *gli eredi* » solemniter devinxerit, difficile hinc captu est, quomodonam tutricis licet legitimae adventus post haec tanti fieri deberet, ut quoad filium haeredemque Hieronymi, quae cum ejus patre et auctore semel placuere, quin servaret, penitus prae suo ingenio evertere posset contra monitum apertissimum in *leg.* 60 *ff. de reg. jur.* « ibi » *Haeredem ejusdem potestatis jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat* » contraque praetoris vocem, qui se pacta perpetuo servaturum conclamat in *leg.* 1 *et* 7 *§. praetor ait ff. de pactis.*

§ 4. Tandem, et quod perentorium est, non valet amplius ipsamet tutrix de citationis defectu conqueri, sive quia eidem domicilii electioni jam consenserit, sive quia expostulatam nullitatem, quam licet substantialem consanari juris exploratissimi, jam Corvinia absterserit, ac remiserit. Stat enim in facto immotum ob non solutos collybi fructus Consalvi matrem atque tutricem semel iterumque vocatam in jus eodem fuisse nomine « *al domicilio eletto presso il sig. Domenico Spezi negoziante in Fuligno* ». Semel iterumque super hisce libellis fuisse damnatam, semel iterumque sententiam habuisse acceptam, et utrumquo solvisse judicatum, quin umquam de citationis defectu verbum ullum exciderit. Si itaque in judiciis quasi contrahi ex jure dicitur, selectumque domicilium recurrenti semel ac his coram judice placuit, nefas hodie est ei idem displicere domicilium, atque a placitis ad libi-

tum resilire, cum praesertim nemini liceat in alterius perniciem suum mutare consilium *leg. 76 ff. de reg. jur.*

§ 5. Atque hoc magis, quia Corvinia in judicio super executione sententiae in rem judicatam transactae, quam nullitatis vitio modo inquinatam dicit, vocata in jus perpetuo stetit, sive dum actum de eligendo administratore, deque ineunda subhastatione ac deliberatione praedii « *Casone* », sive dum res fuit de rationibus administratoris deputati comprobandis, ac tandem de distribuendo inter creditores pretio. Quin immo ipsa idoneum procuratorem, qui executoriis actibus interesset, ab antistite Camerti petiit, obtinuitque deputari, per illum insuper comparuit, suas detulit defensiones, petitiones plurimas, licet ab eodem Camerti primae actionis tribunali rejectas, proponere curavit; postremo appellationem, quam exinde deseruit, a graduatoria interjectusque sententia. Ex quo fit, ut citationis defectus, si qui tamen ab initio primaevi judicii extitisset, remissus ac consanatus a recurrente Victoria haberi debeat: est enim, ita ferente §. 783 vigentis praxeos, « *rimesso o sanato il difetto di citazione se la parte non citata comparisce, e deduce le sue ragioni, o difese sul merito senza allegare la nullità* »; cui quidem juris sanctioni plaudit passim supremus hic Ordo noster, et praesertim *in Romana circumscriptionis* 12 *julii* 1839 §. 2 *coram La Grua, et in Camerinen. circumscriptionis* 18 *aprilis* 1844 §§. 8 *et* 9 *coram R. P. D. meo Ferlisi*, pressius vero in casu adamussim comparitionis in judicio super executione sententiae in *Bononien. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 8 *maii* 1845 §§. 4 *et* 5 *coram eodem*. Atque ita, unica etc.

Die 26 novembris 1846 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Philippus Maria Apollonj — D. Hieronymus Marini.

Prot. 6/1846 R. P. D. LIPPI Decisio XCIV.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 10 *Septembris* 1846

Argumentum

Qui in judicio hypothecario comprehendi debeant — De sanctione pianae legis anni 1816, *quoad inscriptionem veterum hypothecarum — De aditione paternae haereditatis.* —

§ 1. Anno 1776 Caeciliae Calcagni nupsit Fabio Magalotti, cui scutorum 300 dotem attulit, lucro dotali juxta romanum statutum constituto. Ex quo factum ut ab eo usque tempore omnia Fabii bona essent hypothecata favore uxoris Caeciliae pro privilegiati hujus crediti tuitione scut. 375. Anno vero 1784 tam ipse Fabius, quam ejusdem frater Philippus quoddam indivisum suum praedium dictum *Palombara* vendidere Flaminio Moscatelli, jurisjurandi religione asserentes idem esse liberum ab omni hypotheca, una tantum census scut. 500 excepta. Mortuo dein emptore Flaminio praedictum praedium transitum fecit in filios Joannem Petrum, et Aloisium sacerdotali charactere insignitum, qui tamen anno 1808 omnia bona sua eidem Petro donavit, atque anno 1816 sub nonnullis conditionibus eamdem donationem ipsius favore confirmavit.

§ 2. Quo tempore etsi vulgatum fuerit regimen hypothecarium pianum, juxta quod intra semestre ad veterum hypothecarum inscriptionem procedi debebat, ut gradus potioritas servaretur, Caecilia Calcagni non ante annum 1820 memoratam suam hypothecam inscripsit super omnibus jam defuncti viri bonis. Cumque postmodum judicio egerit in aliorum fundorum possessores pro obtinenda crediti et lucri dotalis solutione, scut. 150 summam vix potuit hoc modo recuperare. Quare mortua etiam Caecilia, ejusdem filius et haeres Paulus Magalotti novum judicium hypothecarium instituit adversus Joannem Petrum Moscatelli sicuti fundi *Palombara* possessorem pro residui ejusdem crediti scut. 225 solutione, vel dicti fundi subhastatione, quia nec Flaminius, nec ejusdem filius Petrus ante dictae hypothecae

generalis anni 1820 inscriptionem, ad ejusdem transcriptionem processerant. Neque spes Magalotti effectu caruerunt. Sententia enim anni 1838 ejusdem petitio fuit excepta, quae sententia ob consequutivam appellationis peremptionem rei judicatae potestatem acquisivit.

§ 3. Interea tamen accidit ut anno 1834 sacerdos Aloisius Moscatelli rem aliam judicatam retulerit adversus fratrem Joannem Petrum pro resolutione antea factae donationis, et redintegratione in possessione omnium bonorum, quae fuerant in hac generali donatione comprehensa, ideoque etiam in possessione medietatis fundi *Palombara*. Qua stante rejudicata cum anno 1842 idem sacerdos Aloisius eamdem donationem expleverit erga nepotem Alexandrum Moscatelli, hic recursum interposuit apud supremum nostrum tribunal pro circumscriptione enunciatae sententiae favore Pauli Magalotti iudictae anno 1838, sin minus pro in integrum restitutione, perinde ac si in hoc judicio non unus Petrus, sed etiam Aloisius citari debuisset, vel eadem sententia manifesta injustia laboraret. At proposita hodie causa utrumque remedium PP. denegarunt rescripto « *Nihil* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 4. Atque revera circumscriptionis fundamentum constituebat Moscatelllus in citationis defectu, quia etsi sacerdos Aloisius usque ab anno 1816 omnia bona sua fratri donasset, usque tamen ab anno 1834 rem judicatam retulerat pro hujus donationis resolutione et redintegratione in possessionem bonorum donatorum. Quo circa acquisito iterum fundi etiam *Palombara* condominio, et ipse quoque comprehendendus erat in judicio hypothecario a Paulo Magalotti postmodum instituto, et adversus unum Joannem Petrum expleto anno 1838. Sed haec argumentatio omnino corruebat animadversione, quod ex censu s codicibus, et ex actis ipsis judicialibus Alexandri nomine expletis constat sacerdotem Aloisium, quamvis anno 1834 hanc remjudicatam retulisset, non ante tamen exequutioni eam commisisse, quam anno 1842, quo suorum bonorum, ideoque in fundi etiam *Palombara* possessionem rursus ingressus est. Cum itaque hypothecarii hujus judicii tempore, quod creditor Magalottius instituit et ad exitum perduxit, redintegrationem etsi antea obtentam non coeperit facto, Aloisius ex hoc ipso comprehendendus non erat in eodem judicio. Hoc enim speciale habet actio hypothecaria, ut seposita cujuslibet condominii ratione, eam dirigere creditor debeat adversus unum fundi hypothecati detentorem juxta vigentis praxeos §. 1456 ubi legitur « *L'effetto dell' azione ipotecaria consiste nell' astringere il terzo detentore del fondo, o fondi ipotecati a pagare il debito legalmente iscritto coi suoi accessorj, ovvero a rilasciare il fondo, o fondi, affinchè sieno venduti al publico incanto* » et §. 1457 « *Il creditore . . . che intende valersi di questa azione farà citare il terzo detentore in persona, o nel suo domicilio etc.* »

§ 5. Exclusa sic circumscriptionis postulatione, non minori etiam facilitate in integrum restitutio excludebatur, quia non solum in re judicata nulla reperta est legis violatio, vel praeteritio, sed quia eadem etsi impropria, justa omnino reperta est, et nullum adversus eam afferebatur novum et decisivum documentum. Neque vera constabat de credito et hypotheca, quo in casu actio hypothecaria semper obtinet. Neque verum est Caeciliam serotine dotale creditum inscripsisse anno 1820, dum ex lege piana anni 1816 semestre impertiebatur ad conficiendam veterum hypothecarum inscriptionem, ita ut « *dopo questo termine non la potranno desumere, che dall'epoca della seguita inscrizione* » ut ait ejusdem regiminis art. 36. Quamquam enim intra semestre non inscripserit, sed anno 1820, hoc tamen in facto est incontroversum, quod nec Flaminius Moscatelli, nec ejusdem filii fundi *Palombara* emptionem transcripserint. Qua stante transcriptionis deficientia fieri locus non poterat eorum favore recitatae legis dispositioni, cum transcriptio necessaria sit, ut praedia purgata maneant a veteribus hypothecis ante venditionem super eis impositis, juxta legem gallicam diei 4 julii 1809 sub tit. 3 veluti recta ejusdem articuli interpretatione tribunalia dijudicaverunt, quidquid diversimode senserint in alio casu, ubi de hypothecis post venditionem, et ante transcriptionem supervenientis actum fuerit.

§ 6. Neque probatur Paulum Magalotti paternam haereditatem adivisse ut inutile

fieret ei concedere materni crediti conditionem, quod deinde restituere teneretur, ut patris successor et haeres. Ad hujusmodi enim aditionem evincendam sat esse non poterat supplex libellus sacratissimo Principi porrectus, in quo narratur Magalottum aes alienum paternum dimisisse, ut facultatem obtineret vendendi quamdam fideicommissariam domunculam. Haec enim mera fuit enunciativa, quae sine alio adminiculo nihil probat, cum in odiosis non valeat regula « *filius ergo haeres* ». Praesertim vero, quod hanc qualitatem haereditariam excludat absolutissima alia res judicata, qua probatum fuit Pauli creditum adversus paternam haereditatem. Et ita utraque parte etc. decisum est.

Die 14 januarii 1847 « *In derisis.* »

Procuratores — D. Eligius Natili — D. Joannes Papi.

Prot. 83/1846 R. P. D. FERRARI Decisio XCV.

Romana Unionis

Jovis 26 Novembris 1846

Argumentum

Quaeritur unde sumi debeat praeventio judicis in causarum unione, cum adhuc nullum documentum in causis eisdem productum sit.

§ 1. Ineunte anno 1841 Franciscus De-Girolami sublocavit Aloysio Barni pro menstrua pensione scutorum trium quartam contignationem domus ab eo conductae « *in Via de' Carbonari numero* 21 ». Quum hujus sublocationis syngrapha exarata nunquam fuisset, De-Girolami existimans contractum post sex mensium spatium finem habuisse, die 27 aprilis labentis anni judicio Barnium provocavit coram secunda sectione congregationis civilis A. C., ut « *stante il cessato contratto di subaffitto* », illius e domo evacuatio decerneretur. Tunc Barnius vadatus est De Girolami coram assessore De Sanctis, ut sublocationis contractus iniretur ad annos quinque progressurus; quarum causarum ne continentia divideretur, De Girolami recursum apud Ordinem nostrum interposuit, quo postulavit, ut causa coram assessore avocaretur, et uniretur alteri causae coram A. C. contestatae. Rejecta hinc instantia Barnii, qua postulabat recursus moderationem, hodie PP. mei illum probandum esse censuerunt rescripto « *Esse locum unioni causarum coram secundo turno congregationis civilis A. C. in statu et terminis* ».

§ 2. Nam post nuperas leges ad causarum unionem decernendam necessaria minime est identitas rei, actionis, et personarum, sed satis superque est causarum connexio, satis nimirum est, ut una causa sit alteri praejudicialis, ita ut si a diversis judicibus essent dirimendae sententiae inter se se repugnantes exoriri possent *ad text. expressum in* §. 1052. Jam vero nulla major excogitari poterat connexio inter causas, quarum unio postulatur. Quaeritur coram A. C. utrum sit locus evacuationi; quaeritur coram assessore De-Sanctis utrum sublocatio ad quinquennium duratura sit stipulanda. Periculum igitur repugnantium sententiarum manifestissimum est. Nam possent triumviri A. C. evacuationem decernere; posset assessor De-Sanctis sublocationem imperare. En itaque super eadem re, atque inter easdem personas duae sententiae, quae inter sese conflictarent. Summo igitur jure meritoque duo haec judicia conjuncta fuerunt, inter quae connexio interest quam maxima, et quidem individua et substantialis, et in quibus litigantes actoris et rei conventi figuram ad invicem repraesentant. « *Congruit itaque, ut ait Brunemann. ad leg. nulli cod. de judiciis num. 4, actiones cumulare, vel quia per cumulationem consulitur sumptibus, qui multiplicantur, si judicium divideretur, vel quia probationes uno loco commodius explicantur, quam pluribus, vel quia demum contrariae sententiae interdum sequerentur.* »

§ 3. Quod si unio decernenda erat, prono veluti alveo sequebatur, causam coram assessore conjungendam esse alteri causae coram congregatione civili A. C. Nam in §. 1051

sancitum est, quod « *il tribunale supremo riunirà le cause, e le rimetterà al giudice e tribunale che sarà stato prevenuto nella causa di entità maggiore* ». At certum est usque a die 27 aprilis labentis anni De-Girolami vadimonium coram congregatione civili A. C. Barnio indixisse, ut e domo evacuaret, quae causa valoris erat scut. 720. Nam agebatur de evacuatione post finitam locationem, quo in themate annua pensio scut. 36 vicies erat multiplicanda juxta sanctionem §. 455. Barnius vero nonnisi die 7 maii ejusdem anni locationis stipulationem postulavit « *per l'annuo affitto di sc. 36, e per la durata non maggiore di anni cinque* ». Hujus igitur litis valor vix ac ne vix quidem argentea centum octuaginta superabat. Quum itaque manifestissimum esset congregationem civilem A. C. in majori causa praeventam fuisse, de utraque lite judicium eadem congregatio ferre debebat.

§ 4. Neque rem mutabat nullum documentum coram A. C. triumviris productum fuisse, ideoque eorum praeventionem compertam satis non esse juxta eumdem §. 1051. Nam neque Barnius ullum documentum coram assessore De-Sanctis produxit; quo in casu praeventio a citationis reproductione sumi debebat; neque in facto dubitari poterat, quin De-Girolami primam citationem reproduxisset. Urgebat, quod deficientia documentorum apud acta opposita jam a Barnio fuit ut recursus moderationem obtineret, sed ab Ordine nostro hujusmodi exceptio rejecta fuit die 9 julii hujus anni rescripto « *Ponatur in folio* ». Obstat igitur gravissimum s. Ordinis judicatum, quominus eadem exceptio possit hodie iterum in medium afferri. Et ita etc. utraque etc.

Die 4 februarii 1847 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Petrus De-Paolis — D. Pius De-Camillis.

DECISIONES

SUPREMI TRIBUNALIS SIGNATURÆ JUSTITIÆ

ab anno 1845 ad annum 1854.

Prot. 649/1842 — R. P. D. PACCINELLI — DECISIO XCVI.

MACERATEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 14 Januarii 1847.

Argumentum

Cum pendente judicio in S. Rota, judicium idem sub fuco novitatis depromptae ex citatione sequestrium, instauratum fuerit coram diverso tribunali, actorum circumscriptio postulatur.

§ 1. Mutua de creditis judicia de anno usque 1813 instituta inter Pandulphium Marefoschi nuptam marchioni Francisco Accoretti, et nobiles viros Camillum ac Josephum Marefoschi postquam *unum* nostri supremi Ordinis *rescriptum* diei 18 septembris 1817 « *quoad omnes et omnia* » remiserat ad sacram Rotam, *alterum* quoque accessit diei 26 novembris 1818, quo jussum est, ut Rota procederet « *compensatis prout de jure hinc inde creditis* ». Hisce sub indictis legibus coeptum in Rota judicium, ibique proposita rogationis formula « *An sit locus compensationi, seu potius executioni decreti rotalis in casu?* » responsum datum est « *Affirmative juxta liquidationem a Ponente faciendam, suspensa interim executione decreti rotalis* », ceu patet *ex Maceraten. compensationis* 12 *junii* 1820 *coram bon. mem. Ser-*

lupi ». Res exinde siluerunt ad a nnum usque 1840, in quo marchio Joannes Accoretti, uti baeres Pandolphinae interea defunctae, putans creditum scut. 3478, quod jam fratres Marefoschi apud sacram Rotam in compensationem adduxerant, vel fuisse extinctum, vel saltem ad minimam summam redactum ob solutiones ex nonnullis sequestris deinceps receptas, adiit maceratense primae actionis tribunal, ut declararetur « *sodisfatto ed estinto il credito di lire* 6141. 63 *per la rata parte di lire* 5515. 89 *e quindi residuato il credito stesso a sole lire* 615. 74, *pari a scudi* 115. 09 ». Haec acta, licet Accorettus in jus quoque sequestres rapuisset, suis stare viribus non posse visum est fratribus Marefoschi, ideoque insteterunt ipsi coram nostro supremo tribunali pro circumscriptione ex defectu jurisdictionis, ac voti compotes facti; nam Patres propositam petitionem hoc mane exceperunt rescripto « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali civili primae actionis Maceratae cum omnibus inde secutis ex defectu jurisdictionis PP. VV. JJ. SS.* »

§ 2. In facto compertissimum erat creditum, de cujus extinctione, vel maxima saltem reductione adversus fratres Marefoschi marchio Accorettus disputaturus petierat anno 1840 macaratense primae sedis tribunal, inter ea omnia recenseri, quae utpote de anno 1813 extantia et gemino nostri supremi Ordinis rescripto « *quoad omnes et omnia* » et « *compensatis prout de jure hinc inde* » ad Rotam remissa, exinde ab hac cognosci coepta fuerant. Id enim dum ab actorum omnium processu, et praesertim a §. 7 supradictae *Maceraten. compensationis* 12 *junii* 1820 *coram bon. mem. Serlupi*, manifestissime scatebat, neque qui pro marchione Accoretto causam dicit, hoc idem in sua ratione inficiabatur. Stante igitur pendentia litis de hoc credito coram Rota, ibi coeptum judicium finem omnino accipere debebat, ut ait *Marcellus in leg.* 30 *ff. de judic.*; ac proinde non sine nullitatis vitio eamdem causam instauravit marchio Accorettus coram jam dicto, sed diverso Maceratae tribunali, quod omni prorsus carebat jurisdictione ad tradita *post text. in leg.* 7 *ff. de judic.*, *in leg.* 6 *cod. eod., et in leg. fin. cod. de in jus vocat.* per hunc supremum Senatum *in Sublacen. circumscriptionis* 6 *septembris* 1834 *coram Alessi* §§. 3 *et* 4, novissime vero *in Anagnina pertinentiae et circumscriptionis* 23 *julii* 1846 §. 2 *coram R. P. D. meo Lippi*.

§ 3. Nec ad circumscriptionem effugiendam eidem marchioni Accoretto quidquam profuit in medium afferre tum quamdam judicii novitatem ex persona sequestrium coram maceratensi aula vocatorum, tum judicii utilitatem pro compensatione in Rota ocyus definienda. Ictu enim oculi Patres ea qua praestant sapientia atque justitia statim prospexere, sequestres in jus raptos tantum fuisse « *a cautela e per ogni effetto* », nec insuper eos posse prorsus confundi cum persona debitoris; nam inter sequestrem ac debitorem magnum intercedit discrimen *ad text. in leg.* 108 *ff. de verb. et rer. signif., et in leg.* 109 *ff. eodem.* Caeterum vocati sequestres dum primaevam litigantium personam minime immutabant, nil aliud denique nisi testimonium perhibere potuissent de certa hujus crediti quoad fratres Marefoschi reductione ob solutiones eis factas. Cum itaque in Rota idem assequi potuisset, si veritati obstitissent in praeeunti coram ponente liquidatione fratres Marefoschi, hinc nulla juris ratio, vel judicii utilitas sibi poscere videbatur marchionem Accorettum extra petere, quod intus habebat, ac proinde convolando ad diversum tribunal potius quam properare, remorari e contra manifestum erat, quominus apud Rotam decreta de omnibus mutuis creditis perficeretur compensatio. Atque ita utraque etc.

Die 25 februarii 1847 « *Provisum per renunciationem* »

Procuratores — D. Joseph Saraiva — D. Aloysius Cicconetti.

Prot. 649/1842 R. P. D. PACCINELLI DECISIO XCVII.

MACERATEN. CIRCUMSCRIPTIONIS ET PERTINENTIÆ

Jovis 14 Januarii 1847

Argumentum

(Habes in superiori Decis. XCVI.)

§ 1. Adversus judicium, quo anno 1840 egisse marchionem Joannem Accoretti coram Maceratae aula admonet coaeva coram me decisio *super circumscriptione*, conventi fratres Marefoschi primo recursum ad nos habuere pro nullitate actorum, causaeque ad Rotam pertinentia. At proposita quaestione, sterilis libelli tenor supremum hunc Ordinem quodammodo docuit petitionem dein coercitam fuisse ad unam competentiam, quae proinde reprobata fuit responso « *Serventur acta coram tribunali primae instantiae Maceratae* », ceu patet ex *Maceraten. circumscriptionis, et pertinentiae* 27 *februarii* 1842 *coram bon. mem. Grossi*. Statim fratres Marefoschi ad Maceratae acta rursus convolarunt, novoque plus etiam quam par esset pro circumscriptione interposito recursu actorum nullitatem singulari apud nos petiere libello. Interea temporis marchio Accorettus pro decisionis panditae confirmatione apud supremum nostrum tribunal sollicitus institit; sed Patres ea qua emicant justitia, in comitiis diei 27 aprilis 1842 rescripsere « *Dilata et reproponatur una cum altero recursu super circumscriptione* ». Ex illo hodie causa iterum revidenda proponitur; sed enim, jam exceptae circumscriptionis ergo, rescriptum est « *Provisum.* »

§ 2. Ob declaratam siquidem omnium actorum coram maceratensi primae actionis tribunali nullitatem satis consultum fuisse huic recursui Patres prudentissime censuere. Quidquid enim de circumscriptione modo in praesenti instantia sentiri posset, longius super ea non erat immorandum, vix ubi in jure et in facto exploratissimum ibat, ea semel admissa, bis acta codem nullitatis gladio haud posse deleri. Quoad vero competentiam, haec post probatam circumscriptionem dum frustra quaereretur in maceratensi triumviratu, quia judices esse desivere, sponte sua sese videndam dabat in geminis supremi nostri Senatus rescriptis dierum 18 *septembris* 1817 *et* 26 *novembris* 1818, quae pro hac aliisque causis ad annum usque 1813 inter eosdem litigatores institutis terminali praecepto de ea ad unam Rotam jam constituerant. Atque ita, utraque etc.

Die 25 februarii 1847 « *Provisum in contemporanea.* »

Procuratores — D. Joseph Saraiva — D. Aloysius Cicconetti.

Prot. 149/1846 R. P. D. VICI DECISIO XCVIII.

VELITERNA CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 14 Januarii 1847

Argumentum

De jurisdictionis delegatione, et de privilegio fori, quo gaudent syndici Fratrum Minorum de observantia.

§ 1. Ægidius advocatus Pozzi vir probus, quique civilibus muneribus summa integritate ac diligentia persaepe functus est, administrationem una cum Antonia Pacini conjuge susceperat tutelae ac patrimonii Clementinae Ferranti, quod in ipsam devenerat ex haereditate Josephi ipsius patris, ac primi Antoniae viri. Plures post annos ab administratione suscepta supplex Ægidius adiit *sa. me. Pii VII*, ab eoque expetivit ut personam probam delegaret, quae redditionem rationum acciperet gestae administrationis. Summus Pon-

tifex gratiam Ægidio concessit, ac rescriptum edidit, quo « *SSmus annuit petitae deputationi, munusque commendari voluit R. P. D. Episcopo signino cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ac etiam subrogandi rev. sacerdotem Petrum Luciani jam archipresbyterum Vallismontanae* », facultate etiam adjecta alios deputandi « *pro effectu excipiendae, probandaeque redditionis rationis administrationis patrimonii defuncti Josephi Ferranti* », quod rescriptum minime omisit Ægidius antistiti signino exhibere.

§ 2. Gratiae tamen executio protracta fuit ad annum 1828, cum praesul signinus degeret Labici occasione sacrae Visitationis. Huic quapropter Pozzius exhibuit rationum redditionem administrationis a se gestae, atque antistes facultatibus utens in laudato rescripto concessis ne dum tres presbyteros assumpsit cognitae probitatis et idoneitatis, videlicet suum vicarium generalem et binos canonicos Manni, et Pagliei, qui sedulam sibi navarent operam in exhibitae rationum redditionis examine et approbatione; sed in ratiocinatorem etiam deputavit Hilarium Cristini ad dati acceptique partitas expungendas, atque in peritum agronomum Cajetanum Sagnori ad praedia patrimonii Ferranti aestimanda.

§ 3. Plurimis ab hisce omnibus conventibus habitis perspectisque tum Ægidii diligentia in curandis negotiis patrimonii illius, cum etiam integritate redditionis rationum ab ipso exhibitae die secunda maii anni 1828 antistes signinus in vim semper tum facultatum quas a pontificio rescripto acceperat, cum earum quae sibi uti episcopo competebant, rationum redditionem a Pozzio datam penitus approbavit declarans, quidquid ille favore Clementinae gesserat fore « *utile, ed utilissimo per la pupilla* ». Nec satis; accepto etiam habuit pro puella beneficentiae actum, quem Ægidius erga ipsam expleverat, dotis scilicet promissionem in scut. 1500 de bonis propriis, atque persolvendae cum nuptias foret contractura, dum integro patrimonio Ferranti in dimissionem aeris alieni consumpto, nihil superfuerat quod in dotem Clementinae potuisset assignari. Ad majorem vero rerum firmitatem jussit antistes ut solemne publicumque conficeretur instrumentum a tabulario episcopali, quod evenit die 28 maii anni 1830, atque in eo servatis omnibus solemniis a jure in contractibus mulierum constitutis Clementina redditionem rationum ab Ægidio exhibitam de patrimonio Ferranti, et a signino episcopo approbatam confirmavit, accepto etiam habito benevolentiae actu illius favore a Pozzio exercito. Eaque omnia alio publico instrumento rata habuit mulier ipsa anno 1835 quando nupsit Francisco Marchetti civitatis Veliternae, cui ab Ægidio promissa dos fuit persoluta.

§ 4. Post plures tantum annos querimoniae nonnullae percrebuerunt de administratione ea, quas cum prae sua honestate perferre Pozzius nequaquam potuerit, ad eas penitus praecidendas illico judicium jactationum adversus conjuges Marchetti instituit, ut querelas probarent infra terminum a judice praefiniendum, quo elapso perpetuum silentium conjugibus ipsis imponeretur. Tunc *coram tribunali civili veliterno* judicium adversus Ægidium ejusque uxorem Antoniam conjuges Marchetti excitarunt rationum redditionem expostulantes de administratione patrimonii Ferranti ab illis habita, petita etiam immissione atque redintegratione ad bona patrimonii illius.

§ 5. Cum vero ageretur *de pontificio rescripto*, cujus vigore signinus episcopus delegatus fuerat ad praefatam accipiendam redditionem rationum, atque delegata jurisdictio a delegato fuerit omni studio et diligentia commissa, *incompetentiae exceptionem* adversus tribunal illud civile conjuges Pozzi proponere minime praetermiserunt. Qua tamen exceptione a judicibus veliternis penitus rejecta ad sacrum Rotae tribunal ipsimet provocarunt expressa tamen cum protestatione « *di domandare la circoscrizione degli atti innanzi al tribunale della Segnatura* », quam deinceps reapse iidem conjuges assueto interposito recursu expostularunt a supremo Ordine nostro; et quamvis *in comitiis 17 decembris anni nunc elapsi* dilata fuerit causae resolutio, bodie tamen rescriptum propitium retulerunt conjuges ipsi, nempe « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali primae instantiae veliterno cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis, partes utantur juribus suis* » munere mihi dato decisionis edendae.

§ 6. Justitiam captae resolutionis Patres ex duplici capite desumebant, scilicet quod

signinus antistes in exigenda redditione rationum tutelae et patrimonii Clementinae Ferranti a Pozzio usus fuerat tam facultatibus propriis illi concessis a tunc vigente leonino codice, cum a laudato rescripto pontificio, quo fuerat delegatus « *Sopra le quali cose* (ita episcopus in suo decreto) *sua signoria illustrissima e rma in forza delle facoltà proprie etc., e servendosi di quelle attribuitegli dal pontificio supremo rescritto, inerendo alla giusta istanza promossa dal Pozzi, e ad effetto di esaminare le posizioni tendenti al rendiconto, e per eseguire tutt' altro opportuno etc.* ». Egit ergo episcopus tam jure proprio sibi concesso a lege tunc vigente, quam jure delegatitio sibi impertito in pluries laudato rescripto. Ast ex censura sacrorum canonum nefas est a judicibus laicis ad examen revocari quae in sua dioecesi gessit episcopus jure proprio, sive uti delegatus summi Pontificis; sunt enim a jure constituti judices ecclesiastici, qui ad trutinam revocant quae episcopi gesserunt in sua dioecesi, et hos adire debebant conjuges Marchetti ad experienda jura, quae sibi competebant, quaeque et ipsi Clementinae salva in suo rescripto voluit summus Pontifex, non vero tribunal laicale provinciae veliternae.

§ 7. Et re quidem vera, si ut monet *Reinfestuell. in jus canonicum de appellat.* §. 3 *num.* 82, non tenet consuetudo appellandi a foro ecclesiastico ad seculare, quia non datur appellatio a majori ad minorem, sed omnino viceversa et tribunal ecclesiasticum majus et dignius esse jam definivere summi Pontifices *Gelasius in can. si duo distinct.* 96, *Innocentius Tertius in cap. solitae c. de majoritate et obedientia*, et *Bonifacius Octavus in extravaganti unam sanctam inter comunes*; nullo modo ferendum erat, ut judicio tribunalis laici subjicerentur gesta in sua dioecesi ab antistite signino, atque id etiamsi processisset jure duntaxat proprio; eo fortius igitur dum antistes idem egit in vim delegationis pontificiae; certaque proinde est et communis omnium doctorum et consulentium sententia a judicio delegati provocari non posse nisi ad delegantem, vel ad ejus in officio successorem, ut post textum *in leg.* 1 *ff. quis, et a quo appellatur*, tradunt *Lauren. in jus canonicum tit. de appellat. quaest.* 1064, *Pyringh in eumdem titulum num.* 94, caeteriqoe canonistae *in comment. ad titulum eumdem.*

§ 8. Quod et summo Pontifici rescribenti placuisse videtur. Nam cum Pozzius eidem supplicasset pro deputatione viri probi, cui gestae tutelae ac administrationis rationem redderet, ac proinde ad hujusmodi deputationem Pontifex devenire utique valuisset favore laicalis personae uti gubernatoris, et alterius cujuscumque ad id idonei, maluit tamen eligere antistitem signinum, cui Pozzius rationum redditionem exhiberet. Fieri hinc nequaquam potuit, ut judices velitrenses jurisdictionem exercerent super re ex pontificis voluntate ad cognitionem judicis ecclesiastici delegata, atque hinc merito Patres delendi esse mandarunt acta omnia coram tribunali veliterno gesta.

§ 9. Ac minus recte ad circumscriptionem effugiendam conjuges Marchetti objiciebant, nullius impedimenti existimandum esse, ne in judicio ordinario queat coram judicibus laicis ad trutinam revocari quidquid a signino antistite fuit quoad rationum redditionem cognitum et definitum, vel quia facultates a pontificio rescripto eidem tributae cohibitae fuerunt *ad extrajudicialem tantum cognitionem et approbationem*, vel quia in pontificio rescripto desunt *clausula sublata, et decretum irritans;* etenim impedimentum, ne judices laici de re ab auctoritate ecclesiastica cognita tam jure proprio, quam in vim facultatum apostolicarum quidquam decernere valeant, nequaquam oritur ex facultatibus uno potius modo, quam altero concessis, *sed a dignitate delegantis et a qualitate delegati atque ab ecclesiastica eorumdem auctoritate*, numquam vero a modo rem cognoscendi ac definiendi sive judicialí, sive extrajudiciali. Quod si judices laici rem possent cognoscere ab auctoritate ecclesiastica *extrajudicialiter* etiam definitam, illud semper oriretur absurdi, laicalem potestatem ad trutinam revocare valere, atque etiam infirmare id, quod ab auctoritate ecclesiastica fuit cognitum ac definitum, quod nefas prorsus asserere, atque omnino vetitum, cen jam fuit animadversum, a sacrorum canonum censura. *Ad defectum deinceps clausulae sublatae et decreti irritantis* quod spectat, hujusmodi deficientia id tantum secumfert ut auctoritas ecclesiastica sine *aperitione oris* competens sit ad exameu et scrutationem eorum quae ab an-

tistite signino fuerunt in vim rescripti pontificii cognita atque approbata, nunquam vero laicalis, quae semper a cognitione eorum abstineat necesse est quae auctoritas ecclesiastica definivit.

§ 10. Neque diversimode sentiendum de objectione altera a conjugum Marchetti defensoribus proposita *super gratiae inefficacia* ab advocato Pozzi relatae, eo quod ante ipsius executionem diem viderint extremum tam Pontifex qui eam concessit, quam episcopus, cui gratiae executio commissa fuit; misso namque Ægidium gratiam eamdem exhibuisse ipsimet antistiti tunc regenti signinam ecclesiam, animadvertendum est gratiam pontificiam *minime personae*, quae tunc praeerat signinae dioecesi, fuisse peculialiter directam, sed generatim cuicumque episcopatus munere tunc in ea fulgeret nempe « *R. P. D. episcopo Signiae* ». *Dignitas* hinc *non persona* fuit delegata, quo in casu certum est gratiam potuisse executioni mandari a quocumque dignitate ea praeditus foret, etsi diem extremum vidisset qui episcopatum tenebat tempore quo gratia fuit concessa, ceu statuunt *Reinfestuell. in jus canonicum lib.* 1 *tit.* 29 *num.* 6, *de cessatione officii judicis delegati, Sperellus decis.* 166 *fori ecclesiastici num.* 1, *et sacra Rota in recent. decis.* 157 *part.* 17 *num.* 4.

§ 11. Obitum deinceps Pontificis concedentis ante gratiae consecutionem, quidquam ejusdem validitati atque efficaciae detrahere acquivisse apparet ex eo, quod gratia ab advocato Pozzi implorata minime directe respexit « *rationum redditionis approbationem, sed judicis tantum delegationem* » ad redditionem eam accipiendam; vix igitur Pontifex precibus ejus annuit, vix petitam delegationem explendo signino antistiti facultates concessit ad rationum redditionem recipiendam atque approbandam, gratia illico completa fuit, atque idcirco Pontificis obitus ante illius executionem gratiae resolutionem secumferre nequaquam valuit. Ita sancitur *in cap. si super gratia de officio et potestate judicis delegati, ac post illud tradunt laudatus Reinfestuell. in jus canonicum lib.* 1 *tit.* 3 *de rescriptis num.* 250, *et Ferraris bibliotheca juris verbo gratia num.* 2.

§ 12. Denique Patres sedulo etiam animadverterunt, advocatum Pozzi gaudere « *fori privilegio uti syndicum Fratrum Minorum de observantia juxta decretum sacrae congregationis immunitatis diei* 3 *aprilis* 1846 », quodque disponit, ne coram judicibus laicis posset conveniri. Et licet deinceps sacra ea congregatio sententiam pandiderit, hujusmodi privilegium pro personali habendum fore, eique idcirco posse valedici, hoc tamen minime fecit Pozzius, immo objecit incompetentiam judicum tribunalis laicalis attenta redditione rationum jam peracta coram auctoritate ecclesiastica quae processit tum « *jure proprio, cum delegato a summo Pontifice* »; quin imo reservavit etiam jura omnia, nullitatesque suo tempore, et loco, et coram quo de jure proponendas. Igitur, et quia tribunal civile veliternum qualibet jurisdictione caret rem ad trutinam revocandi et definiendi jam ab auctoritate ecclesiastica et in vim facultatum apostolicarum cognitam atque approbatam, et quia a jurisdictione tribunalis illius immunis est advocatus Pozzi uti syndicus Fratrum Minorum de observantia, acta cuncta coram tribunali eodem gesta circumscriptionis gladio sunt delenda. Et ita resolutum est in strenuo partium certamine.

Die 11 martii 1847 « *Nihil de circumscriptione; et extendatur decisio per R. P. D. Ferrari, et reproponatur* ».

Die 20 maii 1847 « *In secundo loco decisis.* »

Procuratores — D. Antonius Sciarra — D. Clemens De-Donatis.

FERRARIEN. UNIONIS CAUSARUM

Jovis 14 Januarii 1846

Argumentum

Disceptatur an causa commercialis super solutione, uniri possit cum altera civili super redditione rationis.

§ 1. Nicolaus Orsini solidali accedente fidejussione comitis Herculis Savorelli conduxerat anno 1843 municipale Ferrariae theatrum. Impar hinc factus persolvendo conventam supra modum mercedem cantoribus, trepidare isti coeperunt, et renuebant quoque operam suam in posterum praebere. Coactum igitur fuit municipium judicio agere ut redemptores salaria praeterita solverent, et ut Erminiae Frezzolini illis diebus, in quibus spectaculum locum habuisset, scuta centum numerarentur. Sententiam votis consonam obtinuit, cujus executionem ut Savorellius averteret, rem omnem amica transactione die 20 maii superioris anni cum municipio composuit, qua transactione conductionis administratio concredita fuit Josepho Mazzacurati, adjecto quoque advocato Carolo Mayer « *per invigilare all'interesse del signor conte Savorelli* ». Ad haec pacto conventum fuit « *che per far fronte a tutti gl'impegni della medesima scaduti e da scadere fino ad esaurito spettacolo, si prevarrà di tutti i proventi spettanti all'impresa in indipendenza del contratto di appalto. Nella insufficienza dei medesimi, e così in caso di bisogno di anticipazioni, queste saranno fatte per metà dal Comune, e per metà dal conte Savorelli* ». Tandem cautum transigentes voluerunt, quod « *terminata la gestione, la perdita che potesse risultare dal conto dell'amministrazione economica, sarà sostenuta a metà, dichiarato però che la quota di perdita del Comune non potrà mai eccedere gli scudi* 550. »

§ 2. Hac inita transactione municipium obligationem in se suscepit persolvendi cantoribus tum praeterita, tum futura stipendia; quocirca res omnes usque ad diem 5 julii pacifice cesserunt. Ea tamen die, siculi ob mortem summi pontificis Gregorii XVI theatrum silere debuit, ita cantores omnes veluti agmine facto solutionem adversus municipium urgere coeperunt; quocirca eadem die 5 junii necessitatem advocato Mayerio Savorelli mandatario illius moderatores denunciarunt numerandi vim scut. 1600, quae denunciatio quum in irritum cessisset, die 8 junii urgenti via Savorellius coram tribunali consulari vocatus fuit, ut summam repraesentaret scut. 1668. Hinc eadem die Savorellius tum Mazzacuratum, tum municipium judicio coram tribunali civili provocavit, ut rationes gestae administrationis redderent; postea vero recursum interposuit, ut actio exequutiva super solutione scutorum 1668 a tribunali consulari avocaretur, utque uniretur alteri ordinariae actioni super redditione rationis; sed hac mane proposita consectaria instantia super unione, rejecta ea fuit rescripto « *Nihil* ».

§ 3. In caussis enim commercialibus ad unionem obtinendam ad nostrum supremum tribunal confugi nequit. Ita verbis, quae interprete non egent, sancitum fuit in edictali lege diei 1 junii anni 1821 §. 15 « ibi » *Nelle cause commerciali in grazia della necessaria speditezza non si ricorre al supremo tribunale di Segnatura* ». Quae prohibitio confirmata fuit in §. 345. codicis praxeos, in quo cautum fuit « *nelle cause commerciali non si ricorre al supremo tribunale di Segnatura* ». A qua tamen regula exceptae fuerunt tum petitio « *di annullamento dopo la cosa giudicata* », tum petitio altera « *di restituzione in intiero* »; atque eadem prohibitio iterata fuit §. 944, in quo post specialem praxim in causis commercialibus praestitutam sancitur « ibi » *Non è luogo a verun ricorso al tribunale supremo di Segnatura, che nel solo caso espressamente contemplato nel* §. 345 ». Quum itaque extra dubitationis aleam positum esset, quod altera ex causis coram tribunali consulari agebatur, nequibat Savorellius recursum ad Ordinem nostrum interponere, ut caussarum unionem obtineret. Nam res minime erat vel

de circumscriptione sententiae post rem judicatam, vel de restitutione in integrum, quibus in casibus ad nostrum Ordinem convolari potest, sed de unione causarum, quae in exceptione comprehensa minime est. Generalis itaque regula obtinere debet « *nelle cause commerciali non si ricorre al supremo tribunale di Segnatura* ».

§ 4. Neque rem mutare visum fuit, quod altera ex causis, causa nimirum super redditione rationis, coram tribunali civili introducta fuisset, veluti ac si prohibitio locum habere debeat in casu simplici, quando videlicet de causis hinc inde commercialibus agatur; minime vero in casu mixto, quando nempe causa commercialis sit civili copulanda. Nam lex distinctionem hanc nunquam fecit, atque ubi lex non distinguit, nos distinguere minime debemus. Quae regula nostro in casu magis magisque obtinere debet. Nam verbis taxativis casus excepti fuerunt, in quibus potestas data fuit convolandi ad supremum nostrum tribunal in casum nimirum circumscriptionis, et restitutionis in integrum « *la sola dimanda - che nel caso espressamente contemplato* ». Si igitur taxative a regula bi duo casus tantum excepti fuerunt, contra si de casu mixto nihil prorsusque nihil obmussitatum fuit, ad hunc quoque prohibitionem protendendam esse Patres mei autumarunt. Lex enim generalis in tota sua amplitudine accipienda est, praesertim quum si quid voluit expressit; quocirca noluisse censendum est id, quod reticuit, atque in regula generali semper continetur quidquid exceptio non concipit. Legis itaque littera casum mixtum omnino excludit, et prohibet quominus in eo quoque recursus ad unionem obtinendam interponi possit.

§ 5. Urget, quod ratio legis absurdam demonstret distinctionem casus mixti et simplicis. Illa enim in rebus commercialibus prohibuit recursum « *al tribunle supremo di Segnatura in grazia della necessaria speditezza* » uti totidem verbis legitur in edicto diei 1 junii 1821 §. 15. Ergo si ratio prohibitionis posita fuit in favore commercii, ne causa executiva super commercialibus titulis instituta forensibus ambagibus interciperetur, sponte sequitur, quod etiamsi lex tanta verborum amplitudine concepta non fuisset, tamen ad casum quoque mixtum trahenda esset; urget enim eadem ratio, nimirum « *in grazia della necessaria speditezza* », quae quidem ratio etiam in casu mixto obtinet. Nam in isto quoque casu una actio procul dubio commercialis est, atque exequutiva; proindeque illius cursus retardari nequit. Injustissimum vero fuisset hisce privilegiis eam spoliare, quia altera actio, cum qua unienda esset, civilis est. Nam sive unica, sive duplex sit causa commercialis semper est tuenda « *la sua necessaria speditezza* » Quum itaque eadem vigeat ratio legis, ad casum quoque mixtum eadem lex trahenda est *ad text. in leg.* 12 *et* 13 *ff. de legibus.*

§ 6. Graviorem imo rationem occurrere PP. censuerunt, ob quam in casu mixto unio postulari nequeat. Perpenderunt enim, quod interposito unionis recursu in causis hinc inde commercialibus, cunctatur quidem cursus exequutivus judicii, donec recursus diremptus fuerit, sed nullum intrinsecae ejus indoli praejudicium infertur. Nam judices sunt aeque consulares, atque eamdem exequutionem ac privilegiatam viam sectantur. Contra in casu mixto, si unio postulari posset, illud exitiale pro commercio accideret, ut conjuncta causa commerciali cum causa civili, privilegia exequutiva illa amitteret, atque longiori praxi coram judicibus civilibus agenda esset. Praesumi vero nequit legem aliquid prohibere voluisse in casu minoris damni, permittere vero in altere irreparabilis jacturae; praesumi nequit, quod dum tam provide constituit ne cum recursibus interciperentur, vel cunctarentur commerciales lites, casum mixtum excipere voluisset, ne ita praestitutum finem conseqneretur; quin imo media suppeditaret quibus idem finis eludi posset.

§ 7. Neque absurda deprehensa fuerunt, si prohibitio recurrendi ad nostrum Ordinem ad casum quoque mixtum extendatur, quum nulla tunc detur suprema jurisdictio, quae periculum pugnantium sententiarum excludere possit. Nam in casu quoque simplici adesse potest vel conflictus jurisdictionis, vel periculum quod sententiae inter sese conflictentur. Nullum tamen in lege remedium, quia illud tribuere noluit « *in gra-*

zia della necessaria speditezza ». Si igitur hoc absurdum viget in casu simplici, ac nihilo tamen secius legem venerari debemus, nulla ratio occurrit, ob quam propter assertum hoc absurdum eadem lex in casu mixto pessumdari valeat, praesertim quum non desint plura et aequipollentia remedia, exceptiones nimirum praeventionis, incompetentiae, appellationis ad tribunalia ordinaria, ut jurisdictionis conflictum dirimant.

§ 8. Post haec immorandum non erat in decisione *Romana unionis* 16 *junii* 1842 *coram Grossi*, in qua decisione tantum distinctio casus mixti fuit excogitata. Nam in tanta prohibitionis amplitudine in unico exemplo ad severiorem trutinam nunquam revocato acquiescendum non esse PP. censuerunt, praesertim quum contraria doctrina constituta fuerat in praecedenti illius causae decisione, atque in *Anconitana citationis specialis* 29 *maii* 1832 §. 6 *et seqq. cor. Alessi, et in Romana circumscriptionis, et pertinentiae* 16 *martii* 1839 §. 3 *coram R. P. D. Morichini*. Contra legibus, minime vero exemplis causas esse judicandas sancitum est in *leg.* 13 *cod. de sentent. et interloc.* « ibi » *Nemo judex vel arbiter existimet consultationes, quas non rite judicatas esse putaverit, sequendum, et multo magis sententias eminentissimorum praefectorum, vel aliorum procerum; non enim, si quid non bene dirimatur, hoc et in aliorum judicum vitium extendi oportet, cum non exemplis, sed legibus judicandum sit . . . sed omnes judices nostros veritatem, et legum et justitiae sequi vestigia sancimus* ».

§ 9. Quibus omnibus accedebat nullum prorsusque nullum periculum adesse pugnantium sententiarum; quin imo videri recursum ad retardandam causam exequutivam interpositum fuisse. Nam neque eadem res, neque eadem actio, neque eadem conditio personarum concurrebant. In uno enim judicio de solutione scutorum 1600 agebatur, in altero de redditione rationis; in uno judicio de obligationis exequutione quaerebatur, in altero de obligatione, quae ex jure descendit; in uno judicio egerat municipium contra unum Savorellium, in altero Savorellius litigaverat tam contra municipium, quam contra Mazzacuratum. Si itaque non concurrebat eadem res, eadem actio, eadem conditio personarum, alia res erat *ad text. in leg.* 12, 13 *et* 14 *ff. de exception. reijudicatae*. Quocirca si post repraesentatam pecuniam Savorellius in judicio redditionis rationis creditor judicetur, summas repraesentatas condicere poterit, quin sententia in judicio exequutivo lata exceptionem rei judicatae parere possit in altero redditionis rationis judicio, ac proinde pugnantium sententiarum periculum omnino abest, sine quo periculo causae uniri nequeunt.

§ 10. Neque jure Savorellius objiciebat, neminem nisi reddita ratione debitorem renunciari posse; ideoque judicium redditionis rationis uti praejudiciose habendum esse. Nam casus in transactione praevisus fuit, quod pecunia esset repraesentanda, et hoc casu Savorellius promisit se fore eam soluturum, quia pacto conventum fuisset, ut antea rationes a Mazzacurato essent reddendae. Sicuti itaque maxima urgebat necessitas cumulandi argentum ut cantores salaria haberent « *e che occorre al momento per soddisfare i più pressanti fra gl'impegni, una somma non minore di scudi* 1600 *oltre gli esistenti in cassa* » ita hujus summae numerationem sub fuco non redditae rationis retardare Savorellius nequibat, quia promiserat, quod « *nella insufficienza dei medesimi (proventi) e così in caso di bisogno di anticipazione* » eas minime fuisset inficiaturus « *saranno fatte per metà dal Comune, e per metà dal conte Savorelli* ». Actio igitur municipii a redditione rationis minime pendebat.

§ 11. Ex quibus illud sequebatur, quod a Savorellio non timore sententiarum quae inter se se conflictarent, sed ad retardandum cursum judicii exequutivi caussarum unio postulata fuit. Et revera vix ejus procuratori denunciata fuit necessitas persolvendi summam scut. 1600 ut salarium cantores assequi possent, illico judicium redditionis rationis coram tribunali civili instituit. Nec satis; licet in transactionis syngrapha theatri administratio concredita fuisset Josepho Mazzacurati, cui advocatus Carolus Mayer adjectus fuit « *per invigilare l' interesse del conte Savorelli* », placuit tamen in judicio redditionis rationis municipium quoque vocare, licet nunquam administrationem gessisset. Ad haec licet Mazzacuratus rationes exhibuisset, nihilominus nullam contra dati et accepti nomina exceptionem detulit, sed unionis recursum interposuit, ut executiva actio a municipio instaurata actioni ordinariae ab eo promotae conjungeretur; apertissimum igitur erat, recursum in eum finem

interpositum fuisse, ut actionis exequutivae cursus interciperetur; quo in casu rejiciendum esse leges imperant, uti ex §. 1052 *art.* 4 codicis praxeos. Et ita in strenuo partium conflictu jus redditum fuit.

Dio 18 martii 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Joannes Papi — D. Dominicus Puri.

Prot. 143 / 1846 R. P. D. FERLISI Decisio C.

Veliterna Circumscriptionis

Jovis 14 *Januarii* 1846

Argumentum

Quaeritur an petitio certae vini quantitatis, non adjecta in libello ejusdem aestimatione, litis valorem indeterminatum constituat — Disputatur deinde an accessoriis petitionis partibus litis valor possit augeri. —

§ 1. Vineam in veliterno agro, atque in regione potissimum nuncupata « *Colle Catalini* », vel etiam « *Formello* », possidet Joseph Latini Maciotti, cujus *directum* dominium a Bernardino Valori et Josepho Caprara publicis emptionis tabulis anno 1827 obsignatis sibi comparaverat; dominium vero *utile* devolutionis judicio ineunte anno 1844 adversus emphyteutam instituto sibi adjudicari obtinuerat. Ratus autem Joannes Graziosi memorata desuper vinea sibi jus competere, tum annuum exigendi canonem cadorum *quinque* vini, tum eos insuper proprio lubitu seligendi (prout loci fert consuetudo) ex universa quantitate vini ex eodem praedio collecti, judicio, labente novembri mense anni 1845, coram veliterno adsessore adversus Josephum egit postulans, vel invitum eumdem compelli « *a prestare la pazienza, onde l'istante possa assaporare, scegliere e percepire il canone di barili cinque di vino scelto, raccolto in questa stagione dalla vigna in contrada Formello, ... altrimenti in caso di ricusa autorizzare l'istante per l'effetto suddetto all'apertura dei tinelli, anche coll'assistenza della forza armata* ».

§ 2. Quam ut facilius actionem Latinius repelleret, novum ex integro ac petitorium judicium tum adversus Joannem, tum adversus germanum hujus fratrem Joseph Graziosi coram eodem adsessore instituit, declarari urgens « *che non compete ai citati alcun'azione, nè alcun diritto di percepire i pretesi annui barili cinque di vino sul terreno vignato in contrada Colle Catalini di proprietà dell'istante* », seque proinde absolvi « *da ogni e qualunque contraria pretesa* ». Quum autem Latinii votis, incompetentiae exceptione a fratribus Graziosi proposita omnino posthabita, numeris omnibus veliternus annuerit adsessor defininitivam ferens sententiam, qua solemni ritu declaravit « *non esser luogo alla prestazione dell'annuo canone* », ad nostrum Ordinem alacres ii convolarunt, ex jurisdictionis defectu deleri postulantes « *omnia et singula acta facta coram illmo domino adsessore legali veliterno in judicio petitorio super absolutione ab annua praestatione cadorum quinque vini eligendorum in cella vinaria citati* ». In hodiernis vero comitiis eorum petitione proposita rescriptum prodiit « *Nihil de circumscriptione* », muousque mihi datum decisionis vulgandae.

§ 3. Neque aliter quidem salva justitia, salvisque praxeos, qua vivimus, legibus erat rescribendum. Scripta quippe lex est omnino aperta ac diserta in §. 450 *gregor. cod.*, quod « *nei giudizj petitorj sul diritto di esigere i canoni, rendite, o altre prestazioni annuali e perpetue il valore si desumerà dall'annua rendita, dal canone, o dalla prestazione moltiplicata venti volte* ». Quum de petitorio itaque adamussim judicio ageretur in themate super jure exigendi, vel non exigendi annuum canonem cadorum quinque vini; non aliter quidem juxta *cit.* §. sanctionem ejus erat valor metiendus, nisi ex cadorum pretio vicies supputato. Luculenter autem constabat in facto, tum ex publicis monu-

mentis a Latinio exhibitis, tum ex authenticis atque omnino insuspectis codicibus locorum piorum fere omnium civitatis veliternae, pretium vini etiam hausti « *dalle risposte domenicali che vengono scelte sulla miglior qualità, che il colono raccoglie dalle vigne coloniche* », secundum decennalem ejus aestimationem supputatum, summam scutorum *duo* in singulos cados nunquam, prorsusque nunquam attingere. Licet itaque ad ejusmodi lubeat rationem controversi canonis, sive cadorum *quinque* pretium vicies supputare, litis tamen valor summam argenteorum *biscentum* nunquam excedit, neque ambigi proinde ullatenus valet, jurisdictione eam dirimendi veliternum adsessorem haud caruisse, ita ferente sanctione apertissima §. 286 *rig. cod.*

§ 4. Nonnisi autem perperam fratres Graziosi oggerebant, in actoris libello nullam de vini pretio factam fuisse mentionem, causamque proinde a Latinio institutam secundum censuram §. 449. *num.* 3 *ejusdem cod., indeterminati valoris* renunciari oportere. Si controversias enim excipias, quae jura honorifica, dignitates, praerogativas, privilegia, aliaque hujusmodi respiciunt suapte natura omnino indefinita, non alias quidem causas in *cit.* §. 449 *num.* 3 considerari legislator voluit « *come aventi un valore indeterminato, e della maggiore entità* », nisi eas tantum, « *il di cui valore non risulti dalla dimanda dell'attore, nè dai modi di determinarlo, che saranno indicati nei §§. seguenti* ». Ex quo sane limpidissime eruitur, ad indeterminatum liti valorem tribuendum, non id unum sufficere, quod ejusdem aestimatio « *non risulti dalla dimanda dell'attore* », sed illud insuper conjunctim et copulative requiri, quod ejus nimirum valor neque erui quidem ullatenus valeat « *dai modi di determinarlo, che saranno indicati nei §§. seguenti* », quod coeterum nullatenus congruit petitorio judicio a Latinio instituto, cujus valorem in subsequenti §. 450 nominatim atque expressim voluit legislator metiri « *dal canone o dalla prestazione moltiplicata venti volte* ». Nil enim in jure notius, quam « *in toto jure generi per speciem derogari, et illud potissimum haberi, quod ad speciem directum est* », veluti totidem cautum est verbis in leg. 80 *ff. de reg. jur.*

§ 5. Unum vero actoris silentium quoad rei in judicium adductae aestimationem in primordiali ejus libello adhibitum, satis nullatenus esse ad indeterminatum liti valorem tribuendum, si de re praesertim agatur non omnino indeterminata, cujusque valor facile quidem valeat praefiniri, firmavit millies supremum tribunal, ceu videre est in *Bononien. circumscriptionis* 27 *febr.* 1834 *cor. Galimberti, in Romana circumscriptionis, et restitut. in integrum* 5 *junii ejusdem anni* §. 5 *cor. De Bubalo De Valle, in Sutrina pertinentiae causae* 10 *aprilis ejusdem anni* §. 7 *cor. Grossi, in Verulana circumscriptionis* 22 *aug.* 1839 *cor. R. P. D. Morichini, in Romana circumscriptionis* 3 *junii* 1840 *cor. Grossi, et in Ferentina circumscript.* 21 *maii ejusd. anni* §. 4 *cor. R. P. D. Caracciolo Santobono.* Quod locum sane obtinebat adamussim in themate, quum litis subiectum, utpote ad cados quinque vini expressim cohibitum, suapte natura foret omnino determinatum. Quod enim ad vini *quantitatem* pertinet, ea erat ex ipsomet actoris libello dubio procul certa ac determinata; quod vero ad ejus *pretium* facile quidem vel ex publicis tabellis, quae nuncupantur « *mercuriali* », vel ex decennalibus ejusdem venditionibus ab piorum potissimum locorum codicibus comprobatis praefiniri illud poterat, veluti passim tradit *s. Rota in rec. dec.* 269 *num.* 1 *p.* 7, *ac dec.* 548 *num.* 24 *p.* 19 *et tit.* 2 *cor. Lancetta, dec.* 1353 *num.* 8 *cor. Olivatio, dec.* 336 *num.* 6, *in Romana pecuniaria quoad fructus* 21 *april.* 1834 §. 4 *cor. R. P. D. De Avellà, et in Spoletana devolutionis* 19 *junii* 1835 §. 3 *cor. R. P. D. Muzzarelli.*

§ 6. Neque aliquid facessit negocii, non de vino communi et mercatorio aetam partes inter fuisse disputationem, sed de vino potius singulari et selectiori, cujus scilicet eligendi jus sibi vindicare fratres Graziosi conabantur, quasi in discrimen proinde hujusmodi etiam seligendi jus venerit, cujus quidem valorem haud facile praefiniri posse eorum tuebatur orator. Plura enim urgebant ad propositam diluendam difficultatem. In coque versabatur primum, quod circumscriptionis nimirum recursus a fratribus Graziosi interpositus ad acta dumtaxat coercebatur in *judicio petitorio* gesta. Nec verbum enim, nec vola de praetenso eligendi jure in Latinii occurrebat libello, quod unum aedepol satis erat,

superque ne ad litis valorem augendum in calculo illud haberetur. Scitum quippe est, ex acturis dumtaxat petitione causae valorem esse metiendum, teste §. 466 *praecit. cod.* Licet autem fingere luberet, bujusmodi etiam jus fuisse a Latinio in discrimen adductum, ac tacite saltem sub extrema petitionis parte cumprehensum, qua in ima libelli sui iustitit cera sese omnino absolvi « *da ogni e qualunque contraria pretesa* », non principem certe, sed mere accessoriam et pedissequam disputationis partem, ad hoc quod pertinet, Latinii exhiberet petitio, sive actio ab eodem proposita; aunui siquidem canonis exigendi jure corruente accessorium etiam seligendi jus male sua atque omnino corrueret. Litis autem valorem ex *accessoriis* petitionis partibus, ejusque consectariis, indeterminatum numquam fieri, ubi certus, ac determinatus sit principis bujus subjecti valor et aestimatio, tum generalis juris regula suadet in foro receptissima qua passim traditum « *accessorium sequi naturam sui principalis* » *ad text. in leg.* 129 §. 1 *et leg.* 1, 8 *ff. de reg. jur.*, tum legis etiam argumentum suadet ex apertissima dispositione manaus §§. 461 *et* 462 *vig. cod.*, quibus expressim cautum, ex accessoriis fructuum, damnorum, aliorumque id genus petitionibus litis valorem nunquam augeri, ubi eorum quantitas incerta sit, vel illiquida.

§ 7. Quibus demum et illud accedit gravissimum, eligendi nimirum jus in veliterna civitate frequentissimum et directariis fere singulis cumpetens, id unum secum in qualibet perditissima hypothesi consequens ferre, quod in litis valore praefiniendo attendi mereatur pretium non vini quidem cummunis et mercatorii, sed vini singularis ac selectioris quale reapse sibi vindicare fratres Graziosi conabantur. Quum autem ex codicibus piurum locorum, caeterisque luculenter undique pateat, pretium ex iis erumpens, non vino communi et mercatoriu, sed vino adamussim selectiori congruere, illudque licet haustum « *dalle risposte dominicali che vengono scelte sulla miglior qualità che il colono raccoglie dalle vigne coloniche* », decennali tamen, prout decet, calculatione inspecta valorem scut. duo in singulos cadus nunquam attingere, supervacaneum omnino fit de asserto eligendi jure turbas in praeseus ciere. Illud enim firmum perpetuo immotumque manet, selecti etiam bujusce vini aestimatione vicies supputata, causae tamen valorem ad argentea *biscentum* nunquam conscendere, nefasque proinde hodie esse, de veliterni adsessoris jurisdictione, actorumque validitate dubitare. Et ita etc. utraque etc.

Die 18 martii 1847 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Joseph Caramelli — D. Philippus Guarnieri.

Prot. 177/1846 R. P. D. LIPPI Decisio CI.

Romana Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 14 Januarii 1847

Argumentum

An praescriptum in §. 1042 codicis gregoriani quaestionibus quoque incidentalibus aptandum sit. — An reparationes, quae in re controversa ex necessitate fiunt inhibitione pendente, attentatorum querelae causam praebere valeant.

§ 1. Nobile aedificium extat « *in via del Banco di s. Spirito* » ad viros spectatissimos R. P. D. Camillum, et Ignatium fratres Amici spectans, cujus murus lateritius illud dividit a contermina domo ad Antonium De Romanis pertinente, atque in bujus domus cavaedium pergit. Variis hic murus controversiis originem praebuit, sed inter caeteras, novo opere utriusque nunciato, Amici fratres insteterunt coram tribunali auditoris Camerae, ut novum opus conficere ipsis liceret, oblata satisdatione illius in pristinum reducendi, si forte super merito victi e judicio discederent. Quae tamen provisio cum fuerit rejecta, appellationem ipsi interposuerunt ad Rotam coram R. P. D. Bunini, ideoque tam negotium principale, quam incidens venit in secundo jurisdictionis gradu, duobus concinnatis dubiis, quorum

primum super mutua nunciatione in hac formula conceptum « *An, et cujus favore sit locus nunciationi novi operis, reductioni in pristinum, et emendationi damnorum in casu etc.* » atque alterum super provisione hisce verbis conclusum « *An sit admittenda satisdatio ad effectum prosequendi novum opus in casu etc.* » Quae rogationis formulae primitus discussae in Rota 9 februarii 1844, ob demandatam periti architecti relationem dimissae fuerunt duplici rescripto « *Dilata* ».

§ 2. Haec ita se habebant, quum Amicii tabernam quamdam signatam num. 43 adhaerentem tabernae proximae domus Antonii, atque huc illuc ruinam minitantem instaurare sunt coacti, tantum muri divisorii spatium refici mandantes, quantum satis esset sustinendo oneri novi operis ab Antonio extructi, proximaeque trabi fulciendae. Conquestus tunc Antonius de attentatis ob litem super novi operis nunciatione pendentem, eorum purgationem postulavit coram eodem Rotae tribunali per libellum diei 16 januarii anni praeteriti; mox vero contendens continuatum ab Amiciis opus fuisse, paucos post dies, die nempe 28 novam attentatorum querelam excitavit. Utraque instantia proposita die 10 februarii, rescriptum in altera est « *Dilata, et ad D. Ponentem, qui mandet per eumdem peritum Boldrini referri super hinc inde deductis et deducendis;* » in altera vero « *Ad D. Ponentem juxta petita per viam nullitatis* ».

§ 3. Ab utroque decreto provocarunt Amicii coram R. P. D. Alberghini, sed ab altero tantum super novis attentatis servata appellatione, et dubio concinnato « *An decretum rotale sit confirmandum, vel infirmandum* » rescriptum praecedentis resolutionis revocatorium prodiit « *Decretum esse infirmandum* », quod post absolutissimam, etsi unicam decisionem, expeditioni commissum reijudicatae robur potestatemque acquisivit. Cujus effectus ut, si fieri posset, averteret Antonius, ad supremum nostrum tribunal confugit, rescripti « *expediatur* » circumscriptionem postulans ex defectu jurisdictionis, perinde ac si hoc rescriptum locum habere nequivisset, nisi praeviis duabus decisionibus plene conformibus, vel saltem ob manifestam rei judicatae injustitiam extraordinarium restitutionis in integrum remedium implorans. Sed postulationem hanc PP. hodiernis in comitiis rejecerunt rescripto « *Nihil de circumscriptione, et restitutione in integrum* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 4. Reque vera circumscriptionem in eo Antonius ponebat, quod absque jurisdictione rotale rescriptum et consecutiva R. P. D. Alberghini sententia sub unica decisione praecedentem revocaverit, contendens id obstare vigentis praxeos §. 1042, qui vetat, quominus Rota sententiam ferat a duabus praecedentibus discrepantem, nisi factis prius experimentis, et duplici edita concordi decisione. Verum ista legis dispositio aptari haudquaquam poterat in themate, ubi nil vetabat, quominus secunda sententia praecedentis revocatoria controversiae finis sub unica decisione imponeretur, quum res non esset de causa principe, sed de incidenti in secundo jurisdictionis gradu excitata. Hoc scilicet procedit ex ipsa judiciorum natura, in quibus quartus jurisdictionis gradus non datur, nisi forte extraordinarium restitutionis in integrum beneficium concedi contingat, ut incidentibus quaestionibus, quae in secundo gradu originem habeant, duo tantum gradus remaneant, et vicissim, si in tertio excitentur, in eadem judicii sede initium accipiant, et finem, veluti eruitur ex legis §. 983. « *Le sentenze interlocutorie, o che riguardano dimande incidenti di qualunque giudice, o tribunale non saranno mai appellabili che nel solo caso, in cui competa l'appello dalla sentenza definitiva* ».

§ 5. Secus profecto esset, si de causa principe res fuisset, quae ordinarium judiciorum cursum sequi deberet. In istis enim recte tres gradus requiruntur ad hoc, ut res judicata orta dici valeat; atque in hoc casu, si tertia sententia ab utraque praecedenti discrepet, legislator normam servandam statuere voluit. Discrimine nempe facto inter Rotam, et plenam Cameram, atque caetera tribunalia, haec quoad postrema decrevit in §. 997. « *Le sentenze proferite sul merito della causa dei tribunali di terzo grado, che non sono conformi ad alcuna delle sentenze precedenti, non si ritengono come definitive, sintantochè non sia decorso un termine di giorni dieci dalla notifica alla parte in persona, o nel domicilio; durante questo termine potranno essere impugnate in via di reclamo* ». Quoad vero Rotam, et plenam Cameram

illud apertis verbis praescripsit, ut sententia definitiva a duabus difformis ferri nequeat, nisi prius facto duplici experimento, ac binis editis conformibus decisionibus. Ita quippe se habet §. 1042 « *I tribunali della s. Rota, e della piena Camera non potranno pronunciare in terzo grado di giurisdizione sentenze difformi dalle due precedenti, se non viene premesso un doppio esperimento, e se non sono emanate due decisioni pienamente conformi, e contraddette dalle parti, quando sieno comparse: non sarà luogo al reclamo, di cui nel* §. 998 ».

§ 6. Perperam hinc postremo huic legis §. Antonius nitebatur, ut contenderet nullum esse rescriptum, quod sub unica decisione praecedentem sententiam revocavit, perinde ac si contra ejusdem sanctionem id factum fuerit. Duae enim erant hujus dispositionis extrema. *Primum* scilicet, ut non de quaestione incidenti, sed de causa principe res fuisset, quae ordinarium judiciorum cursum sequi deberet. *Alterum* vero ut rotale rescriptum non unicam tantum, sed *binas* praecedentes *sententias* reformasset. Hoc vero secundo minime demonstrato, quia perspicua adeo sunt legis verba, ut nullum dubitationi locum reliquant, patet aeque primum ex ipsius legis tum verbis, tum ratione. Ex verbis, quia expresse se refert ad §. 997, qui de sententiis in tertio gradu super merito ferendis tantummodo loquitur. Ex ratione, quia absurdum esset, ut in incidentibus quaestionibus, quae excitari possunt in secundo atque etiam in tertio jurisdictionis gradu, tres alii posteriores gradus servari deberent.

§ 7. Quibus ex lege praemissis in comperto erat primum extremum in casu defuisse, cum non principem, sed incidentem causam respiceret quaestio de novorum attentatorum purgatione, quam rotale rescriptum diremit. Quaestio namque principalis non in attentatis, sed in novi operis nunciatione, aut in provisoria ejusdem confectione versabatur, quae omnia Rota definienda distulit, postquam ex periti judicialis relatione comperiisset quodnam forendum esset judicium. Quare factum, ut haec attentatorum quaestio deducta primitus fuerit in Rota, quod certe obvenire nequivisset, si de quaestione principe res fuisset, quia Rotae auditorium in primo jurisdictionis gradu de causis super merito cognoscere non valet. At non solum haec vere incidens quaestio fuit, sed adeo a causa super merito distincta et separata attentata recensentur, ut sua indole ac natura judicii principalis progressum intercipiant usque ad sententiae notificationem, ceu praescribit §. 884. « *La dimanda incidente per la purgazione dell'attentato sospenderà il corso della causa principale: cessa la sospensione, appena notificata la sentenza sull'incidente, salvo l'appello, se, e come di ragione* ».

§ 8. At secundum etiam extremum desiderabatur. Nam ante rescriptum « *expediatur* » duae praecedentes sententiae haud intervenerant, quibus illud difforme esse valeret. Attentatorum siquidem purgationis quaestio in secundo tantum jurisdictionis gradu penes Rotam primum excitata fuit, ita ut postrema sententia non duas praecedentes reformare potuerit, sed unam dumtaxat revocaverit. Atqui lex eo tantum in casu duas conformes decisiones necessario requirit, in quo tertia a duabus praecedentibus discrepet; ergo aptari neutiquam poterat in alio penitus diverso, ubi non aliquid a duabus pronunciatum reformavit, sed ab una rescriptum recedebat omnino. Nec obstabat pariter quod Rota relate ad principem caussam tertium gradum constitueret in postremo judicio. Non modo enim distincta prorsus erat incidens de attentatis quaestio ab altera super merito, non modo duae praecedentes sententiae deerant, sed illud insuper accedebat, quod lex non quovis in casu duas conformes decisiones requirat, sed tunc tantum, quum utramque praecedentem tertia corrigat. Hinc quoties tertia sententia non differt a prima aut ab altera, toties duplici conformi decisioni locus fieri nequit. Ubi enim lex voluit, expressit, ubi tacuit, eam noluisse sentiendum est. Quod eo vel magis incidentalibus in quaestionibus obtinere patet, in quibus tres gradus non requiruntur, quippe quae initium et finem in unica judicii sede habere quandoque possunt, prout contingit si in tertio gradu oriantur.

§ 9. Ut autem §. 1042 perperam Antonius nitebatur, ita etiam varias supremi nostri Ordinis decisiones frustra exhibebat, ut propositum suum assequeretur, primam videlicet *Imolen. circumscript.* 23 *julii* 1840 *cor. R. P. D. Caracciolo*, alteram *circumscript. et restit. in integrum* 29 *julii* 1841 *cor. R. P. D. Arnaldi*, ac tertiam *Bononien. circumscript. seu restit. in*

integr. 19 *decembris* 1844 *cor. La Grua Valdina*. Si enim in iis concessa fuit circumscriptio, id contigit quia de diversis omnino quaestionibus agebatur. Atque revera quoad primam res non erat de rescripto rotali lato in causa incidenti, et unicam sententiam revocante, sed de sententia pluribus aliis nullitatis vitiis laborante, veluti ex ea colligitur. Aut enim quaestio causam principem, aut incidentem respiciebat. Si primum, rotalis sententia circumscribenda erat ex jurisdictionis defectu ob litis valorem, quum hic summam argenteorum 210 haud quaquam praetergrederetur. Si vero alterum, nulla pariter dici debebat, ex eo quod causa princeps dirempta jam fuerat in rem judicatam, ita ut incidens nequiret in duplici jurisdictionis sede definiri, quia, ut eadem decisio ait, « *scitum est incidentales controversias naturam, sortem et gradus causae principis sequi, nefasque proinde esse apud tertiae actionis judices easdem referre, ubi causa princeps ope reijudicatae jam fuerit absoluta* ».

§ 10. Altera vero decisio speciem exhibet, in qua non de incidenti res erat, sed de causa meritum respiciente, ita ut trahi nequiret ad praesentem quaestionem, ubi de incidenti distincto prorsus a merito agebatur. Tertia demum ideo constituit circumscribendam esse Rotae sententiam in secundo ortam jurisdictionis gradu, tum quia agebatur de sententia, quae non unicam, sed quae praecedentes reformaverat, tum quia etiamsi de incidenti res esset, adeo tamen quaestionem principem praeoccupabat, ut haec dirempta una cum illo penitus extaret, ceu patet ex ipsamet decisione, ubi legitur « *Nos vero versabamur in casu, quo sententia interlocutoria tribunalis appellationis Bononiae nullitatem decernens controversiae etiam principi de perfectione contractus venditionis finem imposuerat, neque sententiam definitivam poterat amplius post se expectare* ». Nil mirum igitur, si supremus noster Ordo sententiam illam circumscriptionis gladio delevit, quia secus de lege ipsa actum fuisset, si licuisset indirecte per incidentem quaestionem illud agere quod directe ex legis praescripto fieri nequivisset, si de causa super merito res fuisset.

§ 11. Quoad vero alteram recursus partem restitutionem in integrum respicientem, licet resjudicata testium dicta parvi fecerit, non ideo tamen legis praescriptum violasse, aut praeteriisse dicendum est, quae hoc probationis genus admittit. Non enim quovis in casu probationi per testes locus fieri potest, sed pluries contingit ut rejici haec probatio omnino debeat, veluti si ipsi suspecti censeri valeant, et in rem propriam testimonium ferre videantur, si sint extrajudiciales, vel rem affectatam prorsus et inverisimilem narrent, atque eo vel fortius si evidenter excludatur quod ipsi coram judicibus asserere parati essent. Porro omnia haec obstabant, quominus testium depositiones admitterentur. Erant siquidem suspecti, quia locatoris favore ac commodo deponebant; extrajudiciales, ipsorumque dicta affectata et inverisimilia videbantur, quum fides adhiberi haud quaquam posset asserentibus « *da un rumor sordo* » cognoscere ipsos valuisse quod operum genus fieret, in qua muri parte haec locum haberent, et qua etiam materia nova opera conficerentur.

§ 12. Eoque magis de testibus, qui nihil viderant, quia Amicii novorum operum confectionem in spretum litis pendentiae evidenter excludebant per judicialem peritum, qui, explorato pariete ut de primis attentatis referret, nihil in eodem innovatum fuisse comperiit post praecedentes accessus, nisi in exigua muri divisorii parte prope tabernae januam. Praecipue quia hoc idem opus, quod confici potuit, ut ipse peritus inquit, « *in una giornata e mezzo* » intermissum illico ab Amiciis fuisse vix accepta inhibitione, testes instructissimi referebant, qui insuper addebant eos postea interjecisse dumtaxat fulcimenta inter novum veteremque parietem, ne superior huc illuc ruinam minitans prolaberetur. Alias utique minimas instaurationes locum habuisse peritus retulit, sed ad attentatorum causam neutiquam pertinentes. Denique accedebat nulla extitisse revera attentata, cum aliquid in muri parte factum fuerit penitus diversa ab ea, quam inhibitio respiciebat. Quod si vero reparationes aliquae ex necessitate ad vetus siquidem aedificium fulciendum, non ad illud ornandum fieri etiam in muro controverso debuere, attentatorum querelae causam praebere non po-

terant. Nulla enim esse valet inhibitio quantumvis legitima et solemnis, cui necessariam reparationem prohibere liceat, aut eam uti attentatam incusare sinat. Quocumque igitur sub adspectu res perpenderetur, perspicua erat rotalis sententiae justitia, ita ut nedum circumscriptionis, sed restitutionis etiam in integrum fundamentum deesset. Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicante jus redditum est.

Die 11 martii 1847 « *Circumscripto per viam nullitatis rescripto* « expediatur » *cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis*, *pp. vv. jj. ss. et extendatur decisio per R. P. D. Arnaldi*, *et reproponatur* ».

Die 29 aprilis 1847 « *In primo loco decisis.* »

Procuratores — D. Joannes De-Romanis — D. Philippus Salvati.

Prot. 163/1846 — R. P. D. VICI — Decisio CII.

PISAUREN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 14 Januarii 1847

Argumentum

De arbitrio judicis super admissione juramenti decisorii, quod reus actori proponat, hic vero illud praestare recuset.

§ 1. Binas litteras collybisticas die 23 januarii anni 1845 signaverat Pisauri Antonius Pistoja favore Dominici Gennari. Una earum nomen praeseferebat argenteorum 180 a debitore persolvenda « *alla fine di novembre* 1845 », altera praeseferebat nomen argenteorum 194. 92, ejusque solutionis tempus constitutum erat die postrema decembris ejusdem anni. In ea argenteorum 180 Antonius sese debitorem declaraverat « *per valuta sborsata per altrettanti effettivi contanti* », similibus fere formulis adhibitis in altera scutorum 192. 94. Advento solutionis die neutrum ex nominibus persolutum fuit a debitore; hinc Dominicus praemissa *assueta* litterarum *protestatione* bina judicia, primum super solutione syngraphae scut. 180, alterum super solutione alterius syngraphae scut. 192. 94 adversus debitorem instituit coram judicibus consularibus Pisauri.

§ 2. Res erat de syngraphis cambialibus, ac proinde de credito undique liquido, deque judicio executivo. Attamen Antonius in utroque judicio *exceptionem* proposuit *non numeratae pecuniae*, *juramentum* in probationem exceptionis *decisorium* exhibens creditori. Exceptio vero ea spreta penitus fuit tum a tribunali pisaurensi, cum etiam a judicibus tribunalis commercii Anconae ad quos fuerat provocatum, denegata prorsus ab utroque tribunali, potissimum cum Dominicus juramentum praestare renuerit, sacramenti illius admissione. Binis hinc perfectissimis rebus judicatis ad utriusque nominis solutionem coactus debitor fuit, nullumque diffugium praesto ei erat ad vices earumdem labefactandas nisi *illud restitutionis in integrum*. Usus quapropter Antonius extraordinario hujusmodi remedio recursum ad supremum Ordinem nostrum de more interposuit adversus remjudicatam tantum, quae solutionem respiciebat syngraphae cambialis argenteorum 180, atque illud admitti expostulavit in hodiernis comitiis, sed incassum. Patres namque Antonii petitionem dimiserunt rescripto « *nihil* », munere mihi dato decisionis edendae.

§ 3. Et quidem rectissime. *Juxta* namque *sanctionem* §. 1057 *et* §. 1058 *legum neotericarum* tunc tantum competit restitutio in integrum adversus resjudicatas, cum aperte demonstretur illarum manifesta injustitia, ac tantum eruenda vel ex judicio lato in vim documentorum « *riconosciuti in appresso come falsi* », vel ex documentis repertis post rem judicatam, vel « *dal non essersi nella sentenza avuto ragione di qualche legge* », vel demum « *dall'essersi espressamente contravvenuto ad una legge in vigore* ». Verum nulla de documentis instituta ab Antonio controversia, ipsius expostulatio ad extraordinarium

remedium consequendum nitebatur tantum praesumptae legis violationi, eo quod res judicata juramentum decisorium super non numerata pecunia Dominico deferre recusavit. Ast Patres re mature cribrata nihil in recusatione ea inveniri existimarunt quod apertam legis violationem secumferret.

§ 4. Etsi namque codex gregorianus in §. 776 debitori facultatem indulgeat exceptionem non numeratae pecuniae probandi « *con tutti i mezzi permessi dalla legge* », quamvis in altero §. 750 inter modos probationis constituat « *il giuramento decisorio* », quod a reo deferri valeat actori « *in qualunque specie di controversia* », atque hinc in judiciis etiam executivis, et a consularibus quoque judicibus definiendis, attamen in *posteriori* §. 755 expresse cavetur quod « *in caso di opposizione alla dimanda, ovvero alla formola proposta dal deferente, deciderà il tribunale, se, e con quale formola debba aver luogo il giuramento* ». Ex qua sane dispositione verbis adeo claris concepta manifestum ullo procul dubio fit, judicum arbitrio commissum esse, utrum nec ne, ac quibus formulis deferri debeat juramentum, eum actor formulis jam exhibitis adversetur, aut juramenti praestationem recuset, atque tunc a voluntate judicum pendere utrum « *debba aver luogo* » sacramentum illud, vel quibus formulis concipi idem debeat.

§ 5. Dum igitur a judicis arbitrio pendet juramenti delatio, dum ad eum spectat definire, utrum nec ne praestandum idem sit, neque certe adversus legem peccat tribunal, quod a juramento absolvit actorem ab illius praestatione alienum. Nemini siquidem injuriam facit qui utitur jure suo *ad textum in leg.* 51, 155, *et* 153 *ff. de regulis juris*, et proinde numquam legum sanctionibus judex adversatur peculiarem aliquam legis sanctionem exequi recusans, cum illius arbitrio ac voluntati legislator commiserit dispositionem eam aut adimplere, aut penitus despicere. Ita *argumento sumpto a leg.* 32 *ff. de rejudicata statuit sacer noster Ordo in Ariminen. restitutionis in integrum* 19 *decemb.* 1833 §. 7. *cor. Alessi.*

§ 6. Itaque cum juramentum decisorium ab Antonio delatum tam tribunal primarum instantiarum, quam illud provocationis nequaquam praestandum fore a renuente Dominico judicaverint, neque adversus legem censuram sententiam protulisse concludendum est. Leges namque eae etsi Antonio illius generis probationem pro excludenda pecuniae numeratione indulgebant, attamen Dominico a juramenti praestatione alieno, tribunalium eorumdem arbitrio ac voluntati commiserant sacramentum illud vel admittendi, vel potius excludendi. Extraneas hinc ab hodierno judicio Patres censuerunt Antonii querimonias, vel eo quod res judicata minus recte juramentum Dominico deferre recusaverit, vel eo quod probationis speciem sibi hoc modo abstulerit, quae una ipsi praesto erat ad demonstrandum, pecuniam in syngraphis cambialibus expressam, numeratam nequaquam reapse fuisse.

§ 7. Haec omnia siquidem in pretio haberi potuissent, si fuisset a legibus imperatum, quod juramentum vix a reo propositum, foret necessario ab actore praestandum, vel casus leges ipsaemet significassent in quibus sacramentum deberet necessario ab judicibus admitti. In hisce siquidem circumstantiis vel a praestatione juramenti absolutus Dominicus fuisset, aut id evenisset in casibus in quibus juramentum necessario praestandum esse a legibus jubetur, ac restitutio in integrum adversus rem judicatam Antonio competeret. E contra vero, dum neotericae leges juramenti praestationem nequaquam imperant actori, sed jus huic tribuunt illud renuendi, et facultatem amplissimam absque ulla casuum distinctione impertiuntur tribunalibus illud denegandi, neque ad restitutionem in integrum consequendam valere queunt Antonii querelae, quae cum jam judicibus primarum actionum et appellationis propositae fuissent, in eorumdem judicum erat, *juxta censuram* §. 735, facultate eas penitus pessumdare. Nulla igitur subest ratio ob quam adversus rem judicatam ortam ex binis sententiis ab ipsis prolatis restitutio in integrum sit concedenda. Et ita etc. utraque etc.

Die 11 martii 1847 « *In decisis.* »

Procuratores — D. Franciscus Xaverius Borghi — D. Philippus Maria Salini.

BONONIEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 28 *Januarii* 1847

Argumentum

Disceptatio instituitur super adjudicatione peracta post elapsum terminum per decretum judicis constitutum; et quidem super deposito pretii quod, uti a deliberatario, ita ab adjudicatario contextim faciendum esse contenditur.

§ 1. Ob creditum scut. 475 Josephus Gandini in vim sententiae tribunalis civilis Ferrariae hypothecae vinculo subjecit bona debitoris Cajetani Patrignani, ac dein ad subhastationis et deliberationis acta processit super praedio quodam « *la macchia posta sul lido di Magnavacca* ». Sed hisce actis ex oblatorum deficientia perperam absolutis, institit apud Comacli gubernatorem, ut hoc praedium sibi adjudicaretur. Quare judex ille die 12 maii 1829 legis praescripto inhaerens triginta dierum terminum constituit decernens, ut intra primos decem proclamationum faceret renovationem, in trigesima vero, aut in proxima sequenti, quo casu trigesimus esset festus, ad novam subhastationem, vel adjudicationem procederet, atque hujus decreti intimatio facta fuit die 29 ejusdem mensis. Ex quo patebat adjudicationem fieri debuisse die 12 sequentis junii, si a decreto, aut die 29 ejusdem mensis, si ab intimatione triginta dierum spatium computandum esset. At Gandinius nonnisi die 18 januarii posterioris anni publice nunciari curavit licitationem aperiri die 17 sequentis februarii, etsi eam postea renovaverit die 26 junii, et nullo facto pretii deposito, sui favore adjudicationem expleverit.

§ 2. Haec ita se habebant, quum Cajetanus Patrignani, tamquam praedii adjudicati dominus, ejusdemque creditor frater Josephus qua cessionarius alterius fratris Aloysii, pro hujus actus nullitate institerunt coram ferrariensi praetore. Qui tamen putans, nullum ipsos in causa interesse habere, ab judicii observatione Gandinium absolvit. Hinc Patrignanii provocarunt ad secundam sectionem tribunalis civilis Bononiae, quod illius civitatis procuratoribus « *della camera di disciplina* » commisit, ut de controversa nullitate votum ederent. Sed licet isti petitionis justitiam admisarint, appellatam sententiam confirmavit. Orta sic rejudicata, recursum apud supremum nostrum tribunal Patrignanii interposuerunt, restitutionem in integrum postulantes. Quam cum hodie PP. concesserint rescripto « *De causis et sine praejudicio rei judicatae etiam quoad refectionem expensarum* », mihi factum fuit munus decisionis vulgandae.

§ 3. Et merito quidem ita decisum est. Nam Gandinius praedii adjudicationem explevit, non servata forma et modo praescripto in §§. 825 et 818 tunc vigentis codicis leonini, quorum primo ita cavebatur « *Il giudice in questa istanza* (in instantia scilicet adjudicationis) *prefiggerà il termine di trenta giorni, ordinando nei primi dieci la rinnovazione degli editti, e nell'ultimo dei trenta giorni, o essendo festivo, nel giorno prossimo abile, si effettuerà il nuovo incanto, o l'aggiudicazione* », atque altero « *Se vi saranno opposizioni alla consegna del prezzo, dovrà il deposito rimanere a disposizione del giudice del mandato per distribuirsi fra i creditori che hanno l'ipoteca iscritta, e quindi fra gli altri secondo la legge* ». Reque vera quoad primum, comaclensis gubernatoris decretum latum fuit die 12 maii 1829. Quapropter trigesimus dies pro explenda adjudicatione constitutus, erat dies 12 sequentis junii, qui differri pro lubitu nequibat, obstante ipsomet decreto et praedictae leoninae legis §. 825. Indictus quippe a judice terminus ab indictionis die computandus est. Sed licet admitteretur, hunc non a decreti, sed ab istius intimationis die computandum esse, quum haec locum habuerit die 29 ejusdem maii, adjudicatio fieri semper debuisset die saltem 29 sequentis junii. Atqui Gandinius eam tantum explevit die 26 junii insequentis anni 1830 quin prius novum aliud decretum fieri curaverit. Hinc adversus legis et judicis praescriptum evidenter peccavit, atque jure merito Patrignanii adjudicatio-

nis nullitatem petierunt, quum actus certo tempore a lege constituto faciendus, si eo clapso fiat, nullus evadat.

§ 4. Nec praesidium sibi quaerere Gaudinius valebat ex memorati leonini codicis §. 820 ita concepto « *se nel giorno destinato all'incanto non potrà effettuarsi la delibera o per mancanza di oblatori, o per qualunque altro motivo, volendo il creditore procedere ulteriormente nella licitazione, dovrà rinnovare gli editti per effettuare la delibera nel giorno che verrà indicato. Questo non potrà essere più prossimo di dieci giorni a datare da quello dell'affissione* ». Hic enim §. qui de deliberatione loquitur, aptari haudquaquam poterat in themate, ubi de adjudicatione res erat. Lex enim in deliberationibus creditoris arbitrio reliquit licitationem renovare, quo casu in praecedenti licitatione oblatores defuerint, atque e contra in adjudicationibus certam diem constituit, qua actus esset omnino peragendus. Cum igitur discrimen fecerit inter deliberationem atque adjudicationem, diversa prorsus regula quoad utramque praescripta, etiam suspicio removebatur, quoad una cum altera dispositione conciliari aut confundi quodammodo potuisset.

§ 5. Eo vero vel magis, quia apertissima erat ratio, cur lex diversam in utroque casu sanctionem ediderit. In deliberationibus enim ideo creditoris arbitrio committitur licitationem quacumque die renovandi, dummodo saltem decem ante dies publice nuncietur, quia nulla ex hoc injuria debitori affertur. Statuta quippe die aut oblatores ad licitationem accedunt justo pretio rem emere parati, atque, hac a debitore ablata, actus perficitur, vel desunt, et res in eodem statu manere pergunt. At in adjudicationibus diversum penitus est, quia oblatores adsint, desint, res semper a debitore eripitur, et in alium transfertur. Si enim desint, creditori fundus adjudicatur, tertia justi pretii parte deducta. Caute itaque praecavere lex debebat, ut nil creditoris arbitrio nec quoad actus solemnia, nec quoad diem, qua hic explendus esset, relinqueretur. Magnum quippe detrimentum debitoribus imminere potuisset, si adjudicationis dies libero creditoris arbitrio relicta fuisset. Hic nempe de fundo vili pretio acquirendo sollicitus facillime voti sui compos fieri potuisset, populi concursum removendo ob dilatam de die in diem licitationem, donec oblatores ad rem emendam haud amplius, quia pluries decepti, accederent, aut alia hujusce generis patrando, quibus deterior evadere posset debitoris conditio. Licet itaque adjudicatio, praeviis publicationibus, facta fuerit, nulla nihilominus erat dijudicanda, quia nec illa, nec istae locum habuere intra tempus a lege et a judice praefinitum, ita ut novo decreto opus fuisset, cum res inciderint in eum casum, a quo incipere nequibant.

§ 6. Perperam vero contendebat Gaudinius id evenisse ex Cajetani consensu, quem deducere conabatur ex quibusdam tractatibus inter se initis de rebus amicabiliter componendis. Licet enim ab hujusmodi tractatibus Cajetani de adjudicationis die protrahenda consensum inferre liceret, quoad tamen creditorem Josephum idem dici nequiret, qui nullum umquam tractatum inivit. Sed omnis etiam debitoris consensus deerat. Neque enim ex praedictis tractatibus concludi fas erat, ipsum annuisse, ut adjudicatio creditoris arbitrio protraheretur, multoque minus ut ad eam post decreti terminum effluxum procedere liceret, quin prius novum aliud decretum ferretur. Ideoque Gaudinius, qui Cajetani promissionibus aures praebere atque actum intra triginta dies perficiendum protrahere voluit, adjudicationem peragere tenebatur praevio alio decreto, quo alter triginta dierum terminus statueretur. Praecedens quippe decretum absque executione intra constitutum terminum relictum perinde haberi debebat ac si numquam extitisset, praesertim quia ex Bononiae ac Ferrariae consuetudine novo in adjudicationibus decreto opus est, quoties prioris terminus effluxerit. Neque hoc nullitatis vitium a Josepho consanatum dici poterat, ex eo quod nihil de nullitate excipiens illud tantum petiorit, ut pretium deponeretur, perinde ac si de hac una exceptione contentus alteri nuncium mittere voluerit. Nam haec Josephi de pretio deponendo protestatio facta fuit quatuor menses ante quam nullitas locum haberet, istamque idcirco nec divinare, nec ratihabere potuit.

§ 7. Sed alterum etiam leonini codicis §. 818 resjudicata violavit, juxta quem pretii depositum faciendum erat. Nam licet hic §. in titulo de deliberationibus reperiatur, in adjudicatione pariter sorvandus erat, quum adjudicatarius sit quoque deliberatarius, hoc tantum inter utrumque discrimine intercedente, ut prior, quo casu oblatores desint, jus habeat, aestimationis pretio pro tertia parte imminuto, fundum adquirendi. Atque haec est ratio, ob quam, juxta superius dicta, severiorem praxim quoad terminum lex in adjudicationibus constituit, ut scilicet difficilius, quam fieri possot, ad adjudicationem procederetur. Sed ad caetera quod attinet, quum adjudicatarius sit etiam deliberatarius, ad pretii depositum in debitoris ac creditorum securitatem conficere aeque tenetur. Quod si verum est in gregoriana, qua vivimus, lege, eo fortius leonino sub codice obtinere debebat, juxta quem creditor ne depositi quidem loco poterat illud retinere. Nec dubitabatur, quin fratres Patrignani jus haberent adjudicationis nullitatem petendi, cum eorum interesse in discrimen adduci nequiret. Nam unus erat fundi adjudicati dominus, alter vero creditor hypothecarius, ac propterea eorum utilitas expostulabat, ut, lege servata, fundus, quo pluris fieri posset, venderetur. Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicante jus redditum est.

Die 20 maii 1847 « *Nihil, et extendatur decisio per R. P. D. Ferrari, et reproponatur* ».

Die 8 julii 1847 « *In secundo loco decisis.* »

Procuratores — D. Joseph Caramelli — D. Vincentius Binarelli.

Prot. 111 1846 — R. P. D. ARNALDI — Decisio CIV.

Ferrarien. Circumscriptionis seu Restitutionis in Integrum

Jovis 28 *Januarii* 1847

Argumentum

Quinam creditores juxta leges hypothecarii systematis citandi sint — An ex dispositione §. 209 codicis gregoriani creditor, praeter declarationem ad acta, intimationem quoque et citationem in termino 40 dierum explere debeat — An tandem defectus intimationis quoad alterum ex creditoribus, ad auferendum caeteris jus licitationis sufficiat.

§ 1. Ab haeredibus Cajetani Mantovani Aloysius Foli et Marianna Masi creditores hypothecarii, pro respectivis ipsorum creditis in solutum receperunt nonnullas aedes Pontis lacus obscuri aliasque decimas in agro Gauriano, pro summa scutatorum quinque millium. Haud par pretium illud erat pro omnium hypothecarum inscriptarum dimissione; quamobrem emptores juxta censuram §. 207 judiciariae sanctionis *die quinta decembris* anni 1836 cunctis inscriptis creditoribus, praevia transcriptione in hypotecariis tabulis et in actis declaratione, nunciarunt promptos esse paratosque obsignare pretium, ut res emptae ab hypothecis expurgarentur et summae, stabilium loco, suffectae distributioni pateret aditus, inter creditores incundae. Tum alio legis articulo 209 utens Franciscus Parolinius, cui fuerat inter creditores nunciata venditio accessit ad acta, ibique declaravit offerre decimum supra summam, ac pro integra scutatorum quinque millium quingentorum summa assensum praebere, quo tabellio super omnibus illius bonis hypothecam inscriberet.

§ 2. Fieri haec juxta praescriptum legis oportebat intra fatalem terminum dierum quadraginta. Oblatio quippe decimi cautionisque dic 12 januarii 1837 in termino steterunt; sed segnius Parolinius se gessit in nunciando actu caeteris omnibus creditoribus, ac praesertim emptori Folo. Nam licet aliquibus creditoribus nunciatio ac citatio simul ad obtinendam licitationem fuisset expleta in termino, aliquibus tamen fuit extra terminum, ac signanter Aloysio Folo emptori, videlicet die decima octava januarii *quatriduo post*, ut patet ex dierum calculo. Ast emptor ratus pretium fuisse illico redditum

definitivum, et rem emptam suum in dominium statim affectam, vadimonium transmiserat coram tribunali primae instantiae Ferrariae, quo ob redditum irretractabile suum dominium pretium loco rerum hypothecatarum staret, delerentur haec ex albo in sui favorem.

§ 3. Conjunctis postulatis tribunal in prima sede definivit esse locum licitationi, rejecto postulato Foli de delendis hypothecis. Dissimiliter censuit appellationis illud Bononiae; ex legis enim praescripto praetium definitivum ex gesta omissione fuisse effectum putavit, ac licitationem respuit. Tertio tandem sacrum Rotae tribunal albo excepit calculo sententiam prioris ordinis, cum putaret impleta, quae sunt a lege jussa ut licitatio super oblatione a Parolinio gesta decerneretur. Ad supremum nostrum Ordinem Folus querelam proposuit pro omnium actorum circumscriptione, sin minus pro restitutione in integrum. Proposita causa, hoc in primo causae examine dimissa querela est rescripto «*Nihil de circumscriptione; in reliquis de causis, sine praejudicio reijudicatae etiam quoad expensas.*

§ 4. Nullitatis labe infecta esse omnia gesta praedicabat Folus, eo quia inter illam creditorum turbam, altera ex inscriptis hypothecariis Venturinia Sanguinetti una cum Lazzaro Minerbi viro ad judicium petitae licitationis accita esset a Parolinio, et usque ad exitum in reliquis actis, procuratore vel etiam illius nomine vadimonium obeunte, tamquam cum viva disputaretur, etsi ipsa ante litem contestatam usura lucis caruisset. Hinc citationis, procuratorii, jurisdictionis defectum exurgere dicebat, dum ea omnia cum mortua nequibant explicari. Cominus autem, atque intimius re perscrutata, exulare ea omnia visa sunt; nam Parolinius id egit, quod erat agendum ex lege. Siquidem in hypothecario systemate ii tantum citandi sunt, qui leguntur inscripti in tabulis, neque curandum est de iis qui suo nomine hypothecarum versuram neglexerint, et inscriptione carenti jus est nemini reclamandi de sibi non gesta citatione; obstat siquidem proprium factum neglectae emendationis in codice, nec jure debuisset nunciari proprio nomine a quovis privilegiato hypothecario jure remotus. Sunt haec in elementis juris hypothecarii posita ad §§. 143, 165, 175. Si igitur Parolinius in Venturinam, quae erat inscripta, judicio egit, jure fecisse dicendus, nec vitio nullitatis incusari queunt acta, quae nescius de morte juxta legis praescriptum peregerit.

§ 5. Urget actorum nullitatem reclamari a Folo ac Mantuania, dum legitime citati jus tertii sibi tribuant, quod haeredibus, vel causam a Venturinia habentibus attineret; nemini de jure tertii liceat excipere; illudque ipsi petant quod haeredes illi nonnisi per insaniam rogare posse videntur, circumscriptionem nimirum reijudicatae, quae illorum, una cum reliquis creditoribus favorem continet. Maximumque illud esset absurdum, quod de nullitate actorum decerni debeat, dum absint qui ad validitatem substinendam edant rationes, quas quidem mortua, vel etiam in praesenti judicio citata edere non potest. Postremo, non uni Venturiniae oblata sunt vadimonia, verum etiam Lazzaro Minerbio viro, hypothecario codice, cum uxore conjuncto, qui cum ex individuo et toto quaesito jure judicio interfuerit, procuratorem constituerit, defensionesque, quibus esset opus, rite fuerint instructae, nemine ex tota illa turba toto judicio, reclamante, si quid de interventu Venturiniae inoluit vitii, tot rebus gestis, convaluisse dicendum sit.

§ 6. Quod si petitam circumscriptionem actorum levissimis fulcitam fuleris rejicere Patres arbitrati sunt, non ita sentiendum putarunt quoad restitutionem in integrum. In comperto siquidem fuit, cum aperta legis sanctione remjudicatam manifeste pugnare. A die enim *quinta decembris* anni 1836, qua denunciatio ab emptoribus peracta est, minime pro obtinenda licitatione in fatali quadraginta dierum spatio Parolinius paruit legi, ejusque praecipuam servavit formam, et idcirco, eo inutiliter effluxo, haud amplius licitationi poterat obsecundari; nam pretio divenditorum bonorum illico definitivo effecto, in absolutum ac liberum emptorum dominium empta bona migraverant « *Se nel termine assegnato niuno de' creditori iscritti farà l'offerta del decimo, L'ISTANZA PER L'INCANTO . . . . , il prezzo convenuto, o valutato si terrà come definitivo; il terzo possessore potrà farne il deposito nella cassa pubblica, e richiedere al tribunale citato l'alienante ed i creditori iscritti il cancellamento delle iscrizioni* ».

§ 7. Praetermissis, quae opponebantur, Parolinium tempore instituti judicii creditorem hypothecarium non esse, pendente judicio a Samuele della Vida cessionem nominis retulisse, rursum cautionem exhibitam mancam et inanem fuisse super bonis quae excessive gravabantur hypothecis; illud erat extra controversiam, intimationem pro licitatione assequenda etsi aliquibus, omnibus tamen creditoribus in tempore traditam haud fuisse, et quatriduo serius Folo alteri ex emptoribus, dum hic ratus de libero quaesito jure pro deletione hypothecarum judicium incoeperat. Jam vero statuit resjudicata, petitionem licitationis contineri in exhibitione decimi et cautionis, quam lex jussit in praescripto fatali tempore perficiendam; nunciationem et vadimonium nulla temporis lege constringi. Sed quantopere resjudicata legem conflictet nemo non videt. Haud Ædipo conjectore eget clara et literalis legis dispositio « *l'offerta* (ita in §. 209) *e la cauzione risulteranno da un atto sottoscritto nel registro della cancelleria. Quest'atto dovrà intimarsi all'alienante, al terzo possessore, ed ai creditori iscritti* CON CITAZIONE A COMPARIRE AVANTI IL TRIBUNALE » : enixeque sequenti paragrapho concludit « SE NEL TERMINE ASSEGNATO (quadraginta dierum) *niuno dei creditori inscritti* FARÀ L'OFFERTA DEL DECIMO, E L'ISTANZA PER L'INCANTO, *ovvero, se il creditore che offre non darà cauzione, il prezzo convenuto, o valutato, si riterrà come definitivo* ».

§ 8. Sane quidem actum illum oblationis decimi et cautionis reliquis tabularii actis inserendum, directum esse pro licitatione obtinenda asseri quidem potest; verum quod sit expressa petitio atque juridicum postulatum pro obtinenda licitatione, nemo, cui mens sit sana, probabit. Neutiquam lex de unico illo oblationis et cautionis actu disposuit, sed simul jussit « *dovrà intimarsi all'alienante, al terzo possessore, ai creditori iscritti* CON CITAZIONE A COMPARIRE AVANTI IL TRIBUNALE ». Duo simul pro praecipua forma induxit. Actus et nunciatio ejusdem cum citatione ad licitandum, simulque in termino conjunxit utrumque « *se nel termine assegnato niuno de' creditori non farà l'offerta per l'incanto, il prezzo si riterrà come definitivo* ». Cavillari super verbis « *domandare* » *farà l'istanza* » otio esset intemperanter abutentis. Nec clarius, nec evidentius loqui lex poterat quam expresse jubendo actum eo designato modo in tabulario inscriptum nunciandum esse cum citatione. Quid ad rem si actus oblationis et cautionis in se continet implicitam petitionem? Hanc lex noluit attendere; imo voluit formiter esse nunciandum et citandum ad comparendum coram tribunali, id est post opus tabularii, apparitorem evocandum, ut nuncium et vadimonium offerret iis qui rescire nec poterant, nec cogebantur, utrum alicui in mentem veniret in peractam venditionem insurgere.

§ 9. Apprime autem devia est a vero, immo rectae rationi repugnat animadversio « *se nel termine assegnato non farà l'istanza* ». Recte demum rationi repugnat. Inconcepibile enim est quod actus nunciandus in fatali termino fieri deberet, nunciatio et citatio ad arbitrium. Sane actum ex lege nunciandum sciunt omnes nil afficere, si non nuncietur. Itaque quod non afficeret, fatali termino fieret; quod afficeret, ut valeret actus, nullum temporis spatium esset constitutum. Abnorme id esse nemo non intelligit, praesertim inspecto fine legis celeritatis judicii, ac ne incerta diutius rerum dominia maneant, et commercii ratio laedatur. Atque elusoria fieret providentia fatalis termini; nam protraheretur incertitudo et haesitatio super jure ex venditionibus quaesito, et acquirentes expectare coacti essent in aevum sibi a lege pollicitam renunciationem.

§ 10. Vindicata rei evidentia, extremum Parolinii oratores arripiebant diffugium, nunciationes et citationes *in termino* adversus plures, effecisse ut reliquae tamquam actus progressivi haberi debuissent, ac si initio, ac tempore habili evenissent. Sed parum id profuit. Nam in hypothecario systemate nedum termini fatales et peremptorii sunt, imo vero etiam actus juxta praescriptam formam adamussim servandus est, ne totus corruat invalidusque fiat. Exploratum est siquidem pro forma specifica actum initum in tabulario esse nunciandum cum vadimonio creditoribus atque emptoribus in termino quadraginta dierum, alias pretium definitivum evadat. Nemo dixerit impletam formam fuisse si aliquibus ex creditoribus instantia transmissa sit, reliquis et praecipue

emptori, cui maxime conveniebat, post praefixum terminum. Profecto executionem in parte datam consanasse reliqua dici haud potest; imo potius, ex non impleta ad ungnem forma, nil prorsus existimandum sit, quod in parte gestum est. Nihil enim dici potest actum in tempore, dum aliquid defuit agendum, ad *leg. p. in fin. c. de Syllan.* ac id omne, quod pro forma constitutum est a lege ita debet impleri, ut deficiens omni careat beneficio legis, cum nil formae detrahi possit, et ammissio, vel in parte minima vitiet actum, ad monita per leg. *is qui quadraginta* §. 1 *ff. ad leg. Falcid.*, *leg. aedificium* §. *perfecisse ff. de verb. signif.*, *l. Julianus si quis rem ff. ad exhibendum*, *Alexand. cons.* 24 *num.* 3 *lib.* 4, *Mascard. conclus.* 9, *Rota decis.* 52 §. 5 *et* 124 *numer.* 14 *c. D. Retz, decis.* 1038 *coram Molina num.* 28.

§ 11. Ac secus judicari posse intentio legis ejusque indoles prohibet. Dum enim, certo statuto tempore, ea omnia fieri, designata forma, jubeat, pariter omnia simul statutum praetergredi tempus haud possunt. Etenim, si quid extra tempus peractum, tamquam progressum eorum quae in tempore inchoata sunt existimari deberet, elusoria fieret praefiniti temporis dispositio; neque ulla adesse posset ratio, cur una pars potius, quam altera dispositionis esset juxta praescriptam methodum perficienda, nunciationis praesertim, quae majus pondus momentumque contineat. Sed quorsum isthaec? Propatula verba sunt « *se nel termine assegnato farà l'offerta del decimo*, *e l'ISTANZA PER L'INCANTO*, *il prezzo convenuto si terrà come definitivo* ». Rectissime. Creditores enim si dolus, si fraus ad illorum perniciem in alienatione a debitore gesta irrepserit, eam Paulliana revocet, ac reliquae eorum favore militant quae de dolo proditae sunt actiones in jure. Porro in hypothecario systemate si hoc ipsis indulgere beneficium legislatori placuit, non ita tamen placuit ut juris illius, quod emptor post perfectum emptionis venditionis contractum illico acquirit, immodica esset suspensio, et acquisitionis incertitudo diuturna, haud levi commercii praejudicio, angustiaque libertatis, quam de rebus suis disponendi decet expeditque habere dominos. Convenit ergo, ut si quis beneficio frui velit, exactissime omnia adimplevisse edoceat, quae praecipue in tempore constituta sunt, ne, eo effluxo, et praecipue emptore nec nunciato, nec in jus vocato, illico, ac sine mora dilatio illa evanescat; jus ei liberum et acquisitio perfecta accedat protinus, ne diutius ultraque modum, commercii libertas et proprietatis jura angustentur. Neque hac de re resjudicatae et recentiorum auctorum, quae afferebantur doctrinae erant eliminandae, cum a claro nostrae legis sensu, fine et effectu minime discrepent, sed recte convenire comperiantur.

§ 12. Itaque in apertissima legis dispositione cum nulla esset ambiguitas, aeque nulla admitti poterat voluntatis quaestio. Nullius quoque momenti erant quae ad sanandam omissionem formae adducebantur, jus quaesitum nimirum creditoribus in jus antea vocatis, quod intercipi haud posse videbatur, si caeteri post fatalem temporis cursum nunciationem ac citationem receperint. Nullum quippe jus ab actu nullo et invalido poterat hauriri. Sed deridicula est petitio principii; nam eo quia non omnes in jus vocati sunt, quaeritur an valeat actus; valere tamen dicetur, eo quia nonnulli compulsi sint ad judicium. Item nec movet, quod Folus cum Mantuania coemit aedes et decimas, quae postremo die termini in jus vocata sit, comprehensus idcirco eodem in vadimonio Folus intelligendus ac eodem jure dijudicandus. Illi enim, ut creditores hypothecarii, unusquisque pro respectivo credito, ea in solutum bona comparaverant; idcirco uterque ex proprio diverso dissitoque jure vocandus erat in judicium. Litem dirimit Parolinii factum, qui citationis necessitatem novit, ut reapse egit, sed perperam; nam ex neglecta legis forma post dies quadraginta pretium definitivum evaserat; liberum ex venditione jus Folus erat assecutus.

§ 13. Reliqua ejusdem erant ponderis: excusare Parolinium deberi quia plures erant citandi, ac tempus congruum esse oportebat ut ad omnes ex illa creditorum copia apparitor accederet. Id unum observasse sufficiat, Folum emptorem cito haberi potuisse, Ferrariae domicilium notum obtinentem. Verum lex praecipit emptores, cre-

ditores, alienantes esse nunciandos, citandosque in termino quadraginta dierum. Hanc limitationem non addit, quod si pluribus vadimonia sint afferenda terminus prorogetur. Quod ergo lex non dixit, nec nos dicere debemus. Sed summo consilio peremptorium illud tempus legislator decrevit, ne ultra beneficium illud porrigendum esset ac minus laederet commercii facilitatem, libertatemque ut supra monitum est.

§ 14. Demum nil attinct, quod in gesta licitatione pretium ad octomillia scutata fuerit auctum. Praetermissa aemulatione, quae forsan intercesserit, profecto id non efficit, quod Parolinius formam a lege praescriptam servaverit. Atque haec objectio ad illud pertineat judicium, si creditoribus placeat sive de Pauliana, sive de dolo instruere, quod sane ad legem hypothecariam haud spectat, neque illi ullum affert praejudicium. Et ita etc. utraque maxima contentione etc.

Die 15 aprilis 1847 « *Quoad circumscriptionem in decisis; in reliquis nihil, et extendatur decisio per R. P. D. Lippi, et reproponatur* ».

Die 10 junii 1847 « *In secundo loco decisis.* »

Procuratores — D. Bartholomaeus Belli — D. Petrus Aloysius Briganti.
D. Patrus Proja.
D. Joannes Papi.

Prot. 33/1846 R. P. D. FERRARI DECISIO CV.

FANEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 28 *Januarii* 1847.

Argumentum

Agitur de solemnis inventarii defectu in re pupillari — De redditione rationum — De transactione, quae incusabatur tamquam praeseferens laesionem enormissimam; et de nova transactione quae super ea deinde confecta fuit, quaeque pariter laesionis insimulatur.

§ 1. Obiit in civitate Fani Fortunae anno 1792 Æmilius Gaudentius filio Francisco post se in pupillari aetate relicto. Illius itaque civitatis judex nulla interposita mora tutores pupillo dedit comitem Jacobum Ferri ac Angelum Palazzi nobili genere natos, probitate vero, ac solertia in rebus agendis nemini secundos. Tutela suscepta, duo illi viri ita pupillarem rem sedulo administraverunt, ut licet dos restituenda fuisset Francisci matri quae ad secundas nuptias convolaverat, ac licet patrimonium temporum injuria multa damna pertulisset, tamen domesticae exhibitioni, pupilli institutioni ac dimissioni aeris alieni prospicere, atque paternum patrimonium integrum servare potuerunt. Major hinc anno 1812 Franciscus factus postulavit ut tutores gestae tutelae rationes redderent, et post traditionem codicum, acceptilationum et aliorum monumentorum, post sedulam eorumdem investigationem solemnis die 5 julii 1817 super dati acceptique nominibus, super reliquatione administrationis inita fuit transactio, cujus summa in eo stetit, ut Ferrius vim persolveret scut. novem millium, ia se susciperet debitum scut. 1000, quo paterna hereditas erga comitem Torriglioni gravata erat, atque credito scut. 3600 quo erga eum pollebat, valediceret. Ita transactione Franciscus summam assequutus fuit scut. 13600, cujus in correspectivitatem gestam administrationem probavit.

§ 2. Hac tamen pecuniae vi postea minime contentus judicio coram A. C. egit, ut « *previa la dichiarazione di nullità di qualunque quietanza fatta dall'istante ai citati* », dies praestitueretur « *a render conto* » pro gesta tutela. Hoc pendente judicio obiit comes Jacobus Ferri, atque ejus filii Cristophorus ac Carolus, tunc temporis apud s. sedem praesul, atque de ea optime meritus, paternam haereditatem cum beneficio legis et inventarii adiverunt, sed quum a litibus alienissimi essent, adhibito communi amico advocato Pacifico Ga-

brielli, rem omnem cum Gaudentio compenere curarunt. Iterum igitur ad trutinam revocatae fuerunt rationes, atque conventum, ut fratres Ferri in solutum Francisco darent praedium Marotta et Selvetta, cujus aestimatio ad vim scut. 2582 assurgebat, consensum praeberent pro deletione inscriptionis hypothecariae a Torriglioni susceptae pro credito erga Gaudentium, quod in priori transactione Ferrius in se susceperat, atque ut deleretur hypotheca super Ferriae gentis bonis inscripta ad vim scut. 26000 ob cautionem tutelaris gestionis. Pacem post haec compsratam Ferrii putabant, sed opinio eos fefellit. Nam Gaudentius nihil iteratam faciens transactionem judicio eos, atque Palatios apud curiam episcopalem Fani vocavit « *a sentir dichiarare la nullità di qualunque quietanza* », et ut damnarentur ad gestae tutelae rationem reddendam. Hujusmodi instantia definitiva sententia diei 21 februarii 1833 rejecta fuit, a qua licet Gaudentius appellationem interposuisset, tamen ob neglectum « *il trasporto degli atti* » in rem judicatam abiit, a qua post duodecim annos restitutionem in integrum hodie implorat. Vadimonio vero deserto PP. mei interpositum recursum rejiciendum esse duxerunt rescripto « *nihil* ».

§ 3. Nam neque legem violatam fuisse demonstrabatur, neque nova documenta afferebantur, quae essent decisiva, quibus deficientibus restitutio in integrum concedi nequit, ad ea quae sancita sunt in praxeos codice §. 1057 et 1058. Falsum siquidem est legem a re judicata violatam fuisse, qua tutores ad rationes reddendas obstricti sunt, et legem aliam, qua transactiones enormissime laesivae nullae declarandae sunt. Transactum enim non fuit super abstracto jure, quo pupillus pollebat, adigendi tutorem ad edendas rationes, sed super eo, quod Gaudentius pro reliquatione a contutoribus postulabat; hinc res judicata hoc unum definivit, transactionem fuisse initam dumtaxat super credito, seu reliquatione, quod Gaudentius contra Ferrium, et Palatium jactabat, uti ex ipsa sententia manifestissime patet. Its judex ille non definivit transactiones enormissime laesivas validas esse, vel laesionem negavit. Itaque pro utraque quaestione ad factum, non ad jus respexit. Lex vero de laesione litigantium minime curat. Unum prospicit ne leges ipsae violentur, proindeque restitutio in integrum ex manifesta juris violatione conceditur, minime vero ex factorum sive errore, sive minus recta applicatione, uti post *text. in leg.* 19 *ff. de appell. leg.* 1 §. 2 *ff. quae sententiae sine appellat. et leg.* 32 *ff. de rejudicata*, et saepius firmavit noster Ordo, et praesertim in *Romana, seu Æsina restitutionis in integrum* 7 *decembris* 1837 §. 11 *coram R. P. D. meo Ferlisi, et in Ferrarien. restitutionis in integrum* 21 *junii* 1838 §. 6 *cor. R. P. D. Amici.*

§ 4. Neque dubium est in facto tantum litem a judice Fanensi diremptam fuisse; apertissimum enim erat non super abstracto jure exhibendi rationes, sed de ipso rationum reliquatione transactum fuisse. Ipsum tabularum proemium id significat « *Per definire e troncare qualunque questione sull'amministrazione e gestione pupillare, si è potuto finalmente ridurre le signore parti ad amichevole composizione e transazione per evitare una lunga e dispendiosa lite* ». Ingentem hinc virtute ejusdem transactionis tutores persolverunt pecuniae quantitatem usque ad vim scut. novem millium, atque insuper Gaudentii aes alienum in se susceperunt, ac renunciarunt propriis, quibus erga eum pollebant creditis. Si igitur super administratione transactum fuit, si tutores ut se se liberarent a debito, quod ex administratione prodibat, summam partim in pecunia numerata, partim aeris alieni accollatione ad vim usque scut. 13600 persolverunt, apertissimum omnium est super reliquatione transactum fuisse, minime vero super jure certo reddendi rationes, quod jus utpote incontroversum diuturnae ac sumptuosae liti viam aperire nequibat.

§ 5. Quae omnia probant facta, quae transactionem praecesserunt. Nam patet ex iis, quod Gaudentius post rationes tutelares inspectas transactionem obsignavit. Afferebatur reapse epistolare commercium, quod post finitam tutelam inter Gaudentium et Ferrium intercessit, quo anno 1814 ipse rationum exhibitionem postulabat. Hinc quum tutores monumenta jam prompta haberent pro eisdem reddendis, die 21 aprilis anni 1817 postulabat haec documenta « *per poterli considerare* », et paucis elapsis diebus habuit reapse libros « *dell'amministrazione dei primi due anni* »; habuit patrimonii repertorium; habuit « *Il rincontro delle robe inventariate* »; habuit tum « *i libri di due*

anni susseguenti di amministrazione », tum « *lo squarcio di spese mensili* », tum « *lo squarcio dei generi esitati* », tum alias ephemerides, seu « *giornali* » gestionis actae. Ad haec « *dodici libri, o registri* » quoad cibaria gentis Gaudentiae, chartas et codices super datis, et acceptis « *dal magazzino* », aliaque monumenta diversarum rerum, uti patet ex recepti syngraphis ipsius adversarii. Quae quidem monumenta neque sine difficultatibus probavit, uti eruitur ex litteris quas dabat mense antequam concordia iniretur, quin imo ex aliis litteris diei 7 maii 1815 manifestissime eruitur quanta cum sedulitate rationes investigaverit, ut super rerum reliquatione transigeret. Licet itaque in transactione inclusi calculi non fuissent, tot monumentorum traditio ac investigatio probant super reliquatione transactum fuisse, atque re plene cognita ad eamdem transactionem gradum factum fuisse.

§ 6. Sequitur itaque quod sicuti res fuerat de transactione super rationibus redditis, ita novae earum redditioni sub quovis obtentu locus esse nequit, proindeque jura vetant quominus lites transactione diremptae ad vitam revocentur. Summo igitur jure meritoque judex fanensis tutores a nova redditione rationum absolvit, praesertim quum Gaudentius illi transactioni vim dare voluisset « *di sentenza passata in regiudicata,* promisisset *di non mai più reclamare,* et explevisset *la generale quietanza di tutto quanto può o potesse a lui competere sulla detta amministrazione, con dichiarare di niun valore qualunque carta, recapito o documento che potesse rinvenirsi a tale oggetto in favore comune* ». Quoties autem ita concepta dignoscitur transactio, praeclusus omnino est ad novas postulandas rationes aditus, uti docet *Menochius de arbitr. jud. lib.* 2 *cent.* 3 n. 37 *et* 38.

§ 7. Neque res mutari videbatur, quod post mortem Æmilii Gaudentii inventarium confectum minime fuisset. Nam certum in jure est posse justis ex causis inventarii solemnitatem remitti, si expediat rei pupillari, ne arcana substantiae haereditariae non sine periculo et praejudicio in vulgus prodeant ad *text. in leg.* 8 *ff. de admin. et periculo tut. et curat. cap.* 32 *regul.* 5 *numer.* 46. Jam vero agebatur de haereditate aere alieno obruta. Poterant itaque creditores agmine facto contra bona irruere; id quod maximum attulisset pupillo praejudicium. Hinc inventarium, quod imprudentia inchoatum fuerat, prudentia postea fuit intermissum. Caeterum tutores non praetermiserunt praesente matre ac praesentibus pupilli propinquis diligenter et religiose singulas quasque res et monumenta patrimonii describere. De fide vero et religione descriptionis dubitare non sinunt viri conditione ingenui, integritate probati ac dignitate ipsa spectabiles. Defectui igitur solemnis inventarii descriptione tam fideli suppletum certo certius fuit, uti docet *Montanus de tut. pag.* 112 *n.* 11 *et seqq.*

§ 8. Vindicata rejudicata, quae novam rationum redditionem rejecit, quia obstaculo erat transactio, superest ut eamdem rem judicatam vindicemus in ea quoque parte, quae laesionis enormissimae querelam rejecit, cujus transactio incusabatur. At primum sententia factum negavit; negavit nimirum laesionem in transactione intercessisse; super facto itaque judicavit, in quo judicio etiamsi erravisset, restitutio in integrum tamen concedi non posset. Urget vero quod rite judex immunem a laesione transactionem definivit. Nam in transactionibus ipsa litium alea redimitur. Sicuti itaque impossibile est aleae valorem aestimare (nihil enim tam inaestimabile quam eventus litis, molestiae, expensae, quas lites secumferunt) ita eo ipso quod aleatorium est negotium, arduum est transactionem laesionis insimulare, *card. de Luca de usuris disc.* 20 *num.* 8, quae tamen laesio neque in facto ullo pacto demonstrabatur. Contendebat quidem Gaudentius illius creditum assurgere ad scuta 70379; sed gratuita assertio haec erat, quae non aliud fundamentum habebat quam in relatione duorum ratiocinatorum, qui profiteri debuerunt quod « *tutti questi oggetti in parte originali, in parte per copia, ed in parte ancora per asserzioni fortificate da parole di verità si adducono dal signor Gaudenzi ai ragionieri in comprovazione del conto, come che i soli esistenti, secondo egli rappresentava* »; atque sub fide propria et ex propria conscientia declaraverunt, quod tutores, creditores potius quam debitores Gaudentii erant renunciandi, quod reapse ex adductis documentis

patebat. Si igitur illorum judicium stetit super Gaudentii assertionibus, si re melius perpensa autumarunt, quod tutores credito pollebant, exulat omnino laesio enormissima, quae quum crimen redoleat, luce ipsa meridiana clarius demonstranda est.

§ 9. Illud vero momentosissimum accedebat, quod secunda anno 1825 superaccessit transactio, qua querela de laesione enormissima composita fuit tradito Gaudentio praedio *Marotta*, cujus valor assurgit ad scuta 2582. Si itaque super laesione enormissima nova intercessit transactio, hoc uno fuit quaevis actio sublata ad *text. in leg.* 34 *cod. de transact.*, *Voet ad pand. lib.* 27 *tit.* 5 *num.* 13, *Urceol. de transact. quaest.* 95 *num.* 37. Quae regula locum magis obtinet nostro in casu, quia ex intervallo nova accessit transactio, uti in specie actionis de laesione enormissima tradit *Menochius consil.* 486 *num.* 76 *et* 89, et in themate redditionis rationum docet *Montanus de tutor. et curat. cap.* 38 *n.* 118 *et seq.*

§ 10. Novam hanc transactionem (licet scriptura desit) conclusam tamen fuisse constat ex testimonio advocati Pacifici Gabrielli, quo mediatore fuit negocium peractum, constat ex adversarii ipsius responsis ad positiones, praesertim ex sexta, in qua fassus fuit « *che la scrittura del progetto venne dagli eredi Ferri a me data colle loro firme* », constat ex singularum conditionum implemento. Articulo primo valedicebat Gaudentius judicio, quod apud A. C. substinuerat. Reapse fuit liti valedictum. Articulo secundo cavebatur de fundo *Marotta* tradendo, quem fundum traditum fuisse probat advocatus Gabriellius, probat res judicata rotalis, qua ratihabita fuit oppignoratio super eodem fundo a Gaudentii creditore expleta, confirmant responsa jurata procuratoris Bartholomaei Belli, qui licet Ferrii nomine, at revera pro Gaudentio judicio steterat. Nec satis; ad transactionis tramites ex bonis tutoris deleta fuit hypotheca, et cohibita ad praedia *Marotta* et *Falconato*, fuit quoque ex bonis Gaudentii deleta hypotheca a comite Torriglioni super ejus bonis suscepta. Si itaque singula novae transactionis placita executionem post eam illico habuerunt, nequit de ejus perfectione dubitari. Nam etiamsi desit scriptura, ex rerum gestarum serie, ex pactorum executione et implemento transactio probata arguitur, *Urceol. de transact. quaest.* 60 *num.* 55, *s. Rota in recent. part.* 8 *dec.* 301 *num.* 12, *et in Romana transactionis* 12 *junii* 1833 §. 3 *coram card. Marini.*

§ 11. Nec praeterenndum est Gaudentio vetitum fuisse judicio coram vicario fanensi agere quoad laesionem et quoad novam rationum redditionem. Integra enim res esse desiit quoad utrumque effectum. Constare non poterat amplius de vero credito; elementa deficiebant ad rationes dispungendas ex facto ipsius adversarii, quippe ipse scripturas et monumenta pleraque post transactionem accepit et penes se retinet, uti probatum fuit superiori dicto §. 5. Aditum itaque sibi Gaudentius praeclusit ad novam rationum redditionem obtinendam; *S. Rota in recent. part.* 4 *tom.* 1 *dec.* 256 *num.* 4, *et in Romana redditionis rationum* 19 *junii* 1835 §. 6 *cor. card. De Cursiis.* Quod si id valet contra ipsos tutores adhuc in vivis, multo magis locum habere debet post eorum omnium decessum contra novas ignaras haeredum personas.

§ 12. Quod si res judicata transactioni innixa, quoad Ferrios justitiae consona est, et quoad Palatios servari debet. Nam transactio individua fuerat. Contutori itaque quoque utilis et communis sit oportet, praesertim quum in prima transactione fuit id expresse conventum « *che il signor Francesco Gaudenzi debba rilasciare a favore tanto del prenominato signor conte Giacomo Ferri, quanto del nobil uomo signor Angelo Palazzi Gisberti già suoi contutori, il laudo della loro pupillare amministrazione, ossia tutela e cura, e la generale quietanza di tutto quanto può, o potesse a lui competere sulla detta amministrazione* ». Et merito; si enim a Ferrio crediti sui solutionem Gaudentius consequebatur, nequibat iterum illud contutori condicere. Et ita altera etc.

Die 18 martii 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Christophorus Tuccimei — D. Alexander Piccinini.

Prot. 120 / 1846 Rmo P. D. FERLISI Decano DECISIO CVI.

BONONIEN CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 28 *Januarii* 1847.

Argumentum

Judicis jurisdictio in habitualem et actualem distinguitur — Quaeritur quid intelligendum sit sub nomine materiae litis; *et quonam vitio laboret sententia lata ultra vel extra petita — Agitur de citationis defectu — Disputatur denique, an liceat tribunali appellationis, postquam acta ob nullitatem deleverit, legem aliquam indicere judicibus primi gradus circa cognitionem causae, quam idem tribunal ad illos remittit.*

§ 1. Post juge ac plus quam saeculare silentium, virum nobilissimum comitem Carolum Marsilj Duglioli, uti assertum detentorem bonorum omnium provenientium ex haereditate vita jamdiu functi Bononiae senatoris marchionis Francisci Manzoli, exeunte januarii mense anni 1845 coram civili ejusdem civitatis collegio in jus rapuerunt Alexander et Laurentius Gavasetti, aliique litis consortes, tamquam haeredes *Paulae Mariae Fortunatae*, solemni ritu, *et in causa status* declarari postulantes, Paulam eorum auctricem, licet anno 1719 ex incertis parentibus ortam, fuisse reapse « *figliuola naturale* » praefati senatoris Manzoli. Facile tamen sibi fore suasit Carolus, potius quam facta scrutari plusquam saecularia, actionem ex adverso propositam praescriptionis ope repellere. Incidenti itaque libello actorum causidicis oblato illud nominatim petiit, quod decerneret nimirum tribunal « *ostare al proseguimento dell'incoato giudizio l'eccezione* DI PRESCRIZIONE, *e quindi ordinarsi che il giudizio stesso debba onninamente cessare* ». Diu autem acriterque praejudiciali hujusmodi controversia, actoribus etiam plaudentibus et probantibus, discussa, *incidentem* tandem sententiam ad diem 31 maii ejusdem anni primarum instantiarum judices tulerunt, qua incidentalibus utriusque litigatoris libellis una simul conjunctis secundum Caroli vota definierunt « *ostare l'eccezione di prescrizione al giudizio promosso dagli attori* », illudque proinde « *doversi dichiarare cessato* ».

§ 2. Provocatione interjecta, bononiense appellationis collegium super uno ac taxativo gravaminis articulo adierunt actores, ex injustitiae tantum capite flagitantes sibi inimicum decretum revocari, unaque simul principis causae meritum secundum sanctionem §. 981 *vigent. cod.* eorum favore dirimi. Licet autem opinionem primum suam, et Carolo undique propitiam pro omnimoda anterioris sententiae confirmatione, appellationis judices unanimiter aperuerint, dum ad trutinam tamen in acerrimo partium conflictu rediit contentio, illud accidit vere novum et inexpectatum, quod procul nimirum a qualibet litigatorum querela, longeque ultra propositae actaeque controversiae limites, decretum a primarum instantiarum judicibus latum sub omissae dubiorum prolationis obtentu, EX OFFICIO ii prorsus deleverint, universa nedum causa ad primae actionis collegium rursus ablegata, verum lege etiam expressim eidem injuncta, quod « *riunita l'eccezione di pretesa prescrizione al merito principale proceda alla decisione di questo con le regole prescritte dalla vigente procedura* ». Recursu itaque apud acta interposito ad Ordinem nostrum alacer convolavit Carolus abnormis adeo sententiae circumscriptionem ex jurisdictionis urgens defectu, ejusque petitione in hodiernis comitiis proposita facile quidem voti compos factus is est rescripto ab Patribus edito « *Circumscripta per viam nullitatis sententia tribunalis appellationis Bononiae diei* 10 *julii* 1846 *cum omnibus inde secutis ex defectu jurisdictionis* PP. VV. JJ. SS. », decisionis vulgandae munere mihi commisso.

§ 3. Neque anceps quidem vel ambiguum in facto erat, non *ultra* solum, sed longe etiam EXTRA *petita* bononienses appellationis judices fuisse vagatos, dum sententiam, licet mere incidentem, a primarum instantiarum collegio editam, sub omissae dubiorum prolationis fuco omnino deleverunt. Non pacificum enim solum partes inter erat, et ex integra actorum serie patebat, neque in actu appellationis a Gavasettiis caeterisque

litis consortibus interjectae, neque in primordiali judicii libello coram appellationis tribunali proposito, neque in vadimoniis demum caeteris coram eodem tribunali postea utrinque promotis, de asserta illius decreti nullitate querelam ullam fuisse unquam a litigatoribus excitatam, verum praesto insuper in id erat sententia etiam ab appellationis judicibus edita, sive solemne et ingenuum eorum testimonium, quod scrupulum penitus omnem ea desuper re e cujuslibet animo adimebat. Illud siquidem nominatim et expressim non in decidendi tantum rationibus, sed in dispositiva etiam ejusdem sententiae parte ii declararunt, non aliter quidem, nisi « EX OFFICIO », irritam nulliusque roboris primi gradus sententiam sese renunciasse, quod unum sedepol luculenter demonstrat, decretum id genus, *ex officio* dumtaxat proprioque tantum marte ab iis editum, a nemine ex litigatoribus fuisse reapse provocatum.

§ 4. Atqui ultra id quod in judicium deductum est, judicis potestatem excedere nullatenus posse, juris canon est quo non vulgatior alter. Ita apertissimi edocent textus *in leg.* 18 *ff. com. divid.*, *et leg.* 10 *ff. quemad. ususfr. caveat.*, quibus novissimae praxeos leges ad unguem cohaerent, ubi expressim cautum quod « *i tribunali rispondono alle dimande delle parti* », ac rursus quod appellationis quidem judices « *si ritengono come surrogati ai giudici o tribunali di primo grado* », verum « *non potranno oltrepassare i limiti della istanza proposta al primo giudice o tribunale* » testibus §§. 589 *et* 977 *gregor. regim.* Ex quibus sane illud prono velut alveo fluit sententiam *ultra et extra* propositae petitionis limites a judicibus editam, non injustam solum, prout Alexandri caeterorumque litis consortium tuebatur orator, verum irritam etiam nulliusque roboris ex jurisdictionis defectu renunciari mereri. Licet enim in *abstracto*, sive *habitu*, judices semel a principe constituti potestatem habeant singula contentionum genera dirimendi quae eorum fuerint jurisdictioni a legislatore commissa, non aliter tamen potestatem hujusmodi sibi lege concreditam exercere ipsimet valent, nisi actualis eorum jurisdictio fuerit a litigatoribus excitata. Ut perbelle siquidem ait *text. in leg.* 4 §. 8 *ff. de damno* « ibi » *Hoc judicium certam habet conditionem, si postulatum est. Caeterum qui non postulavit experiri non potest* ».

§ 5. Atque hinc concors reapse fert doctorum fere omnium ac tribunalium sententia, PRAETER, vel ULTRA ea quae in judiciali fuerint libello proposita, judices cunctos, licet *habituali* in genere jurisdictione praeditos, ACTUALI tamen jurisdictione carere, sententiamque proinde ea desuper re ab iis latam in jurisdictionis defectum incidere, et nullitatis labe omnino infici, veluti communi edocent calculo *Cujac. ad leg.* 170 *ff. de reg. jur. tom.* 6 *col.* 1967 *et* 2136; *Pothier in pand. lib.* 42 *tit.* 9 *art.* 3; *Carleval. de judic. disput.* 2 *qu.* 8 *sect.* 4 *num.* 148; *Scaccia de judic. cap.* 64 *num.* 13, *de sent. et rejud. gloss.* 14 *qu.* 16 *num.* 1 *et seq.*, *et de appell. qu.* 17 *lim.* 6 *membr.* 9 *et seq.*; *Vantius de nullit. tit.* 5 *num.* 108, *et de defectu jurisd. ordin. n.* 121 *et seq.*; *Ubert. de cit. cap.* 16 *num.* 1 *et* 2; *s. Rota in decis.* 175 *num.* 1 *cor. Benincasa, dec.* 239 *num.* 1 *cor. Olivatio; in Urbevetana census* 25 *jun.* 1828 §. 8 *cor. emo De Cursiis*, et magistraliter formiterque discusso articulo supremum nostrum tribunal in *Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 28 *jul.* 1830 §. 3 *et seq. cor. Grossi*; *in confirmatoria* 9 *sept.* 1831 §§. 3 *et seq. coram eodem; in Sabinen. circumscriptionis* 17 *septembris* 1835 §. 4 *cor. eodem; in Asculana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 24 *novembr.* 1836 §. 3 *cor. me; in Interamnen. circumscript. et restitutionis in integrum* 17 *mart.* 1840 §. 7 *cor. Grossi; et in Maceraten. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 12 *maii* 1842 §. 7 *cor. R. P. D. meo Lippi.*

§ 6. Quod caeterum germanae etiam interpretationi congruit tum romanarum tum vigentis praxeos legum, quas superius recitavimus. Quod enim ad romanorum primo jus pertinet, illud expressim cautum *in praecit. leg.* 18 *ff. comm. divid.* legitur « *Ultra id quod in judicium deductum est, EXCEDERE POTESTATEM JUDICIS NON POSSE* », et ambigi prorsus nequit, *ad jurisdictionis* adamussim defectum eam legis censuram referri necessario mereri. Nil enim aliud jurisdictio est nisi POTESTAS, sive imperium judicibus lege com-

missum, veluti litteralis edocet textus *in leg.* 215 *ff. de verb. significat.*, patetque etiam tum ex universis canonici juris titulis *de officio et potestate episcopi, de officiis et potestate vicarii, et de officio* ET POTESTATE JUDICIS *delegati*, tum *ex l.* 1 *ff. de officio proconsulis, l.* 3 *et* 13 §. 1 *ff. de jurisd., l.* 3. *ff. ne vis fiat, et leg.* 1 §. 1 *ff. ad leg. jul. majestat.*; quibus plaudunt *Vinnius in tract. de jurisd. cap.* 1 *num.* 2 *et seq.*; *Voet in comm. ad tit.* 1 *ff. de jurisd.* §. 1 et doctissimus Cujaccius *ad cit. leg.* 215 *ff. de verb. signif.* Quoad vero ad praxeos leges attinet, si illud nominatim pariter in §. 977 *vig. cod.* declaravit legislator, quod scilicet appellationis judices, utpote primarum instantiarum judicibus subrogati, « NON POTRANNO OLTREPASSARE *i limiti dell' istanza proposta al primo giudice o tribunale* », magis aedepol quam fando exprimi valeat, evidenter patet verba ea « NON POTRANNO », tam *in cit.* §. 977 quam alibi etiam ac potissimum in §§. 982 *et* 1042 *ejusdem cod.* a legislatore adhibita, utpote ad judices ipsos directa, jurisdictionem secus judicandi iis prorsus adimere, veluti in simili adamussim themate supremum statuit tribunal in *Imolen. circumscriptionis* 23 *jul.* 1840 §. 7 *cor. R. P. D. Caracciolo, in Ferrarien. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 23 *jun.* 1843 §. 4 *cor. R. P. D. Arnaldi, et in Bononien. circumscriptionis et rest. in integrum* 19 *dec.* 1844 §. 3 *cor. R. P. D. La Grua Valdina.*

§ 7. Neque recte praesidium Gavasettii quaerebant ex nonnullis aliis nostri Ordinis decisionibus, quibus aliquando traditum, judicem qui ultra, vel extra petita vagetur, injuste quidem et contra leges agere, non tamen nulliter et sine jurisdictione. In iis enim vel obiter et perfunctorie, vel praeter rei necessitatem traditum id est, neque earum proinde pertrahi auctoritas poterat ad hodiernae contentionis thesim, quae nullitatis respiciebat decretum ex OFFICIO dumtaxat atque exemplo vere novo et singulari ab appellationis judicibus editum. Prout incassum pariter veteribus quorumdam pragmaticorum doctrinis, sive earum potius laciniis in medium adductis demonstrare ii nitebantur, nullitatis querelam sub appellatione etiam ex mero injustitiae capite interposita tacite et accessorie comprehendi, deque ea proinde appellationis judices pronunciare impune licere. Initio enim vetus haec jurisprudentia non aliter quidem antiquitus etiam locum obtinebat, nisi ubi appellatio generatim fuisset interjecta nulla speciali gravaminis ratione adducta, veluti testatur *Scaccia de appell. q.* 19 *rem.* 1 *concl.* 3 *n.* 10 *et* 11 *et seqq.*, eaque insuper facultatem quidem appellationis judici tribuebat de sententiae quoque nullitate incidenter cognoscendi, non tamen EX OFFICIO, et qualibet prorsus litigatorum querela ea desuper re omnino deficiente.

§ 8. Propterea regula ea (quidquid sub veteri praxi olim obtineret) auctoritatem certe nullam sub hodiernis praxeos legibus sibi poterat vindicare. Praesto enim hodie erat sanctio apertissima tum §§. 772 *et* 773, tum §§. 788 *et seqq. vig. cod.*, unde luculenter patebat, non aliter quidem ordinariis tam primarum instantiarum quam secundi gradus judicibus in praesens licere de actorum nullitatibus etiam substantialibus investigationem suscipere suumque ferre judicium, nisi fuerint eae solemni ritu coram iisdem PROPOSITÆ, et quidem « CON ISTANZA MOTIVATA *da notificarsi per atto di procuratore* », caeterisque impletis solemniis in subsequentibus §§. 794 *et seq.* nominatim praescriptis. Quibus sane deficientibus perperam oggerebatur non absolutam quidem judicibus jurisdictionem deesse, sed meram potius simplicemque citationem, de cujus caeterum defectu nefas hodie Ordini nostro erat examen suscipere, tum recursus lege tum sanctione §. 789 omnino prohibente. Illud enim redibat quod superius est animadversum, judiciali nimirum deficiente libello, vel ipsam *actualem, si non habitualem* judicum jurisdictionem deficere, neque vitium hujusmodi porrigi ullatenus posse ad defectum alterum prorsus diversum merae *citationis*, quem caeterum constat non rem quidem in judicium adductam, sed contendentium tantum personas respicere, neque aliter quidem locum in praesens obtinere nisi ubi « *il reo convenuto non fu citato in principio della lite, nè in persona, nè al domicilio, nè alla sua dimora, nè in altro luogo determinato dalla legge* » teste §. 781 *cit. cod.*

§ 9. Jurisdictionis autem defectu numeris omnibus tali pacto vindicato illud prono

velut alveo fluebat nullitatis hujus vitium, utpote non litigatorum quidem *personas* vel causae *valorem*, sed litis tantum respiciens *subjectum* sive *materiem*, jure merito ad Ordinem nostrum fuisse delatum, cui privativa adamussim tributa est potestas de actorum nullitate cognoscendi ex jurisdictionis defectu manante, « *se il difetto risguarda la materia della lite*, » cen cubitalibus scriptum est litteris in §. 791 *praecit. cod.* Nec vero congruebat quod Gavasettii insinuare nitebantur, tum solum jurisdictionem judicibus deesse « *per ragione di materia* », cum de peculiaribus ipsimet causis cognoscunt privativae alterius tribunalis jurisdictioni lege commissis. Pugnat enim ejusmodi exceptio et cum intrinseca ac naturali verborum significatione, et cum aperta ac diserta legislatoris voluntate. Eaque pugnat primum cum intrinseca et naturali verborum significatione. Nil enim aliud, ad judiciales quod pertinet contestationes, MATERIÆ nomen innuere nisi rem ipsam in judicium adductam, sive litis subjectum, eo suomet quisque facile percipit sensu et egregie tradit *Huber praelect. juris lib.* 42 *tit.* 1 *n.* 31 *et seq.*

§ 10. Pugnat autem eo vel fortius cum diserta et apertissima ipsius legislatoris mente, unde limpidissime eruitur, latiori certe sensu, sive ad litis adamussim subjectum generatim designandom, vocabulum hujusmodi fuisse reapso usurpatum. Cum enim omnes jurisdictionis defectus sub triplici tantum classe complexus is fuerit, scilicet vel « *per ragione delle persone* » vel « *per ragione della materia* » vel tandem « *per ragione della somma o valore della lite* », teste §. 782, fatendum bercle necessario est jurisdictionis defectum, qui neque litigatorum *personas*, neque litis respiciat *valorem*, sed unum ejusdem subjectum sive rem in judicium adductam, sub *materiae* punctim nomine comprehendere eumdem voluisse, ad eamque proinde classem referri oportere. Quod sane retinendum eo vel fortius in themate, cum ipsimet appellationis judices declaraverint nullitatem sententiae a primarum instantiarum collegio editae, et EX OFFICIO ab iis deletae, fuisse natura sua omnino INSANABILEM. Scitum quippe est nullitatum vitia quae suapte indole, sive ex litigatorum consensu nequeant abstergi, nonnisi ad supremum Ordinem nostrum posse deferri, neque ordinariis judicibus ullatenus licere *ratione materiae* sese iisdem ingerere, veluti patet ex §. 786 juncto cum §§. 789 *et* 791 *vig. cod.*

§ 11. Hisce autem illud insuper accedit, quod nulliter pariter et ab omni procul jurisdictione, appellationis judices, dum causam rursus ad primarum Instantiarum ablegarunt tribunal, legem ei indixerint cognitionem exceptionis « *di pretesa prescrizione* » cum principis causae merito consociandi et ad utriusque definitionem una simul procedendi. Licet enim lex in §. 977 expressim jubeat quod si appellationis judices « *annullano gli atti o le sentenze per alcuno dei tre difetti indicati nel* §. 788, DOVRANNO *rimettere la causa ai primi giudici, ovvero ai giudici o tribunali competenti* », hoc tamen ipsum legis praeceptum facultatem iis implicite adimit de intimis causae meritis quidquam decernendi, vel legem aliquam primarum instantiarum juridicis imponendi. Si voluit enim legislator teneri eos in hujusmodi casu « *rimettere la causa ai primi giudici* », integram eam nullaque prorsus ex parte praejudicatam ad Inferiorem judicem ablegent oportet, eoque minus jurisdictione ii pollent arbitrium anferendi uni causae judici lege tributum, de proposita nimirum exceptione juxta sanctionem §. 777 *vig. cod.* vel una cum merito, vel seorsim cognoscendi. Vel ipsa siquidem naturalis haud patitur ratio liberum jurisdictionis suae exercitium ordinario judici adimi, vel saltem cohiberi, ullamque ei in rebus praesertim, quae ab uno et prudenti ejusdem pendent arbitrio, necessitatem imponi, qua quilibet pro sua conscientia aestimare debent, quid rectae causae definitioni magis expediat ad text. *in leg.* 17. §. 3 *et leg.* 19 *ff. de recept. arbitr.*, *et leg.* 8 *ff. de offic. praesidis.*

§ 12 Jure ergo et merito eo etiam ex capite delendam Patres censuere bononiensis appellationis tribunalis sententiam, quae supremi quoque nostri Ordinis jurisdictionem tali pacto dubio procul invasit. Vulgatissimum siquidem in foro est, unum Signaturae tribunal, utpote supremum Ipsum principem repraesentans, extraordinaria hujusmodi

facultate pollere certam in judicando legem inferioribus judicibus imponendi, veluti tradit *Vitali de jur. sig. cap.* 1 *pag.* 5. Et ita in acerrimo partium conflictu jus redditum est.

Die 25 februarii 1847 « *Nihil, et utatur jure suo; et extendatur decisio per R. P. D. Arnaldi* ».

Die 15 aprilis 1847 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Phippus Maria Salini — D. Petrus Aloysius Briganti.
D. Raphael Borghi.
D. Petrus Proja.

Prot. 171 / 1844 — Rmo P. D. FERLISI Decano — Decisio CVII.

VITERBIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 4 Februarii 1847

Argumentum

(Habes in Decis. IV.)

§ 1. Ad removendam transitus servitutem, cui rusticum subesse praedium in viterbiensi territorio atque in regione nuncupata « *Respoglio* » positum, et od RR. PP. ex minorum conventualium familia, sive ad viterbiense eorumdem coenobium dominii jure spectans, Joannes Prada finitimi horti possessor tuebatur, et in cujus reapse possessione in vim etiam summariissimi instituti manutentionis judicii ipsemet versabatur, in id consilii religiosi viri venerunt, aere nimirum proprio tum cancellum, tum pontem in Joannis fundo construendi, unde facile ad suum hortum a publica via potuisset ipsemet accedere. Quum aequissimis autem eorum votis annuere mordicus ac perpetuo Joannes recusaverit, ejusdem coenobii custos amplissima utens reservatione apud summariissimi judicii acta a suo causidico emissa, agendi scilicet « *in petitorio per escludere l'attore dal diritto del transito pel viale, del quale si tratta* », diem labente decembri mense anni 1839 coram laico et civili viterbiensi tribunali Joanni dixit, declarari flagitans « *che l'istante è in facoltà di costruire il cancello e ponte suddetti, ove dovrà transitare il citato, al quale verrà inibito di più accedere per il di lui fondo sotto pena dell'arresto personale* ». Quamvis autem hujusmodi petitionem albo undique calculo viterbiense exceperit tribunal, quum in diversam tamen sententiam post judicialis etiam periti relationem s. Rotae auditorium in gradu appellationis concesserit, veluti decisio pandit, cui titulus *Viterbien. transitus* 21 *junii* 1834 *coram R. P. D. Silvestri*, ad nostrum Ordinem religiosi viri confugerunt, actorum omnium circumscriptionem ex jurisdictionis urgentes defectu. Et licet in primo causae certamine victi undique e praelio ipsimet abierint, veluti testatur decisio ad diem 9 januarii superioris anni ab R. P. D. meo Ferrari evulgata, re tamen hodie novis etiam allatis monumentis melius illustrata a decisis recesserunt Patres, rescripto edito « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali civili Viterbii cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis rr. vv. jj. ss.* », datoque mihi munere decisionis vulgandae.

§ 2. Neque ambigi sane ullatenus poterat quin viterbiense tribunal, utpote mere *laicum*, qualibet prorsus caruisset jurisdictione causam a religiosis viris propositam dirimendi. Nil siquidem in canonica jurisprudentia notius, quam laicis judicibus nullam esse, non adversus clericorum solum vel regularium personas, verum super rebus etiam ecclesiasticis vel ad ecclesiam spectantibus potestatem, veluti apertissimi edocent *textus in can. bene quidem dist.* 90 *et cap. ecclesia* 10 *de constitut.* Atqui compertissimum hodie in facto erat atque ex novis etiam monumentis a religiosis viris adductis in media veluti luce positum, et reale quidem, non personale fuisse judicium apud viterbiense

tribunal ab iis institutum, et de re insuper *ecclesiastica*, sive ad ecclesiam reapse spectante actam fuisse disputationem. Quod enim ad primum pertinet, ex integro propositi libelli patebat contextu religiosos viros judicio adversus Joannem egisse non tamquam sibi obligatum vel ex contractu vel ex maleficio, ut ad aliquid dandum aut faciendum cogeretur invitus, in quo sane actionis in personam residet substantia *ad text. in* §. 1 *inst. de act.*, sed ut proprium dumtaxat fundum a praetensa transitus servitute omnino liberarent, sibique jus tribueretur in proximo Joannis praedio cancellum pontemque construendi. Hujusmodi autem petitionis genus, utpote in rem directum, neque Joannis respiciens personam, quem non aliter constat fuisse ab actoribus in judicium vocatum, nisi tamquam praetensi transeundi juris sive dominantis praedii possessorem, actionem realem exhibere, non personalem, et suomet quisque facile percipit sensu, et luculenter etiam patet *ex cit.* §. 1 *inst. de act.* Illud enim nominatim ibidem cautum, actionem in *rem* tum adamussim aliquem experiri, ubi « *cum eo agit, qui nullo jure ei obligatus est, movet tamen alicui de aliqua re controversiam* ».

§ 3. Ad realium autem actionum classem aeque pertinere tum judicia singula, quibus vel dominium fundi apud reum conventum manentis, vel activam super eo servitutem nobis vindicamus, tum judicia etiam caetera, quibus a passiva servitute quam nostro desuper praedio exercere aliquis praesumat, illum eximi ac liberari postulamus, juris canon est, quo non vulgatior alter, veluti *post* §. 2 *inst. de act.* perbelle tradit doctissimus Vinnius *in comm. ad cit.* §. *num.* 3. Nec cavillandum, non actionem *vere negatoriam* propositam a religiosis viris fuisse, quum in suo libello non declarari quidem postulaverint, (prout in hujusmodi fieri solet judiciis) nullum transeundi jus super eorum fundo Joanni competere, sed facultatem potissimum sibi fieri petierunt in Joannis praedio construendi tum cancellum, tum pontem, « *ove dovrà transitare il citato* ». Initio enim praeterit neminem ad praefiniendum quid in judicium venerit, illud potissimum spectandum esse quod actor senserit, *ad text. in leg.* 61 *in princ. ff. de judiciis, et leg.* 83 *ff. de verbor. oblig.* Si intimam autem propositae actionis indolem actorumque praesertim mentem et intentionem potius, quam verborum corticem lubeat in themate spectare, exploratum undique visum est Patribus negatoriam actionem fuisse revera a religiosis viris in judicium adductam.

§ 4. Idque luculenter primum suadebat ipsemet primordialis actorum libellus. Praeter petitam enim cancelli pontisque constructionem, solemni insuper ritu, neque incidenter quidem vel accessorie, prout praeterita statuit decisio, sed aeque PRINCIPALITER postularunt in eo religiosi viri, reum conventum omnino INHIBERI « *di più accedere per il cancello dell'istante e transitare per il di lui fondo* », quod sane petitionis genus negatoriae punctim congruit actioni, ejusque saltem fini vel scopo ad unguem cohaeret. Suadebant autem id eo vel fortius singula rerum adjuncta quae vel petitorio hujusmodi praeiverunt judicio, vel illud saltem concomitata sunt aut subsequuta. Dum in anteriori siquidem summariissimo possessorio judicio adversus viterbiense coenobium instituit Joannes, sese in controversi transitus possessione manuteneri, illud expressim religiosi viri declararunt, nuncium sese possessoriae actioni mittere, jure tamen sibi reservato agendi « *in petitorio per escludere l'attore dal diritto di transito pel viale del quale si tratta* ». Ex quo sane argui non immerito valet nil aliud reapse judicium alterum praeseferre in sequelam reservationis hujus ab iis postea institutum, nisi actionem adamussim petitoriam, sive « *negatoriam* » sibi antea reservatam « *per escludere l'attore dal diritto di transito* » ut enim perbelle ait *Voet. in comm. ad lib.* 2 *tit.* 13 *ff. de edendo, num.* 3 « *actiones ex negotiis ante gestis factisque praeteritis moveri solent* », ab iisque proinde interpretationem pariter accipiant, oportet.

§ 5. Praeterea defensiones omnes judicibus singulis utrinque distributae de praetensa transitus servitute ubique agunt, prout de ea pariter meminere tum judicialia utriusque litigatoris acta, tum decisio ipsamet ab R. P. D. De Silvestris edita, quae non alium quidem in suo etiam fronte titulum gerit, nisi *Viterbien. transitus.* Quae cuncta aedepol una praesertim simul conjuncta mirum congruebant in modum ad veram instituti judicii indolem

explicandam, sive ad negatoriam inducendam actionem. Caeterum hoc etiam seposito illud firmum perpetuo immotumque manebat, actionem a religiosis viris propositam, licet vere *negatoria* renunciari haud mereretur, realem tamen dubio procul fuisse, tamquam tendentem ad praetensam transitus servitutem a suo fundo omnino *removendam*, vel saltem *variandam*. Non enim aliter facultatem sibi fieri ii postularunt cancelli pontisve in Joannis agro proprio sumptu construendi, nisi sanctioni freti *leg.* 2 §. 8 *ff. de relig. et sumpt. funer.*, ubi servientis praedii domino variandae viae facultas tribuitur, « *si non minus commode per alium locum servitute uti potest, sive, ut ait Voet in libro* 8 *ff. tit.* 3 *de serv. rust. praed.* §. 8 » si modo nullum inde praedii dominantis domino praejudicium generatur. Quum autem novum etiam id genus judicium, vel ad omnimodam fundi libertatem assequendam, vel ad realis servitutis onus imminuendum ac moderandum tendat, neque in rei quidem conventi personam, sed in rem potius dirigatur, actionem dubio procul exhibet non mere personalem, sed realem, veluti statuit nostrum tribunal *in Forolivien., seu Ravennaten. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 10 *januar.* 1839 §. 6 *cor. R. P. D. meo Lippi.*

§ 6. At si de realis judicii indole nefas prorsus erat vel leviter ambigere, eo hercle minus dubitare fas erat de ecclesiastico reapse fundo actam fuisse disputationem. Pacificum enim partes inter erat assertum praedium *serviens*, quod a praetensa transitus servitute ope novi cancelli pontisque constructionis liberare actores nitebantur, ac de cujus proinde vindicanda libertate in themate agebatur, ad viterbiense coenobium dominii jure pertinere, adeoque ecclesiasticum dubio procul esse, quod unum satis erat superque ad ecclesiasticam vindicandam jurisdictionem. Licet autem praedium etiam alterum spectaretur ad Joannem pertinens, duo tamen ex novis et gravissimis monumentis a religiosis viris allatis luculenter hodie constabant. Primum nimirum, utile tantum ejusdem dominium ad Joannem pertinere tamquam successorem Rosae Morani, directo illius dominio apud unum viterbiense nosocomium spectante, *alterum* vero, ecclesiastica reapse immunitate praefatum nosocomium dubio procul gaudere, neque ei ullatenus congruere s. Immunitatis congregationis resolutionem anno 1666 editam et a praeterita nostri Ordinis decisione in §. 4 invocatam, utpote ad nosocomii dumtaxat depositarium et exactorem cohibitam, veluti ipsamet s. congregatio et semel, iterumque annis 1783 et 1787 postea declaravit. Quibus sane in facto positis illud prono velut alveo fluebat Joannis etiam praedium, tamquam directi dominii jure ad nosocomium spectans, inter ecclesiastica bona recenseri mereri. Scitissimum quippe est, utile quoquo ecclesiastici fundi dominium, tamquam directo adnexum eique adhaerens, ecclesiasticum pariter censeri, et ecclesiastico tantum foro subesse, veluti statuit *sa. me. Benedictus pontifex XIII in suo motu proprio diei* 29 *nov.* 1728 relato in Bullario *rom. num.* 35, nostrumque respondit tribunal *in Romana circumscriptionis* 21 *nov.* 1833 §. 2 *cor. me*, *et in Romana circumscriptionis* 12 *mart.* 1835 §. 7 *cor. De-Bubalo.*

§ 7. Jure hinc et merito acta singula coram civili viterbiensi collegio, licet ab ipsis religiosis viris gesta, una cum omnibus inde sequutis ex jurisdictionis defectu, consilio in melius reformato, Patres hodie deleverunt. Liceat enim fingere luberet non de transitus servitute a coenobitarum praedio removenda, eaque omnino oppugnanda, vel saltem varianda, sed de mero potius simpliciique jure cancelli pontisve in Joannis agro construendi actum partes inter fuisse, unumque proinde Joannis praedium, quo desuper hujusmodi jus exercere coenobitae conabantur, ad judicum metiendam jurisdictionem spectari mereri, ecclesiastica tamen ejus qualitate evidenter undique hodie comprobata, ruebant mole sua in hac etiam perditissima hypothesi, ex absoluto et insanabili jurisdictionis defectu acta cuncta coram laicis judicibus gesta. Translatitium siquidem in foro est, cavitque expressim legislator *in* §. 786 *vig. cod. quod* « *il difetto di giurisdizione concernente le* PERSONE O LE COSE SOGGETTE AL FORO ECCLESIASTICO *è assolutamente insanabile.* » Atque ita etc. utraque etc.

(Vide Decis. IV)

Die 15 aprilis 1847 « *In secundo loco decisis, compensatis hinc inde expensis coram supremo tribunali Signat. Just.* ».

Procuratores — D. Marianus Baldassarini — D. Constantinus Spagnoli.

Prot. 139 / 1846 R. P. D. VICI Decisio CVIII.

Tudertina Divisionis super Circumscriptione

Jovis 4 Februarii 1847.

Argumentum

Quaeritur an in judicio familiae herciscundae judex executor demandare possit divisionem quoque bonorum, quae post institutum judicium fuerunt a cohaeredibus acquisita.

§ 1. Communionem bonorum omnium tam ex paterna et materna haereditate provenientium, quam peculiari suo nomine acquisitorum, quaeque illuc usque perseveraverat inter Antonium ac illius fratres Josephum, Joannem et Angelum Federici Orsini, hi dissolvere statuerunt initio anni 1830. Instituto proinde ab ipsis *die* 9 *januar. anni illius judicio familiae herciscundae, et communi dividundo* adversus Antonium coram vicario generali tudertino, eo quod clericus esset Antonius, ab judice illo expostularunt ut mandaret « *conferri per citatum in commune patrimonium lucra, nomina debitorum, semoventia, aliaque omnia solo suo nomine quaesita, prout prompti sunt ea omnia conferre instantes* » ut hinc communi patrimonio in quatuor aequas partes diviso, una ex iis cuilibet ex fratribus tribueretur.

§ 2. Ob interlocutorium decretum a vicario latum, causa ex supremi nostri Ordinis rescripto ablegata fuit ad s. Rotae tribunal. Tam generalis societas, quam communis patrimonii divisio comprehensae fuerunt sub una dubii formula, nempe « *An constet de communione universali ita ut sit locus divisioni etiam super bonis peculiari nomine quaesitis* », atque duabus consonis sententiis tum agnita fuit communio universalis, cum etiam decreta divisio bonorum quoque eorum, quae fratres Orsini proprio nomine acquisiverant. Postrema ex sententiis ipsis ab Antonio accepta habita, *perfectissima res judicata* finem controversiae imposuit.

§ 3. Ut executioni resjudicata mandaretur, Antonius idem bis institit coram vicario tudertino uti judice executore; primum *die* 12 *septembr. anni* 1842 pro divisione bonorum a fratribus possessorum usque ad diem nonam januarii anni 1830, qua judicium familiae herciscundae fuit institutum, deinceps die 27 martii anni 1845 pro divisione bonorum caeterorum, quae post tempus illud fratres acquisiverant. Quoad postremam hanc instantiam *incompetentiae* ex defectu jurisditionis incusarunt vicarium illum caeteri fratres Orsini, atque hinc assueto ad nostrum supremum Ordinem interposito recursu *circumscriptionem* postularunt instantiae ipsius. Dimissi tamen fuerunt rescripto « *Nihil* », munere mihi dato decisionem vulgandi.

§ 4. Agitur namque *de judicio familiae herciscundae, et de patrimonio inter fratres Orsini communiter dividundo*, quod natura sua amplissimum est, generale ac individuum, et necessario protrahitur ad effectus, et consequentias omnes ad judicium idem spectantes; hinc vi sua complectitur praejudicialia, connexa et ab illius resolutione dependentia quaecumque. Judex quapropter qui executor est judicii familiae herciscundae, executionem rite recteque decernit eorum omnium, quae ad judicium idem quoquomodo referuntur. Ita sancitur *in leg.* 7 *cod. in leg.* 20 §. 2, *et. leg.* 23 §. 5 *ff. familiae herciscundae*, et post eas tradunt *Vinnius in institut. tit. de actionibus* §. 20 *num.* 2; *Voet ad pandectas lib.* 10 *tit.* 2 *num.* 2, et firmavit *sacra Rota in Ripana divisionis super fructibus* 20 *apr.* 1818 §. 5 *coram Bussi, et in Ferrarien. divisionis quoad mobilia* 21 *februar.* 1820 §. 5 *coram Odescalchi.* Cum igitur inficiari nequaquam valeat, instantiam diei 27 martii anni 1845 esse effectum et consequentiam judicii familiae herciscundae, et ejus virtute Antonium institisse pro divisione bonorum a fratribus Orsini acquisitorum post diem nonam januarii anni 1830, necessario sequitur etiam vicarium generalem tudertinum uti executorem illius judicii jam absoluti, jurisdictionem habere cognoscendi et definiendi omnia, quae ab eo tamquam consequentiae et corollaria descendunt.

§ 5. Quodque reapse instantia diei 27 martii 1845 ad executionem spectet reijudicatae constat *ex primaevo judicii libello*, constat rursus *ex Rotalibus sententiis*, quae remjudicatam constituerunt. Fratres namque Orsini in libello eo adversus Antonium edito efflagitarunt divisionem patrimonii Orsini et collationem bonorum etiam eorum quae tam ab ipsis, quam ab eorum fratre Antonio fuerant acquisita; itemque res judicata libello eidem adhaerens constituit esse locum divisioni bonorum omnium atque eorum quoque quae fratres emerant nomine proprio. Absurdum quocirca foret contendere divisionem bonorum in patrimonio Orsini extantium *ante annum* 1830 ad executionem pertinere reijudicatae, bona e contra *post tempus illud* a fratribus *acquisita* nullimode respicere executionem reijudicatae ipsius. Uti igitur de instantia diei 12 septembris anni 1842 cognoscere valide potuit vicarius generalis tudertinus, eadem ratione definire etiam valet quae in instantia altera diei 27 martii 1845 expostulavit Antonius; sunt enim una alteraque effectus et corollaria unius ejusdemque reijudicatae.

§ 6. Extraneam hinc a praesenti controversia et a qualitate judicii, de quo agitur, existimarunt Patres dispositionem *legis* 23 *ff. de judiciis*, in qua statuitur « *non posse videri in judicium venisse id, quod post judicium acceptum accidisset, ideoque alia interpellatione opus est* ». Misso namque, hanc punctim interpellationem alteram adesse in thesi de qua agitur, instantiam nempe diei 27 martii 1845, ac proinde quae in ea instantia comprehensa fuerunt, in judicium familiae hereiscundae venisse fore retinendum; illud sedulo Patres iidem ponderarunt, quidquid generatim in ea lege statuitur aptari minime posse ad judicium familiae hereiscundae, quod exceptionem firmat adversus regulam generalem. Etenim leges in §. 4 relatae plenissime evincunt, dependentia et connexa eum eo judicio in ipso ullo procul dubio comprachendi, idque confirmat etiam *Paulus in leg.* 11 *ff. familiae herciscundae*, ubi ait, in hoc judicium venire « *partum quoque editum post aditam haereditatem* », cui adhaeret *Ulpianus in leg.* 12 *eod. titulo* « ibi » ET POST LITEM CONTESTATAM *Sabinus scribit, in familiae herciscundae judicium venire, et adjudicari posse* ». Hinc generalis regula a fratribus Orsini invocata cedat oportet exceptioni a jure constitutae, et pro certo habendum est in judicio familiae herciscundae judicem executorem divisionem eorum etiam rite demandare, quae post institutum judicium fuerunt a cohaeredibus acquisita.

§ 7. Atque eo fortius regulam eam generalem nullo in pretio hac in controversia Patres habuerunt, eo quod *in cod. gregor. sub art.* 1141 executoribus rerum judicatarum non modo facultates tribuuntur explendi « *la liquidazione* », sed definiendi etiam ac cognoscendi « LE CONTROVERSIE CHE HANNO LUOGO IN SEGUELA DEI GIUDICATI ». Ergo ex neotericis etiam legibus vicarius tudertinus jurisdictione pollet instantiam definiendi ab Antonio die 27 martii anni 1845 promotam, quaeque adamussim controversiam respicit relativam ad executionem reijudicatae jam ortae super judicio familiae herciscundae. Deterius hinc subsumebant fratrum Orsini defensores, hos in primo judiciali libello voluntatem suam patefecisse resiliendi e bonorum communione, ac proinde bona postea acquisita comprehendi nequaquam potuisse in judicio familiae herciscundae. Declaratio namque ea ejus ponderis nequaquam aestimanda, ut naturam et qualitatem destruat judicii ab eis instituti, neque in fratrum Orsini erat facultate jurisdictionem auferre vicario tudertino ceu reijudicatae executori ea cognoscendi et definiendi, quorum definitionem uti effectus et corollaria reijudicatae ejusdem illius jurisdictioni commiserunt legum dispositiones. Ad illum quocirca spectabit etiam decernere, utrum nec ne bona post diem nonam januarii anni 1830 a fratribus Orsini acquisita sint pro aequis partibus inter eos dividenda.

§ 8. Denique minime praetereundum, *Antonium* uti *clericum* gaudere *fori privilegio*, et eo jam suffultum agnoverunt caeteri fratres Orsini, qui hac punctim de causa illum in jus vocarunt initio judicii coram vicario generali tudertino. Ob hoc quapropter privilegium valide fratres ipsos coram vicario eodem vadatus est *in instantia diei* 27 *mart.* 1845, dum agebatur de bonis dividundis et de judicio familiae herciscundae « *Qui namque* (inquit jurisconsultus Paulus superius laudatus *in leg. inter haeredes* 44 §. 4 *ff. communi dividundo*) *familiae herciscundae, et communi dividundo, et finium regundorum agunt*, ACTORES SUNT ET

rei », cui consonat etiam *lex* 10 *ff. finium regundorum*, atque communi ore tradunt juris interpretes, inter quos praesertim *Vinnius in instit. lib.* 4 *tit.* 6 §. 20 *num.* 1; *Voet comment. in pandectas tit. de famil. herciscunda cap.* 1 *num.* 8; *Peretius in institut. lib.* 4 *tit.* 6 *cap.* 3 *n.* 10; *et Daoyz summa jur. civilis tit. fam. hercisc. sub num.* 10. Igitur vel inspiciatur dispositio juris communis, vel in pretio habeantur leges neotericae, vel denique perpendatur qualitas clericalis Antonii, illud semper necessario consequitur, vicarium generalem tudertinum jurisdictione pollere ea definiendi quae in instantia diei 27 martii 1845 Antonius postulavit, ac proinde merito rejectam fuisse circumscriptionis querelam adversus instantiam eam ab illius fratribus promotam. Et ita etc. utraque etc.

Die 18 martii 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius De-Felice — D. Pontianus Desanctis.

Prot. 128/1845 R. P. D. PACCINELLI Decisio CIX.

Bononien. Circumscriptionis

Jovis 4 Februarii 1847.

Argumentum

De origine systematis hypothecarum — De simplicibus, et privilegiatis hypothecis — De privilegiis super mobilibus — De hypotheca privilegiata locatori tributa super fructibus rei locatae — De praelatione, et particulari creditorum concursu — De tribunalis collegialis competentia cum dubia sit illa judicis pedanei.

§ 1. Super corbibus tritici septem cum dimidio ultra decem, quae ex divisione cum Augustino et Virgilio Monesi, fundi dominis, de julio 1840 inita ad colonum Antonium Lolli pervenerant, in ipsa area certatim praeferri studuerunt tum ipsimet Monesi pro scut. 61 et obul. 33 ex recenti dispunctarum rationum cum colono syngrapha, tum Dominicus Zaccbini pro scut. 33 et obul. 40 agrorum colendorum gratia eidem Lollio suppeditatis vi privatae, licet archiviationi statim subjectae, cessionis litterae diei 8 februarii illius anni. Verum ex communi creditorum placito tunc frumentum relictum fuit penes conventionalem sequestrem Ignatium Landi quem exinde Monesi una cum Zaccbinio ac Lollio in jus rapuerunt apud bononiensem juridicum, ut hic prae altero creditore, licet antiquiore ac certo, sibimetipsis utpote locatoribus ob privilegium a jure ditatis decerneret « *competere il diritto, che a loro sieno rilasciate le dette corbe* 17 $^1/_2$ *di frumento* ». Sensit judex rem esse de privilegio definiendo deque peculiari inter creditores cognoscendo concursu, ideoque « *all' appoggio dei* §§. 291, 1141, 1287 *e* 1370 *ritenuta la propria incompetenza* » partes ad tribunal ablegavit. Tunc coeptum per ipsos Monesios idem judicium coram alteris Bononiae primae actionis triumviris, quorum jurisdictio fuit a Zaccbinio semel iterumque probata, licet sententiam huic amicam, quam Zaccbinius referre ac significare curavit, Monesiis inde provocantibus, prima appellationis aula plenissime revocaverit. Hinc ad Rotam itum a Zaccbinio, qui eodem tempore recursum habuit ad supremum nostrum Ordinem, ratus circumscriptionis gladio deleri posse omnia gesta coram utraque Bononiae instantia ex jurisdictionis defectu *ratione valoris litis*, quem de minoribus cogitavit. Attamen proposita hoc mane nullitatis petitione, eam Patres reprobandam duxerunt rescripto « *Nihil* ».

§ 2. Ex lege, qua modersmur, est *sub* §. 291 *numer.* 3 « ibi » *I tribunali civili conoscono, e decidono in prima istanza . . . .* 3. *Le cause di qualunque somma sia maggiore, sia minore di* 200 *scudi, ove si tratti di azioni ipotecarie, o relative al sistema dell' ipoteche, di graduatoria, di concorso generale, o particolare* ». Jamvero inter hypothecarias actiones vel equidem « *relative al sistema dell' ipoteche* », nec non « *di concorso particolare* » recenseri sine dubio ea quoque videtur, quam actores Monesi *ob pri-*

vilegium sibi ipsis utut fundi dominis ex lege competens super fructibus rei locatae instituerunt coram alteris Bononiae primi gradus subselliis, ita ut peculiarem pariter super tritici corbibus experti fuerint concursum. Praeter namque conventionalem sequestrem Landi ruentes praecipue Monesi in alterum creditorem Zacchinium, qui tertius est, petierunt, ut prae hoc ac quolibet alio coloni Lolli creditore, utut antiquiore ac certo, decerneretur eorum favore super frumenti traditione praelatio. Patet ergo ex petitione quae locatoris privilegium praeseferens in tertios principaliter potiusquam in debitorem directa fuerit, *de personali* minime, sed *de reali* actione ad hypothecarium regimen peculiaremque concursum pertinente fuisse actum, ita ut in ea definienda non jusdicentis, sed unius tribunalis ex recitatae praxis censura quaerenda foret jurisdictio.

§ 3. Reque vera privilegium, de quo meminit Monesiorum instantia, veteri tacitae hypothecae suffectum, ipsumque non aliud nisi privilegiatam modo continere hypothecam, juris quodammodo exploratissimi esse videtur. Ad hoc enim memoria praestat recolere priscis Romae temporibus nil praeter pignus cognitum, ideoque actione, quam tulit deque suo nomine dixit Servius praetor, locatorum indemnitati primum pro praediorum rusticorum mercede cautum fuit. Ad Servianae exemplum deinde inducta est a veterum jurisconsultorum ingeniis *quasi Serviana*, quae etiam utilis et hypothecaria appellata, creditoribus generaliter pignora et hypothecas expresse vel tacite, vel lege sibi devinctas persequi permisit, si sibi a debitore vel pignorum possessoribus haud satisfactum foret, *leg.* 1 *in princ. et* §. 2 *ff. de pign.*; *leg.* 1 *cod. de precar.*; *Vin. inst. tit. de act.* §. 7 *et sequ.*; *Grav. inst. juris recept. lib. IV de act.* §. 8; *Voet in pand. tom.* 3 *lib.* 20 *tit.* 4 §. 1.

§ 4. Hinc universi hypothecarum systematis fons, origo, quibus autem *privilegia*, quaedam *ex persona*, quaedam *ex causa* adinventa, *leg. privilegia* 157 *ff. de reg. jur.*, si tamen *personales* creditores, id est chirographarios *simplices*, excipias, *leg.* 9 *cod. qui pot. hab. in pign.*, *Loyseau offices lib.* 3 *cap.* 8, prorsus inservire debuerunt. Demptis enim casibus, ubi de cautione pignoris expresse conventum fuisset, *leg.* 7 *cod. eod.*, vel de funerum actum impensis, *leg.* 45 *ff. de relig. et imp. fun.*, nullam privilegia *in rem* actionem, in quam plus cautionis est, tunc peperisse tradit *Cujac. recit. solemn. ad leg.* 9 *cod. eod.* Attamen privilegium quoque reali interdum actione potitum est, quoties *ei tacitam* lex dedisset *hypothecam*, unde *simplicium, et privilegiatarum hypothecarum* nomen, discrimen, harumque *ex causa* super illis utut antiquioribus quia *ex tempore* metienda, potioritas, praelatio, ad textum *in leg. privilegia ff. de privil. credit.*; *Cujac. recit. solemn. leg.* 7 *cod. qui pot. hab. in pign.*; *Poth. ad pand. tom.* 1 *pag.* 573 *num.* 26; *Loyseau offices lib.* 3 *cap.* 8 *num.* 2; *nov.* 97 *cap.* 3. Ex quo fit ut jure quoque romano hypotheca fuerit privilegium, *Acosta de privil. credit. praelud. prim. num.* 7, *et privilegiata* insuper *hypotheca* initio super fructibus tantum qui in re locata nascerentur, locatori tributa; nam ejus privilegium *tacita* pro mercede *ex lege* muniebatur *hypotheca* super fructibus, *leg.* 7 *ff. in quib. causis pign. vel hypoth. tac. contr.*, quae dein ad differentiam urbanorum praediorum, *leg.* 4 *ff. eod. ad invecta et illata* quoque in rusticum fundum, si id nominatim convenisset, ampliata, *leg.* 1 *ff. de salv. interd. leg.* 5 *cod. in quib. caus. pign. vel hypothec. tacit. contrah.*, *Cujac. ad leg.* 4 *ff. de pactis*, ac demum ex doctorum sapientia ad eum quoque qui frumentum pro agri semine credidisset, jure merito prorogata. *Merlin. de pign. et hypoth. lib.* 3 *tit.* 1 *quaest.* 5 *num.* 46.

§ 5. Hanc privilegiorum, sive privilegiatarum hypothecarum ideam, quasi apibus romanae jurisprudentiae lilia delibantibus, placuit, at magno discrimine, quoque gallis, dum primum hypothecariam legem condere cogitarunt. Quare praeter *triplex* hypothecarum *genus* super immobilibus, inducta ab eis etiam quoad res mobiles et immobiles fuere *privilegiata*, sic dicta, *credita. Grenier in tract. de hypoth. tom.* 1 *part.* 1 *cap.* 4, *De Argentré ad art.* 94 *statuti Britanniae, et Loyseau offices lib.* 3 *cap.* 8 *num.* 88; quae *realia* habita, remque proinde ipsam afficientia *propter causam* praesertim *credendi*, tacitaque juris ministerio primaeva in ventre servata hypotheca praeferri ob id a lege meruere

creditoribus quoque hypothecariis, ceu patet *ex art.* 2095 *gallici codicis*, cui optime respondet nostra, qua adhuc moderamur, *lex sub* §. 60. Quod sane juris hypothecarii dogma confirmat textus *in art.* 2113 *gallici codicis et in* §. 101 *nuperae nostrae praxis*, in quibus sancitur, privilegia super immobilibus, quae interdum hypothecario indigent actu, extra terminum a jure definitum inscripta non ex hoc hypothecaria spoliari qualitate, quin imo quoad tertios haberi debere « *come semplici ipoteche legali* »; atque articulo formiter discusso sapientissime perpendunt *Troplong in tract. de privileg. et hypoth. cap.* 2 *ad art.* 2095 *cod. gallici num.* 24, *nec non ad art.* 2114 *loc. cit., et in Persil. in tract. de hypothecario regimine artic.* 2113.

§ 6. Quare nil mirum si tum gallus codex, si tum nostra quoque lex privilegia hypothecis aequando, ille tit. XVIII, haec autem tit. VII « *dei privilegi ed ipoteche* » pari jure inscripserit. Nil mirum pariter si utraque lex procul a modo quo privilegia et hypothecae contrahuntur, illa in has statuerit facile resolvi ob inscriptionem prorogatam. Nil denique mirum si una et altera jurisprudentia *sub artic.* 2180 *et in* §§. 75 *ac* 102, iisdem ferme modis, quibus privilegia et hypothecae extinguuntur, fundos quoque ab iis indiscriminatim dixerit liberari. Licet enim hypotheca prae solo privilegio rem ipsam apud tertios quoque sequatur, quia ipsi adhaeret, uti lepra leproso, *Cuman. in leg. privilegia num.* 8 *ff. de priv. credit.; Merlin lib.* 4 *tit.* 1 *quaest.* 36 *num.* 1 *de pignor. et hypothec., et Rota in decis.* 102 *num.* 4 *coram Rusconi*, nihilominus una et alterum creditori praelationem *ex tempore*, vel *ex causa* tribuendo apertissime ostendunt unam eamdemque qualitatem, quae *hypothecaria simplex* in illa, in hoc *privilegiata* a recenti lege fuit constituta. Ad rem *Merlin in suo dict. univers. jurisprud. vocab. privilegio art.* 1. Quocirca tum privilegiatum creditum a gallico codice sub tit. XVIII §. 2 art. 2102 num. 1 pro mercede aliisque locatori prae caeteris coloni creditoribus indultum, tum privilegium quod ejusdem favore et pari jure nostra adhuc vigens lex constituit *sub* §. 77 *num.* 5, nil aliud est nisi *privilegiata* ex nova jurisprudentia *hypotheca*, quam *illi romanorum cum privilegio tacitae* fuisse suffectam manifestissime edocent *Troplong. de privil. et hypoth. cap.* 2 *art.* 2102; *Merlin repert. univers. jurisprud. sub verbo* « privilegio di credito » *sect.* 1 §. 4 *in med., et Pothier Orleans tom.* 20 §. 9 *pag.* 861 *introd.*

§ 7. Caeterum prae judice non modo tribunalis jurisdictioni omnino subjiciebatur actio a Monesiis instituta, utpote quae locatoris privilegium respiciens dubio procul pertinebat ad hypothecarias illas, vel saltim « *relative al sistema delle ipoteche* », sed etiam quia actio ipsa amplexa fuit debitoris coloni peculiarem concursum super tritici corbibus. Reque vera ut creditor privilegiatus super re debitoris mobili vel immobili juxta diversam novorum jurium sanctionem vel privilegiato eredito vel privilegio uti atque ita praeferri valeat, opus est quidem alterius vel plurium creditorum super speciali ejusdem debitoris re excogitare et jus et credendi causam, veluti post *textum in leg.* 12 *cod. qui pot. hab. in pign., in inst. de act.* §. *fuerat, et in auth. de aequal. dot. coll.* 7, *edocet Merlinus de pign. et hypot. lib.* 4 *tit.* 1 *num.* 1. Quod adeo verum est, ut si *unius* creditoris in debitoris rem jus sarctum tectumque manet, jam de credito privilegiato vel de privilegio eorumque potioritate non erit amplius quaerendum ad textum *in leg.* 2 *ff. qui pot. hab. in pign.* « ibi » *Deficiente secunda conventione, secundus creditor in pignore postea dato non tam potior, quam solus invenietur.*

§ 8. Fontem itaque potioritatis vel praelationis merito jus gallicum *sub art.* 2094 *privilegium* dixit et *hypothecam*, cum in utriusque copulari tantum queat duorum vel plurium creditorum jus et credendi causa argumento, *leg.* 6 *cod. de bon. auct. judic. poss.* Id prorsus evenit in casu; super tritici corbibus enim creditor Zacchinius erat ex cessionis cum Lollio minus solemni, licet archiviationi subjecta, littera, creditores pariter ex dispunctarum cum colono rationum syngrapha, nec non ex locatorum privilegio erant et ipsi Monesii. Ab his ergo vix prae aliis creditoribus, qui totidem tertii sunt actorum respectu, vindicatum fuit privilegium seu potissimum jus super frumenti corbibus, ac illico de praelatione non modo certamen inductum, sed etiam peculiaris creditorum institutus concursus. Praelatio namque et con-

cursus inter se se ita cognatione quadam continentur, ut de ea sola quaestio per se jam faciat concursum supponere, quia de praelatione nonnisi in concursu creditorum ratio haberi valet ad tradita post textum *in leg.* 2 *ff. qui pot. hab. in pign. per Salgad. labyrint. credit. part.* 1 *cap.* 3 *num.* 9, *cap.* 11 *num.* 16 *cum seqq.*, *et per Zanch. de praelat. cred. in praefat. litter.* 2.

§ 9. Post haec nullius ponderis Patribus visa sunt quae Zacchinii orator in medium attulit de tenui litis valore ad causam minorem vindicandam, de defectu inscriptionis super mobilibus pro excludenda in casu privilegii actione hypothecaria, vel « *relativa al sistema dell'ipoteche* », ac tandem de extremorum deficientia juxta censuram §. 1498 *et seqq.* vigentis praxeos ad reprobandam concursus utpote particularis existentiam. *Ad primum* enim quod attinet, licet in facto compertissimum sit tritici valorem vix summam attingere scut. 37 et obul. 23, ea tamen in praesens pro definienda competentia in calculo haberi non potuit; judicis namque vel tribunalis jurisdictio non *a sola quantitate*, quae petitur usque quaerenda est, sed interdum *ex jure* quo ipsa quantitas efflagitatur, venit quoque metienda, *leg.* 1 *ff. si pars haered. petat.*, cui cohaeret dispositio *in* §. 291 *num.* 3 *nuperae legis*, quae modu definitur. Cum itaque locatores Monesii ex jure creditoris privilegiarii penes tribunal sibi ipsis prae aliis frumenti corbes vindicare studuerint, non est amplius de tritici valore inquirendum, sed de jure, quod innititur privilegio ad hypothecarium regimen pertinenti, quodque proinde tribunalis jurisdictioni omnino subjicitur, ad §. 291 *num.* 3 superius allatam sanctionem.

§ 10. Quoad vero *alterum*, ipsum facili pariter diluebatur responso. Facto namque discrimine inter legem de hypothecis inscribendis et jus ipsum hypothecarium, non ex eo, quod nupera praxis *sub* §. 94 gallici codicis ex necessitate sequuta vestigia in art. 2101 et 2107, privilegia super mobilibus inscriptione exempta statuerit, jure hypothecario proinde ea exclusisse dicendum est, sed ea privilegia servare voluit, ut erant *jure reali et causali* composita, ac inde procul a quavis inscriptionis necessitate. Absit ergo quodlibet aliud commentum; nam haec privilegia majori tantum favore agnovit utraque lex fore prosequenda, quia super mobilibus inscriptio cadere non poterat. Non est igitur favor in horumce privilegiorum odium retorquendus, *leg.* 6 *cod. de leg.*, nec licet adversus ea in argumentum trahere, quod propter necessitatem recipi debuerit. *Leg.* 223 *ff. de reg. jur.*

§ 11. In *postremo* tandem non longius erat immorandum, vix ubi nostrae judiciariae praxis adductus §. universalem respicit non particularem, de quo dicimus, concursum. Quidquid igitur de illo lex statuerit huic particulari accomodari non posse videbatur, et quoties aptari etiam posset, haud tamen res aliter sese haberet. Nam si debitor voluntarie frumenti corbes cesserit, eaeque veluti jam praetorio pignori subjectae ex communi Lolli et crediturum placito penes Landi sequestrem conventionalem, quem lex in §. 1237 nec vetat in coactiva executione, fuere relictae, jam patet omnes, procul a quavis legis fraude et aliena jactura, sed tantum ad parcendum sumptibus extrajudicialiter ea gerere voluisse quae in judicio forsan fuissent praemittenda si quis eorum dissentitus foret. Neminem enim latet juri suo, quod habet, unumquemque valedicere posse, cum praesertim actum sit de praeambulis formis, non de particularis concursus substantia. Sed nulla ex lege nostra praeambula forma vel solemnitas in judicio concursus particularis, quod satis superque ex jure coeptum esse videtur, vix ubi de praelatione quaestio instituitur; nam praelationis et concursus judicium unum et idem praedicat *Voet in pand. lib.* 20. *tit.* 4 §§. 10 *et* 12.

§ 12. Velit nolit ergo Zacchinius, de Monesiorum actione, utpote quae ad hypothecarium pertinet regimen, particularemque praesefert creditorum concursum, unum tantum tribunal ex nostra lege cognoscere poterat. Qui etiam juris canon sibi locum vindicare debebat quoties de institutae actionis natura dubium quodammodo foret per ea, quae jubet nostrae praxis scriptus §. 431 « ibi » *Quando apparisca dubbia la competenza de' governatori, o di altri giusdicenti sia per ragione della materia, sia per ragione della somma dovrà sempre ritenersi competente il tribunale civile* ». Ex quibus omnibus fit ut bononiensis juridicus primum ad ferendam sententiam super Monesiorum libello vocatus jure non injuria « *all'ap-*

poggio del §. 291 ecc. ritenuta la propria incompetenza » partes ad tribunal ablegaverit. Id quoque agnovit et Zaccbinius qui decreto acquievit, nullamque appellationem interponere curavit. Id pariter ipse melius facto suo deinceps comprobavit; nam instaurato a Monesiis eodem judicio coram secunda Bononiae primi gradus sectione, nullo sibi reservato jure, comparuit, judicium coepit, curavit ut causa in ordinariarum albo inscriberetur, ac tandem ut sibi amica diceretur, quam revera tulit significavitque, sententia. Id postremo Zaccbinius, Monesiis provocantibus solemniter confirmavit coram prima appellationis aula, licet haec in adversam ei abiret sententiam, vix ubi ad terminale usque decretum in judicio constitit, ac interea temporis voce, scriptis ac conclusionibus ultro professus est Monesiorum actionem respicere « *un privilegio sul grano, come creditori per colonia Lolli* », ac inde agi de cognoscendo « *la prevalenza delle azioni fra Zacchini e Monesi* », pro qua « *non era competente la giusdicenza civile, a cui erano da prima ricorsi i Monesi* » ita ut « *fù rimessa a termini del regolamento giudiziario al tribunale civile* ». Quare spernendus potius quam audiendus erat Zaccbinius actorum nullitatem urgens; nam hodie revoluto, uti ajunt, pallio, ac tot tantisque propriis factis posthabitis in alterius perniciem suum consilium mutare volebat, quaerebatque hac ratione, si fieri posset, iniquam alteri conditionem inferre, quod nemini licere tum naturalis ratio, tum nostra jura conclamant ad textum in *leg.* 76 *et* 77 *ff. de reg. jur.* Atque ita utraque etc.

« *Nondum reproposita* ».

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Joannes De Romanis.

Prot. 131 / 1846 R. P. D. LIPPI DECISIO CX.

SABINEN. CIRCUMSCRIPTIONIS SEU APPELLATIONIS ETIAM IN GRADU RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 25 Februarii 1847

Argumentum

De mandato a Ponente relaxato, etsi in rotali rescripto ejusdem expressa mentio deesset — De lapsu temporis, quo ex lege justinianea et pontificia jus dirimitur petendi restitutionem in integrum.

§ 1. Coita inter nonnullos provinciae Sabinae patricios, marchionem videlicet Simonetti, baronem Cappelletti, advocatum Pescetelli et Joannem Nardi societate de vectigalium, quae in ea provincia obtinebant, exactione, hanc ipsi anno 1802 a R. C. A. obtinuerunt, et usque ad annum 1809 veluti socii et in solidum obligati tenuerunt. Pontificiam namque ditionem cum Galli tunc temporis occupaverint, administrationi successit thesauri quaestor Janet, qui pro debito scutor. 29895 obul. 75 ex vectigalibus praeteritis nondum solutis manum regiam singulis sociis nunciavit. At quoniam adversus unum marchionem Simonetti institerit pro obtinenda hujus debiti satisfactione, caeteri socii omnium adversus Sabinae communitates creditorum exactionem ei cessere, qui postmodum eamdem cessionem obtinuit a R. C. A. ad totum aprilem 1814, nec non caeterorum ex restituta lege pontificia ad mensem usque augusti 1816.

§ 2. Hinc Simonettius praedictam adversus communitatem exactionem nonnullis commisit, atque ad eam perceptoriae « *di Palombara* » quod attinet, cuidam Vincentio Damiani. At istius decoctione dein obventa, judicium instituit Simonettius coram judicibus A. C., ut rescisso cessionis contractu, haud amplius Damianio, sed sibi tantum ad reliqui debiti solutionem peragendam communitates adstringerentur. Consonam petitioni sententiam retulit, quae in gradu appellationis confirmata fuit a Rotae auditorio, ubi proposito dubio cor. R. P. D. Tiberi « *An sit locus rescissioni, seu resolutioni contractus,*

ita ut cujus favore, et contra quem seu quos, et in qua summa sit relaxandum mandatum », rescriptum prodiit « *Affirmative in omnibus favore Hyacinthae et Laurae juxta modum, ad formam nempe sententiae A. C.* ». Marchio quippe vita functus interea fuerat. In hujus itaque reijudicatae executionem judicium, ut ajunt in specie, adversus communitates instituerunt filiae et haeredes Simonetti cor. A. C. Alberghini, qui ex lege leonina suffectus fuerat judicibus tribunalis collegialis primae instantiae pro obtinenda residui vectigalium crediti solutione. Plures ille judex pro marchionis haeredibus sententias edidit, quibus communitates acquievere, quatuor tantum exceptis *Palumbariae* scilicet, *Cretonis*, *Castri Claudati*, et *Stazzano*, quae apud supremum nostrum Ordinem actorum coram A. C. Alberghini gestorum circumscriptionem et causae remissionem ad s. boni regiminis congregationem petierunt. At perperam, quia haec earum postulatio rejecta fuit rescripto « *Nihil, et amplius* ».

§ 3. Quam post circumscriptionis et remissionis rejectionem, resumptis contra communitates judiciis coram pro A. C. Pales, ad petitam vectigalium solutionem damnatae ipsae fuerunt ea lege, ut earum favore detrahere cohaeredes Simonetti tenerentur quidquid legitime solutum probaretur. Ab hac sententia eaedem provocarunt, petitione apud supremum nostrum Ordinem proposita, ut appellatio in suspensivo etiam servaretur, atque in comitiis diei 29 julii 1830 rescriptum obtinuit « *dilata ad sequentem* ». Alia tunc postulatione communitates petierunt circumscribi sententiam latam die 2 maii 1825 ab R. P. D. Tiberi, in ea causa, quae cessionis contractus cum Damiano rescissionem spectabat, perinde ac si haec sententia a rescripto discreparet. Interea tamen reproposita priori postulatione super praedicta appellatione etiam in suspensivo, rescriptum fuit « *dilata, et reproponatur una cum altera super circumscriptione* ». Hinc post annum et ultra communitates appellationem etiam interposuere a priori jam dicta sententia coram R. P. D. Tiberi, atque respondenti exhibita commissione eamdem circumscriptionis postulationem renovarunt relate ad hanc sententiam, sin minus servari appellationem petierunt, et quatenus opus fuisset, etiam in gradu restitutionis in integrum; atque hac tertia petitione proposita in signatura diei 22 decembris 1831, rescriptum denuo fuit « *dilata* ».

§ 4. Ita se res habebant quum causae iterum siluere, quia Simonetti creditores impetum interea fecerant super ejusdem bonis haereditariis, ita ut res inter ipsos marchionisque filias componi debuerint, quod factum est, divisis dote materna ac bonis fideicommissariis a reliquis, atque impetrato etiam pontificio chirographo. Sed quoniam creditores ex bonis haereditariis omnia ipsis debita recuperare nequiverint, ad defuncti credita nondum exacta animum converterunt, inter quae recensebantur adversus memoratas communitates competentia. Quare post sexdecim annorum silentium quaestiones coram supremo nostro Ordine vertentes resumptae fuerunt, quae respiciebant appellationem in suspensivo servandam a sententia pro A. C. Pales super reijudicatae executione, circumscriptionem sententiae rotalis R. P. D. Tiberi, vel petitam ab ea appellationem etiam in gradu restitutionis in integrum. Sed appellatione in suspensivo quoad sententiam pro A. C. Pales in specie latam libenter a creditoribus per declarationem admissa, id inquirendum supererat, num locus esse posset circumscriptioni sententiae rotalis R. P. D. Tiberi, aut ab ea appellationi, vel restitutioni in integrum. Haec vero PP., communitatibus silentibus, diremerunt rescripto « *Quoad appellationem provisum per declarationem, in reliquis, nihil* », commisso mihi munere decisionis vulgandae.

§ 5. Et praeprimis circumscriptionis ratio deduci nequibat ex eo, quod Ponens R. P. D. Tiberi in decisione vulganda mandatum relaxaverit, licet istud in rotali rescripto deesset, perinde ac si absque jurisdictione factum hoc fuerit. Constat enim nunquam, vel rarissime rotalia rescripta mandati formulam expressam praeseferre, praesertim quando, prout in themate, praecedens sententia mandatum continens plenissime confirmatur. Reque vera quum non aliter praecedens sententia, quae mandatum contineat, confirmari plenissime possit, nisi istud pariter relaxetur, inde consequitur hoc in

casu mandati formulam implicite in rescripto comprehendi. Hinc quoniam in themate praecedens A. C. sententia mandatum continebat, et rotale rescriptum plenissime eamdem confirmavit, ceu ex ipso colligitur « *Affirmative in omnibus ad formam sententiae A. C.* », dici haud quaquam poterat sententiam ab R. P. D. Tiberi vulgatam a rotali rescripto quoad mandati relaxationem discrepasse. Accedebat in dubio coram Rota proposito mandati mentionem expresse factam fuisse his verbis « *An sit locus rescissioni, seu resolutioni contractus, ita ut cujus favore, et contra quem seu quos, et in qua summa sit relaxandum mandatum* ». Quare cum Rota rescripserit « *Affirmative in omnibus favore Hyacinthae et Laurae* », palam erat mandatum ipsi rescripto inesse, quia conciliari haec duo prorsus nequeunt, rescriptum scilicet dubio respondisse favore Hyacinthae et Laurae affirmative in omnibus, et mandatum in rescripto implicite non contineri. Secus enim rescriptum petitioni consonum haud fuisset. Caeterum in comperto erat mandatum esse necessarium sententiae consectarium, ut condemnationis effectus consequi victor valeat, et quum sententiae rotalis exaratio ad Ponentem spectet, ipsius est ea omnia in sententia comprehendere quae ad illam necessario referuntur.

§ 6. Neque ad nullitatem ingerendam opponi valebat citationis defectus ex eo quod in judicio contra Damianum instituto quoad solutionem non huic, sed Simonettio faciendam in jus vocatae singulae communitates haud fuerint. Istud enim judicium non communitates, sed Damianum dumtaxat spectabat, quum nihil adversus eas statui deberet, sed in genere tantummodo inhibendae essent, ne, quod reliquum solvere deberent, Damiano impenderent, ideoque nulla in ipsa citatione opus erat. Sed licet etiam citandae fuissent, quilibet tamen defectus senatus extitisset, semel ac ipsae comparuerint coram judice reijudicatae executore, et super crediti liquidatione viriliter jura sua deduxerint, quod evidenter probabat ipsas non modo praecedentis rotalis decreti scientiam habuisse, sed remjudicatam super solutione in genere acceptasse. Nec defensio tantum suscepta, sed appellatio etiam ab iis interposita a sententia in specie incompatibilis erat cum circumscriptionis querela quoad sententiam R. P. D. Tiberi. Scitum namque est, per defensionem susceptam et appellationem interpositam sanari quemlibet citationis defectum.

§ 7. Quemadmodum vero circumscriptioni, ita etiam appellationi a rotali sententia, aut restitutioni in integrum locus fieri nequibat. Quoad appellationem siquidem nulla aderat sententiarum difformitas, quum Rotae auditorium praecedentem judicum A. C. sententiam penitus confirmaverit, ita ut adfuerint binae conformes sententiae, quae praesertim leonino sub codice, remjudicatam costituunt. Quoad vero restitutionem in integrum obstabat prae primis lapsus temporis, quum res judicata ortum habuerit die prima julii anni 1825, atque in integrum restitutionem communitates petierint nonnisi anno 1830, ac propterea elapsum jam fuerit quadriennium, quod ex lege pontificia, et justinianea sufficit ad jus eam petendi dirimendum. Obstabat praeterea reijudicatae acceptatio, quae ex constanti Ordini nostri sententia impedimentum affert restitutioni in integrum concedendae, ac denique rei judicatae justitia, et extraordinarii beneficii inutilitas. Res enim judicata nil aliud constituit, nisi ut communitates non Damiano, sed Simonettio solvere tenerentur quod adhuc debuissent. Nulla igitur ipsis injuria irrogata fuit, quia si nil amplius ab ipsis deberi compererit, nil etiam Simonettio rependere cogentur; si vero reliquum aliquod debeatur, jure resjudicata prohibuit, quominus Damiano solutio fieret. Qua stante rei judicatae evidenti justitia, nullus fieri poterat locus extraordinario restitutionis in integrum remedio, quod sine aliqua legis violatione, aut praeteritione concedere jura non sinunt, praesertim quia ope appellationis in suspensivo ultro libenterque a creditorum coetu admissa in alio judicio in specie super solutione, viam habent apertam communitates se defendendi, et quodcumque excessum seu gravamen vitandi. Atque ita etc., coetu tantum creditorum jura sua deducente, decisum est.

Die 15 aprilis 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Paulus Savelli — D. Aloysius Cristofori.

Prot. 122/1846 R. P. D. LIPPI Decisio CXI.

BONONIEN. GRADUATIONIS QUOAD RESTITUTIONEM IN INTEGRUM

Jovis 25 Februraii 1847

Argumentum

Cum sententia graduatoria inter creditores hypothecarios aliquem collocaverit cui nullum erat jus hypothecae super fundo de cujus pretii distributione disputatum fuerat, cumque judices haud in ea pandiderint decidendi rationes, his de caussis restitutio in integrum postulatur.

§ 1. Tres extant in oppido Budrii prope Bunoniam domus ex provenientia, ex confiniis et ex januarum numero prorsus distinctae. Prima quippe posita in via « *della Sagrestia del Borgo* » fert numerum 204 ac confinium habet « *con la strada conducente alle mura, con i successori di Antonio Buriani, ed Antonio Bentivoglio, e con la Sagrestia del Borgo* »; altera numerum habens 55, aut 95 et in via « *del Santissimo* » extans adhaeret « *con la Chiesa del Santissimo e con la strada pubblica* »; tertia demum sita in oppidi via principe atque adhaerens « *alla via di S. Salvatore ed alla strada della Sagrestia del Borgo* » numero 262 distinguitur. Tres istae domus anno 1812 in Francisci Nannetti dominium pervenere, duabus prioribus acquisitis a Francisco China in vim instrumenti per acta Rovatti die 24 julii 1812 exarati, tertia vero ab Aloysio Delrio ex instrumento diei primae augusti ejusdem anni. Sed ad duas priores quod attinet venditor Franciscus China inscriptionem die 13 julii 1818 super eisdem suscepit pro residui pretii parte in summa scut. 1365 obul. 32 $^{1}/_{2}$, ceu patet ex ipsa inscriptione, ubi numerus, via et confinia describuntur superius memoratis plenissime respondentia. Atque hoc creditum et hypothecam dein cessit Aloysio, Abrabam et Mariae fratribus Lapi, nec non Josepho Barilari, ideoque inscriptio fuit in hypothecariis tabulis anno 1826 sub eorum nomine translata. Tertia vero domus hypothecae pariter nexui subjecta fuit favore Mariae Bentivoglio Babbini et Adelaidis Babbini in vi scut. 1121, obol. 69, 06, aes alienum a Nannettio erga easdem contractum.

§ 2. Ita se res habebant quum die 8 februarii 1840 Nannettius postremam hanc domum numero 262 distinctam vendidit Vincentio Candelieri pretio scut. 1600. Qui fundum ab omni vinculo redimere satagens juxta vigentis codicis §. 207 coram bononiensi civili tribunali singulos creditores in jus vocavit ut pretium, prout de jure, inter eos distribueretur, atque hoc in judicio comprehendit etiam dictos fratres Lapi ac Josephum Barilari, licet ipsorum hypotheca non hanc domum, sed duas priores afficeret. Ex quo factum, ut tribunal graduatoriam sententiam ediderit decidendi etiam rationibus destitutam, qua eos in tertia creditorum sede utiliter prae Babiniis, in quarta dumtaxat sede positis, collocavit, atque haec sententia ob terminos fatales inutiliter elapsos reijudicatae vires dein acquisivit. Sed cognita postmodum factorum veritate, Babiniae ad supremum nostrum Ordinem confugerunt restitutionem in integrum postulantes. Nec perperam. Hodiernis enim in comitiis PP., fratribus Lapi ac Barilario vadimonium deserentibus, rescripserunt « *De causis sine praejudicio reijudicatae etiam quoad refectionem expensarum* », commisso mihi munere decisionis vulgandae.

§ 3. Et merito quidem ex intrinsecis non solum, sed etiam extrinsecis rationibus ita decisum est. Quoad extrinsecum scilicet animadvertendum prae primis erat, non agi de propria re judicata ex binis conformibus sententiis constituta, sed de impropria ex appellationis tantummodo ob temporis lapsum peremptione manante, quod licet non sufficiat ad extraordinarium remedium concedendum, proniorem tamen nostrum Ordinem semper reddidit ad legis severitatem temperandam. Agebatur praeterea de sententia decidendi rationibus destituta in apertam violationem §. 598 vigentis praxeos ita concepti « *le sentenze definitive dovranno contenere . . . 4. le ragioni di decidere* ». Quae legis violatio justissimum fundamentum suppeditabat ut Babiniae in integrum restituerentur ex clara alterius §. 1059 dispositione « *la inosservanza delle forme prescritte dalle leggi di procedura potrà ritenersi dal tri-*

bunale supremo come violazione di legge all'effetto di accordare la restituzione in intiero 1. se non hanno dato le ragioni di dubitare e di decidere. 2. se le sentenze non sono motivate ». Quin moveret, quoad creditum et hypothecam hospitalis bononiensis prima in sede collocati datas fuisse decidendi rationes. Quum enim in graduatoriis judiciis non de unius tantum creditoris, sed de singulorum jure constare debeat ut rite quisque graduatus dici valeat, palam est non de uno dumtaxat credito, sed de singulis dandas esse decidendi rationes, quia secus lex semper violatur, quum omnium creditorum intersit, ut graduatoria sententia rite recteque expleatur. Nec relatio praecedenti opinamento a judicibus habita quoad caeteros graduatos efficere poterat ut implicite decidendi rationes adessent, quia lex eas in opinamentis aeque ac in sententiis exprimi jussit. Scitum enim est per aequipollentia suppleri non posse quae a lege pro forma requiruntur, quemadmodum in casu simillimo supremus noster Ordo definivit in *Ferrarien. restitutionis in integrum* 12 *maii* 1842 *cor. Ferlisi.*

§ 4. Quoad intrinsecum vero majora etiam urgebant, ut petita in integrum restitutio concederetur. Hoc enim beneficium semper competit quoties probetur manifesta rei judicatae injustitia, quae inter caetera juxta legis §. 1057 scateat « *dall'essersi rinvenuti documenti pubblici o privati, coi quali si provino fatti nuovi e decisivi* ». Jamvero plura a Babiniis afferebantur documenta quae reijudicatae injustitiam evidenter probabant, quia ex iis patebat fratres Lapi ac Barilarium nullo hypothecae jure frui super domo, de cujus pretio distribuendo agebatur, sed ipsorum hypothecam duas alias omnino diversas domos afficere. Ex novis siquidem documentis constabat hypothecam, ob quam ipsi graduati fuere, eamdem illam esse qua Franciscus China praecedenter pollebat ob reliquum domorum pretium haudquaquam a Nannettio solutum, ita ut in aperto esset distinctio ex domorum confinium, numerorum ac provenientiae diversitate.

§ 5. Et sane Franciscum China hypothecae vinculo subjecisse duas domos a se venditas eruebatur ex ipsius inscriptionis a Babiniis exhibitae tenore, in qua eadem confinia et numeri describuntur, quae quoad domos numeris 55 aut 95, nec non 204 distinctas exposuimus. Ita quippe in domorum indicatione inscriptio se habet « *altra casa posta entro il castello di Budrio nella strada detta la Sagrestia del Borgo, segnata numero* 204, *la quale confina con la strada che conduce alle mura, con i successori di Antonio Buriani, ed Antonio Bentivoglio, e la detta Sagrestia del Borgo - altra casa posta in detto castello nella via del Santissimo segnata numero* 55 *che confina con la Chiesa del Santissimo, e con la strada pubblica* ». Atqui domus de cujus pretii inter creditores distributione res erat, et super qua Babiniae hypothecaria inscriptione pollebant, a praedictis duabus prorsus discrepat quoad viam, confinium et numerum, quia haec « *fa fronte nella strada principale di Budrio* », adhaeret « *alla via di S. Salvatore ed alla strada della Sagrestia del Borgo* », numeroque 262 distinguitur. Nihil itaque inter hypothecam, de qua sermo est, atque postremam hanc domum commune esse poterat, praesertim quia distinctio etiam patebat ex diversa domorum provenientia per nova instrumenta a Babiniis allata. Duae scilicet priores ad Nannettium pervenere in vim contractus emptionis venditionis inter eum et Chinam die 24 julii anno 1812 celebrati, in quem postremum a Maria Jeunepha Mellonari translatae fuerant. Tertiam vero Nannettius ipse acquisivit die prima augusti ejusdem anni ab Aloysio Delrio, cujus pater eam emerat a praedicto China anno 1787. Nulla ergo fieri poterat inter duas priores tertiamque domum confusio, ita ut inscriptio quae illas dumtaxat afficiebat, huic extranea dicenda penitus esset.

§ 6. Neque utiliter objici potuisset graduationem jure factam fuisse ex eo quod de domo a communi debitore vendita ageretur. Hic enim non agebatur de creditoribus chyrographariis, inter quos fundi ad communem debitorem spectantis pretium distribuendum esset, sed de hypothecariis, quo in casu creditor nulla super fundo divendito, sed super aliis hypotheca suffultus graduari prae illis nequit. Ex quibus omnibus patebat fratres Lapi ac Barilarium, quibus nullum erat hypothecae jus super domo, de cujus pretii distributione disputabatur, nullo pacto in tertia creditorum sede prae Babiniis collocari potuisse quae speciali super hac domo hypotheca fruebantur, ac jure meritoque a re judicata, quae

adeo evidenti injustitia laborabat, restitutionem in integrum petitam fuisse. Atque ita etc. Babiniia tantum jura sua deducentibus.

Die 20 maii 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Petrus Proja.

Prot. 120 / 1846 R. P. D. ARNALDI DECISIO CXII.

BONONIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 25 Februarii 1847

Argumentum

Habes in Decis. CVI.

§ 1. Liberale judicium de statu filiationis in nobilem virum comitem Carolum Marsili Duglioli coram quinqueviris civilis collegii Bononiae, juxta ritum hisce in causis a lege praescriptum Alexander et Laurentius Gavasetti aliique litis consortes, postremo januarii die anni 1845 praemittendum curarunt, tamquam haeredes Paulae Mariae Fortunatae, ut haec eorum autrix, declararetur « *ch'era figliuola naturale del marchese senatore Francesco Manzoli* », reservato jure deinceps agendi pro vindicatione haereditatis paternae ad Paulam spectantis, cujus bona a comite Carolo, suis ab auctoribus occupata, detineri asserebantur. Contestata lite, rem adeo gravem cito prosternere comitis patronis venit in mentem, incidenti libello contrariis oblato procuratoribus, ut attento obitu Paulae ex anno 1719 decerneretur protinus « *ostare al proseguimento dell'incoato giudizio l'eccezione di prescrizione; e quindi ordinarsi che il giudizio stesso debba onninamente cessare* ». Et licet actores reconventionali dica insurgerent ne meritum princeps serio et gravi a lege praefixo ritu pertractandum per incidentiam absolveretur, contendentes cum examine illius, pondus exceptionis propositae cribrandum esse, nihilominus « *il tribunale incidentalmente pronunciando*, definivit, *ostare l'eccezione di prescrizione al giudizio promosso. E quindi dichiarò cessato lo stesso giudizio* ».

§ 2. Cum jam vero tribunal appellationis Bononiae, cui ob provocationem delata controversia fuerat ut sententiam ob injustitiam revocaret, eam tamen delcverit ex officio sine incidentali citatione ex normis praescriptis in §§. 793, 794 super nullitate, caussamque priori remiserit expressis verbis « *riunita l'eccezione di pretesa prescrizione al merito principale proceda alla decisione di questo con le regole prescritte dal vigente regolamento* » ob interjectam a comite Carolo querelam de nullitate bononiensis hujusce pronunciationis, in *comitiis diei* 28 *januarii* mox effluxi, ut pandit decisio ad eam diem a *rmo Decano* evulgata, resolutum fuit « *Circumscripta per viam nullitatis sententia tribunalis appellationis Bononiae diei 10 julii 1846 cum omnibus inde sequutis, ex defectu jurisdictionis, PP. UU. JJ. SS.* ». Verum ex legis monito ad trutinam resolutione revocata, re pensata maturius, a sententia recedendum esse *Patres* existimarunt rescribentes « *Nihil, et utatur jure suo* », patente aditu, si placeat, redeundi ad palaestram.

§ 3. Incontroversum enim extraque omnem dubitationis aleam esse patuit, unius provocationis praesidio ad judicem appellationis, jurisdictionem devolvi nedum de injustitia sententiae, verum etiam de nullitate cognoscendi. Et quamvis ex veteri jurisprudentia, etiamsi nulla in actu provocationis facta esset mentio nullitatis, ex officio judices proferre de ea judicium valuisse substineretur, nihilominus ex neoterica fori disciplina cautum est in §. 789 « *Le nullità delle sentenze pei tre difetti sostanziali non rimessi e non sanati, si propongono innanzi i tribunali di secondo, o di terzo grado, a cui si porta l'appello sul merito principale* ». Ac sequenti §. 793 « *L'eccezioni di nullità pei tre difetti sostanziali (non riservati al tribunale supremo) si propongono con istanza brevemente motivata* ». Jamvero tribunal appellationis cui ex provocatione plenum erat delatum jus de nullitate quoque judicandi,

si de hac pronunciavit omissa citatione, neutiquam de materiei, vel alio reservato supremo tribunali, defectu res est, sed de eo citationis defectu, qui in praesentiarum cum de inappellabili sententia haud agatur, in ulteriore provocationis gradu tribunali competenti, si placeat, deferendus sit.

§ 4. Plura siquidem et ingeniose cumulabantur a patronis comitis Caroli ut bononiensem sententiam ex insanabili materiei defectu maculatam adducerent, ideoque comprehendi in casu excepto et Signaturae justitiae reservato. Argumenta ex eo desumebantur, quod sine citatione materies deficiat; judices, etsi habitu, haud vero actu de deficiente subjecto esse posse judices, extraque petita jus inepte dicere. Veruntamen praecipue Patres animadvertebant reservationem ex §. 791 in eo consistere « *se il difetto riguarda la materia* ». Centiesque dictum insanabilem materiei defectum esse illum, cum judex in litis subjecto incapax prorsus sit, adeo ut de eo judicare nullo pacto valeat, prout scilicet statuunt decisiones supremi Ordinis in *Romana circumscriptionis et restitut. in integrum* 28 *julii* 1830 *cor. Grossi, Interamnen. circumscriptionis et restitut. in integrum* 17 *martii* 1840 *cor. eodem*, aliisque passim.

§ 5. Jam vero hujuscemodi prorsus exulabat inhabilitas; erat quippe in confessis quod si gesta fuisset illa citatio, facultas subjectum decidendi plene judicibus attinuisset. Invita ergo recta ratione asserebatur ex citationis illius defectu, materiei peccatum prorumpi, si de ea judicandi potestas erat; nec subjectum eximebatur absolute a jurisdictione. Eratque inopportunum, existente vera et germana causa nullitatis, nimirum existente defectu citationis, aliam longe diversam insinuare absoluti de materie defectus qui prorsus deficeret. Nam nullitates cum diversas origines habeant, attendi ea debet quae origo et radix fuerit, itemque certa et immediata, quaeque propria in actu nullo reperiatur, ad monita *per leg. qui id ff. de donat., leg. si pecuniam n.* 21 *ff. de cond. caus., in Romana caus.* 96 *n.* 11., *in Paris. caus.* 67; *Castell. controvers. lib.* 1 *cap.* 1 *num.* 9.

§ 6. Rursum quid de nullitate lex statuit perspiciendum est. Multo sane minus in themate subjectum a tribunalis appellationis jurisdictione poterat eliminari. Siquidem, juxta praeceptum illud a lege vadimonii ineundi, haud judici, sed parti imponitur « *l'eccezione* » quae quidem haud a judice, sed a litigatore datur « *con istanza brevemente motivata* » quae pariter judici, ut fundamenta noscat, exhibetur, haud a judice, cujus est proferre sententiam. Caeterum nulla est in dispositione prohibitio, quae potestati judicis adversetur ejusque adimat officium, ut ea ratione judex in radice carere jurisdictione dicendus, et nullitas ex insanabili defectu ratione materiae judicanda sit, verum potius formam in ordinatoria processus respiciens apud ordinarios judices sit proferenda, juxta hodiernae praxeos §§. 778, 788. Atque apposite distinguunt *supremi Ordinis decisiones Montis Falisci circumscriptionis* 29 *jul.* 1844 *cor. P. R. D. meo Lippi, et Romana circumscriptionis et restit. in integrum* 29 *februarii* 1844 *cor. me.*

§ 7. Et requidem vera, ubi absolute jurisdictionem, ab eaque abstrahere materiem omnino lex voluit, constat ex §. 982 « ibi » *i tribunali d'appello non potranno valersi delle facoltà loro accordate nei §§. precedenti, che sull'istanza della parte* » nimirum, si quid in anteriori judicio decisum haud sit, ut decidatur; item si accessiones, fructus, damna, post priorem sententiam obvenissent, velint obtineri. Ubi ergo lex voluit adimere potestatem dixit expresse, ubi tacuit noluisse dicendum, idque praesertim retinendum ad odiosam circumscriptionem respuendam.

§ 8. Extra chorum educebatur sive eliminatio potestatis, sive redditum fuisse judicium extra petita, ex §. 977 « *I tribunali di appello si ritengono come surrogati ai tribunali o giudici di primo grado. Ma non potranno oltrepassare i limiti dell'istanza proposta al primo giudice* ». Quid sane ad rem? Haud quaeritur utrum tribunal appellationis fines excesserit libelli principis, de quo actum est in prima sede judicii, sed an sententia incidens super nullitate, quae tribunali appellationis visa est scatere ex appellata sententia, nulla sit praedicanda ex defectu citationis quam incidenter lex jubet « *brevemente motivata* ». Deficit prorsus quod ultra petita in libello principe quidpiam tribunal decreverit. Dumtaxat de inci-

dente nullitatis pronunciavit, de quo nemo inficias ibit illud jurisdictione pollere. Quare inquirendum est de spretu ordinatoriae et ommissa incidenti dic a breviter concinnata, quam actu procuratoris efficiendam lex jubet praecitatis §§. 793, 794 *et seq. etc.*

§ 9. Cum igitur de defectu citationis agatur in ordinatoria processus praescriptae, irrito prorsus labore, magnoque auctoritatum acervo ea afferebantur principia « *quod in judicium deductum haud est judicis potestatem excedere - sententiam ultra, et extra petita non injustam modo, sed irritam declarandam* ». Ex bis quippe misso, quod in citationis defectu iusanum esset velle perscrutari quid ultra vel extra petitum sit; nam actu deficiente prorsus, valere plus aut minus nequit; profecto minime alia diversa assignari nullitas poterat, quam quae certa et determinata effulgebat, et materialis ac propria erat in medio, illa scilicet ex defectu citationis, quam inter alios substantiales defectus adnotavit lex in §. 779 « *la mancanza di citazione* », subjunxitque sequenti §. 789 proponendam esse « *innanzi i tribunali di secondo o terzo grado* ». Itaque inanis et elusoria dispositio legis fieri baud convenit, neque adimi tribunalibus facultas ea, quam legislator, plene cognitis atque perpensis indole et natura defectus citationis, et iis omnibus, quae de illo praedicari potuissent, nihilominus tribuendam censuerit. Explanata quidem et aperta res est appellationis tribunal quod sententiam irritaverit, eo quia absque dubiorum prolatione dicta fuerat, si jurisdictionis vitio vertenda sit pronunciatio, ex hoc uno omissae citationis incidentis defectu dici posse, qui tamen nonnisi post remjudicatam supremo nostro Ordini esset adducendus, si tamen res adeo esset integra ut de eo judicari posset.

§ 10 Tandem aequa lance pensata objecta altera nullitate, qua de defectu jurisdictionis criminabatur appellationis judicum sententia ob editam ad primos judices ablegationem cum lege ut « *riunita l'eccezione al merito procedessero con le forme prescritte dal vigente regolamento* », inventa est minus babens. Est enim tribunalium appellationis ea peragere omnia, quae tribunal primi gradus agere debuisset; atque ipsis ex §. 777 facultas vel etiam inest « *di conoscere e giudicare l'eccezione unitamente al merito della causa* ». Non ergo quod defuerit jurisdictio, vel usurpata sit aliena dicendum est, sed potius quaerendum an bene, vel male hanc esse perficiendam unionem imperatum sit; uam quod potuisset id efficere simili modo, quemadmodum a tribunali primi gradus fieri debuisset, lex debet arbitrium. Neque ex eo libertas adimebatur judicandi de causae merito, prout pro conscientia aequum justumque tribunal putasset, sed quod ex nullitate derivabat exceptionem praescriptionis esse cum merito ventilandam; qua quidem in re nullus jurisdictionis defectus notandus, sed potius an juste jussum est, percipiendum.

§ 11. Rursum cum adamussim deleretur sententia, quia sine prolatione dubiorum a merito causae disceptatum fuerat exceptionis examen, virtualiter et tacite inerat dispositio, ut videlicet cum merito causae examinanda esset exceptio. Jam vero, expressio eorum quae insunt tacite, nullo in pretio baberi debet tamquam nil operans, nec attendi magis quam ipsa evulgata resolutio. Postremo in illa clausula « *procedessero con le regole della vigente procedura* », se tamquam in tuto recipit pronunciatio, et idcirco piaculum appellationis tribunali de boc fieri non oportet, cui potestas a lege est, circumscripta sententia, ad tribunal primum ablegandi causam, si adjiecerit quod procederet ad formam juris.

§ 12. Reliqua insectari supervacaneum est de adbibita enunciatione in sententia, circumscriptionem decretam esse ex officio. Eam enim absque peracta citatione emanatam fuisse, nemo est qui in quaestionem adducat. Et ita etc. utraque etc.

(Vide Decis. CVI.)

Die 15 aprilis 1847 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Petrus Aloysius Briganti.
D. Raphael Borghi.
D. Petrus Proja.

ROMANA UNIONIS CAUSARUM

Jovis 25 Februarii 1847

Argumentum

Agitur de causarum unione, quarum altera solutionem respicit collybi tesserae, altera usurariae pravitatis implexam exceptionem.

§ 1. Duplicem collybi singrapham, seu verius « *biglietto all'ordine* », labente anno 1846 favore Eugenii Lucidi in urbe obsignavit Ægidius Maria Querciola, alteram nimirum scutorum *sexaginta supra centum* ad diem 18 octobris ejusdem anni rependendam, atque alteram scutorum *quatuorcentum sexaginta novem et obol.* 50 ad diem quartam insequentis mensis extinguendam. Utraque autem ejusmodi tessera ex Eugenii primum cessione, sive « *girata* » in Aloysium Gommi migravit, et ab Aloysio postea in negociatorem alterum Moysem Vitalem Piazza solemni ritu fuit translata ob « *valuta avuta in merci* ». Quod ad primam attinet, re absolutissima judicata mercatorii urbis Collegii tum Ægidius, tum Eugenius, tum Aloysius perculsi pecuniam Vitali debitam facile quidem rependerunt. Quod vero ad alteram, ad ejusdem solutionem, si fieri posset, remorandam, ordinarium adversus eum judicium coram praesulis urbis Vicesgerentis auditore sub die 17 novembris superioris anni Ægidius instituit, ac blaterans utramque syngrapham fuisse ab eo traditam Aloysio Gommi « *con girata in bianco del signor Lucidi* », ut aliquem inde earum reperiret emptorem, et ab Aloysio reapse in Moysem fuisse translatam pro argenteis dumtaxat decem supra quadrigentum, « *percependo in tal guisa lo stesso citato Piazza a titolo di usure l'esorbitante somma di scudi* 219, 50 », declarari petiit « *che costa dell' usura nella somma di scudi* 219, 50 », adeoque renunciari « *infetto di pravità usuraria il contratto stesso, e non esser tenuto l'attore al pagamento di detta somma* ».

§ 2. Una vero eademque die oblationem nedum realem reliquae summae scutorum biscentum et quinquaginta Vitali peregit Ægidius, verum insuper coram eodem judice institit, oblationem hujusmodi validam ac legitimam declarari, atque oblatae summae depositum decerni « *a rischio e pericolo del citato senza alcuna cura e responsabilità dell'istante* ». Quibus sane vadimoniis vix acceptis coram mercatorio urbis collegio singulos debendi reos, tam Ægidium scilicet, quam Eugenium et Aloysium insequenti die appellavit Moyses, solidalem eorum condemnationem et integrae summae scut. 469 et obol. 50 solutionem urgens. Nulla vero interposita mora, atque hujusmodi judicio vix contestato, recursum ad Ordinem nostrum interposuit Ægidius, mercatoriam controversiam avocari et conjungi postulans cum judiciis caeteris coram R. P. D. Vicesgerente antea institutis; quam tamen abnormem ejus petitionem hodie propositam ab omni procul cunctatione Patres rejecerunt rescripto edito « *Nihil de unione* », datoque mihi munere decisionis vulgandae.

§ 3. Nec secus quidem fas erat rescribere, donec praxeos leges, quibus in praesentiarum regimur, in honore manent. Missa enim etiam indagine, utrum nec ne mercatoriae causae cum civili judicio conjunctio apud Ordinem nostrum posset urgeri, qua desuper re acris adhuc fervet in foro contentio, veluti recens testatur decisio cui titulus *Ferrarien. unionis causarum 14 januarii labentis ab R. P. D. meo Ferrari* edita, et ad trutinam adhuc revocanda, illud vere peremptorium ad petitam rejiciendam unionem urgebat in themate, quod nedum exequutivum, verum expeditissimum etiam suapte indole erat solutionis judicium apud mercatorios judices ab Ægidio institutum, tamquam collybi tesserae innixum, sive « *biglietto all'ordine* » (cui eadem in commercio privilegia sunt, teste *art.* 181 *merc. cod.*), dum judicium e contra alterum super praetensa pravitate usuraria, unde pedissequa oblationis realis pendebat contentio, ab Ægidio propositum, et ordinarium et salebrosum erat, et mercatoriae tesserae solutioni remorandae omnino impar.

§ 4. Nil enim antiquius ac provulgatius habetur in foro, quam implexas, altiorisque

indaginis exceptiones id genus, laesionis scilicet, nullitatis ac foeneratitiae pravitatis, potissimum si ab ipsomet obligationis ventre, ceu pragmatici inquiunt, haud dimanent, nunquam prorsusque nunquam exequutivum solutionis judicium remorari, vel intercipere, cum eoque conjungi ullatenus posse; sed in congrua atque omnino sejuncta judicii sede proponi eas oportere, veluti millies firmavit s. Rota, ac videre est in *Romana pecuniaria* 6 *martii* 1815 §. 10 *cor. Bussio, in Romana pecuniaria* 4 *Febr.* 1824 §. *fin. cor. Martinez, in Romana pecuniaria* 25 *junii* 1827 §. 5 *cor. Spada, et in Reatina consignationis* 20 *junii* 1831 §. 6 *cor. emo De-Cursiis.* Quo sane vulgatissimo praxeos dogmate firmo atque immoto manente, fieri prorsus salva nequibat justitia, quod ejusmodi judicia suapte indole adeo distincta et sejuncta, una simul hodie conjungerentur. Nil enim repugnat, sed recto imo judiciorum ordini congruit, quod usurariae pravitatis exceptione omnino posthabita, controversae tesserae solutionem in exequutivo ac mercatorio judicio a Moyse instituto tum Ægidius, tum caeteri ejus debendi rei implere eogantur; atque usurarum c contra repetitionem, si victor forte ex ordinario foeneratitiae pravitatis judieio discedat Ægidius, adversus Moysem sibi valeat is vindicare, quod unum aedepol quodlibet pugnantium sententiarum periculum a proposita contentionis thesi penitus removet.

§ 6. Eo autem fortius rejici omnino mereri propositam unionis petitionem Patres censuere, quum ex integro rerum contextu evidenter undique erumperet, non aliter quidem nisi ad expeditissimum mercatorii judicii exitum intercipiendum, recursum hujusmodi fuisse ab Ægidio interpositum. Initio enim licet a majo usque mense superioris anni controversam tesseram is assignasset, non antea tamen foeneratitiae pravitatis institnit judicium, nisi post diuturnum mensium fere septem silentium et post illius solutionis diem jam adventam, ac pridie solum, quam exequutivam actionem adversus singulos debendi reos coram mercatorio collegio proponeret Moyses; dum in jugi e contra adeo temporis spatio ordinariam usurarum causam ad exitum facile potuisset etiam ipsemet perducere, si contractu vix inito, illius nullitatem ac foeneratitiam pravitatem protulisset in medium. Praeterea non alios quidem asserti foenoris testes adduxit Ægidius, nisi Eugenium et Aloysium, qui tamquam ejus debendi rei et a Moyse reapse in solutionis judicio vocati, dum Ægidio favere studebant, in proprium etiam commodum testimonium ferebant, quo sane nihil absurdius. Quibus demum ipsius etiam Ægidii cura et sollicitudo accedebat in unionis recursu ad Ordinem nostrum interiiciendo, mercatorio vix instituto judicio; quae sane cuncta una praesertim simul juncta luculenter suadebant, non alio reapse ejusmodi tendere petitionem, nisi ad expeditissimi hujus judicii cursum remorandum, eoque proinde etiam ex capite rejici eam prorsus mereri, ita ferente sanctione apertissima §. 1052 *num.* 4 *vig. cod.* Et ita etc. utraque etc.

Die 15 aprilis 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Christophorus Tuccimei — D. Philippus Maria Guarnieri.

Prot. 56 / 1846 — R. P. D. VICI — Decisio CXIV.

Maceraten. Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 25 *Februarii* 1847

Argumentum

Adversus remjudicatam quae absolvit quaestionem in specie, *petitur restitutio in integrum vi exceptionis respicientis aliam remjudicatam ortam super eadem controversia* in genere — *Disputatur interim de ratae commodi retentione favore emphyteutae, et de modis eamdem metiendi.*

§ 1. Usque ab anno 1778 Franciscus aliique fratres Meugoni in emphyteusim perpetuam acceperant a municipio Montis Cassiani praedia quibus nomen *Cascia et Rota,*

annuo statuto canone scutorum quindecim supra mille. Vulgatis paulo post legibus super publici census confectione, *distinctim* ac *separate* praediorum eorumdem *dominium directum* scilicet, atque *utile* fuit inscriptum in censuariis tabulis, primo eorum directo videlicet, scutorum 23823, 58, alteri nempe utili scut. 326 tributo valore. Bonis deinceps ad municipia spectantibus ad R. C. Apostolicam adjudicatis, atque anno 1801 vulgatis legibus super solutione intributionis vulgo *dativa*, ac super modo quo inter emphyteutas ac dominos directos foret eadem dividenda, illico fratres Mengonii institerunt coram sacra Congregatione boni regiminis, ad hoc ut reintegrationem consequerentur pro parte ea soluti vectigalis quae juxta normam a citatis legibus praefinitam dominium directum afficiebat. Quam tamen reintegrationem, etsi a sacra Congregatione boni regiminis decreta fuisset, attamen obtinere a R. C. Apostolica Mengonii nunquam potuerunt eo quod ipsa existimavit reintegrationi illi adversari pacta in emphyteusi conventa.

§ 2. Plures post annos directum dominium praediorum *Cascia* et *Rota* in marchionem Pallavicinium devenit titulo venditionis factae a R. C. Apostolica. Hinc cum Pallavicinius judicium instituisset coram tribunali primarum actionum Maceratae pro solutione canonis adversus Mengonios, hi illico exceperunt retentionem ratae commodi, et quamvis tribunal illud jus tantum servaverit Mengoniis in congrua judicii sede retentionem eam expostulandi, attamen judices provocationis dum solutionem canonis decreverunt, in suspensum tamen reliquerunt « *la somma di scudi settecento corrispondente alle imposte prediali pagate dai rei convenuti nell'anno scorso* ». Tunc Pallavicinius egit adversus R. C. Apostolicam pro liberatione a molestiis, quibus ab ea susceptis, diuturnum atque acerrimum exarsit litigium primum coram tribunali plenae Camerae a quo Mengonii retentionem ratae commodi fuerunt iterum consequuti, et deinceps apud sacram Rotam vv. oo. dd. ad quam in vim pontificii rescripti ablegatae fuerunt controversiae omnes super retentione ratae commodi ab emphyteutis adversus dominos directos tam promotae quam promovendae.

§ 3. Disputatum hinc primum coram eo sacro Ordine fuit super eadem *retentione in genere*, ac post binas editas decisiones ab R. P. D. Muzzarelli rejudicata definitum fuit « *esse locum retentioni favore fratrum Mengoni ratae commodi a die* 19 *martii* 1801 *pro summa liquidanda quoad bona sita in Monte Cassiano in vocabulo Cascia et Rota ab eisdem retenta in emphyteusim perpetuam* ». Opus quapropter fuit fratribus Mengoni judicium alterum instituere *super liquidatione*, ac binis sententiis rotalibus ab eodem R. P. D. Muzzarelli et a reverendissimo Decano signatis, proindeque in vim alterius reijudicatae constitutum, esse locum liquidationi juxta modum in decisionibus expressum, nempe quod in ea « *debeat haberi ratio valoris, qui directo dominio fundorum Cascia et Rota fuit adscriptus, nec non dativae, caeterorumque realium, non tamen personalium vectigalium* » ceu apparet ex sententia a reverendissimo Bofondi vulgata. Tunc R. C. Apostolica recursum ad supremum nostrum Ordinem interposuit pro circumscriptione utriusque reijudicatae, vel saltem pro restitutione in integrum adversus easdem. Mengonii tamen *moderationem recursus* expostularunt *quoad primam remjudicatam*, eamque obtinuerunt *in comitiis diei* 17 *decembris proxime praeteriti*. Reliquum erat ut R. C. Apostolica extraordinaria eadem remedia experiretur quoad alteram remjudicatam *super liquidatione in specie*, quod evenit in hodiernis comitiis. Patres tamen illius petitioni responderunt « *Nihil de circumscriptione et restitutione in integrum* », munere mihi dato vulgandi decisionem.

§ 4. Ad *circumscriptionis* nempe *querelam* quod spectat, eam R. C. A. oratores desumebant ex obitu nonnullorum ex fratribus Mengonii sequuto pendente liquidationis judicio, qui sane obitus cum nunciatus nunquam fuerit C. Apostolicae, delenda esse clamabant omnia acta post obitum eumdem expleta, vel quia gesta nomine eorum qui jam diem extremum viderant, vel quia gesta a procuratore jam constituto absque speciali procurae mandato ejus favore signato a fratrum defunctorum filiis et haeredibus. Ast Patres facile senserunt neutrum ex iis circumscriptionem in praesenti controversia secumferre. Etenim ea punctim ratione, quia mors fratrum defunctorum C. Apostolicae

nunciata nunquam fuerit, acta cuncta deinceps eorum nomine gesta a procuratore jam constituto uti valida habenda fore jubet §. 905 *codicis gregoriani*, in quo statuitur « *gli atti anteriori alla denuncia saranno validi abbenchè sieno fatti col nome del defonto* ». Quod deinceps rite etiam acta eadem gesserit procurator jam constitutus novo haeredum mandato minime praeditus adparet ex §. altero codicis illius, nempe ex §. 787 *n.* 2.

§ 5. In eo quippe sancitur « *È sanato e rimesso il difetto di mandato per qualunque atto positivo anteriore alla querela di nullità da cui risulti la ratifica a termini del comun diritto* ». Atqui filii et haeredes fratrum Mengoni, nempe Laurentii, Paschalis et Michaelis speciale favore advocati Pantaleoni mandatum signarunt, et inter documenta a R. C. A. exhibita comprehendebatur ad recipienda argentea 4000 in sequelam judicii liquidationis, atque in vim decreti rotalis a Camera persolvenda; quod sane mandatum signatum fuit *die* 15 *februarii* anni 1846, ac proinde ante recursum ad supremum nostrum Ordinem ab illa interpositum *die tantum* 20 *mensis ejusdem*. Ergo quicumque mandati defectus ex solemni eo actu sanatus *ex censura* §. 787 *num.* 2 utique fuit, neque hinc fieri poterat omnino ut circumscriptionis gladio delenda foret resjudicata, cujus nullitatem secumferre nequaquam poterant querelae adversus illam a R. C. A. excitatae.

§ 6. Neque secus sentiendum *de extraordinario restitutionis in integrum remedio* adversus remjudicatam eamdem a Camerae oratoribus implorato. Cum nullum documentum nunc primum ab ipsis exhiberetur quod illius injustitiam demonstraret, totum defensionis robur ponebant in violationibus legum, in quam remjudicatam incidisso autumabant. Earum primam desumebant *ex leg.* 10 *ff. de regulis juris*, et in qua statuitur « *secundum naturam esse commoda cujuscumque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda* ». Hinc cum dominium praediorum *Cascia* et *Rota* iterum anno 1803 in municipium Montis Cassiani, et deinceps gallis imperantibus in demanium transmigraverit, ac nonnisi anno 1815 ad dominium idem redierit Camera Apostolica, iniquitatis manifestae accusabant remjudicatam, quae Cameram damnaverat ad reintegrationem ratae commodi favore fratrum Mengoni ab anno 1801 usque ad praesens.

§ 7. Animadvertebant tamen Patres tempus a quo reintegratio eadem erat explenda minime statutum fuisse *in rejudicata super liquidatione in specie*, et de qua tantummodo hodie quaeritur, *sed in anteriori rejudicata* in genere, quaeque punctim decrevit « *esse locum retentioni favore fratrum Mengoni ratae commodi a die* 19 *martii* 1801 ». Extranea hinc erat a praesenti controversia exceptio, quae respiciebat tantum remjudicatam in genere, cujus validitas vindicata fuit in comitiis 17 decembris anni praeteriti, et in quibus moderatus fuit recursus tam circumscriptionis, quam restitutionis in integrum adversus eam a Camera interpositus; nefas hinc fuisset restitutionem in integrum tribuero adversus remjudicatam in specie in vim exceptionis quae respiciebat tantum remjudicatam in genere, quaeque exceptio jam nullo in calculo habita fuit.

§ 8. Alteram legis violationem eruebat Camera Apostolica *ex modo* quo reintegratio ad retentionem ratae commodi fuit a rejudicata fratribus Mengoni indulta, nimirum respective *ad dominium directum* potiusquam *in decima parte canonis* juxta leges pontificias, vel *in quinta* juxta leges gallicas. Contra tamen legibus ad retentionem ratae commodi relativis sedulo a Patribus perpensis nihil ab ipsis devium inventum fuit in modo a rejudicata constituto. Etsi namque *motus proprius pianus diei* 19 *martii* 1801, dum generatim §. 18 jussit, quod solutio dativae realis « *dovrà ripartirsi fra il dominio diretto ed il dominio utile pro rata commodi, che ciascuno ritrae dal fondo enfiteutico* », nullam certam ac determinatam methodum constituit, qua hujusmodi partitio foret explenda.

§ 9. Quamvis deinceps *in lege edictali* 13 *martii* 1803 *ab emo Borgia* lata, methodus ea praefinita fuerit, ac primum in *art.* 2 emphyteutis jus tribuitur decimam partem canonis retinere pro reintegratione vectigalis quod afficit directum dominium, attamen in subsequenti *art.* 3 illico subjungitur « *una tal regola però non avrà luogo in quei*

terreni enfiteutici, il valore capitale dei quali già si trova diviso e ratizzato nei rispettivi nuovi catasti », in quo sane casu lex eadem jussit retentionem ratae commodi in decima parte canonis emphyteutis minime competere, sed « *tanto il padrone utile che il padrone diretto dovranno pagare all' erario camerale la dativa reale in ragione del rispettivo estimo, che a ciascuno di essi si trova attribuito ed allibrato nei surriferiti nuovi catasti* ».

§ 10. Haereri autem nullatenus valet, et ex pluribus constat documentis, directum dominium praediorum *Cascia* et *Rota* in censuariis tabulis *distinctim ac separatim* ante legis illius promulgationem inscriptum fuisse a dominio utili, atque primo tributum valorem scutorum 23823, 58, alteri valorem scut. 326. Igitur minime injuste atque adversus legum censuram, sed aequissime atque juxta normam a legibus praefinitam resjudicata constituit portionem dativae a Camera Apostolica persolvendam, tamquam praediorum eorumdem domina directa, et metiendam punctim esse juxta valorem dominio directo in censuariis tabulis tributum, ac minime in decima canonis parte a Mengoniis persolvendi.

§ 11. Neque eo quod resjudicata in genere retentionem ratae commodi Mengoniis concessit « *ad formam legum in summa liquidanda* », recte objiciebat Camera Apostolica adversus eam peccasse remjudicatam in specie, veluti ac si illa absolute imperaverit ratam commodi statuendam fore juxta dispositionem tantum legum earumdem, in qua jus emphyteutis datur ratam commodi retinere *in decima parte canonis*. Ponderandum namque primitus erat, utrum nec ratae commodi liquidatio uno potius modo quam altero foret perficienda, utrum in judicio liquidationis unus potius legis articulus, quam alter spectandus fuisset, et an reapse resjudicata in genere methodum potius unam, quam alteram, et ab ipsis omnino amplectendam denotaverit judicibus liquidationis. Controversia erat potius facti quam juris, et cujus resolutio ab judicum liquidationis arbitrio atque voluntate pendebat. Hinc nunquam restitutio in integrum concedi poterat adversus id quod definitum ab ipsis fuit ex duplici ratione. *Primum* quia in facti quaestionibus vetant *neotericae leges in* §. 1058 extraordinarium remedium illud posse impertiri nisi ex documentis noviter exhibitis, neque Camera documentum ullum hodie primum afferebat, quo demonstraret modum potius unum quam alterum et a judicibus liquidationis tenendum fuisse a rejudicata in genere imperatum; *secundo*, quia in re conjecturali, quaeque pendet a magistratuum arbitrio et voluntate, nunquam dari valet manifesta iniquitas, ac proinde neque in integrum restitutio adversus id quod ab ipsis fuit statutum ac definitum, uti centies statuit *supremus Ordo noster*, ac praesertim *in Ariminen. restitutionis in integrum* 19 *decembris* 1833 *cor. Alessi, in Reatina restitutionis in integrum* 17 *augusti* 1837 §. 11 *cor. Grossi, et in Forolivien. restitutionis in integrum* 19 *julii* 1838 §. 10 *coram eodem.*

§ 12. Ponderandum rursus nunquam praesumendum fore, remjudicatam in genere modum certum atque invariabilem statuisse a judicibus liquidationis omnino servandum; id namque abhorret ab expressionibus quibus usa fuit; etenim dum generatim constituit liquidationem expleudam fore « *ad formam legum* », abstinuit tamen a lege speciatim vel a peculiari illius articulo denotando, et a demonstranda speciatim methodo, quae servanda necessario fuisset in liquidationis judicio. Denique objectum Rev. Camerae penitus dirimebat justitia reijudicatae in specie, quae juxta superius demonstrata, legum punctim sanctionem sequuta fuit in liquidatione peragenda, a qua discedere leges ipsaemet eamdem prohibebant. Quapropter ne suspicandum quidem quod resjudicata in genere dum liquidationem statuit ad formam legum, modum e contra a judicibus liquidationis servandum jusserit a legibus ipsis penitus reprobatum.

§ 13. Neque ratae commodi liquidatio in decima canonis parte erui valebat ex *nonnullis expressionibus in decisionibus adhibitis* quae remjudicatam in genere praeiverunt. Etenim cum expressiones illae pugnent cum integro decisionum contextu, ac potius extensoris calamo tribuendae sunt quam voluntati ac menti sacri illius tribunalis, illud deinceps peremptorium accedebat, mentem ac voluntatem tribunalis depromendam fore e

contra a responsis datis ad proposita dubia atque a sententiis, quae sane, ceu jam probatum fuit, sese penitus abstinuerunt a praecisa methodo denotanda quae in ratae commodi liquidatione servari deberet. Absit idcirco ut methodus ea erui valeat ex verbis nonnullis in decisionibus fortuito prolapsis.

§ 14. Multo minus denique resjudicata in specie iniquitatis incusari poterat, quia retentionem ratae commodi Mengoniis tribuit non modo pro contributione vulgo « *dativa* », sed *pro caeteris etiam vectigalibus realibus.* Nulla namquo suberat ratio ob quam dum R. C. A. ad solutionem tenetur intributionis illius correspective ad dominium directum sibi competens super praediis *Casciae* et *Rota*, absolvi e contra debeat a solutione caeterorum *vectigalium realium.* Profecto si leges dativam, *quae praedia afficit*, a domino directo persolvendam fore statuerunt in correspectivitatem directi dominii, atque ob commoda et utilitatem quam percipit a canonis perceptione, eodem modo ad solutionem caeterorum vectigalium ipsum teneri pro certo habendum est, quae praedia eadem afficiunt, quaeque etiam ex justitia inter emphyteutam et dominum directum dividenda sunt juxta commodum et utilitatem quam ex praediis ipsi percipiunt, et respectivo ad dominium quo super iis potiuntur. Ubi enim eadem militat ratio, Idem etiam judicium ferendum esse statuit noster Ordo *in Mutinen., seu Bononien. moderationis appellationis* 25 *augusti* 1825 §. 6 *cor. Grossi, et in Romana solutionis fructuum super unione causarum* 1 *junii* 1826 §. 4 *cor. emo Marini.*

§ 15. Igitur cum res judicata super liquidatione in specie adversus leges nequaquam peccaverit, quin imo quidquid ab ea statutum fuit super rata commodi a Mengoniis retinenda justitiae, aequitati et legum sanctioni penitus cohaereat, rite recteque restitutio in integrum fuit a supremo Ordine nostro denegata. Et ita utraque parte strenue dimicante jus redditum fuit.

Die 15 aprilis 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Antonius Pagnoncelli — D. Petrus Proja.

Prot. 123/1846 R. P. D. FERRARI Decisio CXV.

Lauretana Unionis Causarum

Jovis 25 *Februarii* 1847

Argumentum

De unione judicii exequutivi cum ordinario — De pendentia litis — De judicis praeventione.

§ 1. Intestatae equitis Francisci Massucci haereditati successerunt aequis partibus comites Xaverius, Joannes ac Valentinus fratres Canali, nec non praedefunctae eorum sororis filiae. Judice auctorante patrimonii administrationem suscepit Xaverius, qui solemnibus tabulis diei 1 martii 1845 quartam ejusdem haereditatis partem ad se pertinentem, venditionis jure pretio scut. undecim millium, atque annua pacta praestatione scut. 480, donec viveret, in Placidum Giorgi, Aloisium Simboli atque Alexandrum Ciccarelli transtulit. Emptio in hypothecarum tabulario transcripta jam fuerat, maxima quoque pretii pars persoluta jam erat, quum fratres Canali judicio tam Xaverium, quam Giorgium, Simbolum atque Ciccarellium vocarunt, ut illo gestae administrationis rationes redderet, et ut decerneretur debitum contra Xaverium ex gesta administratione emergens imputandum esse « *in conto e diminuzione della quarta parte di detta eredità al medesimo spettante, a col citato istromento* 1 *marzo* 1845 *da esso ceduta a favore degli altri citati* ».

§ 2. Perterriti hoc judicio emptores molestias primum Xaverio indixerunt, postea vero, die nimirum 16 jan. 1846 ab eisdem fratribus Canali liberationem postularunt, simulque petierunt locum non esse neque residui pretii, neque vitalitiae praestationis solutioni. Quocum-

que vero evictionis timore abjecto, emptores ultro libenterque pretium atque vitalitiam praestationem ad totum mensem majum superioris anni numeraverunt. At die 1 junii alind pensionis trimestre repraesentandum erat, in qua solutione quum emptores moram fecissent, coram assessore Laureti Xaverius diem eis dixit, ut summam numerarent scut. 120. Ad quam solutionem retardandam recursum interposuerunt, ut causa haec ab assessore avocaretur, et uniretur actioni tantum editae coram tribunali ejusdem civitatis super liberatione a molestiis, et retentione pretii, quem tamen recursum rejiciendum esse PP. mei existimarunt lato rescripto « *Nihil de unione* ».

§ 3. Nam exploratissimum in praxi est causarum unionem locum habere non posse si pendentes non sint, ad textum expressum in §. 1052 *art.* 2 *del regolamento legislativo e giudiziario* « ibi » *Non è ammissibile il ricorso per l'avocazione, o riunione delle cause . . . . quando la causa d'avocarsi, o riunirsi non sia pendente* ». Jam vero certum in facto est quod die interpositi recursus nulla lis coram tribunali primae actionis Laureti pendebat. Emptores revera nonnisi simplicem postulationem die 16 januarii superioris anni illi tribunali porrexerunt, quae propter neglectam documentorum productionem deserta manserat. Defuit igitur litis contestatio, proindeque ejus pendentia. Nam lis dici non potest pendens donec contestata non sit, ad *text. in l. amplius non peti ff. rem rat. haben*. Putatur vero lis contestata, quando judex petitione proposita et responsione audita causam cognoscere incipit, *ad text. in leg.* 1 *cod. de litis contestatione*. Simplex vero actionis editio sive postulatio, nisi causa in jure agi coeperit, litis contestationem minime efficit.

§ 4. Nec secus judicari posset inspectis tantum praxeos legibus, quibus nunc vivimus. Nam in §. 1051 sancitum est quod causae uniri debeant coram judice aut tribunali praevento. Praeventio vero (prosequitur §.) « *si desume dalla notifica anteriore dell'atto di citazione innanzi l'uno o l'altro giudice e tribunale, quando però sia prodotta in cancelleria con i documenti ad essa relativi a forma del* §. 541 ». Quibus positis dubitari in facto nequibat Giorgium atque litis consortes minime obtemperavisse iis omnibus quae in §. 541 praescripta sunt; documenta enim editam actionem respicientia coram tribunali primae actionis minime produxerunt. Hoc igitur judicium in eo existentiae statu non reperiebatur qui necessarius erat ad hoc ut supremus noster Ordo alteri, uti causae majoris entitatis, eam coram assessore pendentem unire valeret. Nam extrema omnia deficiebant ad praeventionem constituendam. Quibus omnibus emptorum factum accedebat. Ipsi enim post illam postulationem, nemine cogente, tum reliquum pretium, tum praestationes vitalitias persolverunt. Ex hoc igitur voluntario emptorum facto editae actioni penitus contrario, tam juri quam instantiae et liti motae eos renunciavisse arguendum omnino est, uti docet *Gallerat. de renunciat. lib.* 3 *cap.* 5 *num.* 1 *et* 2. Judicium igitur etiamsi contestatum fuisset, post hujusmodi renunciationem amplius non pendebat.

§ 5. Urgebat insuper unionis recursum ad retardandum judicium exequutivum interpositum fuisse; quo in casu illius rejectioni locus est « *Non è ammissibile* (ita in cit. §. 1052) *il ricorso per l'avocazione, o riunione delle cause quando avuto riguardo alle circostanze ed alla qualità dei giudizj rispettivi, si riconosce che il ricorso è diretto ad impedire, o ritardare il corso dell'uno e dell'altra* ». Plura occurrebant rerum adjuncta quae hanc, et non aliam emptorum mentem ac finem fuisse demonstrabant. Judicium revera coram assessore pendens exequutivum erat. Alterum vero super retentione, ordinarium, implexum, neque facile excipiendum. Nam evictione nondum sequuta pretium emptores retinere nequibant; deinde nullum evictionis periculum erat, siquidem emptione transcripta fratres Canali pro credito chirographario nulla actione reali contra bona vendita pollebant; neque rite actionem super pretio experti fuissent. Nam sequestrum minime indixerunt. Contra, sequestro vel exequutivo vel assecurativo tantum debitori inhiberi potest solutio ejus quod ipse debet. Nec satis; liberationis a molestiis postulatio usque a die 16 januarii 1846 proposita fuit; verum ad diem usque interpositi recursus lis contestata non fuerat; tandem post eam postulationem tum pretium, tum praestationes vitalitiae persolutae fuerunt; quae omnia sicuti demonstrant emptores nunquam animum habuisse litem illam contestandi, ita evin-

cunt recursum interpositum fuisse ad retardandum cursum judicii exequutivi coram assessore ad exitum quasi perventi. Et ita etc. utraque etc.

Die 15 aprilis 1847 « *Provisum per renunciationem* ».

Procuratores — D. Joseph Mancini Lombardi — D. Stanislaus Vannutelli.

Prot. 177 / 1846 R. P. D. ARNALDI Decisio CXVI.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 11 Martii 1847

Argumentum

Habes in Decis. CI.

§ 1. Institutis judiciis vicissim inter R. P. D. Camillum Ignatiumque fratres Amici, ac Antonium De-Romanis in tribunali auditoris Camerae super nunciatione novi operis in pariete, qui nobiles aedes fratrum interjacet ac domum Antonii, cum provisio a fratribus postulata conficiendi novum opus oblata cautione fuisset a judice denegata, provocarunt isti ad s. Rotam, cui tam incidens super provisione, quam causae meritum princeps delatum fuit concinnatis dubiis « *An et cujus favore sit locus nunciationi novi operis, reductioni in pristinum et emendationi damnorum in casu etc.* » *An sit admittenda satisdatio ad effectum prosequendi novum opus in casu etc.* ». Propositis formulis *cor. R. P. D. Bonini* in Rota 1 februarii 1844 protelatae sunt quaestionum resolutiones usque ad relationem periti architecti, qui referret super controversa communione muri et super hinc inde deductis ac deducendis.

§ 2. Rebus hoc in statu manentibus, innovationes nonnullas in eodem controverso muro cum contenderet Antonius a fratribus Amici fuisse peractas, instituit pro purgatione attentatorum. Et quoniam, pendente licet instantia, alias fuisse gestas quereretur, altero vadimonio novorum attentatorum purgationem postulavit. Petitiones utraeque discussioni suppositae sunt die decima februarii 1846, et in priori super attentatis, rescriptum est « *Dilata et ad D Ponentem, qui mandet per eumdem peritum referri super hinc inde deductis et deducendis.* », in altera vero super novis attentatis, « *Ad D. Ponentem juxta petita per viam nullitatis* ». Provocationem ab hoc decreto impetrarunt fratres Amici, et idcirco cum coram *R. P. D. Bonini* in secundo jurisdictionis gradu decretum illud fuisset expeditum, oportuit coram *R. P. D. Alberghini* in tertio gradu deferri controversiam sub dubii formula « *An decretum rotale sit confirmandum, vel infirmandum* ». Huic autem responso dato « *decretum esse infirmandum* », sub unica decisione, frustra petente Antonio alteram decisionem, expedita causa est, unde evenit ut binae diametro pugnantes sententiae prodierint in lucem, una probans, altera respuens attentatorum querelam. Circumscriptionem actorum desuper expeditione sententiae rogavit Antonius, sed infausto sidere succubuit in consessu habito die decimaquinta januarii nuper elapsi, ut patet ex decisione in causa, ea die *coram R. P. D. meo Lippi* evulgata. Hodie vero mutata est alea. Nam Patres satius existimarunt rescribere « *Circumscripto per viam nullitatis rescripto* expediatur, *cum omnibus inde sequutis, ex defectu jurisdictionis, PP. VV. JJ. SS.* », redeundi aditu haud intercluso.

§ 3. Ad hoc enim potissimum, ne adversus omnia juris principia ipsamque aequitatem illud exurgat abnorme ut resjudicata ex una sententia alteram oppugnante per rerum naturam prodire posset, statutum prudentissime fuit a lege, in tertio jurisdictionis gradu, ubi judicia finiunt, nec alius ultra jurisdictionis gradus progreditur, quoad Cameram et Rotam §. 1042 « *non potranno pronunciare sentenze difformi dalle due precedenti se non viene premesso un doppio esperimento; e se non sono emanate due decisioni pienamente conformi e contraddette dalle parti, quando sieno comparse, non sarà*

luogo al reclamo di cui nel §. 997 ». Cum igitur dubitari nequiret, in tertio gradu dictam fuisse sententiam, alteram revocantem, sub unica decisione expeditam, quin duae conformes decisiones emanaverint, nullam ac irritam expeditionem fuisse ex absoluto jurisdictionis defectu patet, prout clare evincitur ex verbis legis « *non potranno* », ac plene discusso articulo haud semel supremus noster Ordo decrevit, uti in *decis. Imolen. circumscriptionis* 23 *julii* 1840 §. 7 *cor. Caracciolo Santobono, Bononien. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 29 *julii* 1841 §§. 4 *et* 7 *coram me, et Bononien. circumscriptionis* 19 *decembris* 1844 *cor. R. P. D. La Grua Valdina* §. 2.

§ 4. Perperam conclamabatur non in tertio gradu sententiam R. P. D. Alberghini, quae praecedentem revocavit, latam dici posse. Licet enim cor. R. P. D. Bonini causa attentatorum primo exarserit, judex ille tamen non aliter erat judex quam in secundo gradu, hujusce tantum pollens jurisdictione; et incidentes quaestiones, quoad gradus, eidem obnoxias esse sorti ac meritum princeps causae, noto est notius, juxta vigentem judiciorum disciplinam, ut recte animadvertit dicta *decis. Imolen. circumscriptionis anni* 1840. Itaque cor. R. P. D. Bonini nonnisi quam in secundo, causam attentatorum versatam fuisse dicendum, adeoque in tertio cor. R. P. D. Alberghini devenisse, indeque intercluso cujusque appellationis beneficio remjudicatam ex duabus sese invicem destruentibus sententiis exoriri non potuisse, nisi praeviis duabus conformibus decisionibus, sententiamque perperam et nulliter fuisse sub unica pronuntiatam.

§ 5. Siquidem de legis praescripto nulla erat controversia, sed illud summo nisu contendebant fratres Amici, legem aptari haud posse incidenti de attentatis tum quia de incidentibus haud est notandus sententiarum numerus, dum una sufficit, quo resjudicata prosiliat juxta §. 983, tum quia praescriptio §. 1042 non de incidenti sed de merito causae principis agit, tum demum quia ut habeat locum legis providentia, requiritur ut non una tantum sed duae praecesserint difformes pronunciationes super eodem subjecto seu causae merito. Verumtamen Patres rite recteque, hisce pensatis omnibus, nil proficere existimarunt ad constitutam legis providentiam evellendam, atque omni remota ambage, in praesenti controversia militare.

§ 6. Principio haec leguntur in §. 983 « *Le sentenze interlocutorie o che riguardino dimande incidenti di qualunque giudice o tribunale non saranno mai appellabili che nel solo caso in cui competa l'appello dalla sentenza definitiva* ». Status controversiae hujusce ille est, attentatorum quaestionem emersam fuisse in secundo gradu jurisdictionis; ibi sententia in vota Antonii; hinc provocationis praesidio in tertio gradu revocata. Nil ergo attinet sententias « *che riguardano dimande incidentali* » inappellabiles esse, quandoquidem haec appellabilis fuerit, et hujusce vigore ad tertium gradum devoluta, et absoluta causa subinde sit. Quid ad rem « *che nel solo caso in cui competa appello dalla sentenza definitiva* » huic sit locus appellationi? Si disjunctim appellatio intercesserit? Esto igitur quod in quaestione incidentali ex unica sententia resjudicata possit oriri; verum quod possit, duabus sese invicem obtruncantibus, plane nemo sanae mentis probabit. Igitur ex recitato §. 983 minime recte argui potest quod si haud una fuerit de incidente pronunciatio, verum duae difformes, nihilominus resjudicata fluat, omisso duplici experimento, neque providentiam legis sequi oporteat.

§ 7. Majori plausu excipiendum neque erat alterum objectum, nimirum legis censuram unas respicere controversias de merito principali causae. Nam in illa dispositione quae tangit tribunalia Camerae atque Rotae, non adest hoc discrimen; cautum dumtaxat « *non potranno pronunziare in terzo grado sentenze difformi dalle due precedenti* ». Quibus verbis intelligitur sententias in genere, idest tum definitivas quam eas, quae definitivae vim habere dicuntur, in eadem legis providentia contineri. Hinc quemadmodum lex non distinguit ita nec nobis licet distinguere, adversus notissimam regulam; praesertim quia ejus ratio vel finis consistit in discrepantia seu difformitate sententiarum, et haec difformitas ad definitivas aeque ac incidentes sententias convenit. Unde semper illud absonum et iniquum posset occurrere ut quis causa caderet in ultimo

gradu judicii per sententiam difformem a caeteris quae praecesserunt. Ad quod evitandum absurdum prodita est legis sanctio, ut notavit quoque noster Ordo in *Romana circumscriptionis* 20 *julii* 1843 *cor. R. P. D. La Grua Valdina* §. 6.

§ 8. Quod obtinet si vel etiam argumenta sumere liceat a dispositione alia quae, praeter Cameram et Rotam, sancita est de caeteris tribunalibus. Porro id exhibet dumtaxat §. 997 « *Le sentenze proferite sul merito della causa* » ; manifestum est legem loqui generatim de merito causae, quod suapte natura non aliud accipiendum est quam illud de quo vere et unice actum, deque eo prolatae sententiae sint. Atqui causa attentatorum vere et unice acta fuit, imo adeo ut a merito principe causae super nunciatione vicissim novi operis ac provisione, sejuncta esset, eorumque meritorum discussionem ipsam suspenderet. Sequitur legem esse accipiendam de hoc ipso attentatorum merito, prohibentem absurdum ne in controversia licet incidenti, nihilominus a causae merito sejuncta et per se stante, binae diametro contrariae sententiae remjudicatam progignant.

§ 9. Sophistice tandem arguitur legis praescriptum de duplici experimento tunc tantum locum sibi vindicare, cum non una sed duae sententiae super endem subjecto difformes praecedant. Nam primum, semel ac tam litera quam ratio ejus §. 1042 sententias quoque incidentes complectitur, nihil refert an sententia postremi gradus versetur nec ne super eodem subjecto, de quo actum in gradibus duobus quae praecesserunt, vel diverso. Hoc unum lex postulat, ut sententiae sint difformes ; quae quidem difformitas non modo quando sententia altera alteram corrigit vel revocat, sed tunc quoque adesse intelligitur cum altera ex praecedentibus sententiis aliud definire videatur quam quod fuerit a postrema definitum. Quin immo in ipsa interpretatione contraria crescit ratio cur debeat §. 1042 dispositio, seu duplicis periculi remedium habere locum quando ex binis praecedentibus sententiis altera tantum super eodem subjecto versatur, de quo actum in gradu novissimo, ut in themate, ubi una sententia admisit, altera negavit attentatorum purgationem. Unde eo magis urget providentia legis si una sit tantum pugnans cum altera, et quae sit laudanda, quae improbanda lateat, cum quandoque postrema sint deteriora anterioribus. Ac maxime absonum quod judicia incertitudinis involucro redoleant. Ad hoc malum averruncandum mens, spiritus et ratio legis intendit, quae ratio finalis, ut intrinseca ac praedominans virtus, sequenda est omnino, ad notata per *Bald. in* §. 1 *num.* 1 *institut. quibus alien. liceat vel non.*

§ 10. Caeterum haec aliaque ejus generis objecta quae fratres Amici proferebant, fuerunt jam alias funditus excussa atque explosa ab nostro Ordine in pluribus decisionibus ad rem maxime pertinentibus, ac praesertim in praelaudata *Bononien. anni* 1844 *coram R. P. D. La Grua*, cujus species in singulis rei adjunctis cum hodierna controversia mirum in modum congruebat, potissime vero quia et in eo casu agebatur de incidente in secundo jurisdictionis gradu oborto et definito, atque ad tertium exinde delato, ibique dirempto per sententiam sub unica decisione pronunciatam et unius dumtaxat praecedentis revocatoriam, dum prior ut in themate, super diverso subjecto versabatur.

§ 11. Quibus positis absit quod dubia vel obscura res dici possit, quamobrem abjuretur circumscriptio, dum clare pateat legis verborum intellectus; sicut illius mens et ratio; edoceant in ipso themate resolutiones supremi Consessus, secusque judicandi incivile esset atque absurdum. Et ita etc. utraque strenue etc.

(Vide Decis. CI.)

Die 29 aprilis 1847 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Joannes De-Romanis — D. Philippus Salvati.

Veliterna Circumscriptionis

Jovis 11 *Martii* 1847

Argumentum

Ad trutinam revocantur quae patent ex decis. XCVIII — Disceptatur insuper de facultatibus episcoporum occasione s. Visitationis, et de fori privilegio quo viduae et pupilli fruuntur. —

§ 1. Ad examen revocata decisione die 14 januarii labentis anni ab R. P. D. meo Vici lata, qua ex defectu jurisdictionis deleta fuerant omnia gesta coram tribunali veliterno, re hodie in facto plenius illustrata prae sua docilitate RR. PP. in diversam abierunt sententiam, et recursum, quem tunc probaverunt, rejiciendum duxerunt rescripto « *Nihil de circumscriptione* ».

§ 2. Nullus enim deprehensus fuit jurisdictionis defectus neque ratione materiae, neque ratione personae. Judicio revera Clementina Ferrante stetit, ut conjuges Pozzi gestae tutelae rationes redderent. Materia igitur erat omnino laica, super qua tribunal veliternum, intra cujus fines administratio exercita fuerat, omnimoda jurisdictione pollebat ad textum expressum in §. 439 codicis judiciarii «ibi » *Le azioni di rendimento dei conti, e quelle che nascono dai conti resi, saranno introdotte avanti il tribunale del luogo, ove siasi ritenuta ed esercitata l'amministrazione* ». Recte igitur Clementina egit, quum rationum redditionem coram eo tribunali postulavit; perperam imo egisset si judicis ecclesiastici officium imploravisset. Judicium enim tutelae ad forum ecclesiae haud pertinet. Nam nihil sacri vel religiosi admixtum habet.

§ 3. Contendebat tamen Ægidius causam coram judice ecclesiastico agendam fuisse, quia rationum dispunctio e summo pontifice Pio VII episcopo signino commissa fuerat, qui super ea sententiam tulerat; sed perperam. Licet enim verum sit quod nefas est judicibus laicis ad examen revocare quae in sua dioecesi gessit episcopus jure proprio, sive uti delegatus summi Pontificis, haec tamen regula tunc solum obtinet quum episcopus judex delegatus fuerit atque judiciali ordine servato processerit, minime vero si illam qualitatem non habuerit atque extrajudicialia acta tantum gesserit. In judiciali siquidem processu gradualis ordo de inferiore ad superiorem servandus utique est; sed in negotiis extrajudicialibus, sicuti appellari necesse non est, ita hujusmodi ordo ab eis omnino exulat, uti post *text. in l.* 1 *ff. quis et a quo appell. et l.* 25 *ff. de minor.* 25 *annor.*, docent *card. De Luca de jurisdict. disc.* 34, *s. Rota cor. Bichio decis.* 422 *num.* 4, *in rec. part.* 3 *dec.* 406 *num.* 4, et noster Ordo in *Ripana circumscriptionis* 14 *decembris* 1843 §. 6 *cor. reverendissimo P. D. Ferlisi decano.* Jam vero episcopus signinus egit non sicuti judex, sed uti curator a summo Pontifice Clementinae datus, ut rationes administrationis a tutore gestae exciperet, probaret, atque bona pupillaria deret in solutum ad aes alienum erga tutorem extinguendum. Quae omnia manifestissime patent, sive preces inspiciantur ab Ægidio summo pontifici Pio VII porrectae, sive rescriptum ab eo latum, sive acta, quae idem rescriptum subsecuta fuerunt.

§ 4. Nulla lis erat inter tutorem et pupillam, et nullus litis timor. Rationem tutelae Ægidius reddere cupiebat, et ut cum legitima persona rem gereret, opus erat curatoris deputatione. Supplex itaque a summo Pontifice petierat « *la deputazione di una persona proba del luogo, avanti cui l'oratore possa emettere il suo rendiconto con le facoltà di separare tanti beni da quel patrimonio per la entrante quantità del debito, e con la facoltà di assumere quando occorra una persona legale* ». Si igitur probi viri deputationem Ægidius postulavit, si petiit ut illi conjungeretur jurisconsultus, alienus fuit a judice postulando, cujus officium inutile prorsus agnovit statim ac nulla lis erat dirimenda; Pontifex vero benigne annuit petitae deputationi probae nimirum personae, minime vero judicis. Hanc vero pontificiam mentem

fuisse demonstrant primum rescripti verba. Nam nibil in eo occurrit quod ad judicis delegationem referri possit. Contra verbis usus fuit *deputatione* et *subrogatione*, quae jurisdictionem minime secumferunt, sed potius tutelam *ad text. in l.* 31 *ff. de excusat.*; demonstrat facultas episcopo data subrogandi rev. sacerdotem Petrum Luciani, qui episcopo qua curatori subrogari poterat, minime vero qua judici. Nam Lucianus ecclesiastica dignitate destitutus erat, necessaria ad delegati apostolici munus fugendum *ad text. in cap. statutum* §. *in nullo de rescriptis in* 6 *Barbosa collect. doct. in lib.* 1 *decret. de offic. et potest. jud. delegat. tit.* 29 *cap.* 18 *num.* 2. Si igitur Lucianus curator datus fuit, ut curatorem deputatum episcopum fuisse existimandum est; secus enim deputatus et subrogatus disparis conditionis fuissent.

§ 5. Eamdem vero mentem probat potestas data adjiciendi Luciano *unum, et alterum quoque probum et idoneum virum jurisconsultum, et ratiocinatorem.* Jam vero convenit quidem ut curatori adjiciantur aliae quoque personae; at absurdum est, quod judici hujusmodi adjectio, et praesertim ratiociuatoris fiat; idipsum explicat deputationis finis atque ratio « *pro effectu excipiendae probandaeque redditionis rationis administrationis* ». Nam rationes a judice minime excipiuntur, sed ab administrato, qui si propter aetatem aut sexus id facere nequeat, ei curator datur, minime vero judex. A qua communi regula Pium VII recessisse praesumi nequit; evincit tandem amplissima jurium reservatio, quibus rescriptum roboratum fuit « *salvis tamen favore cujus vel quorum interest, juribus et actionibus prout et quatenus de jure* ». Quae quidem reservatio ad creditores tantum cobiberi nequit. Nam verba generalia sunt, proindeque generaliter accipi debent praesertim quum Pontifex pupillae cavere volebat, minime vero praejudicium inferre. Quod si haec reservatio pupillam quoque respicit, judicis electionem prorsus excludit. Nam recte pugnaret judicem eligere ut de juribus et actionibus litigantium sententiam ferret, simulque favore litigantium jura reservare. Contra reservatio nullis limitibus circumscripta erat; proindeque Clementinae quoque opitulari debebat, quae in rationum probatione vel in cessione bonorum laedi poterat.

§ 6. Cohaerent insuper facta, quae rescriptum subsecuta fuerunt. Nam episcopus sine ulla figura judicii egit. Defuit revera citatio, defuit processus, nemo deputatus fuit qui pupillam repraesentaret. Omnia sine judicii ritu gesta fuerunt. Tres personae judiciis necessariae sunt, actor, reus, et judex. Jam vero nostro in casu aut reus, aut judex deficiebat. Si enim episcopus signinus caeterique, quos ipse in auxilium vocaverat, judices erant, persona deficiebat, quae pupillam repraesentaret. Nam falsum est Poppeum curatorem pupillae datum fuisse; sin vero episcopus pupillae negotia curare debebat, judex omnino desiderabatur. Quem judicialis ritus defectum s. Ordo perpendebat, non jam ut illorum actuum nullitatem argueret, sed ut magis magisque pateret episcopum signinum curatorem, minime vero judicem pupillae datum fuisse, atque omnia acta non qua judicem, sed qua curatorem gessisse.

§ 7. Quam veritatem plura alia rerum adjuncta demonstrant. Et revera episcopus tres sacerdotes atque ratiocinatorem adscivit, ut una simul cum eo rationes investigarent. Acta illa in sectionibus divisit, quae vocatae fuerunt *congressi*. Deliberationes non ab uno episcopo probabantur, sed *dall' intero congresso*. Verum enim vero si judex delegatus a summo Pontifice fuisset, alias personas ad judicium ferendum vocare non poterat, neque judicium, quod individuum est in partes scindere valebat. Ad haec si ulla super rationibus quaestio exarsit, uti de patrimonii fructibus accidit, amica transactione composita fuit; in qua parte ex una consensum suum episcopus atque « *i suoi congregati* » praebuerunt, parte ex altera Pozzius. Quod si hic ex propria persona contrahebat, episcopus pro pupilla absente obligationem suscipiebat. Absit igitur ut judicis officium impleret. Judex enim sententiam fert, minime vero contrahit.

§ 8. At majora quoque supersunt quae demonstrant judicium actum non fuisse, sed meram extrajudicialem rationum dispunctionem atque probationem. Pozzius revera dotem

in illo actu Clementinae promisit in scut. 1500, declaratione adjecta « *di avere con tale atto compensato e sanato ogni mancanza e negligenza tanto di fatto, che di diritto, per cui non debba, nè possa essere mai molestato anche in caso di omissione di qualche partita, ed in caso diverso s' intende ciascuno rientrato nei proprii diritti, e la presente donazione abbia a considerarsi come non avvenuta* ». Hanc vero dotem, sive donationem « *a nome della signora Clementina Ferrante* » episcopus acceptam habuit. Post haec dubitari nequit quin episcopus tutoria auctoritate rem gesserit. Nam judex non transigit, correspectivos contractus non init, acceptas non habet donationes, aut conditiones, sed lites justitia tantum inspecta dirimit, non quaerit unius partis utilitatem, sed jus suum unicuique tribuit. Neque judicia sinunt ut ad jura sententiis dirempta litigantes lubitu suo remeare valeant, sed istae reservationes ad contractus tantum pertinere possunt. Neque silentio praetereundum est quod syndicationem illam obsignaverunt non solum episcopus « *e gli altri congregati* », verum etiam Ægidius atque ejus secunda uxor Antonia Pacini, promissione addita se omnia in syndicatione illa statuta fore observaturos. At vero sententiae ab uno judice nomine suo obsignantur, minime vero a litigantibus; id quod praeclarissimo argumento est actum mere extrajudicialem gestum fuisse.

§ 9. Quae apprime quoque eruebantur ex solemnibus tabulis diei 28 maii 1820, quibus ab Ægidio dos Clementinae constituta fuit. Narratur in eis quod ut Ægidius rationes reddere posset, « *ed in mancanza dei parenti della ragazza* », probae personae deputationem postulavit, quae eamdem rationum redditionem exciperet atque probaret. Narratur Ægidium institisse « *per la ratifica di quanto venne operato innanzi monsignor vescovo e suoi congregati in ordine al suo rendiconto e rispettiva sindacazione sull' amministrazione da esso tenuta* ». Post quas narrationes actis coram episcopo gestis non aliud nomen tribuitur, quam « *sindacazione, discussione degli affari relativi al rendiconto di cui si tratta* ». Quod si ipsemet Pozzius professus fuit deputationem probi viri postulatam fuisse ut proximiorum defectui suppleretur, si necessaria habita fuit Clementinae approbatio, si actus coram episcopo gestus vocatus fuit « *sindacazione . . . . . . , discussione degli affari* », ex ipsamet adversarii confessione judicium actum tunc fuisse exclusum omnino est.

§ 10. Res vero non mutabatur, quod episcopus declaravisset se egisse « *colla facoltà propria del suo particolare ministero* », atque rem expedivisse « *in atto di s. visita* ». Nam episcopi possunt quidem illa occasione gerere quae ad spiritualem materiam pertinent, ad morum nimirum correctionem, ad animarum cultum, aliaque ad s. visitationem pertinentia, uti expresse sancitum est *a Concilio tridentino in sess.* 24 *cap.* 10 *de reformat.*, sed nequeunt super laicorum quaestionibus sententias ferre. Habent quoque episcopi jurisdictionem in causis pupillorum et viduarum *ad text. in leg. unic. cod. quando imperator.* Verum istis facultatibus episcopus uti nequit, nisi juris ordine servato; insuper in vim hujus privilegii viduae atque pupillae trahunt quidem personas ad proprium forum, electionemque habent, non tamen ipsae trahuntur; rursus privilegium illud non valet quoties agatur de judicio redditionis rationis, quod instituendum est coram judice loci, in quo administratio exercita fuit. Sicuti itaque praesumi nequit episcopum sine jurisdictione procedere voluisse, ita inferendum necessario est tutoria tantum auctoritate rationes probavisse.

§ 11. Injuste quoque oggerebatur semel iterumque in illa syndicatione verba irrepsisse *sententiae* « . . . . *decretiamo e sentenziamo* ». Nam ex integro illius actus contextu mirifice patet quod nullum judicium actum fuit, nulla sententia lata, patet imo non aliud illum praeseferre quam extrajudicialem rationum dispunctionem, contractum, donationem et transactionem, pugnare imo cum voluntate contentiosam jurisdictionem exercendi. Si igitur una atque altera vice vocatus fuit «*sentenza* », nonnisi impropriae istae locutiones usurpatae fuerunt, ut videlicet syndicationem demonstrarent, quae aliquoties improprio aeque sermone sententia appellatur. Contra rei veritas potiusquam scriptura perspici debet *ad text. in l.* 1 *cod. plus valere quod agitur.*

§ 12. Neque quoad personam tribunal veliternum jurisdictione carebat. Nam Ægidius uxorem habet, qui proinde coram judice laico vocari poterat. Fori tamen privilegium sibi

tribuendum esse contendebat quia syndici qualitate fruitur Fratrum minorum observantium. At plura occurrebant quae hanc declinatoriam penitus repellebant. Nam interprete non eget §. 280 codicis praxeos, in quo sancitum fuit quod « *Qualunque legge che accordasse privilegio di tradurre i litiganti e di avocare le cause ad altri tribunali fuori di quelli che sono competenti a forma di questo regolamento, rimane abrogata* ». Si itaque omnia fori privilegia e medio sine ulla prorsusque ulla distinctione sublata fuerunt, absonum omnino est illud syndicis concessum implorare, contra ea quae a supremo hoc Ordine decisa fuerunt *in Ferrarien. circumscriptionis* 17 *augusti* 1837 *cor. R. P. D. Amici;* atque eo magis absonum, quia coram judicibus conservatoribus ejusdem religionis, attenta constitutione Clementis VII, causa tractanda fuisset. Contra judices isti omnino desiderantur. Etiamsi igitur privilegium viribus suis staret, ob defectum tribunalis illud exercere Ægidius nequivisset.

§ 13. Quodcumque vero dubium ipsiusmet Ægidii judicialia facta removebant. Primus enim ille ex notissima lege *diffamari* reus voluntarius judicio coram tribunali primarum actionum stetit, ut terminus Clementinae ad propria jura deducenda praefigeretur. Cui instantiae ea obtemperans redditionem rationis postulavit. Vadimonium Aegidius acceptum habuit, procuratores constituit, reconventionales instantias coram eodem tribunali proposuit, verbo jurisdictionem agnovit, neque unquam syndici privilegium in medium attulit. Post tot judiciales agnitiones inferendum est eum privilegium illud exercere noluisse, imo ei valedixisse, quae renunciatio a legibus prohibita non est. Nam personae datum est, minime vero ordini, uti testatur *rmus P. Bernardinus di Caprarola maestro provinciale.* Si igitur beneficio ejus favore inducto nuncium misit, nequit amplius idem beneficium implorare, uti in casu prorsus simili definivit supremus noster Ordo in *Ferrarien. circumscriptionis* 19 *decembris* 1844 §. 7 *coram R. P. D. meo Arnaldi.*

§ 14. Post haec immorandum non erat in quadam epistola eminentissimi viri praefecti ecclesiasticae Immunitatis. Nam haec epistola casum minime tangebat in quo Syndicus solemnibus actis consensu suo laicorum judicum jurisdictionem excitavisset; quo in casu ipsemet vir eminentissimus declaravit facto fori privilegio renunciatum censeri. Atque ita in strenuo partium certamine jus redditum fuit.

(*Vide decis. XCVIII.*)

Die 20 maii 1847 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Antonius Sciarra — D. Clemens De Donatis.

Prot. 183/1846 **R. P. D. PACCINELLI** Decisio CXVIII.

Ariminen. Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 11 *Martii* 1847

Argumentum

De natura libelli reconventionalis; de judicis quoad illum competentia; et de nullitate quae oriri contenditur ab ejusdem libelli transmissione parti potiusquam procuratori — De nullitate census ex defectu numeratae pecuniae — De frugifera qualitate tesserarum, vulgo « schede di credito » *quae anno* 1797 *ex lege destinatae fuerunt emptioni bonorum fiscalium.* —

§ 1. Censum ad trientales usuras, nempe *scut.* 80 et *obol.* 80 super fundis nonnullis, quos possidebant in agri ariminensis regione nuncupata « *s. Giovanni in Galilea* », imposuerunt comes Joseph et canonicus Philippus fratres Baldini, publicis in id tabulis die 22 novembris 1797 conscriptis, eumque aedis sacrae Arimini favore vendidere. Loco autem numeratae pecuniae *scut.* 2020 quae sortis pretium conficiebant,

Baldiniis cessit tradiditque censualista ejusdem summae syngrapham, vulgo « *sheda di credito* », quam ipsa sacra aedes jamque sub *die* 20 *septembris praecedentis* ab ariminensi municipio in solutum et pro extinctione cujusdam census cum fructibus *de anno* usque 1761 conditi susceperat, quamque « *per l'intero valor nominale* » vi democraticae edictalis legis 20 *junii illius anni* latae ad aes alienum dissolvendum, quod Æmiliae provinciae municipia contraxerant, in fiscalium seu *nationalium* bonorum emptionem, veluti pecuniam numeratam *ad diem usque* 24 *insequentis decembris* creditores conferre poterant.

§ 2. Hanc tamen crediti tesseram licet facto ac legitime Baldinii impenderint in peculiarem pretii solutionem quorumdam bonorum, quae ab Olivetanis monachis antea possessa, et subinde democratico fisco addicta, pridem emerant, nihilominus comes Aloysius Josephi filius et censuariorum parentis patruique haeres post quadragenarium et ultra tempus, principio solutionem fructuum remoratus, ac tandem *die* 17 *augusti* 1836 coram ariminensi vicario generali vocavit piam congregationem charitatis Arimini, quae in sacrae aedis jura interim successerat, « *per far dichiarare nullo il detto censo per difetto del numerato danaro, imputarsi i frutti in sorte, e restituirsi il più pagato oltre gli scudi* 2020 ». Vicissim pia congregatio tum Aloysium tum comitem Andream ejus filium universalemque donatarium, in jus rapuit apud foroliviense civile tribunal die 14 *aprilis insequentis anni* 1837, illosque ad solutionem *scut.* 387 *et obol.* 84 pro fructibus ad diem 22 novembris 1836 dobitis condemnari expostulavit. Caeterum utramque controversiam ab eadem episcopali curia *quoad omnia in statu et terminis* supremus hic Ordo noster, Baldiniis postulantibus, rescripto *diei* 17 *augusti* 1837 cognoscendam esse imperavit. Hinc *julio posteri anni* 1838 pia congregatio apud episcopalem audientiam contra Aloysii vita interim functi successores, utroque judicio per unicum libellum complexo, litem instauravit, atque in illius extrema cera sic reconventionaliter institit « *o ad ogni pessimo evento di dichiarata nullità di censo a sentirsi condannare alla restituzione del capitale degli scudi* 2020, *non che pagare i compensativi frutti alla ragione del* 5 *per cento dall'impiego della cartella in contrasto in scudi* 2020 *a tutto il* 22 *novembre* 1837 *e nei decorrendi, donec etc.* ». Reconventionalem hujusmodi postulationem, utpote intempestivam et abnormem, nullam penitus declarari efflagitavit Andreas, incidentali ad hoc apud eamdem curiam instantia proposita, quam una cum merito ecclesiasticus judex dirimere edixit.

§ 3. Interea caeteri Aloysii successores census validitatem in discrimen nec revocasse nec revocaturos in posterum fore, solemni ritu apud acta declararunt. Ex quo factum est ut in terminali, quam ille judex *mense septembris* 1839 sententiam protulit, his omnibus ab observantia judicii penitus absolutis, incidentique Andreae super nullitate reprobato libello, censum nullum irritumque declaravit, unumque Andream, qua universalem patris donatarium, dextantem summam scutorum 2020, fructusque compensativos ad trientalem tantum rationem, quam *de anno* 1797 in emptionis venditionis contractibus rusticorum praediorum 454 venisse in perspectis erat, solvere decrevit. Ad Rotam tunc provocavit Andreas, ibique sub geminis rogationis formulis, *altera* nempe super censu ejusque fructibus, *altera* vero super solutione fructuum compensativorum sortisque restitutione, lis tantum rursusque instituta, ac quinquies, articulo formiter discusso ad trutinam revocata fuit. Sed omnia incassum; nam primi gradus sententia fuit plenissimo comprobata, ceu patet ex decisionibus *ad diem usque* 26 *junii* 1844 *coram R. P. D. Muzzarelli* in vulgus editis, quibus titulus, *Ariminen. census super primo dubio, et Ariminen. census super secundo dubio.* Sic rejudicata rotali orta, haud pariter Andreae profuit ad nostrum supremum Senatum adversus eam confugere pro actorum nullitate, vel saltem restitutione in integrum obtinenda; nam Patres utramque petitionem hoc mane propositam reprobarunt rescripto « *Nihil* ».

§ 4. Ab ariminensi siquidem vicario generali jurisdictionis defectum, ad quem pro assequenda circumscriptione totam Andreae defensores orationem cohibebant, in themate

abesse PP. mai manifeste conspexere ad ea definienda, quae pia Arimini congregatio in extrema libelli cera proposuit, dum de *julio* 1838 coram episcopali andientia utrumque a supremo nostro Ordine conjunctum judicium una petitione resumpsit. Ea namque instantiae pars reconventionalis, minime vero primordia fuit. Adversus namque actorem Baldinium nullitatem census ex defectu numeratae pecuniae juxta notissimae pianae censuram, et pedissequam fructuum in sortem imputationem postulantem, pia congregatio mutuam objecit petitionem, qua, seclusa solutorum fructuum imputatione, quos compensativos, decreta quoque census nullitate, fore habendos contendit, integri capitis restitutionem una cum fructibus ulterioribus contra Baldinium efflagitavit. Connexa ergo reconventio cum petitione actoris fuit, quia intentionis agentis prorsus exclusiva, vel saltem praejudicialis, nec si secus foret, mutuae petitionis natura baud posset immutari. Neminem enim latet, reconventionem seu mutuam petitionem ex diversa quoque causa apud eumdem judicem a reo institui contra actorem elementarium, esse in utroque jure ad tradita per *Voet. de judic.* §. 78 *et seqq.*, *Richer. univers. jurisprud. verb. riconvenzioni*, *pag.* 612 *column.* 2, *et Merlin. questioni alla parola tribunale correz. pag.* 297.

§ 5. Jam vero si ex veneranda lege nostri supremi tribunalis quoad jussam de anno 1837 causarum unionem *quoad omnia in statu et terminis*, ariminensis juridicus pro utraque principali quaestione factus fuit omnino competens, eadem competentia quoque pollere debuit in mutuae petitionis causa, quae juxta firmatam traditionem apud eumdem judicem legitime et regulariter proponi valebat. In nihilo ergo peccavit vel pia congregatio dum reconventionem proposuit, multove minus ecclesiasticus judex, vel rota et resjudicata dum eam probarunt. Juris namque exploratissimi est competentem fieri judicem in actione reconventionali, quamvis incompetens et non ordinarius foret, si apud ipsum ex abrupto et seorsim ageretur ad textum *in leg.* 14 *cod. de sent. interloc.*, *Voet. de judic. loc. cit.*, maxime vero si causa, prout in casu, connexa sit, ceu docet literale textus *in leg.* 11 §. 1 *ff. de jurisd. in leg.* 22 *ff. de judic.*, *in leg.* 14 *cod. de sent. et interloc.*, *ac tandem in auth. consequenter eod.* Jus enim reconventionis, qua reus contra actorem aliquid petit, et ipsa apud judicem, qui competens per se non foret, supponit et confirmat expresse ordinatoria de re judiciaria adhuc lex vigens *in* §§. 884 *et* 847; ita ut si actor causam reconventionis excipere tamquam reus abnuat, mutuaeque petitioni respondere refragetur, neque reus tenetur procedere in causa principali per ea quae scribit *Voet. comment. ad pand. lib.* 5 *titul.* 1 *num.* 78.

§ 6. Perperam post haec Baldinius ad petitam actorum nullitatem sustinendam contendebat *ex* §. 843 *reconventionem* proponi non posse « *come dimanda incidente* », quia ex lege habenda est « *come il soggetto di giudizio principale* », atque revera a pia congregatione sic habita per partis citationem, neglecto prorsus procuratore; cum praesertim quaestionem respiceret subalternam, quam assumi non posse jam definivit *Rota in Romana census* 25 *januarii* 1683 *coram Emerix*. Adversus enim hasce objectiones, quae facili diluebantur responso, Patres ea qua praestant aequanimitate et sapientia, animadverterunt *reconventionem* non fore amplius in praesens « *il soggetto di un giudizio principale* », quia de ea agendum «*come dimanda incidente*», prout ex litera hodiernae legis disertissima *in* §. *insequenti* 844 sancitur « ibi » *Saranno sempre reputate incidenti e trattate come tali:* 1.° *Le istanze per riconvenzione*». Quod si reconventionalis libellus parti, omisso prorsus procuratore, fuerit transmissus, non ex hoc immutari potuit ejusdem libelli natura; licet enim ageretur de nova actione, quamvis *reconventionaliter* instituta, nihilominus aberat quid prohiberet, quidve non suaderet partem ipsam vocare potiusquam Baldinii procuratorem per illud tempus impeditum, cum praesertim in sequentibus actis passim hic fuerit in jus vocatus. Abs re autem visa est invocata Rotae jurisprudentia; nam in illo casu coram primo judice de una census nullitate quaesitum, et in gradu appellationis eadem quaestio ad illud conscenderat tribunal. Nil ergo mirum si provocationis judex ablegaverit causam de sortis restitutione post exitum principis causae super census nullitate. At in themate tum in primo, tum in altero jurisdictionis gradu de omnibus in libello petitis disputatum definitumque fuit. Caeterum, et quod

peremptorium apparuit, de ordinatoriae potiusquam de substantialis nullitatis defectu res fuit versata, ita ut de ea modo conqueri haud amplius Andreae licuerit, vix ubi provocatam nullitatem rejecerit primae actionis judex, eique Baldinius acquieverit post novum super ea factum coram Rota infeliciter periculum in prima causae propositione, uti videre est *in Ariminen. census super secundo dubio* 14 *junii* 1841 §. *final. coram R. P. D. Muzarelli.*

§ 7. Quoad vero restitutionem in integrum, nullum ex iis in medium proferri Patres prae sua justitia ac sapientia prospexere, quorum saltem vel unum ad extraordinarium hujusmodi sibi vindicandum beneficium debuisset Andreas juxta sanctionem vigentis adhuc praxeos *in* §§. 1057 *et* 1058 manifestissime ostendere. Hinc quod ad sortis restitutionem contra recurrentem modo Baldinium a rejudicata rotali imperatam pertinet, deerat omnino de quo ipsa incusari posset; vix ubi in facto compertissimum erat schedam illam « *di credito* » ab aede sacra tunc Baldiniis traditam, et vim *scut.* 2020 praeseferentem, in fiscalium bonorum emptionem revera, juxta democraticam edictalem legem pridem latam, a censuariis fuisse omnino erogatam. Factum igitur, quod modo infectum esse non poterat, *leg. in bello*, §. *factae ff. de capt.*, quodque insuper Andreae, utut suum, quia auctorum suorum, quammaxime nocere debebat, *leg.* 78 *ff. de reg. jur.*, jure meritoque suadere videbatur Baldinios prorsus teneri post census declaratam nullitatem ad integrae sortis ac tesserae restitutionem, utpote qui de scheda nominali ac reali valore in erogatione tunc nihil amiserant, ac syngraphae illius caput quoque adhuc habebant incolume in fiscalibus fundis coemptis, eique in pretio penitus subrogatis. Aliter enim Baldinii cum alterius detrimento et injuria locupletiores fierent, quod jure naturae aequum non esse tradit Ulpianus in *leg.* 206 *ff. de reg. jur.*

§ 8. Nec diversimode sentiendum esse PP. mei censuere quoad fructuum compensativorum solutionem, seclusa penitus satisfactorum in sortem imputatione. Namque pia congregatio non fructus *ex stipulatu, sed ratione pecuniae* investimento frugifero destinatae, ideoque gignendis fructibus aptae paratae que sibi deberi vindicavit. Hinc fructus utique a Baldinio numerati imputari debuissent, si sterilem pecuniam vel aliam quamlibet rem infrugiferam sacra aedes tradidisset, ita ut census contractu propter nullitatis vitium interverso, nullus alius titulus gignendis fructibus aptus suppetiisset. Ast cum praedicta vis argenteorum 2020, utpote in praescripta frugiferorum fundorum emptione *ex jure* collocanda, et *ex facto* inde collocata, frugifera suapte natura, destinatione et erogatione foret, profecto fructus, non tamquam fructus census, sed tamquam compensativi fructus, ipso jure debiti, et in compensationis causam revera soluti censeri debebant, propterea que in sortis diminutionem imputandus non esse merito statuit resjudicata rotalis. Sola namque pecuniae destinatio investimento effecit ut illa loco rei fructiferae habeatur, proindeque fructus ex ea debeantur procul a quavis obligatione et pactione ad damna et interesse, quia ex jure fingitur in re fructifera collocatam illam esse. Perbelle *Rota post Torre de pactis decis.* 16 *num.* 6 *et seqq. in Romana seu Viterbien. legat. cor. Crispo inter ejus impressas decis.* 66 *num.* 7, *et in confirmatoria* 4 *julii* 1749 §. 7 *coram Cortada;* ultidiusque vero *in Romana census* 30 *martii* 1781 §. 9. *coram Sentmanat.*

§ 9. Nec meliori omine pro assequendo extraordinario beneficio quoad decretam integrae sortis restitutionem Baldinius in medium proferebat nonnulla proxenetarum testimonia et Rotae responsa, quibus ostendere conabatur vilescentes fuisse schedas illas, et vix in commercio versari habita reductione « *del quarantacinque, ed anche del cinquanta per cento* »; ita ut earum pretium non nominale sed reale fore restituendum constantissime definitum fuerit in *Romana schedarum* 21 *februarii* 1825 §§. 2 *et* 4 *cor. R. P. D. Bofondi; in Bononien. seu Mutinen. pecuniaria* 6 *julii* 1827 §. 2 *cor. eodem*; nec secus *in confirmatoriis* 22 *junii* 1829, *et* 6 *julii* 1830 *cor. eodem*, ac tandem *in Nucerina* 30 *aprilis* 1830 §§. 6 *et* 7 *cor. ipso Ponente.* Missa namque quod haec omnia visa ac perpensa fuerint in ipsomet appellationis tribunali, cum de causae merito quinquies, et articulo formiter discusso, actum fuit, illud insuper manifestum erat proxenetarum testimonium

ab illo Municipii et ab ipso facto penitus everti; cum inficiari non poterat istiusmodi schedas ad differentiam illarum sive « *per le contribuzioni* » sive « *per somministrazioni fatte a truppe* » nullam passas fuisse reductionem, quin imo investimento erogatas, versatasque sine ullo contradictore in commercio pro integro nominali valore. Hinc superius allatas decisiones vel de tesseris diversae speciei, vel mutui ac depositi titulo traditis pertractasse, eaque propter ad praesentem controversiam, qua schedae valor per conventionem designatus, atque integer *facto* in fundorum emptione erogatus fuerat, trahi non posse cuique liquebat. Quod adeo verum est, ut ipsamet Rota, ubi de valore tesserarum praesenti non absimilium reddendo in judicio fuit quaesitum, pro integri nominalis valoris restitutione perpetuo judicium tulerit edideritque, ceu patet praesertim ex *Urbevetana nullitatis census* 27 *maii* 1819 §§. 9 *et* 10 *cor. Spada, et ex Romana pecuniaria* 26 *junii* 1822 *cor. emo Pianetti.*

§ 10. Postremo pro obtinenda saltem in integrum restitutione quoad jussam fructuum compensativorum solutionem absque eo, quod in sortem forent illi imputandi, nequidquam Baldinio juvit contendere schedam, de qua quaeritur, non in frugiferi fundi emptionem tantum, sed in commercio etiam negociari consuevisse. Non enim, quia facultativa esset schedae ipsius erogatio, recte inferebatur ex sequuto investimento compensativos fructus jure condici decernique non posse. Fructus enim compensativos non ratione tantum fructuum, qui ex fundis per schedae erogationem acquisitis habiti fuerunt, sed eorum etiam, qui ex aequali fundorum valore haberi potuissent, vel a quolibet tertio in quem schedae transitum fecissent per commercia, vel ab ipsa aede sacra per propriam, ac a lege praefinitam schedae ipsius destinationem, rependendos esse ambigendum non erat; nam tessera « *di credito* » destinatione perpensa, in se lucri semen habebat, quod satis erat ad gignendos fructus *leg.* 5 *cod. de act. empt. et vend., l.* 14 *ff. locat., l.* 20 §. 4, *leg.* 39 *ff. de negoc. gest., leg.* 12 §. 9 *ff. mand., leg.* 60 *ff. pro socio, et leg.* 1 §. 2 *ff. de usur.* Atque ita utraque etc.

Die 29 julii 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Bondi — D. Joseph Reali Fabbri.

Prot. 21 / 1847 R. P. D. VICI Decisio CXIX.

Firmana Restitutionis in Integrum

Jovis 15 *Aprilis* 1847

Argumentum

Cum in causa super nullitate instrumenti dotalis, ac proinde etiam renunciationis juribus haereditariis in eodem emissae, decreta fuisset status haereditarii confectio, et viri periti ad hoc nominati fuerint, adversus hanc sententiam interlocutoriam ab aula appellationis confirmatam, petitur restitutio in integrum eo quia judices in exponendis decidendi rationibus, de ejusdem instrumenti validitate fusam inivere disceptationem.

§ 1. Cum comitissa Eleonora ex nobili familia Brancadoro Firmi nupsit equiti Hieronymo Cordella patritio aeque firmano, dotem a suo fratre comite Antonio Brancadoro accepit argenteorum 12000, alteris scutis mille habitis a sua matre marchionissa Camilla De-Nobili titulo donationis. Solemnibus in id stipulatis tabulis die 13 februarii anni 1822, accedente auctoritate firmani tunc temporis praesulis delegati in ipsis, Eleonora non modo declaravit sese fore « *congruamente dotata relativamente alle forze del patrimonio paterno* », sed « *compensata ancora in misura equivalente alla porzione che le spetta sulla tangente del conte Orazio* (Eleonorae fratris defuncti), *come pure di tutti e singoli diritti che le appartengono, e le possono in qualunque maniera spettare per titolo di legittima sulla dote e beni materni, e di qualunque altra sorte e provenienza* ». Nuncium hinc ge-

neraliter atque effraenatissimis clausulis adhibitis misit mulier ea favore Antonii, successioni maternae, avitae et caeteris quibuscumque quae possent in eam ab intestato deferri, reservatis tantum legatis, quae a personis, quarum successioni renunciabat, relinqui eidem in futurum valerent.

§ 2. E vivis erepta Eleonora anno 1836, illius vir eques Hieronymus Cordolla in id consilii venit, ut nomine filiorum, quos a matrimonio Eleonorae habuerat, comitem Antonium Brancadoro in jus vocaret coram judicibus tribunalis civilis Firmi ad hoc ut nullum ex defectu solemnium declararetur instrumentum dotalo diei 13 februarii anni 1822, ac proinde nullius effectus renunciatio in eo ab Eleonora emissa; atque hinc petiit ut statueretur dos, quae ipsi competere potuisset correspectivo ad paternam haereditatem et ad successiones quibus nunciam eadem emiserat, expostulans etiam « *la formazione dello stato attivo e passivo degli anzidetti beni ereditarj di qualunque sorta e provenienza, non che la nomina dei periti, i quali procedano alla stima dei suddetti beni* ». Judices firmani in audientia diei 29 septembris anni 1841 nulla super causae merito capta resolutione, « *salve le eccezioni, e senza pregiudizio delle ragioni delle parti hinc inde* », interlocutorio decreto mandarunt ut conficeretur « *per ora lo stato ereditario dei beni tutti appartenenti al conte Orazio Brancadoro* », peritis in id electis, « *e riservato pure di potere in appresso ordinare la formazione di altri stati ereditarj* ». Quod decretum confirmatum ab ipsis fuit die 12 januarii 1842, cum Hieronymus apud eos institisset pro illius revocatione, nec non approbatum etiam die 23 junii anni 1844 ab aula appellationis Maceratae, ad quam illo provocaverat. Ratus hinc Hieronymus remjudicatam ex decretis ipsis oriri potuisse, praejudicium sibi inferens super integritate propositae actionis, assuato interposito recursu restitutionem in integrum adversus decreta eadem postulavit a supremo nostro Ordine. Dimissus tamen fuit in hodiernis comitiis rescripto « *Nihil* », munere mihi dato decisionem edendi.

§ 3. Nullam namque legis violationem in decretis iis Patres invenerunt, ob quam extraordinarium remedium restitutionis in integrum foret adversus illa concedendum. Etenim nequaquam a legibus prohibitum judicibus in litis initio, atque in illius prosequutione ea decernere in vim interlocutoriae pronunciationis, quae ad tutiorem causae resolutionem conducere existimant; neque certo adversus legem ullam peccarunt judices firmani et maceratenses confectionem status haereditarii comitis Horatii decernendo, quam ipsi putarunt perficiendam ante propositae actionis definitionem. Nunquam porro vetitum id illis erat *in codice gregoriano*, qui o contra, uti manifeste emergit *ex tit.* 2 *cap.* 2 *sect.* 6, atque *ex integro tit.* 6 *partis tertiae*, amplam magistratibus tribuit facultatem, antequam ad propositae actionis definitionem deveniatur, vel testium examen, vel peritorum relationes, vel aliud quodcumque probationis genus decernere, quod spectet ad illorum animos informandos. Quam sana facultatem juris civilis etiam dispositionem iis tribuere patet *ex apertissimis textibus* tum *in jure canonico in can. judicantem* §. *caus.* 30 *quaest.* 5, cum *in jure civili in leg.* 21 *ff. de interrogat.*, *et in leg.* 2 *cod. de edendo.* Hinc cum decretum de quo agitur, non adversis legibus, sed legibus ipsis auctorantibus editum fuerit, neque fieri poterat ut petita restitutio in integrum foret adversus illud concedenda.

§ 4. Hieronymi tamen defensores decretum a tribunali civili firmano latum, et ab illo provocationis Maceratae confirmatum injustitia redarguebant eo sub intuitu, quod nempe praejudicium attulerit actioni ab eorum cliente propositae *super dotalis instrumenti nullitate ex defectu solemnium*, ita ut peritorum electio, et id quod in decreto illo enunciatum fuit impedimentum praebere queant, ne de nullitate eadem possit amplius disputari. Patres tamen hujusmodi impedimentum ex decreto eo nequaquam scatere existimarunt. Agitur namque *de decreto interlocutorio*, quod actioni propositae et causae merito nequit praejudicium ullum afferre, neque obstaculum ullum praebere, ne executioni, etiam eodem commisso, objectum causae praecipuum possit ad trutinam revocari, ac

super eo definitiva sententia pronunciari. Interlocutoria siquidem decreta (uti observat *doctissimus Cujacius paratit. in lib. 7 tit. 4 cod.*) ad litis finiendae praeparationem spectant, neque ullam valent secumferre condemnationem quoad rem principaliter in judicium deductam.

§ 5. Hinc judex decreta interlocutoria edendo nullum infert praejudicium sententiae definitivae; quin imo quidquid jussum fuit in decreto interlocutorio, revocari etiam valet in definitivae sententiae pronunciatione *ad text. in leg.* 19 §. 2 *ff. de receptis arbitri*, et tradunt *Reinfestuell. in jus canonicum lib.* 2 *tit.* 14 §. 1 *num.* 74, *et Mascard. de probat. v.* 3 *conclus.* 2139 *num.* 15 *et* 16; nec non statuit *sacrum Rotae tribunal in Bononien. confinium* 2 maii 1828 §. 6 *coram Marco*. Idque apertissime statuitur *in* §. 594 *legum neotericarum*, juxta cujus dispositionem sententiae interlocutoriae etiamsi executioni commissae « *non recano mai pregiudizio alla decisione da emanarsi sul merito della causa* », neque judices « *sono obbligati ad attenervisi, allorchè pronunziano la sentenza definitiva* ». Quod et eo fortius in themate obtineat oportet, quia in decreto de quo agitur singula jura partibus competentia fuerunt sarta tectaque servata, atque demandata confectio status haereditarii Horatii, « *per ora salve le eccezioni e senza pregiudizio delle ragioni delle parti hinc inde* ». Haec una sane reservatio satis superque foret, ut merito concludi posset actioni a Hieronymo propositae praejudicium nullum ex interlocutorio decreto promanare, sed integrum eidem semper fore justitiam actionis illius probare, ac judicium definitioni subjicere, uti observat *supremus noster Ordo in Romana appellationis* 10 *decembris* 1829 §. 4 *cor. Grossi*.

§ 6. Neque eidem verendum, ne de praecipuo actionis a se propositae objecto, nempe de dotalis instrumenti nullitate ex solemnium defectu sibi liceat amplius disputare, eo quod judices firmani et maceratenses non obscure significaverint tam peritos eligendo, quam rationes exprimendo ob quas ad peritorum nominationem devenerunt, actionis illius definitionem erendam potius esse *ex justitia*, quam *ex validitate* instrumenti anni 1822. Procul namque abeat oportet hujusmodi Hieronymi timor si prae oculis habeatur id quod reapse a judicibus iis jussum fuit, ac indoles et natura sententiae ab ipsis latae. Etenim etsi in rationibus exponendis quae peritorum deputationi causam praebuerunt, plus quam fortasse opus fuisset, judices firmani et maceratenses de instrumenti validitate disceptationem iniverint, etsi in rationibus ipsis perpenderint contractuum nullitatem ob aliquem solemnium defectum non raro juxta s. Rotae sententiam ab eorum justitia fore metiendam, attamen certum est illos *in decretorum parte definitiva* a judicio quolibet ferendo sese abstinuisse quoad causae meritum, ad nominationem solum peritorum deveniendo, et reservatis partibus litigantibus singulis earum juribus. Cum hinc non id quod ad abundantiam atque extra partem dispositivam fuerit mussitatum, sed id quod reapse in parte ea sententiarum et decretorum mandatum fuerit, sit inspiciendum ad eorum naturam et efficaciam eruendam ad monitum *per sacram Rotam in Romana Salviani* 9 *februarii* 1753 §. *fin. cor. Bussio*, neque Hieronymo verendum est impedimentum afferri posse ne de validitate dotalis instrumenti obloqui amplius valeat, id quod extra necessitatem et minime in parte dispositiva et definitiva decretorum judices enunciarunt.

§ 7. Ast etiamsi in parte dispositiva actum fuisset de validitate instrumenti illius, quamvis hoc modo Hieronymo viderentur decreta actioni a se propositae praejudicium aliquod attulisse, attamen cum agatur *de sententiis interlocutoriis*, quae, ut superius demonstratum fuit, revocari a judicibus semper et quandocumque valent, neque ob id restitutio in integrum adversus eas foret concedenda. Extraordinarium namque restitutionis in integrum remedium competit adversus tantum perfectissimas resjudicatas ex censura §. 1057 *codicis gregoriani*, nunquam vero adversus sententias et decreta quae judicibus fas est quandocumque revocare. Incumbat quapropter Hieronymus in judicii prosequutione probationi actionis a se propositae, neque illius definitioni impedimentum ullum prae-

here poterit id quod a judicibus firmania et maceratensibus fuit interlocutorie decretum. Et ita etc. utraque etc.
Die 20 maii 1847 « *In decisis.* »
Procuratores — D. Petrus Federici — D. Bartholomaeus Belli.

Prot. 111/1846 R. P. D. LIPPI DECISIO CXX.

FERRARIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS SEU RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 15 Aprilis 1847

Argumentum

Habes in decis. CIV.

§ 1. Pro nonnullis creditis sibi adversus Cajetani Mantovani haereditatem competentibus Aloysius Foli et Marianna Masi instrumento dici 28 octobris 1836 in solutum recepere aliquas domos Pontis Lacus Obscuri, aliasque decimas in agro Gauriano, pretio constituto in summa sc. 5000. At quoniam hoc pretium cunctis hypothecariis creditoribus dimittendis impar esset, declarationem die 5 decembris emptores singulis creditoribus nunciarunt, qua professi sunt se paratos esse solutioni, seu deposito pretii, ut ad hypothecarum deletionem procederetur. Inter creditores inscriptos ac denunciatos aderat doctor Franciscus Parolini, qui utile sibi totique creditorum coetui duxit bonorum licitationem provocare. Die igitur 12 januarii ad acta accedens licitationem postulavit pretium augens ad scuta 5500, ac cautionem exhibens per hypothecariam inscriptionem judiciali more ab actuario statim susceptam.

§ 2. Quo facto, nulla interposita mora, licitationis judicium coram Ferrariae judicibus die 13 januarii instituit, atque praedicti actus nunciationem perfecit tum venditoribus et alteri ex emptoribus Mariannae Masi, tum caeteris et quidem plurimis creditoribus quatuor successivis diebus. Quaestionem tunc coram eisdem judicibus emptores exagitarunt contendentes, auctionem ac licitationis postulationem perperam a Parolinio factas fuisse ex eo quod denunciatio singulis locum minime habuisset intra terminum quadraginta dierum ab emptorum declaratione, ita ut hypothecarum deletio, potiusquam licitatio esset decernenda. Praevia causarum unione, ferrarienses judices Francisci actionem favorabiliter exceperunt rejicientes alteram ab emptoribus institutam. Aliter tamen sensit bononiense appellationum tribunal quod primi gradus sententiam revocavit. In sententiarum discrepantia res ad sacrum Ordinem delata est, coram quo tres prodiere conformes decisiones pro actus a Francisco emissi validitate. Orta rejudicata recursum apud supremum nostrum Ordinem emptores interposuerunt pro actorum circumscriptione, sin minus restitutione in integrum. Proposita causa praeteritis in comitiis diei 28 januarii hujus anni coram R. P. D. meo Arnaldi, PP. licet circumscriptionem rejecerint, restitutionis tamen beneficium concedendum esse existimarunt rescripto « *Nihil de circumscriptione; in reliquis de causis sine praejudicio reijudicatae* ». At hodiernis in comitiis reproposita causa, dum PP. praeteritam decisionem quoad circumscriptionis rejectionem confirmarunt, eamdem tamen revocavere quoad alteram recursus partem de restitutione in integrum, quam pariter denegarunt rescripto « *Quoad circumscriptionem in decisis; in reliquis, nihil* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 3. Quoad circumscriptionem quum rescriptum fuerit « *in decisis* », supremi nostri Ordinis institutum vetabat quominus decidendi rationes iterum ederentur. Quoad vero restitutionem in integrum animadvertebatur, Franciscum omnia perfecisse quae ex vigentis cod. §. 209 praescribuntur ad licitationem provocandam, quia ex judicialium actuum fide eruebatur eum intra 40 dies ab emptorum denunciatione pretium pro decima parte auxisse, cautionem penes cancellarium obtulisse, ac vadimonium etiam pro

licitatione plerisque creditoribus transmisisse, nec non alteri ex emptoribus Mariannae Masi. Dum itaque rotalis resjudicata facultatem in Parolinio creditore sancivit praedia licitandi, rejectis tertiis possessoribus Folo et Masia, qui peremptam hujusmodi facultatem, ac delendas idcirco hypothecas esse tuebantur, non modo legem non violasse, sed immo eidem adhaesisse videbatur.

§ 4. Quod vero haec omnia intra 40 dies aliquibus creditoribus et ipsi Folo alteri bonorum emptori, intimata non fuerint, tanti esse non suadebant, ut perempta facultas dici posset. Principio siquidem anceps visa est legis illius intelligentia, num scilicet praeter declarationem creditoris ad acta faciendam intra 40 dies, intimationem quoque et citationem eodem temporis spatio explendam esse voluerit. Praedicta enim lex in §. 209 duas diversas tum dispositione tum oratione partes complectitur, in quarum prima licitationis beneficium creditori indulget dummodo intra 40 dies pretium augeat et cautionem offerat, in altera vero in qua una de aucti pretii et praestitae cautionis intimatione loquitur, nihil omnino de termino cavet. Postquam scilicet in isto articulo licitationem peti legislator concedit, dummodo petens intra 40 dies pretium augeat cautionemque offerat, alia prorsus diversa articuli parte diversaque orationis periodo, auctionis et cautionis actus certo modo ac tempore perficiendus statuit simpliciter ut intimetur. Ita quippe lex concipitur « *L'offerta e la cauzione risulteranno da un atto sottoscritto dal creditore o da persona munita di speciale mandato nel registro della cancelleria; quest' atto dovrà intimarsi all' alienante, al terzo possessore e ai creditori iscritti con citazione a comparire avanti il tribunale* ». Atque ita legitur in parte resolutiva dispositionis in sequiore §. 210, qui scilicet hoc dumtaxat in casu licitationem denegat « *se nel termine del §. precedente niuno dei creditori iscritti farà l'offerta del decimo e l'istanza per l'incanto, ovvero se il creditore che offre, non darà cauzione* ». Quum igitur lex terminum, ubi voluit, expresserit, dicendum est, hunc eam noluisse, ubi non expressit, ac propterea nil aliud intra 40 dies exigere nisi petitionem, auctionem pretii et cautionem, quae omnia Parolinium praestitisse constabat.

§ 5. Sed illud Patrum judicio gravissimum adjungebatur, non simplicem casum per remjudicatam fuisse definitum, sed mixtum, judicii scilicet intra 40 dies revera incoepti quoad varios ex creditoribus, et alteram ex possessoribus Masiam. Quo in mixto casu quum actum intra legitimum tempus inchoatum vere fuisse constaret, ad ejusdem validitatem spectari neutiquam debebat quo tempore consummatus fuisset. Nam « *quaecumque prioris negotii explicandi causa gerentur, nihilum refert quo tempore consummentur, sed quo tempore inchoarentur* », prout lex monet 22 §. 2 *ff. de neg. gest.*, confirmantque leges 16 *d. t. et* 3 §. *scis de minoribus*, adjuncto *Ridolphino in praxi part.* 1 *cap.* 9 *num.* 188, *et sacra Rota dec.* 946 *cor. Dunozzetto.* Si ergo initio inspecto, tempestivae Parolinii creditoris declaratio, petitio et intimatio fuere, scilicet vadatis intra 40 dies Masia tertia possidente variisque creditoribus, ea legis sanctio adplicari non videbatur, quae simplicem casum respiciebat, creditorum videlicet, qui silentes praefinitum tempus labi permiserint.

§ 6. Quae omnia Folum rejicere etiam visa sunt in propria exceptione, sibi videlicet tertio possessori actum in spatio legitimo non fuisse intimatum. Si enim tempestive et intra terminum alteri possessori Masiae intimatus fuerat, individua actus ejusdem natura impediebat quominus diversimode de Folo definiri posset, ac satis superque erat legitime actum fuisse quoad alios absolutum. Praesertim cum actus primus dationis in solutum omnium bonorum, et reliqui subsequuti, transcriptio scilicet, procuratorium mandatum et judicium ipsum purgationis fundorum ab hypothecis, Folum exhiberent in societate emptionis et possessionis bonorum ita cum Masia conjunctum, ut distinctio inter utrumque fieri nequiret. Qua posita actorum omnium unitate, si quoad Masiam denegari non poterat Parolinium creditorem imminentem sibi peremptionem facultatis licitandi intercepisse, interruptio hujusmodi socio alteri Folo communis visa est, unde praescriptum jus licitandi quoad se tueri ipse nequibat ex justinianea sanctione in *l. ult. cod. de duob. reis.*

§ 7. Accedit asperum nimis videri si ex omissione unius dumtaxat intimationis intra

quadragesimam diem jus licitationis creditoribus caeteris interdiceretur. Immo hoc plane legislatorem noluisse colligitur ex alio facto et ex §. 212, qui cavet licitationem impediri non posse, etsi creditor petitioni suae renunciet. Si igitur ne petentis quidem renunciatio alicujus ponderis habenda est ad licitationis jus caeteris creditoribus auferendum, multo minus ad hoc sufficere unius etiam intimationis defectus dicendus erit. Nam ita per indirectum et contra legis mentem hoc beneficio privarentur caeteri creditores, qui nulla profecto culpa argui possunt, nisi dicere velimus ipsos aut ad incognita teneri, aut singulos debere licitationem petere, pretium augere, cautionemque offerre, quod legi prorsus repugnat. Recte itaque licitationis judicium Parolinius instituisse dicendus erat, tum quia utili die incboatum fuisse patebat, tum quia per citationem adversus unum ex creditoribus transmissam praescriptio etiam quoad caeteros interrumpitur, tum denique quia in iis quae ad praecedentis actus explicationem fiunt, initii tantummodo tempus attenditur.

§ 8. Quae omnia majorem vim acquirebant ex facto sequutae licitationis bonorum in exequutionem reijudicatae, qua auctum eorumdem pretium fuit ad scuta 8000 creditorum beneficio. Ex quo sequebatur Folum et Masiam de lucro captando agere in creditorum perniciem, qui de damno vitando certabant. Quo in casu potiusquam stricti juris rigor, aequitas servanda erat ad *text. in l.* 9, 41 §. 1, 56 *et* 206 *de reg. juris;* quamvis extraordinario restitutionis in integrum remedio fieri etiam locus nequivisset, si forte judices minus rectam interpretationem amplexi fuissent, quia sine manifesta injustitia hoc beneficium ex lege qua vivimus, denegatur, ut respondit nostrum tribunal *in Cingulana seu Trajen. restitut. in integrum* 12 *august.* 1841 *coram rmo meo Decano, Bononien. restitut. in integrum* 17 *mart.* 1843 *coram bon. mem. Grossi, Maceraten. restitut. in integrum* 2 *maj. coram Mertel, Romana restitut. in integrum* 26 *mart.* 1846 *cor. R. P. D. meo Ferrari, Recineten. restitut. in integrum* 4 *septembr.* 1846 *cor. Lolli.*

§ 9. Objectio tandem postrema de illegitima et minus idonea cautione diluebatur tum ex lege, tum ex ipsius cautionis qualitate. Lex quippe nullimode eam cautionem respuit quae fit per pignora et hypothecas, qua nulla praestantior dari valet, praesertim quia lex imperat non ut satisdetur, sed ut simpliciter caveatur, quod nudam promissionem significat, ceu monet Imperator *l.* 5 *cod. de verb. significat.* Verum misso etiam quod cautio minus idonea suppleri ex judicis officio possit, quodque haec exceptio creditoribus tantum competeret, cum alioquin nemo de cautione conquestus sit, constabat in facto satis idoneam cautionem Franciscum praestitisse, quia pro pretio bonorum ad vim scut. 5500 evecto integrum suum patrimonium censualis aestimationis scut. 9000 hypothecae subjecit, ex quo, detractis hypothecis evictionalibus ac nominalibus, caeterae ad summam vix scut. 500 conscendunt. Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicante, decisum est.

(Vide decis. CIV.)

Die 10 junii 1847 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Bartholomaeus Belli — D. Petrus Aloysius Briganti.
D. Petrus Proja.
D. Joannes Papi.

Prot. 157 / 1846 Rmo P. D. FERLISI Decano DECISIO CXXI.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 15 *Aprilis* 1847.

Argumentum

De mandato ad negotium gerendum ab indiciis et conjecturis deducto — De acceptatione sententiae quae nullitatis vitio laboret ex defectu jurisdictionis — An acceptatio sententiae manifeste pateat ex impetratione induciarum ad peragendam decretam solutionem.

§ 1. Vitus Enei ex oppido nuncupato *Montevidon Corrado* firmanae dioecesis cum in urbem anno 1837 sese contulisset pictarum tabularum rerumque antiquitate praestantium

negociationis exercendae gratia, diversorium petiit quod Joseph Longhi negociator honestus et industrius hic retinet. Adeo autem artibus suis apud Josephum ipsemet valuit, ut nedum arctissimam cum eo familiaritatem contraxerit, verum socialia etiam plurima iniverit negocia, ab eoque, caetera inter, summam scutorum trigintaquinque supra quadringentum ineunte mense majo anni 1840 acceperit « *per acquistargli oggetti di antichità, cioè quadri, scrigni etc.* ». Accidit sed brevi, labente sextili mense ejusdem anni, aere undique alieno obrutum Vitum fugam repente arripuisse, nullamque amplius ejusdem notitiam ad Josephum in urbem pervenisse. Post integrum hinc anni spatium effluxum e re tandem sua Joseph censuit, solemniis cunctis ad unguem impletis, quae servari lex jubet in §. 483 *vigentis codicis*, ubi rei conventi domicilium vel mora omnino lateat, diem ei coram mercatorio urbis collegio dicere, ut vel invitus doceret « *di aver acquistato tutti gli oggetti etc.* », vel ad pecuniae restitutionem damnaretur, personali etiam adversus eum mandato relaxato, quod facile impetravit.

§ 2. Quum excunte vero insequenti anno fortuna tandem noverit Joseph Asculum Picenum Vitum petiisse, mercatorii tribunalis fretus sententia sollicitus studuit in carcerem eum detrudi. Tum autem in urbem convolavit Philippus Enei germanus Viti frater, ac solemni asseverans ritu, « ESSERE INCARICATO ANCHE DAL SUO FRATELLO » rem omnem Viti etiam nomine amica transactione cum Josepho composuit, argenteis centum in eodem concordiae actu Longhio persolutis, ac pro reliqua pecuniae vi amplissimis ab hujus humanitate impetratis induciis, totidemque ejus favore collybi tesseris obsignatis, quas pacificum est, fuisse postea ex integro dimissas. Pristina sua libertate in ejusdem concordiae sequelam talique pacto a Vito recuperata, in urbem denuo is rediit, diuturnumque annorum plurium servavit silentium. Verum revoluto repente pallio ad diem 5 septembris anni 1846 apud mercatorium tribunal ipsemet stetit, ac recursu ad Ordinem nostrum de more interposito petiit, ex duplici tam citationis, quam jurisdictionis defectu deleri acta singula adversus se gesta, ac potissimum sententiam diei 10 augusti 1841 cum omnibus inde sequutis. Quam tamen ejus petitionem in hodiernis comitiis propositam rescripto « *Nihil de circumscriptione* » incunctanter rejecerunt PP., decisionis vulgandae munere mihi commisso.

§ 3. Ac supervacaneum censuerunt PP. sedulo et mature investigare utrum acta, quorum nullitatem in praesens Vitus arguebat, duplici reapse citationis et jurisdictionis defectu laborarent, quod caeterum ambiguitate nullatenus carebat. Illud enim exploratissimum undique visum iis est, quodlibet nimirum assertum nullitatis vitium ex posteriori transactione ab anno usque 1842 cum Josepho inita ita fuisse remissum et consanatum, ut in discrimen amplius actorum validitas revocari nequeat. Atqua ex integro equidem patebat transactionis contextu nedum dilationem Vito concessisse Josephum « *per pagare il debito, che ha il suddetto signor Vito a favore del detto signor Longhi, sanzionato con sentenza rilasciata dall'eccellentissimo tribunale di commercio di Roma sotto li* 10 *agosto* 1841 », verum nominatim etiam fuisse eos inter conventum, « *che con il pagamento delle suddette rate convenute rimane tutto quietanzato e saldato fra i suddetti signori fratelli Enei ed il signor Longhi, ... facendosi scambievolmente finale e finalissima quietanza* ». Ex actibus autem id genus a debitore gestis, atque ex impetratis potissimum ad solutionem peragendam induciis plenissimam sententiae adversus eum latae acceptationem oriri, eique proinde haud amplius licere sententiam ipsam, sive rem inde ortam judicatam carpere vel oppugnare, juris canon est, quo non vulgatior alter, veluti apertissimus edocet textus in *leg.* 5 *de rejud.* « ibi » *Ad solutionem dilationem petentem acquievisse sententiae manifeste probatur, sicut eum qui quolibet modo sententiae acquieverit. Nec enim instaurari finita rerum judicatarum patitur auctoritas* ».

§ 4. Incassum autem oggerebat Vitus conventionem eam procul ab ejus mandato unum ejusdem fratrem Philippum proprio lubitu inivisse, nullumque proinde ex ea praesidium quaarere Josepho licere. Licet enim de vero ac speciali Viti mandato in Philippum collato nullatenus constaret in themate, singula tamen rerum adjuncta una

praesertim simul sumpta, icto suadebant foedere, nonnisi Vito annuente et probante conventionem eam initam reapse a Philippo fuisse, eique proinde nefas hodie esse illius validitatem in discrimen adducere, postquam praesertim ejusdem compendio fuerit pacifice gavisus, tum amissam recuperans libertatem, tum induciis utens sibi a Josepho tributis. Et praesto primum in id erat solemnis et insuspecta ipsius Philippi declaratio in iisdem concordiae tabulis emissa, qua cubitalibus professus est verbis sese fuisse « *incaricato anche dal suo fratello Vito* ». Licet enim mera simplexque id genus declaratio ab asserto alterius procuratore emissa satis suapte indole non sit ad mandati veritatem probandam, non levem tamen ejusdem *praesumptionem* dubio procul inducit, quae plenissimam sibi vindicat fidem, si indiciis aliis vel conjecturis corroboraretur, cum nemo praesumatur alicujus negociis proprio lubitu sese voluisse *immiscere*, et in alterius gratiam turpiter etiam mentiri, veluti communi calculo tradunt *Purpurat. cons.* 492 *num.* 12, *Cyriac. contr.* 624 *num.* 50, *et Ursol. de transact. tit.* 1 *quaest.* 13 *num.* 18 *et* 19.

§ 5. Solemni autem declarationi huic accedebat insuper arctissima sanguinis conjunctio, cum conventionem eam non extraneus quilibet, sed germanus ipsius Viti frater iniverit. Eo enim facilius inter personas adeo sanguine conjunctas mandatum praesumitur ad tradita per *card. de Luca de regal. disc.* 180 *num.* 2, *et de dote disc.* 168 *n.* 2, *et per Rotam in Tiburtina successionis super transactione* 21 *jan.* 1803 §. 2. *cor. Resta, in confirmatoria* 9 *februarii* 1805 §. 4 *cor. eodem, et in Romana executionis transactionis* 5 *martii* 1819 §. 7 *cor. Isoard.* Quod sane si perpetuo obtinet, valeat eo vel fortius in proposita contentionis thesi oportet, cum propriam etiam fidem Josephi favore Philippus obstrinxerit. Nedum enim in una eademque syngrapha proprio etiam nomine ipsemet spopondit, « *garantire solidalmente il debito medesimo e rendersi così principalmente obbligato* », verum praeter argentea centum in eodem actu Josepho numerata triplicem insuper ejusdem favore collybi tesseram obsignavit; quae sane cuncta majorem ejusdem declarationi de fratris quoque mandato sibi haud deficiente vim et auctoritatem adjiciunt. Neque enim verosimile est germano ejus fratre invito et reluctante, obligationem id genus suscipere cum voluisse, vel mentionem saltem de asserto illius mandato facere (si illud sibi defuisset), quo caeterum etiam posthabito, liberum ei erat proprio tantum nomine cum Josepho contrahere.

§ 6. Verum hisce etiam cunctis sepositis gemini praesto erant testes, Joseph nimirum Castelli et Dominicus Primavera a Josepho adducti, et coram publico tabellione rogati, qui fidem unanimiter perhibebant Vitum ipsum certiores eosdem fecisse de inita a Philippo ex ejus voluntate et mandato cum Josepho Longhi transactione. Post talem enim et ingenuam ipsius Viti confessionem, insuspecto tempore et coram testibus geminis emissam, incivile vere erat et praepudiosum, ad causae opportunitatem eumdem in praesentiarum inficiari conari veritatem mandati in fratrem collati, vel transactionis saltem a Philippo initae ratihabitionem. Missis autem iis quae ad exhibiti testimonii fidem convellendam adversus testis alterius honestatem gratuito ferebantur, in Vitum ipsum retorquebatur quod ejus objiciebat Orator, testem nimirum praefatum ab anno usque 1844 ex personali mandato Josephi favore a mercaterio urbis collegio relaxato fuisse ejusdem nomine in carcerem conjectum. Si adeo enim dure et acerbe adversus eum sese gesserat Joseph, tali hercle facto non testis favorem et benevolentiam, sed ejus potius odium et indignationem sibi is comparavit, neque praesumendum proinde contra rei veritatem atque in unam Josephi gratiam falsum testimonium voluisse eum perhibere.

§ 7. Culmen denique fastigiumque rei imponebant gravissima ipsius Viti facta, unde luculenter eruebatur conventionem ejusdem nomine a Philippo initam ratam eum plenissime habuisse. In vim enim transactionis hujus, eaque imo vix inita, e vinculis fuit ipsemet liberatus, quin tamen querelam ullam adversus Philippi factum excitaverit. Pristina vero libertate recuperata Romam iterum is rediit mercaturae rursus operam

navans, et personale haud amplius verens mandatum Josephi favore obsignatum; diuturnumque inde annorum plurium silentium servavit ad mensem usque septembris anni 1846; quo primum temporis dumtaxat ad postremam conventae ratae solutionem remorandam circumscriptionis recursum interjecit. Quibus sane eloquentissimis factis suis evidenter ostendit initam a Philippo conventionem, quam inverosimile est nunquam prorsus eumdem novisse, numeris omnibus et constanter eum probasse. Ratihabitionem autem mandato aequiparari, translatitium in jure est ad *text. in leg.* 12 *et leg.* 71 §§. 1 *et seqq. ff. de solut. et liberat.*

§ 8. Neque recte Viti propugnabat orator nullitatis vitium, ex asserto praesertim jurisdictionis manans defectu, insanabile natura sua esse. Licet enim fingere luberet mercatorium urbis tribunal ratione punctim materiae jurisdictione penitus caruisse hujusmodi causam dirimendi, ejusque cognitionem ad unum civile forum pertinuisse (quod caeterum tum mercatoria utriusque litigatoris qualitas, tum susceptae a Vito obligationis indoles repellere videbantur), nil tamen inde ipsemet proficeret. Praxeos enim qua vivimus leges, prohibent utique quominus judicis ratione materiae incompetentis sive incapacis jurisdictio litigatorum consensu valeat prorogari; haud tamen facultatem iis adimunt sententiam etiam irritam ac nullam ab incapaci judice editam ratam acceptamque habendi, sive illi quae nullitatis labe etiam inficitur, quamvis natura sua omnino insanabili, vel expresse vel tacite valedicendi, quod sane est diversissimum. Licet enim reipublicae intersit ratum judiciorum ordinem ac praescriptos jurisdictionis gradus sartos tectosque servari, in litigatorum tamen manet arbitrio actorum nullitatem, licet insanabilem, provocare, vel non provocare.

§ 9. Si iis itaque semel placuit actorum nullitati renunciare, nefas hercle iisdem est ad jura renunciata amplius regredi, ac remedium invocare, cui amplissimum jamdiu nuncium miserunt; atque hinc sententia licet irrita et nulla, ex posteriori tamen litigatorum acquiescentia et acceptatione plenam adversus eos sibi vindicat auctoritatem, quemadmodum statuit tum *s. Rotae auditorium in Romana decoctionis super circumscriptione quoad competentiam* 17 *aprilis* 1815 §. 3 *coram Rusconi*, tum supremum nostrum tribunal *in Viterbien. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 26 *novembris* 1841 §. 4 *cor. R. P. D. Conventati.* Ut enim perbello admonet *Vantius de nullit. cap. ult. num.* 19 « ibi » *Quantumcumque his casibus sententia foret nulla, deberet exequi, si non tamquam sententia, saltem vigore pacti et stipulationis.* Et ita etc. utraque etc.

Die 29 julii 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Candidus Tosi — D. Antonius Guerra.

Prot. 22 / 1847 **R. P. D. ARNALDI** Decis. CXXII.

Bononien. Restitutionis in Integrum

Jovis 28 Aprilis 1847

Argumentum

De probationibus quibus ostendere liceat impotentiam solvendi, et cessationem a solutionibus, cum de statuendo tempore decoctionis agatur.

§ 1. Negotiatorum albo in bononiensi commercio anno 1828 adscriptus Andreas Evangelisti eo in genere mercaturae « *per compre e vendite di olj* », deinceps anno 1842 apothecae aromatariae adauctus negocio, postremo fortuna laesus, decoctionem obivit. Postquam enim die quinta septembris anni 1845 aromatariam tabernam cum omnibus mercibus, nominibus et capitibus vivis demortuisque (ut ajebat) Philippo Tagliavinio cessisset publico instrumento, quo declarabatur *ex prima die* septembris, descriptione rite expleta, omnium illarum rerum pretium, non solum non suffecisse pro extinctione crediti ejusdem Tagliavini

ex totidem collybi litteris et usuris in scutatis 3297, 17, verum etiam creditorem hunc superesse in sc. 355,09, ac praeterea die *nona* ejusdem mensis ex albo mercatorio deleri curasset, cui Tagliavinus succederet, die *quintadecima* venit ad acta ubi decoctionem declaravit suam, ac professus est eam esse retinendam *a die prima septembris*, qua non modo reapse a solutionibus cessaverat, sed immo impar cuique solvendo evaserat; idque exponere veritate justitiaque vindice, ne ex deceptione sibi gesta et pollicitationibus a Tagliavinio haud impletis de satisfactione reliquorum creditorum, praejudicium hisce frausque fieret.

§ 2. Decoctionem apertam declaravit tribunal, eamque provisorie retinendam a die prima septembris, electo syndico jussa debitoris captura. Ast tum Tagliavinus, qui totam illam machinationem mole sua passuram ruinam praevidit, alte obstitit haud a die prima septembris decoctionem habendam, verum a die quintadecima, qua eam debitor conclamaverat. Re serio discussa, per definitivam sententiam obfirmarunt judices prius decretum extrajudiciale « *che apriva il fallimento di Andrea Evangelisti, retrotraendo l'epoca al giorno primo di esso settembre* », quam tribunalis appellationis Bononiae plene confirmavit. Haud vero fractus animo Philippus ad supremum Ordinem accessit adversus remjudicatam efflagitans restitutionis in integrum beneficium. Sed Patres hodiernis in comitiis ulla absque haesitatione responsum ediderunt « *nihil* ».

§ 3. Perspectissime siquidem ex rejudicata scatebat constitutum fuisse cessare de decoctione Andreae ad kalendas septembris, immo ante eam diem in commercio peragendae vitae ei defuisse « *ogni mezzo* », cecidisse « *in assoluta insolvibilità* ». Hinc « *certissimo, che al cominciare di settembre era già formata, ministerio juris, la sorte di Andrea Evangelisti, non che quella dei creditori* », ac declarationem debitoris nedum per se ipsam, sed et ex rerum adjunctis et conjecturis ac rebus gestis veritatem edocere. Perperam ergo restitutioni in integrum inhiabat Philippus. Etenim in quaestione facti, si de hoc, ita ex allatis in processu probationibus rejudicata redditum jus est, nemini non dictum, restitutionem in integrum respuendam nisi afferantur « *documenti, con i quali si provino fatti nuovi e decisivi* », vel probationes illas superstructas « *sopra documenti riconosciuti in appresso come falsi* ».

§ 4. Et recte; nam cum existentia facti ex pluribus adjunctis ac individualibus conjecturis haurienda saepenumero sit, quae vel etiam juxta casuum qualitates, ac inspecta locorum, temporum, personarum conditione majus vel minus robur recipiunt, ceu instruit *card. De Luca de fideicommis. dis.* 59 *num.* 4, ideo scitissime monet *Ulpianus in leg.* 79 *ff. de judiciis*, de eo, prout religio suggerit a judicante proferendam sententiam esse. Item *ex leg.* 15 *ff. ad municip.*, facti quaestionem in potestate judicantis habendam esse ait, prout rei inquisitionem arbitrio cognoscentis committi decreverat *lex* 15 *sed nos ff. ad s. c. Tertullian.* Quamobrem cum non adversus jus constitutum, sed de jure litigatorum, hoc est, de tempore decoctionis statuendo, quod quidem debitoris et creditorum respectiva jura respicit, definitio processerit, sequitur de quaestione puri facti fuisse pronunciatum, eoque judicio ne latum quidem unguem abscedendum, nisi per novam decisivam probationem rejudicatae fundamentum evertatur, *argum. ex l.* 3 *ff. de testibus, l.* 19 *de appellat., l.* 1 *§.* 2 *et l.* 2 *c. quando provoc. non est necesse*, ceu satis elucide supremus Ordo statuit *in decis.* 16 *collect. tom.* 2 n. 1 *et* 2, et concors doctorum gallicorum schola, ut videre est in *Pardessus de jure mercatorio p. vi tit.* 1 *sect. iii p.* 1104 *et seq.*, et suprema cassationis parisiensis aula in *decis. diei* 12 *maji* 1841.

§ 5. Jure autem meritoque flocci habita sunt quae afferebantur ad evincendum minime dici potuisse Andream kalendis septembribus a solutionibus defecisse, eo quia nulla ea die prodivit in scenam collybi littera confestim solvenda, nulla emissa protestatio, nullus judicialis actus editus. Sunt enim illa indicia et conjecturae et signa, quae nil quandoque concludunt, jubente lege « *non comproveranno l'apertura del fallimento, se non allorquando vi sarà cessazione di pagamento, o dichiarazione del fallito* ». Itaque etsi illa deficiant, haud tamen interclusa via est illam cessationem ac, ut dicis, verum decoctionis characterem *a priori* ostendere; demonstrata siquidem absoluta ad eam diem impotentia ex aliis argu-

mentis et rebus gestis aliisque adjunctis et conjecturis, praecipue si cemplexim eorum efcacia per remjudicatam probata fuerit, id dici probatum oportet, quod religioni judicautium certum verumque est visum, eorumque potestati prudentique arbitrio commissum fuerat.

§ 6. Qnamquam si de justitia percontari esset opus, nil eluceret magis, quam selutinnibus et uegotiatoris officio fungi minime ad ipsam diem Andresm valuisse. Scatet ex publicis tabulis diei quintae septembris, kaleudis ipsius omnium vel miuutarum rerum tabernae aromatariae valorem ne praetensum quidem Pbilippi creditum exurgens ad *scut.* 3297, 17 exaequasse, immo buuc creditorem remansisse in *scut.* 355, 09. Quibus alia creditorum nomina erant sddenda. Eodem iustrumento patet ea ipsa prima die binis exsolveudis litteris defecisse Audream, altera iu Cavsllinium scutator. 170, altera scutat. 75 iu Reuolium, quae neu slias a Pbilippo solutae sunt, quia uummis vacuus et prorsus impotens hic erat. Jsm vero si ueque ex uuiverso mercium, stiliorum, uominum et quisquiliarum etiam pretio aromatariae tabernae, aes alienum extingui baud poterat, ueque ea exsolvi litteras posse patet, eaque ipsa die impoteutem solutinuem perficiendi Andream evasisse, ac reapse facto ipse a solvende cesssse, ac rem ita esse omniuo in comperto ut nulla dari gravior probatio possit, quam quae ex facto certe atque evidenti resultat.

§ 7. Accedunt corollsria nempe, sequuta cessie iu solutum universae rei mercatoriae, letio ex albe uegociatorum, subrogatio Pbilippi in aromstaria taberna sibi assumpta, quae omuia uounisi quam ad jam auterius obventam dccoctionem referri possuut. Adstipulatur declaratio debitoris, qui se ex ea die obeundis selutinnibus omni exutum facultate professus est. Ac licet quoad decectionis tempus baud tutum argumeutum exbibeat, id obvenit ue ex uua illius declaratione, respectiva inter se creditorum jura laedantur; ast coujuncte rcliquis adminiculis, conjecturis rebusque gestis fidem fscit, ac iu eam praesertim nequit insurgere Philippus, qui scieus ac prudeus statum debitoris sui optime callens foeucbres suppeditabat summas, ut eo sub pallio spiuis usurarum cousito decnctionem detegeret, donec universa debitnrls fertuua in plenam et integram sui neminis satisfactionem accepta reliquis creditoribus remanerent quisquiliae, prout subsecutus effectus docuit, illis vix oblato « *il trenta per cento* ».

§ 8. Denique inficiari nequibst quod foeuebres summae, quas suppeditabat Philippus, collybi litteris cousignatae ac stata die insolutae, augebantur usuris, ad diem alteram solutioue dilata. Quod sane alterum invaliditatis seu impoteutiae antecedentis argumeutum exbibet, cum uemo bebes sit adeo ut absque uecessitatis jugulo illis renovationibus se velit suppouere, itaque in foeneratorum retiis ebvolvi. Cni doctrinae cohaerent rationes legis expressae in expositis per *Dalloz. tratt. dei fall. cap.* 1 *art.* 1, *Adden.* ad codicem commercialem typis floreutinis vulgatum anno 1844 *in nota ad art.* 441 ubi refertur quoque ita judicatum in casu simili *a tribunali Blois die* 17 *april.* 1842 et a trib. comm. *Mebatensi die* 1 *septembr.* 1843 et a trib. *Roven. die* 18 *jan.* 1845 et clarius queque *ab aula cassationis parisiensis* iu decis. uuperrima auui 1846 et a tribuuali *Verviers.* iu decis. quam refert. *Dalloz.* loco citato.

§ 9. Stat erge qued facti quaestiouem absolvit resjudicata, a qua nequit recedi, nisi uovis ac decisivis documantis quae illam prosternaut, dum coutra, ea super quibus fundata ost definitio, recte justeqne redditum esse judicium demoustrent. Atque ita etc. utraque etc.

Die 8 julii 1847 « *In decisis* »

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Pbilippus Maria Saliui.
D. Vincentius Scifoni.

Bononien. Restitutionis in Integrum

Jovis 20 Maji 1847.

Argumentum

(Habes in Decis. CIII.)

§ 1. Rescripto supremi nostri Ordinis 28 januarii labentis anni concessa fuit Josepho Patrignani restitutio in integrum adversus remjudicatam, quae declaraverat validam adjudicationem praedii *Macchia* ad Cajetanum Patrignani pertinentis, favore Josephi Gaudini usque a die 18 januarii 1830 expletam, uti ex decisione R. P. D. mei Lippi tunc evulgata. Novis vero hodie documentis allatis, quaestio immutata penitus fuit; proindeque Patres in aliam sententiam abire debuerunt lato rescripto « *nihil de restitutione in integrum* ».

§ 2. Nam patuit ex eis quod Joseph nullo jure pollebat ad adjudicationis nullitatem postulandam. Absolutissima enim rejudicata, quae amplius revisioni non subest, declaratum fuit Josephum Patrignani inter creditores hypothecarios super praedio *Macchia* recensendum non esse « *ha poi dichiarato e dichiara escluso dalla classificazione dei creditori, di cui si tratta, il signor Giuseppe Patrignani* ». Quae resjudicata meruit probari ab alia aeque absolutissima rejudicata ab eodem Josepho provocata, per quam ipse, qui exclusus fuerat a graduatione super fundo *Macchia*, utiliter potuit graduari super fundo *Luogo Nuovo*. Si igitur nullam super distributione pretii illius fundi actionem exercere poterat, judicio sistere nequibat ut adjudicationis nullitatem obtineret *ad text. express. in* §. 932 *leonini codicis*, ad cujus tramites lis haec judicanda est; « ibi » *Qualunque nullità degli atti executorj anche sostanziale non potrà allegarsi se non da quello, a di cui favore è indotta* ». Nequibat igitur restitutionem in integrum petere. Unus Cajetanus Patrignanius, qui pro ea obtinenda agere potuisset, judicio nunquam venit, illius nullitatem postulaturus. Cum igitur legitimus actor Joseph non esset, cui imploratum beneficium nunquam erit profuturum, denegandum certo certius erat.

§ 3. Praesertim quum, si quae nullitas in ea adjudicatione irrepsisset, consanata tum a Cajetano, tum a Josepho fuisset. Nam praecipuum nullitatis fundamentum in eo positum est, quod adjudicatio expleta fuit post terminum triginta dierum ab adjudicationis decreto, quin illud renovatum fuisset. At vero Cajetanus ultro libenterque dilationibus assentitus fuit. Joseph vero post terminum illum effluxum, die nimirum 23 septembris anni 1829 institit ut « *pretium retrahendum a deliberatione, vel adjudicatione praedii dicti Macchia deponi debeat favore cujus de jure juxta graduationem faciendam* ». Quo quidem judiciali actu consensum suum praebuit ut adjudicatio extra terminum triginta dierum expleretur. Nam decretum denunciatum fuit die 21 maji 1829; adjudicationi itaque locus erat die 21 insequentis mensis junii. Si igitur die 23 septembris depositum tantum faciendum curavit, et minime excepit adjudicationem sine novo decreto expleri non posse, consensum suum dedit ut ea post terminum quoque sine altero decreto expleri posset; proindeque jam ortae nullitati valedixit. Nequibat igitur amplius nullitatem deducere quae consanata fuerat, uti sancitum est in codice leonino §. 932 « *Qualunque nullità degli atti executorj anche sostanziale . . . . resta sanata, qualora quegli che ha diritto di opporla, comparisce in giudizio ed adduce altra eccezione* ».

§ 4. Quibus extrinsecis omnibus praetermissis illud quoque PP. animadvertebant, quod restitutio in integrum tunc solum tribui potest, quum « *siasi contravvenuto espressamente ad una legge* ». Contra Joseph nullam indigitabat legem, qua cautum esset, decretum adjudicationis renovandum esse, si adjudicatio intra terminum a primo decreto constitutum minime perageretur, id quod satis esset ut Josephu beneficium quod implorat, denegari deberet. Non solum vero lex expresse decreti renovationem non im-

perat, sed imo hanc renovationem noluisse visum fuit. Dum enim egit de deliberatione, casum prospexit quo ea praestituta die locum habere nequeat, et tunc non decreti, sed edictorum tantum renovationem jubet, uti palam est ex art. 820. Nulla vero ratio excogitari potest cur major rigor servandus sit in praecisa die quoad adjudicationem, ac fuisset servandus pro deliberatione. Verum ubi eadem militat legis ratio, eadem esse debet dispositio.

§ 5. Falsum vero est quod ex dilata de die in diem adjudicatione debitor damnum perferre possit, veluti ac si minores oblatores ad bastam tunc accedant. Nam oblatores edictis alliciuntur, minime vero decreto, quod imo nullam utilitatem, sed impendium tantum sine ulla ratione debitori affert. Aliquid Joseph diceret si edicta renovata non fuissent. Sicuti vero in facto certissimum est edicta, antequam adjudicatio expleretur, iterum iterumque affixa fuisse, et illorum affixionem renovatam fuisse decem dies ante adjudicationem, ita numerus oblatorum augeri poterat; nam majus ad offerendum tempus concessum fuerat. Dilatio itaque favebat, minime vero nocebat debitori, praesertim cum oblationes etiam per schedulas dari tunc potuissent non expectato bastae aestu, quo in casu si protrahebatur adjudicatio, et si pluries affigebantur edicta, major quoque dabatur oblatoribus occasio novas exhibendi schedulas.

§ 6. Neque altera consistit nullitas ex eo deprompta quod pretium contextim depositum non fuit. In deliberatione quidem lex pecuniae oblatae depositum requirit; at in adjudicatione extat altum in eadem lege silentium. Contra inter deliberationem et adjudicationem latum intercedit discrimen. Deliberatio enim est simplex venditio. Adjudicatio vero est datio in solutum, debitum dimittitur. Inane igitur et vitiosum fuisset adjudicatorium cogere ad pretium numerandum, quod postea ad eum redire deberet. Si quaestio inter creditores super distributione pretii exoritur, deposito locus esse non debet, de quo lex non loquitur, sed creditores juxta gradnum praerogativam pecunias debitas condicere poterunt, uti revera nostro in casu eas a Gaudinio creditores priores atque potiores post sententiam graduatoriam assequuti fuerunt. Et ita post concessam dilationem, vadimonio a Josepho deserto, altera tantum parte postulante, resolutum est.

(Vide Decis. CIII.)

Die 8 julii 1847 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Joseph Caramelli — D. Vincentius Binarelli.

Prot. 133/1846 R. P. D. VICI Decisio CXXIV.

Bononien. seu Ferrarien. Unionis Causarum

Jovis 20 *Maji* 1847.

Argumentum

Dum agitur de unione causarum, disceptatur etiam de excussionis exceptione proposita in judicio actionis hypothecariae.

§ 1. Cambiale nomen scut. 8000 cum semissibus usuris jamdiu contractum a Josepho Corellio erga statum et patrimonium Odorici, in codicibus hypothecariis Ferrariae inscripserunt die 28 martii anni 1837 qui tunc negocia patrimonii ipsius curabant. Haec inscriptio expleta fuit super amplo latifundio cui vocabulum *Umana o Del Passetto*, quod pluribus constans praediis extat in paroecia « *di S. Longostino, provincia di Ferrara, di diretto dominio del reverendo capitolo della cattedrale di Ravenna* ». Ob cessionem a Josepho De-Luca sui favore habitam inscriptio ea hypothecaria mense junio anni 1846 translata fuit in Josephum eumdem, atque in ejus haeredem fiduciarium advocatum Paulum Ghedini.

§ 2. Interea temporis ac punctim die 17 septembris anni 1842 Corellius latifun-

dium *Umana* vendiderat Sebastiano Lanconelli constituto pretio in argenteis 60000, quorum scuta 25000 emptor retinuit pro totidem jam venditori repraesentatis, pro altera pretii parte inter alia nomina Lanconellius in se suscepit cambiale nomen Odorici, residuum infra statutos terminos solvere promittens. Cautum tamen ipse voluit in emptionis contractu quod si venditum latifundium praeter enunciata aliis oneribus et hypothecis affectum in posterum invenisset, fas sibi foret « *sospendere l'adempimento dell'accollazione, e così del residuo del prezzo per introdurre a carico del prezzo istesso regolare giudizio di purgazione a termini di legge* ». Contractum emptionis latifundii illius illico in hypothecarios codices emptor sui favore transcribere minime praetermisit, denunciato quoque transcriptionis actu creditoribus hypothecariis, inter quos etiam administratori patrimonii Odorici.

§ 3. Cum tamen deinceps alteras hypothecas praeter enunciatas emptum latifundium afficere ille cognovisset, in vim pacti superius relati die sexta maji anni 1846 judicium instituit coram tribunali primarum actionum Bononiae, instans fas sibi esse « *di sospendere* » tum «*l'adempimento delle accollazioni* », cum solutionem quoque « *del residuo del prezzo, fino a tanto che col regolare giudizio di purgazione*, o *in altri modi vengon tolti i suddetti pesi*, *da cui il Corelli garantì i beni venduti*, *e di cui si sono scoperti gravati* ». Hanc instantiam Lanconellius judicialiter indixit tam venditori Corellio, quam creditoribus hypothecariis in contractu venditionis enunciatis, ac proinde advocato etiam Ghedinio uti haeredi fiduciario Josephi De-Luca patrimonio Odorici, ceu animadversum fuit in cambiali nomine scutorum 8000, suffecti. Ghedinius ac cum eo tutores Francisco filio suo a Josepho dati, antequam jurium productio a Lanconellio fieret, procuratorem in judicio eo constituerunt, judicialiter etiam instantes ut « *nello stato degli atti* » absolverentur « *dalla dimanda spiegata del signor Sebastiano Lanconelli nella suddetta citazione introduttiva del giudizio* 6 *marzo* 1846 », quam instantiam judices bononienses incidenter decreverunt sese in calculo fore habituros « *nella spedizione della causa* ».

§ 4. Attamen cum jamdiu cessisset dies solutionis syngraphae cambialis, juribus utentes ab inscriptione hypothecaria super latifundiu *Umana* sibi promanantibus advocatus Ghedini et Francisci De-Luca tutores, hypothecariam actionem instituerunt apud tribunal civile Ferrariae adversus Lanconellium tertium illius latifundii detentorem, vadatis etiam interea defuncti Josephi Corelli filiis et haeredibus, in qua expostularunt ut vel cambiale nomen cum illius fructibus Lanconellius persolveret, vel praedium hypothecatum dimitteret ad hoc ut ex pretio ab illius licitatione retrahendo crediti ad ipsos pertinentis satisfactionem consequerentur. Tunc Lanconellius excussionis prius exceptionem coram tribunali Ferrariae proposuit ob praedia altera penes debitores Corellios adhuc extantia, atque hypothecae vinculo in cambialis nominis securitatem subjecta, ac deinceps recursum ad supremum nostrum Ordinem interposuit, in quo petiit ut judicium istud avocaretur, atque uniretur alteri coram tribunali primarum instantiarum Bononiae a se instituto. Dimissus tamen Lanconellius fuit in hodiernis comitiis rescripto « *nihil de unione* », munere mihi dato decisionem edendi.

§ 5. Deesse namque Patres in praesenti controversia existimarunt extrema, quae praesto sint oportet ad unionem judiciorum decernendam. Jubet namque §. 1050 *legum neotericarum* tunc ea usarum unioni locum fieri posse, cum una earum ab altera dependeat, atque hujusmodi connexionem una alteraque earum inter se habeant, ut si a diversis judicibus absolvantur, sententiarum antinomia facile possit oriri. Si tamen indoles et natura judicii a Lanconellio instituti coram tribunali primarum instantiarum Bononiae comparetur cum indole et natura judicii alterius penes tribunal civile Ferrariae ab advocato Ghedini et a tutoribus Francisci De-Luca promoti, et quorum unio a Lanconellio expostulatur, illico manifestum fiet nullam connexionem, dependentiam nullam unum inter ac alterum intercedere, ita ut nulla ratione timendus sit sententiarum conflictus si a diversis tribunalibus super judiciis ipsis sententia proferatur.

§ 6. Egit namque Lanconellius apud bononiense tribunal pro dilatione consequenda ad nominum solutionem quae in se susceperat in emptione latifundii *Umana*, ob alias hypo-

thecas quae praeter illas in contractu eo enunciatas et in se susceptas latifundium idem afficiunt. Egerunt e contra Ghedinius et Francisci tutores coram tribunal civile Ferrariae pro satisfactione syngraphae cambialis scut. 8000, actionemque hypothecariam instituerunt ut vel a tertio possessore latifundii in tutelam nominis ipsius hypothecae vinculo sibi devincti, vel ex pretio a licitatione latifundii retrahendo solutionem syngraphae cambialis obtinerent. Nulla hinc, ut quisque facile percipit, judicii unius cum altero connexio, neque ulla unius ab altero dependentia. Deinceps non modo nulla conjunctio unum inter ac alterum judicium valet intercedere eo quod sunt diversae indolis ac speciei, sed etiam quia a titulis ac fontibus promanant nihil commune inter se habentibus.

§ 7. Etenim judicium a Lanconellio institutum respicit contractum emptionis venditionis inter eum et Corellium conventum atque initum die 17 septembris anni 1842; respicit alterum a Ghedinio promotum repetitionem nominis a Corellio jamdiu suscepti favore administratoris patrimonii Odorici. Spectat primum ad executionem pacti in venditione conventi; spectat alterum ad exercitium actionis hypothecariae ex inscriptione promanantis ac susceptae in constitutione nominis illius. Si vero judicia ea diversae sunt indolis ac naturae, si a differentibus titulis ac fontibus oriuntur, si diversus est eorum scopus et finis, nulla potest inter ea intercedere connexio ac dependentia, ac proinde fieri nequit omnino ut judiciorum eorumdem unio valeat decerni, uti centies definivit supremus noster Ordo, ac praecipue in *Romana remissionis causae, sive appellationis* 19 *decembris* 1828 §. 4 *coram eminentissimo Vannicelli, in Romana avocationis et unionis causarum* 3 *augusti* 1837 §. 9 *cor. Grossi, et in Ferentina unionis et avocationis* 8 *februarii* 1838 §. 4 *cor. rmo Decano.*

§ 8. Dum vero nulla extat inter judicium unum ac alterum connexio et dependentia, procul abeat etiam oportet quaelibet sententiarum antimonia, si diversa tribunalia coram quibus fuerunt instituta, eadem absolvant. Et reapse dilationem judices bononienses concedant nec ne solutioni nominum quae Lanconellius in se suscepit in emptione latifundii *Umana*, relationem nullam sententia ab ipsis ferenda habere poterit quoad sententiam a judicibus ferrariensibus pronunciandam super actione hypothecaria coram ipsis a Ghedinio instituta. Contractui porro ex quo promanat Lanconelli actio, neque auctores Josephi De-Luca, neque Joseph, neque illius haeredes interfuerunt; hinc sicuti nullum praejudicium contractus idem inferre valuit juribus quae hisce competunt ob inscriptionem hypothecariam super latifundio *Umana* ante contractum eumdem susceptam, ita neque sententia super effectibus contractus ipsius ferenda relationem ullam valet exercere quoad alteram sententiam super actione hypothecaria pronunciandam. Sunt namque vulgatissima juris communis axiomata, quod res inter alios acta ad alteros protrahi nequaquam potest neque praesentes, neque consentientes, quodque nemini obligatio valet oriri ex contractibus inter alios gestis, ad monita per *sacram Rotam in Anconitana immissionis* 14 *decembris* 1832 §. 3 *coram eminentissimo De-Cursiis, in Anconitana pecuniaria* 20 *junii* 1836 §. 3 *coram R. P. D. De-Avellà, et in Ferentina liberationis a molestiis* 13 *maji ejusdem anni cor. emo Marini.*

§ 9. Timorem tamen sententiarum conflictus desumebat Lanconelli orator ex beneficio excussionis coram judicibus ferrariensibus a suo cliente proposito, eo quod altera bona praeter latifundium *Umana*, penes venditoris haeredes adhuc extant, quaeque hypothecae vinculo subjecta fuerunt in cambialis syngraphae tutamen. Ajebat namque orator idem evenire utique posse quod dum beneficium excussionis ferrarienses judices sint clienti suo concessuri, judices e contra bononienses sententiam queant proferre, in qua denegata dilatione ab eodem postulata ad susceptorum nominum solutionem, statuant actione personali ad solutionem eamdem ipsum teneri, id quod sententiarum antimoniam ullo procul dubio inferre ipsemet concludebat.

§ 10. Misso tamen dubium prorsus videri, utrum judices ferrarienses excussionis exceptionem sint probaturi, dum Lanconellius minime demonstrat hypothecam pro cambiali nomine super alteris Corellii bonis praeter fundum *Umana* conventam, fuisse reapse super iis etiam inscriptam in codicibus hypothecariis, hoc misso, sententiarum conflictum nunquam eventurum Patres existimarunt ex duplici ratione; primum nempe, quia dum ex su-

perius animadversis judicia ea ex diversis promanant titulis, neque relationem ullam unus ex eis exercere valet super resolutione alterius, cum proinde nulla extet connexio et dependentia inter unum atque alterum, neque unquam timendus sententiarum conflictus, qui juxta jam relatum §. 1050 tunc tantum potest evenire cum *« più cause »* sint *« fra di loro connesse »*, atque sit *« l'una dall'altra dipendente »*.

§ 11. Animadvertebant deinceps ad judiciorum indolem ac naturam metiendam, ac proinde ad causarum unionem decernendam, libellum tantum in litis exordio ab actore propositum in calculo esse habendum, neque ullius ponderis aestimandas exceptiones a reo propositas, quaeque ut plurimum ad id unum spectant, ad remorandum nempe judicii etsi expeditissimi cursum. Quidquid namque extra fines vagatur propositae actionis, et cognitiones, quae nonnisi incidenter a judicibus suscipi queunt de exceptionibus a reo exhibitis, nunquam definitivae sententiae vim et efficaciam valent nancisci. Licitum hinc etiam reo cognitione ea non obstante, exceptiones easdem per viam actionis in separato judicio iterum proponere, quod sane evenire nequaquam posset si cognitio illa vires assumeret definitivae sententiae. Apertissimus est *textus in leg.* 1 *cod. de ordine judiciorum*, *quem inter* caeteros exornat *Peretius in codicem in comment. ad eumdem titulum numer.* 3 *et* 4, et manifeste statuit supremus noster Ordo *in Maceraten. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 3 *aug.* 1843 *coram R P. D. La Grua, et in Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 23 *augusti ejusdem anni* §. 5 *coram R. P. D. meo Arnaldi.*

§ 12. Quapropter dum cognitio a judicibus ferrariensibus suscipienda de excussionis exceptione a Lanconellio proposita nunquam vim definitivae sententiae valet acquirere, neque excogitari quidem potest ob cognitionem exceptionis illius conflictus inter sententiam quam judices iidem laturi erunt quoad hypothecariam actionem a Ghedinio et Francisci De-Luca tutoribus coram ipsis propositam, sententiamque a tribunali bononiensi pronunciandam super altero judicio a Lanconellio apud illud instituto. Igitur qualibet remota sententiarum antimonia, et nulla intercedente inter judicium unum atque alterum connexione ac dependentia, fieri nequibat omnino quin postulatus a Lanconellio unionis recursus penitus rejiceretur. Et ita in acri partium certamine resolutum fuit.

Die 29 julii 1847 *« In decisis »*.

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Philippus Guarnieri.

Prot. 144/1846 **R. P. D. PACCINELLI** Decisio XXV.

Romana Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 20 *Maji* 1847.

Argumentum

De valore litis quae servitutem aquaeductus et aquae haustus respicit, et in qua damna et reductio in pristinum principaliter expostulantur.

§ 1. Ut collegium sanctae Dei Parentis ad Porticum, olitoriae vineae quam *ad Vallem Tabernolae* prope adyta sacrosancta in continentibus urbis, et cauponae hortoque inclyti ordinis patrum canonicorum Lateranensium finitimam possidet, praestantiorem redderet culturam, emptionis venditionis titulo, publicis in id tabulis ad diem usque 27 *augusti* 1697 conscriptis, depacto pretio sc. 100 ab iis sibi quaesivit *« il ritorno dell'acqua che esce dalla fontana dell'osteria vicino alla Scala Santa, ed anche dalla fontana dell'orto contiguo a detta osteria da prendersi dall'ultima tazza inferiore a piano terra per tanta quanta è, ed esce dalla suddetta fontana, e non altrimenti »*. In possessione istiusmodi aquae rejectaneae hauriendae ac ducendae per aquaeductum, quem *Ciminus* collegii procurator adstipulatus est in ipsis tabulis aere proprio condere ac manutenere *« dalla suddetta osteria ed orto respettivamente sino alla vigna de' reverendi padri di s. Maria in Campitelli »*, collegium ipsum pacifice ver-

satum est ad annum 1836 in quo ob indictam peractamque summi imperantis jussu generalem aquae virginis emendationem, illa quoque rejectanea eidem pro adepta servitute decrescere incepit. Ratum tunc collegium servientis aquae imminutionem capituli facto et culpa originem ducere, ideoque fretum relationi studio architecti *Costa* antea digestae, et ex qua in suipsius perniciem apparere praedicabantur nonnulla novata opera, reformatus aquaeductus, ac demum contracti immutatique refluentes in utraque fontis patera digiti, solemni majorum causarum ritu Lateranensi patrum canonicorum ordini coram Rev. Cam. Ap. auditore diem dixit, ut decerneretur « *la riduzione* in pristinum *delle vaschette e condutture nel modo e forma con cui erano costruite all'epoca della concessione dell'acqua che deve profluire all'orto e vigna dell'istante, venga demolito il nuovo condotto, e tolto qualunque altro impedimento alla libera profluenza di detta acqua alla possidenza della istante* », ac insuper petita manutentione in quieta et pacifica possessione « *avuto riguardo al titolo* » institit ut « *vengano ordinate delle provvidenze tali in avvenire da evviare a qualunque impedimento per la reclamata libera profluenza medesima, non che venga il rev. capitolo condannato all'emenda di tutti i danni avvenuti e d'avvenire* ». Isthaec sane petitio tum in primis jurisdictionis subselliis, tum ab emo urbis vicario, ad quem in aestu primae sententiae prolatae capitulum ipsum errore provocaverat, plenissime fuit comprobata. Orta sic rejudicata Lateranenses canonici recursum habuerunt ad supremum nostrum Ordinem pro circumscriptione actorum in appellationis gradu ex jurisdictionis defectu, sin minus pro in integrum restitutione. Facto itaque eorum petitionis hoc mane periculo Patres mei rescribendum duxerunt « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis in gradu appellationis coram emo urbis vicario ex defectu jurisdictionis, pr. vv. jj. ss. v.* ».

§ 2. Altius inspecte siquidem tenore libelli, quem illud collegium contra capitulum transmisit, Patres ea, qua praestant sapientia atque justitia, sibi tandem suadere debuerunt institutum judicium de in pristinum reductione, de servitutibus aquaeductus et aquae haustus, ac demum de emendatione damnorum principaliter efflagitata, in majoris causae natura versari. Quae quidem tris petitionis capita sive insimul sive singillatim sumpta manifestissime edocent majoris causae naturam, quaeque proinde in appellationis gradu minime ad emum urbis vicarium, sed ad Rotam omnino erant deferenda ex indubia dispositione judiciariae, qua adhuc moderamur, praxis sub §. 377, « ibi » *Il tribunale della s. Rota conosce, e giudica in secondo grado di giurisdizione le cause maggiori di cinquecento scudi romani, o di valore indeterminato, e quelle che sono qualificate come cause più gravi in materia ecclesiastica decise in prima istanza dagli ordinarj diocesani, dal tribunale del vicariato di Roma e dal prelato uditore della Camera* ».

§ 3. Neque vera causae majoris qualitatem principio ostendit petita per collegium in pristinum reductio una cum provisionibus capiendis pro stabili aquae derivatione futura. Licet enim ex relatione architecti *Costa*, quae intentioni agentis fundamento inservivit, appareant nonnulla novata opera, reformatus aquaeductus ac imminutae variataeque refluentis aquae fistulae, nihilominus neque ex ea, neque ex consequenti actoris libello haurire ullo modo Patres mei valuere quidve, quantumve impendere fuisset necesse ad omnia in antiquum statum reponenda, nec non ad provisiones in posterum capiendas pro aquae rejectaneae libere statuenda derivatione futura, quae secumfert natura sua interdictum quod *vi* et *clam ut restituatur* adversus jam facta opera ad textum *in leg. 1 ff. de nunciat. nov. oper.* E contra in tota, quae adhuc lex est, nulla occurit dispositio ex qua in themate causae valor praefiniri aliquo modo possit. In utroque ergo partis legisque defectu litis valorem indefinitum, ac proinde causam majorem haberi manifestissime praecepit vigentis praxeos censura in §. 449, « ibi » *Sono considerate come aventi un valore indeterminato e della maggior entità . . . 3. Le cause, il di cui valore non risulti dalla dimanda dell'attore, nè dai modi di determinarlo, che saranno indicati nei §§. seguenti* »; cui concinit supremi hujus Senatus jurisprudentia *in Bononien. circumscriptionis 18 julii 1844 §. 4 coram rmo P. D. Ferlisi decano* ».

§ 4. Ad causae majoris vindicaudam naturam accedit insuper alterum libelli caput, quo collegium instituit ut *« venga demolito il nuovo condotto, e tolto qualunque impedimento alla libera profluenza di detta acqua alla possidenza dell'istante »*. Propositum ergo interdictum ob causam perpetuam quae est in aqua fontis rejectanea, versatur in servitutibus aquaeductus et aquae haustus, ad tradita in *leg. unic. praetor. ait* §. 1 §. *de fonte;* namque lis fuit instituta non de aquae dominio vel possessione, sed de servitutis jure, quo aqua ex fontibus cauponae et horti Lateranensis capituli per aquaeductum a collegio extructum ac manutenendum fluere debebat in dominantem vineam. Verum nil in jure nostro notius quam in causis de servitutibus realibus canonem pro jurisdictione metienda esse insumendum, juxta §. 456 judiciariae disciplinae, *« dalla stima del fondo serviente, che risulta dai libri del censo »*. Ex censualibus autem codicibus in comperto erat valorem cauponae hortique capituli, utpote servientium fundorum, ad scut. 712 omnino assurgere, ita ut ex hac quoque ratione nulliter provocatum fuerit a canonicis ad eumum urbis vicarium, ac circumscriptionis gladio delenda ob id sint omnia gesta coram illo ex insanabili, quia valorem causae respicit, jurisdictionis defectu, juxta dispositionem judiciarii regiminis sub §. 786, « ibi » *Il difetto di giurisdiziona concernente la materia . . . . ed il valore della lite . . . . è assolutamente insanabile »*, despecto prorsus partium consensu, ceu jam docuit suprema isthaec aula *in Romana circumscriptionis* 11 *maji* 1837 *cor. Grossi.*

§ 5. Tandem modum omnem explebat efflagitata contra capitulum principe loco condemnatio *« alla emenda di tutti i danni avvenuti e d'avvenire per la deficienza dell'acqua medesima »*. Quod sane postremum petitionis caput dum *accessorie* tantum postulatum, nil adjicit libello ejusque valori, ut patet *ex* §. 464 neotericae quoque praxis; e contra causae valorem indeterminatum causamque ipsam majorem reddit, si principaliter, ceu in themate, fuerit petitum, veluti secernendo casum a casu perbelle jam firmavit supremus hic Ordo noster in *Spoletana circumscriptionis et pertinentiae* 12 *julii* 1845 §. 6 *cor. R. P. D. meo Lippi.* Quae omnia maximam vim maximumque robur recipere Patres animadvertere ex ipsius collegii actoris facto, quod dum infectum modo esse non potest, *leg. in bello* §. *facta ff. de capt.*, eidem utut suum in propugnanda actorum appellationis nullitate quam maxime debet nocere. Proposita enim instantia apud Camerae auditorem cum termino octo dierum ad comparendum *« a comparire dopo otto giorni »*, ibique ad terminalem usque sententiam eo discussa ritu fuit, quo tribunalia prae jusdicentibus in majorum causarum definitione utuntur. Majorem itaque habendam prorsus esse hanc petitionem edocebat judicialis ordo quo incepta peractaque lis fuit, quemadmodum in specie non absimili jam statuit supremus hic Senatus *in Spoletana nuper recensita* §. 10 *cor. R. P. D. meo Lippi.*

§ 6. Nec s. Mariae collegio ad Porticum quidquam profuit pro actorum in appellationis gradu validitate vindicanda in medium proferre, unam emptionis venditionis contractus observantiam in judicium fuisse deductam, ac proinde minorem institutam causam quae vix attingebat *scut.* 100, quanti aquae rejectaneae pretium in tabulis factum fuerat. Praemisso namque quod causa petendi confundenda minime sit cum ipsius petitionis subjecto, ceu ad rem supremum hocce tribunal *in Bononien. circumscriptionis* 18 *julii* 1844 §. 8 *cor. rmo P. D. Ferlisi decano*, Patres in primis prospexere aquae servitutem in ipso instrumento, *ex re ipsa fuisse* constitutam, licet ibi nulla quoque de servitute mentio facta fuisset, veluti in simili specie respondit *Paulus in leg.* 37 *ff. de servit. praed. rustic.* Huic juris dispositioni accedebat et factum quo compertissimum ibat collegium, aquae haustus et aquaeductus servitutes stipulationis vi imposuisse, vix ubi per suum procuratorem sese obligatione adstrinxit aere proprio condere ac manutenere aquaeductum *« dalla suddetta osteria ed orto respettivamente sino alla vigna de'rev.padri di s. Maria in Campitelli »*. Quoties ergo tabularum vindicata fuit observantia, toties de memoratis servitutibus per collegium in judicio actum fuisse dicendum, cum praesertim emptus venditus illius aquae reditus sine servitutibus aquae haustus et aquaeductus consistere ullo modo nequeat, veluti post textum *in leg. item* 3 §. *qui habet* 3 *ff. de servit. praed. rust.*, *in leg. qui fundum* §. 1, *in leg. fistulas* 78 *ff. de contr. empt. et in leg. binas* 9 §. *caeterum ff. de servit. urban. praed.*, sapientissime monet *Donnellus*

comment. de jur. civil. lib. 11 *cap.* 7 *n.* 3 *tom.* 3, *et Pechius de servit. tom.* 3 *cap.* 9 *quaest.* 36 *num.* 233 *et* 236.

§ 7. Sic actorum nullitate in appellationis gradu a Patribus comprobata, immorandum haud fuit super examine alterius recursus capitis in subsidium petiti pro in integrum restitutione. Atque ita etc. utraque etc.

« *Nondum reproposita* ».

Procuratores — D. Vincentius Biolchini — D. Joannes Franciscus Vespasiani.

Prot. 77 / 1847 Rmo P. D. FERLISI Decano Decisio CXXVI.

Romana Unionis Causarum

Jovis 10 *Junii* 1847.

Argumentum

Postulatur unio judicii ordinarii, instituti super nullitate contractus ex dolo, falsa causa et laesione, cum altero judicio, quo alienigena ejusdem contractus urget executionem.

§ 1. Societatem, quam super excavatione ac venditione lapidum ex monte « *Carchio* » vel « *Pasquilio* » in oppido « *di Montignoso* » apud Lucenses posito provenientium calendis septembris anni 1842 inter se iniverant comites Philippus Cini et Rupertus de Custine natione gallus, post infaustum triennale experimentum dissolvit solemnis deliberatio ad diem 26 septembris anni 1845 communi utriusque accedente consensione edita a consilio « *di sorveglianza* » in ipso societatis actu constituto. Quoniam vero dispunctis utriusque socii rationibus compertum est, societatis creditorem manere comitem Philippum ad vim usque florentinorum nummorum 13845 et obol. 20 $^1/_2$, ac Rupertum in argenteis aliis 1578 praeter obolum unum, in eodem hinc societatis dissolutionis actu adjudicata iis pro indiviso sunt tum utile lapidicinae fundorumque ei adnexorum dominium, tum « *i marmi escavati, gli attrezzi e tutt'altro costituente il fondo sociale* ».

§ 2. Societate vero vix dissoluta e re sua censuit Philippus condominii quoque jura sibi comparare, quae sociali desuper capite exercere potuisset Rupertus. Ab eo hinc amplissimam hujusmodi jurium retulit cessionem, in ejusdem correspectivitatem spondens sese Ruperto numeraturum tum annuam vitalitiam pensionem « *di franchi duemila* », tum florentinos nummos 1578 et obol. 01 (quibus sociale hujus creditum constabat) infra spatium tamen mensium duodeviginti, et ab omni procul recompensativorum fructuum conventione. Dum autem solutionis dies jam properabat, revoluto repente pallio et contra pactorum fidem, judicio adversus Rupertum egit Philippus coram altera Innocentiani collegii urgens sectione irritum nulliusque roboris cessionis contractum renunciari « *sia per dolo, sia per lesione enormissima, sia per mancanza di giusta causa e correspettivo, o per qualunque altro titolo e motivo* », seque ab solutione tum argenteorum 1578 tum annuae vitalitiae pensionis liberari. Implexa tamen et ordinaria id genus actione omnino posthabita, suo jure utens Rupertus, dum solutionis dies advenit, duplex judicium, aliud summarium, aliud executivum, adversus Philippum instituit; *alterum* nimirum coram prima ejusdem collegii sectione pro florentinis nummis 1578, atque *alterum* coram adsessore Soffredinio pro vitalitiae pensionis semestri. Duplici vero hujusmodi lite vix contestata recursum pariter duplicem ad earum exitum remorandum interposuit Philippus, conjungi eas postulans cum ordinario nullitatis et laesionis judicio ab eo antea instituto. Quam tamen ejus petitionem, quod ad causam pertinet super solutione scutorum 1578, hodie propositam, rescripto « *nihil* » Patres protinus rejecerunt, mihique decisionis vulgandae munus dedere.

§ 3. Non aliter porro causarum unioni locum patere, nisi ubi de judiciis agatur invicem adeo connexis, ut « *il farli decidere da diversi giudici o tribunali produrrebbe contrarietà di giudicati* », ex apertissima ac litterali patet sanctione §. 1050 *greg. cod.*, ac juris-

prudentiae canon est quo non vulgatior alter. Ad rectum hinc in hodierna controversia ferendum judicium, caeteris postbabitis quae extra rem et ad invidiam dumtaxat causae creandam in medium proferebat Philippus, id unum lege ita jubente erat investigandum, utrum nimirum ordinarium implexumque praetensae nullitatis et laesionis judicium adeo connexum cum executivo altero foret judicio super ejusdem contractus executione a Ruperto instituto, ut periculum urgeret ne sententiae invicem pugnantes prodirent, si una simul haud consociarentur. Verum periculum omne id genus vel ipsa diversa judiciorum indoles et qualitas a praesenti contentionis thesi prorsus repellebat. Nil enim antiquius habetur in foro quam nullatenus pugnare, sed recto imo judiciorum ordini apprime congruere, quod in executivo judicio susceptas obligationes implere cogantur contrahentes, easque e contra irritas nulliusque roboris in ordinario altero nullitatis vel laesionis judicio declarari obtineant.

§ 4. Hinc vulgatissima, ac fere dicam elementaris praxeos regula fert, ordinarium nullitatis vel laesionis judicium neque summarium alterum super ejusdem contractus executione judicium remorari, vel intercipere ullatenus posse, neque cum eo unquam conjungi. Quousque enim in implicito validitatis statu contractus tabulae maneant, ac re absolutissima judicata earumdem nullitas, vel laesio non fuerit numeris omnibus comprobata, vel ipsa naturalis flagitat ratio plenissimam eis executionem tribui. Ita firmavit millies supremum tribunal, ac potissimum *in Ferrarien. unionis causarum* 17 *junii* 1834 §. 4 *cor. emo Vannicelli, in Callien. unionis causarum* 22 *augusti* 1835 §. 4 *cor. eodem, in Romana unionis causarum* 28 *junii* 1839 §. 4 *cor. Grossi, in Ferrarien. avocationis et unionis causarum* 23 *julii* 1840 §§. 8 *et* 9 *cor. R. P. D. meo Lippi, in Bononien. avocationis et unionis causarum* 3 *augusti* 1843 §. 5 *cor. Grossi, et novissime in Romana unionis causarum* 25 *februarii labentis anni* §. 4 *cor. me.*

§ 5. Quod sane firmissimum jurisprudentiae dogma eo erat fortius sartum tectumque in hujusmodi contentione servandum, cum acerbissima nullitatis actio a Philippo proposita non ab extrinsecis penderet vitiis, sive a personarum incapacitate solemniumque, aut formae defectu, sed ab implexis, odiique plenis, doli, falsae causae atque enormissimae laesionis vitiis erueretur; quas aedepol querelas singulas nominatim etiam legislator vetuit, quominus executivi judicii cursum et exitum remorari unquam ipsae possent. Scripta quippe lex est omnino aperta ac diserta *in* §. 775 *vig. cod.* cubitalibus edicens litteris quod « *l' eccezione di nullità contro le scritture pubbliche o private non potrà impedire o ritardare il corso delle cause sommarie, che nei soli casi in cui la nullità derivi da incapacità delle persone, o da mancanza dell' estrinseche forme* ». Si legislator enim noluit expressim nullitatis exceptione summarii judicii exitum unquam intercipi, nisi in peculiaribus tantum casibus nominatim ibidem expressis, absurdum hercle foret contendere, *sub actionis et unionis fuco* impune id, et in ejusdem legis fraudem litigatoribus licere.

§ 6. Ruebat hinc mole sua universa Philippi defensio in eo potissimum residens quod unum idemque foret utriusque judicii subjectum, quum a controversi nominis solutione, quam in executivo judicio postulabat Rupertus, sese omnino liberari in judicio altero ordinario ipsemet urgeret. Illud enim firmum perpetuo immotumque manebat, propriam absolutionem non aliter quidem in ordinario judicio Philippum flagitasse, nisi tamquam *corollarium* et *consequens* praetensae contractus nullitatis ac laesionis, ab hujusque proinde meritis eamdem pendere, dum in petita e contra a Ruperto ejusdem nominis solutione *unicum* et *princeps* executivi instituti judicii subjectum versabatur, quod ex nullitatis et laesionis causa nullatenus pendebat; nil itaque ineptius quam judicii identitatem ex accessoriis absolutionis verbis in ima nullitatis libelli cera adjectis arguere conari. Scitum quippe est accessorium sequi naturam sui principalis, et cujuslibet judicii indolem ex principe dumtaxat ejusdem subjecto, non ex accessoriis ejus partibus metiri solere, veluti post text. in *leg.* 129 §. *fin. et leg.* 178 *ff. de reg. jur.* affabre tradit nostrum tribunal *in Caesenaten. circumscriptionis* 19 *dec.* 1839 §. 5 *cor. me.*

§ 7. Quibus demum et illud accedebat, ex integro rerum contextu luculenter patere non alio quidem consilio causarum unionem fuisse a Philippo petitam, nisi ad pecuniae Ruperto debitae solutionem remorandam; quo sane in themate vetant eo vel fortius vigentes praxeos leges, quominus ejusdem exciperetur petitio, ita ferente sanctione apertissima §. 1012 *numer.* 4 *praecit. cod.* Id autem apprime suadebat nedum distincta ac diversa utriusque judicii qualitas, verum ipsius etiam Philippi factum. Licet enim ab octobri usque mense anni 1845 cessionis contractum cum Ruperto is inivisset, induciis tamen labentibus ad cessionis pretium rependendum sibi tributis, altum perpetuo servavit silentium, ac de rebus singulis cum Ruperto antea communibus, sibique postea ab eo cessis liberrime proprioque lubitu disposuit, nullam unquam de asserta cessionis laesione, vel nullitate movens querelam. Dum autem solutionis dies post juge diuturnumque mensium duodeviginti spatium jam properabat, tum primum dumtaxat innumeras super praetenso dolo ac laesione turbas adversus Rupertum is excitavit, et acerbissimam nullitatis causam adversus eum instauravit, eamque cum executivis judiciis a Ruperto postea institutis sollicitus studuit conjungi; quae sane cuncta nihil aliud, nisi solutionis remorandae studium redolere, et suomet quisque facile percipit sensu, et in eodem fere themate statuit nudius tertius nostrum tribunal in praecitata *Romana unionis causarum* 25 *febr.* 1847 §. 5 *cor. me.*

§ 8. Et incassum obstrepebat Philippus rem sibi cum *alienigena* esse, ac grave proinde urgere periculum, ne victo in ordinario nullitatis et laesionis judicio Ruperto atque abeunte, fas sibi esset ab eo amplius condicere pecuniam in vim executivi judicii sibi solvendam. Initio enim unum sententiarum antinomiae periculum ad causarum unionem decernendam spectari lex voluit, neque juris certe patitur ratio ad imparia diversisque legibus alienigenas judicari. Praeterea constabat in facto, cessionis etiam contractu resoluto, nedum apud Philippum ipsum manere socialium bonorum quotam ad Rupertum spectantem, verum hujus etiam debitorem in conspicua pecuniae vi eumdem adhuc superesse pro pretio cessionis alterius fodinae « *di Val di Castello* » Philippi pariter favore ab eo initae. Nec demum silentio erat praetereundum, si ex peculiaribus forte rerum adjunctis dubium aliquod emergere valeat quoad restitutionem pecuniae in vim executivi judicii a Philippo solvendae, apud ordinarios judices eidem licere opportunas in id cautiones in *vim* §. 1013 *vig. cod.* implorare, non causarum tamen unionem apud Ordinem nostrum postulare, quam diversa judiciorum indoles et apertissima legum dispositio omnino respuebant. Et ita in acerrimo partium conflictu jus redditum est.

Die 29 julii 1847 « *Ad D. Auditorem pro moderatione recursus* ».

Procuratores — D. Carolus Mancinelli — D. Raphael Borghi.

Prot. 53 / 1847 — R. P. D. AMICI — Decisio CXXVII.

MACERATEN. RECUSATIONIS JUDICIS

Jovis 10 *Junii* 1847.

Argumentum

Quaeritur an opinio extrajudicialiter ac perfunctorie ab judice edita, legitimam recusationis causam constituere valeat, et an ad eamdem causam probandam, jusjurandum judici deferri liceat.

§ 1. Per privatam syngrapham diei 12 novembris 1834 archipresbyter Valerianus Compagnucci praedium quoddam in Montis Cassiani territorio situm vendidit Septimio Fabi, ita tamen ut post venditoris obitum vim suam contractus exereret. Quare mortuo venditore die 16 januarii 1846, emptor postridie acquisiti fundi possessionem su-

scepit istamque haeredibus Compagnucciis illico nunciavit. Qui tamen hanc dominii translationem impedire satagentes, coram maceratensi primi gradus tribunali judicium instituerunt ut, praevia reservatione de falsitate contractus, nulla et irrita decerneretur suscepta possessio, veluti ac si ob erroneam vocabuli denominationem diversus esset fundus in venditione descriptus. Quocirca Fabius ex praedii natura, ex colonorum confiniumque designatione ejusdem identitatem demonstravit. Sed hoc nihil obstante Compagnuccii a controversa possessione eum dejecerunt, ita ut ipse attentatorum purgationem petere coactus, eamdem obtinuerit, instantia principe quoad possessionis nullitatem contextim rejecta.

§ 2. Ab hisce sententiis apud idem maceratense secundi gradus tribunal haeredes provocarunt, utque aliquod gravamen afferrent, exceperunt venditionis syngrapham non fuisse a defuncto venditore subscriptam. Hinc ipse Fabius pro peritorum deputatione institit, ut ex eorum relatione quaevis falsi suspicio penitus dirimeretur. Atque revera deputatis per interlocutorium decretum viris callygraphis, ex accurata horum declaratione ita subscriptionis veritas comperta est ut opinionem pro appellatae sententiae confirmatione judices pandiderint. Quid post haec Compagnuccii? Hanc ipsam falsi quaerimoniam jam plene discussam ac funditus rejectam incidentali instantia excitarunt, quam idcirco tribunal iisdem jam cribratis rationibus absque cunctatione rejecit. Ab hac vero incidentali sententia quum ipsi ad Rotam provocaverint, pro ejusdem etiam appellationis moderatione Fabius institit. Tunc Compagnuccii ut nihil intentatum relinquere viderentur, ad supremum nostrum tribunal confugerunt recusationem petentes judicis Hieronymi Antinori, qui inter alios merito sedet in maceratensi secundi gradus tribunali, perinde ac si ipse propriam super controversia opinionem ante ejusdem definitionem aperuisset. Sed perperam. Hodiernis enim in comitiis, vadimonium iisdem deserentibus, imploratam recusationem PP. denegarunt rescripto « *Non esse locum recusationi* », munere mihi commisso decisionem vulgandi.

§ 3. Neque vera ideo tantum judex Antinorius veluti suspectus adducitur, quia Barnabae uni ex haeredibus Compagnucci ipsius domum petenti pro quodam cum famulo Augustino Ricci interesse conciliando, ante quamlibet caussae discussionem interrogatus respondit « *che con la sola relazione dei periti calligrafi i Compagnucci avrebbero perduta sicuramente la causa, e che non si fossero fidati dei consigli e suggerimenti del loro procuratore, perchè i legali cercano di moltiplicare le liti e di tirar l'acqua al loro molino* ». At haec profecto non ea opinio erat ut judex veluti suspectus recusaretur. Etsi enim lex recusare judicem permittat vigentis codicis §§. 1053 et 1054 quum recusatio fundetur « *sopra un motivo di legittimo sospetto* », atque eadem inter legitimae suspicionis causas recenseat... 4. *Il parere manifestato dal giudice in voce od in iscritto nella causa istessa* », non de quacumque tamen opinione intelligenda est, sed de ea dumtaxat quae mature omnibusque circumstantiis sedulo perpensis aperiatur. Alioquin si ad eas etiam opiniones extenderetur quas obiter et perfunctorie judicem edere contingat, jam liberum cuique esset judices omnes quos vellet, suspectos efficere, quum saepissime eveniat ut quis abstracte ab amicis aliisque rogetur quid de hac, vel illa causa sentiat, facti specie juxta mentem interrogantis vix proposita. Dum e converso hujusmodi indifferentes opiniones plerumque ac pene semper, omnibus rerum circumstantiis postea perpensis, corriguntur atque in contrariam sententiam abeunt.

§ 4. Distinguendum igitur est inter opinionem quae sedulo ac re mature perspecta, a judice edatur, atque eam quae leviter, perfunctorie et nullis omnino documentis perpensis, ab eo proferatur, ut primo in casu, neutiquam in altero recusatio locum obtineat. At constabat assertum sermonem factum fuisse antequam Antinorius causae cognitionem habuisset, cum nullam super ejus merito exceptionem contendentes proposuissent, ac propterea eum non discussa formiter quaestione, sed academico dumtaxat modo interrogationi respondisse, ita ut dubitari nulla ratione possit, quominus haec responsio inter opiniones, de quibus lex loquitur, minime recenseatur. Praecipue quia non modo relatus sermo nullam suspicionis causam praebebat, sed potius laudem respondenti comparabat, qui consilium haeredibus dabat ut vel aliunde apochae falsitatem probarent, vel a judicio desisterent, quum subscriptionis veritas a peritis constitueretur, atque ita ab injustae litis dispendio ipsi libe-

rarentur. Quod si hoc cujusque hominis, multo magis judicis officium est, ita ut absurdum omnino videatur, quemque ideo a judicando non sine maximo dedecore removeri, quia perfunctorie quempiam ab injustae litis institutione removere curaverit.

§ 5. Verum admisso etiam quod haec judicis opinio talis revera fuerit ut suspicioni locum praeberet, ejusdem recusationi aeque semper obstabat ipsorum Compagnucci factum, qui se post dictum sermonem judicio sistentes ac jura deducentes in judicem ita consenserunt ut ejusdem recusationi valedixerint. Judicis enim recusatio inter declinatorias exceptiones recensetur atque incompetentiae exceptioni aequiparatur, quae post litem contestatam et post caeteras jurium deductiones proponi amplius nequeunt, ut legitur in hodiernae praxeos §. 1056 « *Non è ammissibile il ricorso concernente la ricusa* .... 2. *contro qualunque giudice, allorchè il ricusante ha proposto l'eccezione sul merito della causa, se il motivo del sospetto non è sopravvenuto posteriormente* ». Atqui Compagnuccii qui post praedictum sermonem non modo judicio adfuerunt ac coram appellationis tribunali propria jura deduxerunt, sed post opinionem pro prioris sententiae confirmatione editam, incidentalem etiam de syngraphae falsitate petitionem excitarunt, haud amplius poterant judicem, quem pluries acceptarunt, et post ejusdem petitionis rejectionem, veluti suspectum adducere, ut respondit nostrum tribunal in *Bononiens. recusat. judic.* 15 *maii* 1834 §§. 4 *et* 5 *coram Grossi.*

§ 6. Denique ut recusatio denegaretur suadebat etiam nova prorsus methodus, qua ad relati sermonis a judice habiti veritatem constituendam Compagnuccii utebantur. Ut enim ipsi hujusmodi sermonem probarent, non documenta afferebant, sed jusjurandum decisorium ipsimet judici deferre contendebant. Scitum quippe est jusjurandum decisorium non cuilibet, sed inter partes collitigantes dumtaxat deferri, quum decisorium jusjurandum illud ex lege, qua vivimus, dicatur in §. 758 quod « *una delle parti deferisce all'altra perchè secondo la di lei risposta ammissiva od esclusiva s'intenda decisa inoppellabilmente la lite* ». Nec judex recusandus tamquam litigans habendus est, quum vel ipsa judiciaria praxis statuat recursum esse indicendum parti tantum adversae, minime vero judici recusato, cui solum notificari debet recusationis actus, ita ferente §. 1066 « *L'atto dovrà notificarsi anche al giudice ricusato, il quale apporrà il suo visto sull'originale* ». Si ergo ex lege ne vocandus quidem in jus est judex recusandus, nulla dubitatio quin ei, veluti parti, jusjurandum decisorium possit deferri. At in quavis hypothesi huic juramento fieri locus non poterat ex supremi nostri Ordinis instituto, qui extraordinaria utitur praxi atque inter ordinarios magistratus minime recensetur. Porro si testes coram nobis proferri, solemne eorum examen decerni, caeteraeque praxeos regulae servari valerent, quae de eis inducendis, oppugnandis, formali examini subjiciendis, ac publicandis pro judicibus ordinariis constitutae sunt, jam ipsum tribunal extraordinaria supremi tribunalis qualitate amissa, in ordinarium converteretur. Atque ita etc. Fabio tantum jura sua deducente, decisum est.

Die 12 augusti 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Joseph Mancini Lombardi — D. Antonius Piermattei.

Prot. 67 / 1847 R. P. D. ARNALDI Decisio CXXVIII.

Viterbien. Circumscriptionis et Pertinentiæ

Jovis 8 *Julii* 1847.

Argumentum

Cum judex ordinarius fisci interventum in causa necessarium minime duxerit, et juribus omnibus interventum petenti reservatis, super merito sententiam tulerit, petitur actorum circumscriptio ex defectu jurisdictionis — Disceptatur praeterea an appellatione interposita ac rite indicta, cum pedissequa instantia inserta in actis minime fuerit, appellato liceat vadimonium proponere et judicium prosequi.

§ 1. Omnia bona rustica municipii Proceni, inter quae aderat praedium vulgo « *il*

Pianone », ab anno 1795 negociis communitatum praeposita sacra boni regiminis congregatio in emphyteusim ad tertiam generationem concesserat *Victorio* Constantini annuo scutorum 340 canone, qui mox ob monetarias vicissitudines imminutus fuit ad annua *argentea* 286, 43. In publica rerum municipalium licitationo, mense octobris *anni* 1806, praedii illius directum dominium acquisivit Joseph Gamboni, cui canon erat designatus in annuis scutatis *quatuordecim et obol. octoginta*. Reclamante Victorio, sacra illa congregatio municipio Proceni injunxit ut ipsa canonem illum Gambonio rependeret, itaque indemnem Constantinium relevaret, prout nonnullo temporis spatio effectum est. Postea constat ex actis, instante Gambonio, damnatum fuisse Victorium definitivo decreto auditoris Camerae ad solutionem canonum decursorum a die nona maji 1814 ad diem octavam augusti anni 1816, quod in remjudicatam abiit; rursum quinta die augusti anni 1817, instrumento condito ex officio in vim lati decreti, stipulationem de recognitione in dominum praedicti praedii pro Gambonio initam fuisse, ac tandem anno 1828, cum reliqua bona municipiorum mixta commissio venumdaret ut posset creditoribus satisfacere, *Vincentium* Constantini deliberationem retulisse integri illius canonis scutatorum 286, 43 a Victorio debiti pro emphyteusi praedicta, « *esclusi quelli in vocabolo – Pianone venduti dalla sagra congregazione economica a Vincenzo Agricola* (cujus in jura successit Gambonius) *a forma del primitivo istromento* 26 *ottobre* 1806 ».

§ 2. Jamvero Vincentius deliberationis illius jus omne transtulit in Rochum Victoris filium qui tali pacto bona emphyteutica ab onere universi illius canonis vindicavit. Attamen Gambonius reijudicatae fretus pro solutione canonum et recognitioni in dominum praedii « *Pianone* », ob non solutos canones devolutionem illius accepto habere declaravit, simulque Rochum coram tribunali civili Viterbii accersivit pro associatione dominii utilis cum directo assequenda. Ast ille declinatoriam opposuit professus a fisco habuisse caussam, et idcirco sive in congregationem boni regiminis, sive in Reverendam Cameram agendum sibi esse pro indemnitate instabat, atque hoc in negocio tribunali civili deesse auctoritatem, ideoque causam contentiosae administrationis judicio esse collegandam. Hoc de incidenti partibus digladiantibus, censuit tribunal incompetentiam profiteri, quam pariter declaravit administrationis contentiosae auctoritas, cui Gambonius accepta clade rogavit suppetias. Hoc in anfractu et judicii ferendi incertitudine magistratuum, a supremi Principis providentia Gambonius hoc rescriptum impetravit: « *Sanctissimus auditis partibus, et accepto voto PP. DD. decani et subdecani tribunalis Signaturae justitiae, nec non mei infrascripti* (eminentissimi nempe Signaturae praefecti), *habitoque respectu ad statum terminosque litis et ad acta facta in tribunali Viterbii, declaravit et declarat causam spectasse et spectare ad magistratus ordinis judiciarii, salvis actionibus, quandocumque competentibus Rocho Constantini, pro petenda indemnitate contra quem, quatenus et coram quo de jure, legitime experiendis* ».

§ 3. Alacer Gambonius ad tribunal civile repetivit iter postulans associationis sententiam. Contra Rochus vadimonium pro liberatione a molestiis Reverendae Camerae exhibuit, promota dica de incompetentia tribunalis ex jurisdictionis defectu in causa de interesse fisci, quam adversus instabat Gambonius, contendens causam absolvendam esse juxta rescriptum. Una cum petitione principe copulatis instantiis definitivum latum est judicium quo devolutio probata est, reservato jure Constantini pro indemnitate, contra quem et prout de jure. Provocavit is, et pro revocatione instantiam proposuit coram civili congregatione A. C.; sed hac non reproducta Gambonius alteram sibi consonam sategit transmittere et coram eodem reproducere. Tum Constantinius suo lubitu ad tribunal plenae Camerae accessit, quo praevia infirmatione viterbiensis sententiae, vel eum absolveret, vel pro liberatione a molestiis obtinendaque indemnitate, sacra congregatio boni regiminis evocaretur, protinusque interjecit recursum super nullitate actorum coram congragatione civili A. C. introductorum ac remissione causae ad plenum Camerale tribunal. Haud destitit Gambonius reconventionale postulatum emittere ut potius acta coram tribunali Camerae delerentur, et causam declararetur spectare ad tribunal judiciariae potestatis. Hoc in conflictu *Patres domini* rectum illud justumque judicarunt

esse rescriptum « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali plenae Camerae ex defectu jurisdictionis, causam spectavisse et spectare ad tribunal civile urbis* », prout ex rationibus hoc in priori certamine per me exponendis patebit.

§ 4. Undique siquidem ineptissima visa est Constantinii postulatio. In primis ineluctabile erat causam devolutionis, sive associationis, institutam, pertractatam definitamque fuisse a tribunali ordinis judiciarii. Igitur ab ea definitione non aliter provocari ac de illius pronunciationis meritis peragi poterat, quam coram altero superiori tribunali ejusdem ordinis quod lex in provocationis sede constituerat. Atque hoc absolutissimo juris principio minus vere Constantinus jactitabat tribunal Viterbii in judicandis causis fisci competens esse, ideoque non incongrue et haud inordinate vel per saltum, in gradu provocationis ad Camerae tribunal transferri judicium. Etenim illud Viterbii haud assumpta veste tribunalis fisci, caussam definivit; sed dumtaxat de caducitate inter mere privatos jus dixit. Imo secus diversaque veste id peragere potuisset minus, ex supremo rescripto, quod illam controversiam ad judiciarium ordinem pertinere edocuerat, et quemadmodum primitus incompetens se dixit eo quia, uti ordinaria potestas, de fisci causa agnoscere haud posse censuit, ita post rescriptum, uti ordinaria, resumpsit, atque interventum fisci minime esse necessarium ducens, privatum tantummodo absolvit judicium; jura dumtaxat Constantinio super praetensa indemnitate reservavit *contra quem, et coram quo de jure*. Itaque neque ut tribunal fisci se habuit, nec quid de fisco judicavit.

§ 5. Cum igitur judiciaria auctoritas causae meritum ad se pertinens super caducitate definiverit, et vocationem fisci ad causam minime fuisse necessariam arbitrata sit, sub judice lis est adhuc, an necessaria illa interventio aestimanda sit, cujus in sequelam ad tribunal Camerale sit deferenda jurisdictio. Profecto cum exploratum sit causae remissionem ad judicem pertinere, nonnisi quam a tribunali ejusdem ordinis in gradu appellationis internoscendum est an male se habuerit tribunal in deneganda vel non admittenda remissione; ineptissima quippe hoc in rerum statu circumscriptionis et ablegationis causae ad cameralem jurisdictionem est petitio, quae peccat vitio logico, cum pro certo ponit interventum retineri debere necessarium, ideoque causam ablegandam tribunali fisci, quod tamen adhuc est in ancipiti et in quaestione versatur.

§ 6. Quod autem fisco persequuto pro liberatione a molestiis, jus sit tribuendum avocandi causam ad suum judicem, etsi id haud satis liqueat ex §. 447 judiciarii codicis, tamen si vel etiam ampliore sensu abundare velimus atque ad id extendere quod de ecclesiasticis viris dispositum est, judex laicus absque intermissione *ex officio* ecclesiastico tribunali causam allegare debet. Id vero tamen demandatur, « *se riconosca che la causa non possa decidersi senza il di loro intervento* ». Quapropter si tribunal Viterbii minime necesse duxerit esse ad causam evocari fiscum, causamque dumtaxat inter suae subditos jurisdictioni definiverit, ac jura utcumque sine determinatione personarum ac jurisdictionis super indemnitatem reservaverit, effecit tam quod ei ex lege est, nempe facultas agnoscendi definiendique simul, quam nullum vel a longe cuique fisci privilegio detrimentum attulit, quemadmodum ipsi defensores fisci probarunt in allegatione exhibita. Hinc nulla, quae turbata dici possit, jurisdictio tribunali fisci exorta est. Hinc quod a lege indultum, causa definita est, dum interventum haud necessarium est visum. Et recte quidem indultum, ne per confictas actiones et ementita vel turbida jura, uno oblato vadimonio, aliena exturbare jura, causamque per cuniculos a propria judicum jurisdictione abstrahere liceret cuique, haud sine gravi alienorum jurium praejudicio. Jamvero si quod in habita pronunciatione peccatum esset, illud remedio provocationis quae interposita et continuata jam est, subjaceret.

§ 7. Urgebat reapse petitionem pro liberatione a molestiis turbari ex eodem titulo caussaque petendi, ut notavimus in adjudicationis stipulatione « *esclusi quelli* (bona) *in vocabolo Pianone venduti dalla congregazione economica* », inter quae recensebatur illud quod Gam-

bonio divenditum fuerat anno 1806. Item ex statu actorum cum ille caducitatem rogaret in sequelam rerumjudicatarum super recognitione in dominum ac solutione canonum, quibus temporibus nulla prodiit liberationis a molestiis postulatio, ad liberationem illam exordio ipso judicii opponendam sero venire Rochus videbatur. Sed omni de merito omissa indagine, de quo Patres DD. nihil esse statuendum putarunt, omnis adimitur ambiguitas ex recitato supremi Principis rescripto, quo caussam devolutionis ad magistratum ordinis judiciarii spectare decretum est, salvis actionibus Rocho Constantinio pro petenda indemnitate contra quem, quatenus, et coram quo de jure. Perperam asserebatur rescriptum editum fuisse eo in statu, in quo nondum fiscus ad liberationem a molestiis fuerat judicialiter vocatus. Respondetur enim *primo* ea jura reservata fuisse clausula *quatenus de jure*; atqui de jure tribunali civili inerat facultas agnoscendi an necessarius esset illius interventus; neque jurisdictio fiscalis accendi poterat, nisi in casu in quo fiscus ad jus fuisset appellandus. Id tamen non a lubitu Rochi, si ab uno postulatum esset, sed a tribunalis imperio providentiaque penderet. *Rursum* rescriptum latum est *habito respecto ad statum terminosque litis et ad acta facta in tribunali civili*, quod incompetens sese habuerat ad amussim, quia Rochus objecerat se causam habere a fisco, et in hunc indemnitatem et evictionem praetendere. Si hisce cognitis atque perspectis nihilominus Princeps jussit causam ad judices ordinarios esse allegandam, eorumque jurisdictioni competere, nonne decipula est objicere, res non amplius esse eo in statu quo erant ante rescriptum? Caeteroquin oblatum modo vadimonium nil continet aliud, quam quae ante peracta sunt narrataque Principi; cum nil plus in se habeat, quam referens ad relatum contineat. Porro quae necessaria et opportuna simul narrata sunt Principi, et quae, judicibus deducta sunt, ea partes de competentia in libellis Principi porrectis sedulo enunciarunt. Haud ergo convenit per sophismata clarum perspectumque sensum dispositionis commiscere, vimque illius et efficaciam ex concinnato machinatoque postea judiciali libello enervare.

§ 8. Postremo haud ob laesam jurisdictionem cameralium subselliorum, sed potius gravatum ex injustitiae capite se putavit Rochus simul ac provocatione interjecta, instantiam pedissequam haud tribunali Camerae, verum civili congregationi A. C. in gradu provocationis transmisit. Quod si illa non fuit actis inserta, efficit contestatum a Rocho dici haud posse judicium; idcoque merito jure suo Gambonius usus et in re sua diligens, alio proposito in sui favorem vadimonio, judicium est prosecutus. Quo ex facto partium, praesertim in praesenti themate, rescriptoque Principis opitulante, de jurisdictione magistratus ordinis judiciarii eo minus decet dubitari. Atque ita etc. utraque etc.

Die 12 augusti 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Alexander Piccinini — D. Carolus Ciampoli.
D. Petrus Brenda.

Prot. 13 / 1847 R. P. D. FERRARI DECISIO CXXIX.

BONONIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 8 *Julii* 1847.

Argumentum

Quaeritur an indeterminatus renunciari debeat litis valor eo quia expresse indigitatus in instantia minime fuerit, etsi facile ex ejusdem contextu determinari valeat — Quomodo metiendus sit valor litis in qua de praefixione termini agatur ad explendam stipulationem instrumenti super concessione fundi in emphyteusim, privata syngrapha jam expromissa.

§ 1. Privata syngrapha diei 8 augusti 1832 Benedictus Borgatti parochus Gallie-

rae in emphyteusim pro annuo canone argenteorum duo concessit Josepho Borselli terrae frustulum, quod vix mensuram attingebat *di tavole* 30, 90. Contractus hic die 20 novembris ab archiepiscopo Bononiae probatus fuit; sed quum Aloysius Grotti, qui Borgatto in illius paroeciae administrationem suffectus fuerat, instrumenti stipulationem renuisset, Joseph et Camillus fratres Borselli judicio coram curia archiepiscopali illius civitatis anno 1845 agere debuerunt ut parocho Gallierae terminus praefigeretur « *entro cui debba ridurre a pubblico istromento il contratto di enfiteusi convenuto con la detta scrittura* 8 *agosto* 1832 ». Quam instantiam illius curiae auditor pronis auribus excepit sententia diei 13 januarii 1846. Appellatione a parocho interposita, causa ad s. Rotam delata est. Existimantes vero fratres Borselli rem esse de causa infra valorem scutorum quingentum, recursum apud Ordinem nostrum interposuerunt ut acta omnia rotalia circumscriptionis gladio delerentur, atque vadimonio parocho deserente, voti compotes facti fuerunt rescripto « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram s. Rota ex defectu jurisdictionis rr. vv. jj. ss.*

§ 2. Nam apertissimus erat jurisdictionis defectus. Neoterico revera quo cum vivimus codice, s. Rotae jurisdictio ad eas tantum causas in secundo gradu porrigitur quae summam scutorum quingentum excedunt, aut indeterminatum praeseferunt valorem. Ita in §. 377 « *Il tribunale della s. Rota conosce e giudica in secondo grado di giurisdizione le cause maggiori di scudi* 500, *o di valore indeterminato, e quelle che sono qualificate come cause più gravi in materia ecclesiastica decise in prima istanza dagli ordinarj diocesani* ». Jam vero in facto certissimum erat fratres Borselli coram ecclesiastica bononiensi curia postulavisse ut terminus parocho praefigeretur « *entro cui debba ridurre a pubblico istromento il contratto di enfiteusi convenuto con la detta scrittura* 8 *agosto* 1832 ». Sicuti itaque hac privata syngrapha terrae frustulum *di tav.* 30, 90 in emphytheusim datum fuerat annuo convento canone argenteorum duo, ita evidens erat quod res in judicium postulata minoris erat valoris. Nam ille agri modus vix ac ne vix quidem scutis 44 aestimari poterat. Minor itaque erat quoque litis valor. Nam juxta censuram §. 463 « *In tutti i casi il valore della lite sarà determinato dal valore della cosa richiesta* ».

§ 3. Neque indeterminatus dici poterat litis valor, quia nullus emphyteutico contractui terminus datus fuerat. Nam dum agitur de perpetua emphyteusi aut locatione, litis vlaor hauritur ex canone vel pensione vicies multiplicata ad text. in §. 452 codicis praxeos; « ibi » *Nei giudizj di caducità o cessazione di enfiteusi il valore della causa si desumerà dal canone enfiteutico moltiplicato venti volte* », et in casu simili docuit sacer Ordo *in Sublacen. circumscriptionis diei* 20 *aprilis* 1837 §. 3 *cor. R. P. D. Peraldi.* Si itaque vicies canon multiplicetur, palam erit litis valorem scut. quadraginta quatuor minimo excedere.

§ 5. Quin res mutari posset, nullus in instantia, qua judicium incohatum fuit, indigitatus fuit causae valor. Nam si facile determinari valeat, necessarium non est illum exprimere. At vero nostro in casu res ad morem arithmeticum redibat. Nam ex canone vicies sumpto quantus esset litis valor apprime deprehendebatur. Positis igitur hisce extremis, ex ipsa instantia litis valor eruebatur, quibus concurrentibus nunquam indeterminatus censetur ad ea quae noster Ordo statuit in *Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 6 *aprilis* 1837 §. 4 *cor. Grossi.* Quocirca statim ac litis valor minor erat scutis quingentis, agere Aloysius debebat vel coram Camerae auditore, vel coram A. C. assessoribus; « *Conosce e giudica* (auditor Camerae) *in secondo grado di giurisdizione tutte le cause non maggiori di* 500 *scudi decise in prima istanza dai Prelati vicegerente e luogotenente civile del cardinal vicario, e dagli ordinarj diocesani dello stato* » ita in §. 370. Quae sane jurisdictio cumulative assessoribus tributa fuit, uti cautum est in §. 373; « ibi » *La giurisdizione del prelato uditore della Camera in tutte le cause enunciate superiormente si esercita in nome e voce del medesimo dal giudice uditore nelle*

cause di seconda istanza; potrà esser esercitata cumulativamente col giudice uditore, dai due assessori togati ». Et ita etc. altera etc.

Die 12 septembris 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Dominicus Montanari — D. Petrus Aloysius Briganti.

Prot. 25 / 1847 R. P. D. PACCINELLI Decisio CXXX.

Asculana Restitutionis in Integrum

Jovis 8 *Julii* 1847.

Argumentum

Agitur de judicio pro deletione hypothecarum a tertio possessore instituto ante lapsum termini quadragenarii a §. 209 *gregoriani codicis praefixi — Quaeritur an semper et indistincte integrum pretium ab eodem deponi debeat — Disceptatur denique an venditor cuique ex creditoribus emptoris praeferendus sit pro pretio, vel ejusdem parte insoluta.*

§ 1. Ad aes alienum dissolvendum quo premebatur asculana *Ciucci* familia nobilissima, praesul *Tassoni* sumptibus coercendis a SSmo datus curator, privatis tabulis *diei* 14 *octobris* 1804 pretio *scut.* 8000 vendidit Marco Antonio Tocchi et ipsi asculano latifundium, quod in agris montis *S. Polo* montisque *Prandonis* situm cognomine *Carpineto*, vel *Sambuceto* nuncupabant. Nonnullis afficiebatur censibus praedium; hinc oeconomus supplex adiit summum Pontificem *Pium VII* fel. rec., ab eoque petiit atque obtinuit census ipsos transferri « *in alia patrimonialia bona specialiter designanda, absque ullo tamen creditorum praejudicio* ». Reque vera dum *die* 13 *decembris insequentis anni* 1805 privata venditio fuit instrumento commissa, alium fundum nuncupatum « *Lama* » primaevo latifundio censito praesul ipse subrogavit, reservato interim sibi jure, susceptaque insuper obligatione publicas adstipulandi tabulas eum singulis censualistis, qui tamen neque Ssmi rescriptum cognoverunt, neque huic interfuere subrogationi, neque tandem ab hypothecarum vinculo fundum censibus obnoxium unquam exemere.

§ 2. A Tocchio *anno* 1821 idem latifundium indicatione scut. 6100 migravit in familiam Ferri, quae subductis compensatisque *scut.* 4000 in quorumdam suorum jurium extinctionem, reliquum pretium *in scut.* 2100 intra sexennium, depacto interim *fructu quincunci*, venditori solvere spopondit, hac tamen adjecta lege « *che una tale estinzione non possa pretendersi se non dopo la cancellazione di qualsivoglia iscrizione ipotecaria che gravitasse sul predio suddetto di monte S. Polo e monte Prandone* ». Inscripta hinc hypotheca Tocchi favore super divendito fundo, quae exinde a creditorum coetu in illius patrimonium interim concursui suppositum coacto, diligentissime renovata, transiit demum in virum nobilem asculanum comitem Octavium Dal Monte Sgariglia, qui a Joanne Luciani, ut oeconomo a Ssmo Emygdio Ferri deputato, *volvente anno* 1840 praedium ipsum aestimatione statuta in *scut.* 6050 adeptus est. Hujusmodi autem pretium emptor, dimisso primum suo quodam nomine, nonnullorumque censuum in se translata redemptione, ac extinctione dotalis nominis Gertrudis Ferri, de reliquo persolutis venditori contextim scut. 1897 ad integram peraequandam aestimationem, partim Tocchi patrimonio, partim caeteris creditoribus, qui ante venditionem Ferri peractam super latifundio hypothecas inscripserant, rependere promisit.

§ 3. Id vero non modo aegre tulit Tocchi patrimonium, sed cum hisce conditionibus quoque adversari inceperit, rationem praebuit comiti Sgariglia ut *scut.* 3172, quot pro Tocchi nomine aliisque dictis hypothecis dimittendis erant necesse, deponeret. Triplex ob id prodita instantia coram tribunali primae actionis asculano; *una* nempe a fratribus Ambrosiis uti inter censualistas adnumeratis pro creditorum graduatione ac distributione depositi; *altera* ex patrimonii Tocchi parte pro illius judicii irregularitate

declaranda; *postrema* vero ab ipso comite Sgariglia pro assequenda adversus Tocchi patrimonium tum hypothecarum deletione, tum ex intranti earum quantitate super credito imminuendo evictione expromissa. Sed enim post latum incidentale decretum a Tocchi concursu ob provocationem tempore habili neglectam, plenissime adprobatum, quo *nonis martii* 1843 ab illo tribunali altera incidentalis instantia ab eodem concursu per saturam transmissa pro obtinenda petitionis comitis Sgariglia exclusione extitit, terminalis prodiit sententia quae depositi regularitatem, creditorum graduationem ac hypothecarum deletionem admisit, postbabito in graduatione Tocchi patrimonio omnibus censualistis pro reliqui pretii credito in *scut.* 2100 ac fructuum triennio in *scut.* 315.

§ 4. Quam quidem sententiam maceratenses appellationis judices ad quos Tocchi concursus confugerat, in reliquis comprobatam, revocarunt tantum quoad ejus crediti quantitatem ex evictionis praestatione cohibendam ad *scut.* 1090, 75, ac inde imminuendam « *per le spese dovute per lo scopo della respettiva graduazione* ». Itum tunc super istiusmodi revocatorio articulo a Tocchi creditoribus ad Rotam, eodemque tempore pro in integrum restitutione ipsi institere apud supremum nostrum Ordinem. Propositam itaque Tocchi coetus hoc mane petitionem, licet Patres mei comitis Sgariglia ac fratrum Ambrosi libellum sequentes eam pro modo articulorum remjudicatam revera constituentium duxerint coercendam, attamen sic moderatam dimiserunt rescripto « *Nihil* ».

§ 5. Facta siquidem comparatione inter libellum qui modo in discrimen venit, atque indubiam legis nostrae sanctionem *sub* §§. 1057 et 1058, ictu oculi Patres subito conspexere nullum ex iis in themate extremum concurrere, quo posito lapsis per extraordinarium beneficium suprema isthaec aula imperatorio jure opitulari valeat. Reque vera Tocchi creditores reijudicatae manifestam injustitiam adversus §§. 209 et 210 vigentis, quo adhuc moderamur, juris haurire putabant ex decreta regularitate judicii super distributione pretii, *tum* quia istiusmodi petitio transmissa fuerat priusquam quadragenarium laberetur a lege statutum tempus pro venditione ingravescenda, *tum* quia comes Sgariglia loco integri pretii ejus tantum partem in *scut.* 3172 deposuerat. Misso namque quod creditores agere pro licitatione potuissent, etiamsi inceptum foret judicium quod mansisset suspensum, hoc in facto compertissimum ibat abhorrere prorsus a themate prolatam legis violationem contra censuram in §§. 209 et 210 nostrae legis. Illud enim beneficium tunc a jure creditorum favore inductum» *Quando*, nempe, *il prezzo non sia bastante* », veluti edocet praecedens §. 207, ut eorum jura, quo magis fieri possit, sarcta tectaque forent in satisfactione assequenda. At creditorum favor et jus in casu exulabat, vix ubi resjudicata constituit integras dimittendas hypothecas non excedere *scut.* 3172, quae proinde, veluti pars pretii, satis erant ad omnes hypothecarios creditores dissolvendos. Abs re ergo est conversa legis sanctione quadragenarium modo illud invocare tempus, cum abesset quoad credita exsolvenda deficientia pretii, et cum nullus creditor, cui tantum legis beneficium favet, insolutus mansisset.

§ 6. Ad defectum vero pretii non integre depositi quod attinet, nullam pariter manifestam legis violationem inesse Patres prae sua sapientia jure merito aunt arbitrati. Inspecta namque legis censura, *sub* §. 206 *et* 207 regiminis judiciarii duplicem casum a jure statutum ac perpensum esse constat; in illo nempe « *se il prezzo . . . è bastante a soddisfare i creditori iscritti* », in hoc autem « *quando il prezzo non sia bastante* ». In primo, dum nil aliud creditoribus sperandum superest, lex jubet « *na farà l'acquirente il deposito in una cassa pubblica* », in altero vero depositum remoratur facta creditoribus ad quadraginta dies potestate ingravescendi venditionem. Secernendo itaque casum a casu cum res sub prima legis dispositione incidat, quisque sensu suo facile concipit integrum deponi debuisse pretium, si hoc credita et hypothecas aequaret, vel pro ea rata tantum quae sufficiens fuisset « *a soddisfare i creditori iscritti* » reliquum enim deponi foret inutile, cum dempto venditore qui inter creditores non adnumeratur, non esset qui super illo jus ullum haberet. Licet itaque lex in sua dispositione de deponendo toto pretio totas hypothecas dimittendas coaequante loquatur, tamen nemini dubium quin ex vulgatissimo

juris adagio quod de toto sancitur idem veniat intelligendum de parte, quatenus haec sit « *bastante a soddisfare i creditori iscritti* »; nam « *in toto et pars continetur* », ac « *semper generalibus specialia insunt* ». Ad textum in *leg.* 114 *et in leg.* 190 *ff. de reg. jur.* Hanc sane doctrinam non de integro pretio, sed de summa necessaria ac sufficienti ad creditores aequandos prout in themate deponenda vulgatam quoque legimus ab auctoribus Gallis per Tocchi creditores adductis; *Grenier trattato dell' ipoteca tom.* 2 *pag.* 219, *Persil. regime ipot.* 2 *pag.* 278, *et Ferrero dei privil. e delle ipot. tom.* 2 *pag.* 288 *num.* 56.

§ 7. Caeterum istiusmodi jus in comite Sgariglia laudavit solemniter *facto suo* et ipse patrimonii Tocchi concursus, vix ubi mandavit Angelinio procuratori asculano, ut ad illius depositi *in scut.* 3172 distributionem ageret. Agnovit ergo patrimonium non modo depositi regularitatem ac sufficientiam ad creditores hypothecarios omnes solidandos, sed etiam pro suo interesse particulari in assequendis *scut.* 2100 necessitatem conficiendi graduationem inter creditores ipsos ad hypothecas omnes delendas, quibus deficientibus cautum fuerat per Ferrium *ex stipulatu* cum Tocchio « *che una tale estinzione non possa pretendersi, se non dopo la cancellazione di qualsivoglia iscrizione ipotecaria che gravitasse sul predio anzidetto di monte S. Polo, e monte Prandone* ». Incivile itaque post haec pro parte ipsius Tocchi concursus quodammodo apparuit orta rejudicata niti, pallium revolvere, camque manifesta incusare injustitia contra omne jus contraque factum proprium, quod adversus dum nemini licet insurgere, ipsis creditoribus quam maxime idem nocere debet, *leg.* 78 *ff. de reg. jur.*, quibus praesertim, ut caeteris, leges non sinunt proprium consilium modo in alterius perniciem pro lubitu posse mutare, atque ita, si fieri posset, iniquam alteri conditionem inferre, ad textum *in leg.* 75 *et* 76 *ff. eodem.*

§ 8. Quod si resjudicata in graduatione posthabuit Tocchi creditum tum pro reliquo pretio, tum pro fructuum triennio caeteris censualistis, impliciteque comprobavit, sancita partialis depositi regularitate, dotale nomen Gertrudis Ferri a comite Sgariglia in se susceptum atque exolutum, perperam ex hoc tamen legem manifeste violatam fuisse concludebant patrimonii Tocchi creditores. Quoad enim censualistas potiebantur ipsi inscriptionibus ab initio captis, ac dein asservatis super latifundio « *Carpineto* » seu « *Sambuceto* », antequam Tocchi emptor illius praedii transcriptionem tam in hypothecariis quam in censualibus tabulis explevisset. Cum itaque creditores censuarii *in tempore* priores essent Tocchi patrimonii credito, cumque patrimonium ipsum in venditione ejusdem fundi Ferrio peracta ab hisce hypothecis praedii libertatem vindicare promiserit, nemo est qui non videat censualitas *in jure* quoque praelativam assequendi graduationem prae eodem Tocchio esse pariter potiores. Quoad vero dotale nomen scutor. 1000 » a Gertrude Ferri assecutum, quod implicite probavit resjudicata, exulat prorsus deducta juris communis violatio per vulgatissimam dispositionem in *leg.* 19 *ff. de contrah. empt.*, *in leg.* 53 *ff. eod.*, *in leg.* 13 *ff.*, 8 *ff. de act. empt. et vend.*, *in leg.* 22 *ff. de haered. vel act. vend.*, *et in leg.* 7 *cod. qui potior. habean. in pign.*, modo vero asservatam inter privilegia, ut *ex* §. 83 *num.* 3 judiciariae praxis, qua cavetur venditorem cuique creditori emptoris praeferendum pro pretio, vel ejusdem parte insoluta. Haud enim Gertrudes fuit ultimode venditori praelata, cum in facto constet pro venditore quod illi debebatur, in deposito fuisse relictum. Si ergo Ferria sui dotalis nominis solidationem fuit assecuta, id non ex venditoris pecunia, vel indebita contra eum praelatione processit, sed aere familiae Ferri debitoris qui reliquo diventiti fundi libero pretio suis obligationibus erga Gertrudem per comitem Sgariglia satis facere curavit.

§ 9. Nec patrimonii Tocchi oratoribus quidquam profuit ad remjudicatam ipsam convellendam in medium afferre praesulem Tassoni *ab anno usque* 1803 Ssmi rescriptum fuisse assequutum pro censuum translatione « *in alia patrimonialia bona specialiter designanda* », prout revera actum fuit subrogatione fundi « *Lama* ». Namque censualistae

neque Semi rescriptum agnoverunt, neque illi interfuera subrogationi, neque tandem ab hypothecarum vinculis latifundium « *Carpineto* » vel « *Sambuceto* » censibus obnoxium unquam exemere. Praeterea memoratum pontificium rescriptum salutari clausula « *Absque ullo tamen creditorum praejudicio* » muniebatur, quod natura sua secumfert jus quaesitum nolnisse tollere; *Garcia de benefic. part.* 5 *cap.* 4 *num.* 163, *et Rota in decis.* 363 *n.* 14 *part.* 14 *recen.*, *in decis.* 1082 *num.* 6 *coram Seraphino*, *et in decis.* 3 *tit. de rescriptis apud De-Grassis.* Cum itaque loco primi fundi censiti nunquam ad actum fuerit perducta intra trimestre spatium ab oeconomo Cincci reservata legalis subrogatio cum censualistis alterius praedii « *Lama* », quod e contra stat *in facto* firmissimum *volvente anno* 1838 sub corona fuisse divenditum ad dimittendos alios patrimonii Ciucci creditores, sponte sua sequitur censuarios creditores solidandos esse pretio divenditi fundi eorum hypothecis semper obnoxii, quas delendas agnovit et ipse Tocchius, atque solemni stipulatu idipsum in venditione cum Ferrio spopondit.

§ 10. Tandem haud regerant Tocchi patrimonii creditores remjudicatam in legem saltem peccasse quia delere decrevit ejusdem patrimonii inscriptionem, licet in facto constaret depositum non sufficere ad integrum ejus nomen inscriptum in *scut.* 2415 dimittendum. At falso quaeritur de hoc concursus, cum re altius inspecta, patrimonii ipsius potiusquam depositi culpae id tribuendum veniat. Reque vera depositum *ad scutat.* 3172 assurrexit; ergo late majus fuit credito patrimonii Tocchi. Quod si depositum exinde imminutum extitit, id processit ex censibus eorumque fructibus, qui inscripti in eodem fundo fuere reperti, quique praeterea reperiri non debuissent, si Tocchius datam fidem in stipulatu cum Ferrio fuisset sequutus. Quare resjudicata jure merito praecepit patrimonii Tocchi inscriptionem delendam esse, namque *monente Pomponio in leg.* 204 *ff. de reg. jur.*, « *Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire* ». Atque ita etc. utraque etc.

Die 2 septembris 1847 « *Dilata usque ad exitum judicii pendentis in Rota* ».

Procuratores — D. Joseph Papi — D. Alexander Piccinini.

Prot. 176/1846 — R. P. D. LIPPI — Decisio CXXXI.

Reatina Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 29 *Julii* 1847

Argumentum

Procuratoris declarationem procul a clientis voluntate emissam fuisse contenditur, etiamsi diuturno ejusdem silentio fuerit quodammodo comprobata — De validitate testamenti in quo, post haeredis proprietarii appellationem, testator certas personas designavit ad quas voluit ut sequuto ejusdem haeredis obitu, haereditas transiret. — De testamento coram parocho et octo testibus condito, absque notarii praesentia et subscriptione testatoris — An pro nullitate testamenti agere liceat ei, cujus auctor haeres in eodem scriptus fuerat, idemque exequutioni mandaverat.

§ 1. Ultimo nuncupativo quo decessit elogio coram parocho « *Ponticelli* » aliisque octo testibus condito, sacerdos Cajetanus Nardi ex contermino vico « *Scandriglia* » die 9 julii 1831 post nonnulla legata haeredem instituit proprium fratrem Vincentium, atque in posteriori parte praescripsit ne res haereditariae a Vincentio distraherentur, sed post istius obitum ad proprias sorores istarumque filios transirent. In vim hujusmodi testamenti quod parochus die 14 ejusdem mensis julii tradidit notario reatino Marcangeli coram duobus ex testamentariis testibus, Vincentius haereditatem adivit,

legata persolvit caeteraque explevit quae juxta defuncti mentem peragenda erant. Obiit post annum Vincentius, istiusque haeres Ignatius Francorsi omnia bona absque ulla distinctione occupavit, ita ut sacerdotis Nardi haeredes proprietariae judicium contra eum instituere debuerint coram reatino tribunali pro divisione bonorum quae ad patrui haereditatem pertinebant.

§ 2. Adversus hanc instantiam non modo nullam Francorsius exceptionem proposuit, sed ejus procurator petitae divisioni paratum se dicens, ipsius jura cohibuit dumtaxat ad materni dotalis crediti, praeter expensas et legata jam a Vincentio persoluta, redintegrationem. Quare tribunal divisionem admisit. Sed post tresdecim annorum silentium, quin unquam ad divisionem Francorsius processerit, aliud haeredes anno 1846 judicium instaurarunt, ut ad periti viri deputationem, cujus ope divisio fieret, procederetur, votisque consonam sententiam retulere, postquam alterius partis procurator petitionis justitiam iterum admiserat. Tunc Francorsius apud supremum nostrum tribunal confugit, praecedentis reijudicatae circumscriptionem, seu ab ea in integrum restitutionem expostulans. At circumscriptionis quaestione ex omissa in actis renunciatione penitus deleta, PP. bodie rescripserunt « *Quoad circumscriptionem provisum per declarationem, in reliquis, Nihil* », commisso mihi munere decisionis rationes evulgandi.

§ 3. Et merito. Licet enim ageretur de rejudicata impropria, adversus quam extraordinarium restitutionis in integrum remedium supremus noster Ordo facilius impertiri consuescat, cum tamen ab extrinseco et intrinseco ejusdem justitia praefulgeret, inutile erat in casu mitiorem legis adplicationem invocare. Atque prae primis ab extrinseco; dum res non erat de rejudicata quae haeredum jure tantum niteretur, sed orta post repetitas declarationes, quibus Francorsii procurator expresse confessus est se nolle petitae divisioni obsistere, consensitque ut ad hunc effectum vir peritus eligeretur. Nec dici poterat id procuratorem proprio arbitrio et procul a clientis voluntate declarasse, quia semel ac hujusmodi confessiones congruebant cum diuturno ejusdem tresdecim annorum silentio, retinendum erat procuratorem nil aliud egisse, nisi quod a cliente commissum ei fuerat. Sed quidquid hac de re sentiendum esset, omne jus Francorsio testamenti infirmationem urgendi perimebat omnino factum sui auctoris Vincentii, qui ob legata persoluta et caetera quae a testatore praescripta fuerunt, adimpleta, ipsum agnoverat atque executioni mandaverat. Quomodo igitur contra proprii auctoris factum insurgi poterat in discrimen postea revocando quod sartum tectum non modo, sed executus ipse jam fuerat?

§ 4. Quid vero ab intrinseco? In eo testamenti nullitas praesertim collocabatur, quod istud non a notario, sed a parocho exaratum atque a testatore minime subscriptum, jure tantum canonico subsistere posset juxta notissimum cap. *Cum esses*, ideoque validum censeri nequiret, non subsequuta coram notario testium revelatione juxta Benedicti XIV constitutionem. At perperam; nam agebatur e contra de testamento valido ex jure civili, ac proinde inutile erat ex praedictae revelationis defectu nullitatem arguere. Atque revera ut dici posset rem esse de testamento quod canonico dumtaxat jure valeret, opus esset ut coram parocho et duobus tantum testibus conditum fuisset; at quoniam non duo sed octo testes praeter parochum adfuerint, retinendum erat non agi de canonico ac privilegiato, sed de civili nuncupativo testamento, veluti hoc modo se istud condere voluisse bis ipse testator fassus est. Quare ut actus validus habendus esset, non quid benedictina constitutio requireret inspiciendum erat, sed utrum ea omnia servata fuerint quae in nuncupativis testamentis requiruntur, quaeque absque ulla testatoris subscriptione atque notarii necessitate leguntur in *leg.* 21 *cod. de testam.* « *Per nuncupationem quoque, hoc est sine scriptura, testamenta non alias valere sancimus, quam si septem testes, ut supra dictum est, simul uno eodemque tempore collecti, testatoris voluntatem, ut testamentum sine scriptura facientis audiverint* ». Quumque propterea non septem solum, sed octo testes praeter parochum adhibiti fuerint, validum testamentum censeri debebat, etiamsi condentis subscriptio et notarii praesentia defuerit.

§ 5. Constituta itaque testamenti validitate, facile diluebatur objectio quae, quia Vincentius initio testamenti appellatus fuerat haeres proprictarius, contendebat nullius momenti hebendam esse posteriorem adjectionem, qua defunctus hanc proprietatem ab eo auferens praescripsit ut post ejusdem obitum hecreditas ad proprias sorores isterumque liberos transiret. Praeter enim quam quod testamentum non entca ebsolutum dici valeat quam illud testes subscripserint, accedebat, in ultimis preesertim dispositionibus non minus rectum dicchdi modum, sed testatoris voluntatem unice attendendam esse. Atqui cum testetor non obstente praecedenti haeredis proprietarii vocatione, dein voluerit ut post ejusdem obitum haereditas ed propriss sorores istarumque liberos migraret; cum posterioribus priora corrigi ec derogari plerumque contingat; cumque in omni casu ea esset sumenda interpretatio quae plenius, quo fieri possit, disponentis voluntatem emplectatur, atque in eo preesertim quod expresse in testamento volitum ac comprehensum fuit, concludendum necessario erat pro implorati extraordinarii remedii exclusione, quod alioquin absque manifesta injustitia non est a lege, qua vivimus, indulgendum. Atque ita etc. utreque parte viriliter dimicante decisum est.

Die 9 septembris 1847 « *Provisum per renunciationem* ».

Procuratores — D. Joseph Bondi — D. Franciscus Lasagni.

Prot. 191 / 1846 Rmo P. D. FERLISI Decano Decisio CXXXII.

BONONIEN. AVOCATIONIS ET UNIONIS CAUSARUM

Jovis 29 *Junii* 1847.

Argumentum

Agitur de unione judicii summarii et executivi cum ordinario.

§ 1. Tribus sejunctisque locationis syngraphis, ad diem 6 martii 1841, et 30 octobris 1842 obsignatis, ac solidali accedente fidejussione Aloysii Ceneri interea temporis defuncti, Joseph Gentili ab Aloysio Lambertini Padovani ed integrum usque mensem octobris anni 1852 conduxit bona plurima pecudesque ad Lambertinium spectantes, annua certa constituta pensione. Cito tamen locationis hujus contractus poenituit Gentilium; futili hinc sub obtentu quod in illius rescissionem consensisset locator, exeunte anno 1844 bonorum omnium possessionem proprio lubitu penitus deseruit. Quod vix Lambertinio innotuit, ut indemnitati suae, praediorumque una simul consuleret culturae, diem tam Gentilio quam fidejussoris haeredibus coram secundo turno tribunalis civilis Bononiae urgenti ritu dixit, administretorem universae locatae substantiae deputari poscens, ejusque votis, acriter licèt assertam contractus rescissionem objiciente Gentilio, numeris omnibus bononiense annuit tribunal, conductori dumtaxat reservata » *qualunque azione, se, e come possa competergli di diritto per la pretesa seguita rescissione del suddetto contratto o contratti da proporsi in apposita sede di giudizio* ».

§ 2. Post haec cum conventa pensionis solutionis dies jam advenisset, eoque nomine deductis pecuniis sibi ab judiciali administretore persolutis, creditor edhuc scutor. 496 et ob. 54 superesset Lambertinius, coram eodem collegio tum conductorem, tum fidejussoris heredes pro hujusce summae solutione ineunte januario mense anni 1846 is denuo appellavit, judiciumque hujusmodi, licet natura sua summarium et expeditum, ad sextilem usque mensem ejusdem anni differri obtinuit adv. Aloysius Feletti ad litem a Lambertinio institutam sese urgens admitti, tam uti fiduciarius haeres equitis Caroli Ceneri, quam uti cessionarius haeredum omnium Aloysii Ceneri. Tum autem primo novum ex integro et ordinarium judicium super praetensa locatitii contractus rescis-

sione coram sectione altera ejusdem collegii, ac etiam citato adv. Feletti, instituit Gentilius, eoque vix contestato, recursum illico ad Ordinem nostrum advocatus interjecit, utramque causam apud primum tribunalis turnum poscens una simul conjungi; quam tamen petitionem hodie propositam rescripto « *Nihil de unione* » protinus rejecerunt Patres.

§ 3. Ac plura quidem et gravissima rationum prohibebant momenta quominus unionis petitio benigne exciperetur. Atque extrinseca primum judiciorum indoles id omnino prohibebat. Dum summarium enim et expeditum erat solutionis judicium, quod scriptis locationis tabulis fretus Lambertinius instituerat; ordinarium e contra, implexum, salebrosum atque ex formali testium pendens examine judicium alterum erat super praetensa contractus rescissione a Gentilio excitatum. Nil autem antiquius ac pervulgatius in foro, quam rarissime quidem summarium et executivum cum ordinario conjungi judicio, cum nullatenus pugnet, sed recto imo judiciorum ordini apprime congruat, iu executivo judicio reum conventum ad pecuniam solvendam damnari, quam in ordinario judicio ac post rem in eo ortam judicatam condicere forte is valeat, veluti firmavit millies supremum tribunal, ac novissime *in Romana unionis causarum* 10 *junii nuper elapsi coram me.*

§ 4. Generali autem huic ac receptissimae praxeos regulae auctoritas etiam accedebat rei indicatae in anteriori altero judicio super administratoris deputatione jamdiu editae. Licet enim illius pariter exitum intercipere Gentilius studuisset assertam contractus rescissionem excipiens, bononiense tamen definivit tribunal exceptionem id genus, tamquam turbidam, implexam altiorisque indaginis, obicem nullum illius definitioni posse praebere, unumque dumtaxat Gentilio jus servari oportere, in congrua ac sejuncta judicii sede eam proponendi, prout post diuturnum temporis spatium factum reapse a Gentilio est. Si res itaque praeatò erat judicata statuens rescissionis exceptionem a summario judicio locationis tabulis innexo esse omnino alienissimam, eamque imo litigatores ipsimet acceptam plenissime habuere, novo ex integro et ordinario ea desuper re judicio postea instituto; ejusdem sane auctoritas propositae causarum unioni necessario resistebat. Ea enim firma manente, incivile erat contendere ullum sententiarum antinomiae periculum utramque inter causam adesse, quod unum satis erat ad earum rejiciendam unionem.

§ 5. Nec secus urgebant vel ipsa litigatorum facta. Si novum enim rescissionis judicium a Gentilio institutum cum solutionis reapse causa coram secundo turno bononiensis collegii a Lambertinio antea proposita, fuisset connexum, cum eaque voluisset conjungi, in actoris erat arbitrio tribunal idem proprio lubitu adire. Si ei itaque e contra placuit ad tribunal alterum, sive priorem ejusdem collegii sectionem convolare, talique pacto assertam utriusque litis continentiam dividere, nefas certe Ordini nostro hodie erat judicia una simul conjungere, quae litigatores ipsi propriomet facto separarunt, veluti millies respondit nostrum tribunal, ac potissimum *in Ravennaten. unionis causarum* 25 *junii* 1840 §. 6 *coram R. P. D. La Grua Valdina, et in Ferrarien. unionis et avocationis* 10 *augusti* 1844 §. 4 *coram R. P. D. Lippi.* Quod sane aequissimum praxeos dogma sartum tectumque erat in themate servandum, licet unionis recursum non Gentilius interjecisset, qui utramque causam proprio lubitu sejunxerat, sed adv. potius Feletti meram fidejussoris gerens personam. Misso enim principis debitoris factum fidejussori etiam obesse, ad *text. in leg.* 18 *ff. de duobus reis,* gravissima insuper urgebat in themate suspicio, quod in novo rescissionis instaurando judicio et unionis recursu interjiciendo conductor ac fidejussor ex condicto egerint, atque una simul in locatoris damnum colluserint, adeoque eo vel minus licebat unius personam ab altera discriminare.

§ 6. Caeterum illud veluti culmen fastigiumque rei imponebat, quod ex integro nimirum rerum omnium contextu luculenter undique patebat, non aliter quidem unio-

uis recursum fuisse interpositum nisi ad expeditissimam solutionis causam remorandam. Id enim uedum suadebant argumenta singula superius enucleata (tum diversa scilicet judiciorum indoles, tum rei jamdiu editae judicatae auctoritas, tum solemnia demum litigatorum facta), verum suadebant eo vel fortius caetera etiam rationum momenta quae gravissima urgebant in themate. Constabat enim primo, non antea rescissionis judicium institutum a Gentilio fuisse, nisi labente sextili mense anni 1846, ac post diu longeque jamdiu dilatam solutionis causam, ejusque exitu jam imminente; constabat rursus, dum negligens adeo fuerat Gentilius in hujusmodi instaurando judicio, eo e contra vix instituto recursum illico pro causarum unione fuisse interpositum; quod remorandi hercle redolet studium.

§ 7. Constabat demum uedum in ordinario rescissionis judicio nullam prorsus allatam fuisse probationem quae actoris intentioni faveret, verum testes insuper fere singulos, quos apud Ordinem nostrum hodie attulerat Felettius, solemniter coram tabellione a Lambertinio rogatos assertam locationis rescissionem prorsus exclusisso. Ex quibus saue cunctis, una praesertim simul junctis, evidens cuique fiebat non alio consilio unionis petitionem fuisse propositam nisi ad executivi judicii cursum intercipiendum, eamque proinde procul a manifesta legis violatione excipi nullatenus posse. Scripta quippe lex est omnino diserta *in* §. 1054 *num.* 4 *vig. cod.* cubitalibus edicens verbis quod « *non è ammissibile il ricorso per l'avocazione e riunione delle cause; . . . . quando avuto riguardo alle circostanze ed alla qualità dei giudizj respettivi si riconosca. che il ricorso è diretto ad impedire o ritardare il corso dell'uno* o *dell'altro* ». Et ita in acri partium certamine jus redditum est.

Die 2 septembris 1847 « *Provisum per renunciationem* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Petrus Proja.

Prot. 158 / 1846 Rmo P. D. FERLISI Decano Decisio CXXXIII.

Bononien. Unionis Causarum

Jovis 29 *Julii* 1847

Argumentum

Eadem quaestio peragitur de qua in praecedenti decis. CXXXII.

§ 1. Fervente apud uostrum Ordinem avocationis et unionis causa, de qua coaeva agit decisio a me evulgata, novum Lambertinius coram secundo turno bononiensis tribunalis instituit judicium tum adversus conductorem Gentilium, tum adversus fidejussoris haeredes, citato etiam adv. Feletti eorum cessionario, pro solutione alterius pensionis ratae ad mensem usque augusti anni 1846 ex locationis contractu sibi debitae. Vadimonio hujusmodi vix accepto, liberationem primum a molestiis coram iisdom judicibus adversus Gentilium postulavit Felettius, quam facile impetravit. Non vero recursum alterum priori omnino similem ad Ordinem nostrum interposuit, postulans hanc pariter novam solutionis causam cum ordinario rescissionis judicio conjungi Gentilii nomine coram altera ejusdem tribunalis sectione jamdiu proposito. Ejus tamen petitione in contextuali contentione rejecta, ad hanc quod pertinet, rescripserunt Patres « *Provisum in contemporaneo, idest nihil de unione* », dato mihi munere decisionis vulgandae.

§ 2. Et merito quidem. Eadem enim et in hac controversia rationum urgebant momenta quae fusiori calamo coaeva eruebat decisio, idemque proinde ferendum erat in ea judicium. Tum diversa siquidem causarum *indoles*, tum reijudicatae *auctoritas*, tum solemnia litigatorum *facta*, tum demum legis *dispositio in* §. 1052 *num.* 4 *vigent. codicis* icto prohibebant foedere quominus novum etiam solutionis judicium con-

jungeretur cum ordinaria implexa et salebrosa rescissionis causa. Et ita etc. utraque etc.

Die 2 septembris 1847 « *Provisum per renunciationem* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Petrus Proja.

D. Raphael Borghi.

Prot. 68/1847 R. P. D. VICI Decisio CXXXIV.

Ravennaten. Circumscriptionis

Jovis 29 *Julii* 1847.

Argumentum

De natura actionis quae ad consequendam fundi censiti associationem instituitur — De valore litis in hujuscemodi judiciis — De exclusiva jurisdictione qua pollet supremum tribunal in vim §. 791 *neotericae praxeos.*

§ 1. Tres census summam constituentes scut. 700 atque annuos fructus gignentes argenteorum novem in singula centum anno 1802 marchio Camillus Spreti Ravennas imposuit favore archipresbyteri Antonii Quartaroli super praediis nonnullis sitis in territorio *delle Alfonsine* faventinae dioecesis. Anno 1803 marchio Camillus praedia eadem vendidit Josepho Lanconelli, quae deinceps anno 1839 ob sua jura dotalia habuit Sancta Lanconelli nupta Petro Lugaresi. Cum Carolus Quartaroli in jura successus archipresbyteri Josephi creditor foret pro fructibus censuum eorumdem in summa scutatorum 141, 75, judicium anno 1843 instituit adversus conjuges Lugaresi ad hoc ut terminus iis constitueretur « *entro cui* » conjuges ipsi deberent « *quali terzi possessori del fondo censito pagare all'istante la somma di scudi* 141, 75 *frutti di censo decorsi, e non pagati, decorso il qual termine inutilmente sentirsi ordinare l'immissione dell'istante al possesso precario del fondo censito, onde possa con il prodotto del medesimo e a termini di ragione soddisfarsi della detta somma di scudi* 141, 75 *frutti decorsi, non che dei frutti che decorreranno* ». Quam instantiam Quartarolius juxta censuram §. 1446 legum neotericarum indixit etiam principali censuum debitori, marchioni nempe Hieronymo Spreti filio et haeredi Camilli, qui cum clericali qualitate polleret, idcirco judicium fuit a Quartarolio institutum coram curia ecclesiastica Ravennae.

§ 2. Conjuges Lugaresi proposita prius incompetentiae exceptione adversus curiam eam, eo quod praedia censita extarent in dioecesi faventina, judicium deinceps liberationis a molestiis instituerunt adversus Bonafidem et Sebastianum Lanconelli, a quibus praedia ea Sancta in solutum acceperat. Vicarius Ravennae spreta prorsus incompetentiae exceptione actionem a Quartarolio editam integre approbavit damnatis tamen Bonafido et Sebastiano Lanconelli ad liberationem a molestiis praestandam favore conjugum Lugaresi. Provocavit Bonafides ab hac sententia ad R. P. D. Camerae auditorem, nullitatis etiam querela adversus illam excitata, eo quod judicium sententia ipsamet absolverat, quod nonnisi a vicario faventino, juxta §. 1445 codicis gregoriani, esset absolvendum. Quartarolius quoque incompetentiam excepit Camerae auditoris, dum de judicio ageretur summam scutorum quingentum excedente, quodque idcirco ad sacrum tantum Rotae auditorium in gradu provocationis poterat ascendere.

§ 3. Camerae auditor declarata prius sui ipsius competentia nullitatem pronunciavit actorum omnium « *fatti avanti la curia ecclesiastica di Ravenna per difetto di giurisdizione* ». Ab hac sententia provocavit Quartarolius ad ecclesiasticam congregationem A. C., jure sibi reservato sententiae illius circumscriptionem petendi a supremo Ordine nostro, quo deinceps jure utens, atque assueto in id interposito recursu ab eodem expostulavit « *circumscribi omnia et singula acta facta coram R. P. D. auditore Camerae tam in gradu appellationis super merito principali, quam pro incidenti pro praetensa nullitate actorum factorum coram curia epi-*

scopali Ravennae ex defectu jurisdictionis ». Quae sane petitio in hodiernis comitiis proposita fuit illico a supremo Ordine nostro rejecta rescripto « *Nihil* », munere mihi dato decisionem vulgandi.

§ 4. Judicium in appellationis gradu ab R. P. D. auditore Camerae absolutum duplici ex capite circumscribendum esse a nostro Ordine Quartarolius clamabat; primum nempe ob litis valorem, quia ajebat, judicium idem nonnisi ad sacram Rotam in gradu provocationis deferri potuisse; secundo quia, dum res erat de cognoscenda nullitate sententiae editae a curia ecclesiastica, nullitas eadem deduci tantum valebat coram supremo Ordine nostro, nunquam vero coram Camerae auditore. Neque unum tamen, neque alterum argumentum ejus ponderis Patres existimarunt, ut petita circumscriptio ab ipsis foret decernenda. Ad metiendum namque litis valorem, nemo est qui ignorat, id unum tantum prae oculis fore habendum, quid nempe petitum ab actore fuerit in primo judicii libello, quodque fuerit objectum praecipuam partem constituens actionis in libello propositae. Atqui constat ex primaeva judicii instantia a Quartarolio adversus conjuges Lugaresi proposita ad id unum eumdem respexisse, ad solutionem nempe scutorum 141, 75 « *frutti di censo decorsi e non pagati* ». Recte hinc et valide instantia ea in provocationis judicio deducta fuit coram Camerae auditore, cujus jurisdictio in gradu appellationis statuitur a neotericis legibus in §. 371 in causis omnibus « *non maggiori di cinquecento scudi decise in prima istanza degli ordinarj diocesani dello Stato* ».

§ 5. Neque erat, cur Quartarolii oratores litis valorem desumere conarentur ex parte ea libelli in qua ille expostulavit ut lapso inutiliter termino ad solutionem scut. 141, 75 a judice praefiniendo, immissio sibi concederetur ad praedia censita; unde arguebant actionem a Quartarolio propositam realem fuisse, vel mixtam, ad cujus proinde valorem metiendum ex censura §. 457 codicis gregoriani inspiciendum tantum esse pretium praedii, cujus precaria possessio expostulatur; cumque idcirco praediis censitis tabulae censuariae pretium tribuant scutorum plusquam mille et sexcentum, ex hoc concludebant actionem eamdem in gradu appellationis nonnisi coram s. Rota proponi potuisse. Paucis tamen opus erat ut hujus sermocinationis fallacia demonstraretur. Misso namque, utrum actio ad associationem fundi censiti consequendam, atque utili Salviano interdicto ab hodiernis legibus suffecta realis sit, vel mixta, an potius hypothecaria, atque in rem scripta, quam proinde uti personalem declarant *Vinnius in comment. ad institutiones in* §. 1 *de actionibus num.* 7, *et Cencius de censibus quaest.* 98 *num.* 13 *et seqq.*, hoc misso, certum erat ac indubium, atque ex integro libelli contextu evidentissime apparebat partem praecipuam actionis a Quartarolio propositae constitutam ab eo fuisse in solutione scutorum 141, 75, ac nonnisi subsidiarie, per modum poenae, et in eo casu tantum in quo summam petitam minime conjuges Lugaresi rependerent in termino a judice praefiniendo, eumdem petiisse in parte resolutiva libelli associationem ad fundum censitum precarie tantum, quoadusque scilicet ex fructibus praediorum satisfactus fuisset summae scutorum 141, 75.

§ 6. Ex quibus necessario consequitur rite valideque in gradu appellationis actionem eam ad Camerae auditorem fuisse delatam. Etenim ex inconcussa supremi nostri Ordinis sententia ad litis valorem metiendum id tantum est ponderandum, quod praecipue ac principe loco fuerit ab actore expostulatum, minime vero quod in resolutiva, hypothetica merreque accessoria ac poenali petionis parte continetur, uti jam statutum fuit *in Tusculana circumscriptionis* 3 *julii* 1828 §. 4 *coram Olivieri*, *in Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 12 *junii* 1838 §. 6 *coram R. P. D. meo Amici, et punctim in Caesenaten. circumscriptionis* 19 *decembris* 1839 §. 5 *coram eminentissimo Decano*. Idque eo fortius in themate obtineat oportet, dum Quartarolius in parte etiam libelli in qua immissionem precariam ad praedia censita expostulavit, solemniter declaravit sese ad id unum immissionem eam consequi velle, nimirum ut ipse hoc modo valeret « *coi prodotti (dei fondi censiti) ed a termini di ragione soddisfarsi della detta somma di scudi* 141, 75 *frutti decorsi* ». Inspecto quapropter integro etiam libelli tenore haereri nullatenus valet actionem in eo propositam ad consecutionem tantum spectasse scutorum 141, 85.

§ 7. Ast R. P. D. Camerae auditor non solum judex competens fuit ratione valoris rei in judicium deductae, sed nullitatem etiam potuit cogno cere ac definire, in quam incidisse existimavit vicar ium Ravennae. Etsi namque dispositum sit in §. 791 codicis gregoriani quod « *È riservata esclusivamente allo stesso tribunale supr mo la nullità per difetto di giurisdizione, se il difetto riguarda il valore della lite, ovvero le p ersone e le cose appartenenti al foro ecclesiastico* », bujusmodi tamen dispositionem minime ullitati, de qua pronunciavit Camerae auditor, aptari posse Patres existimarunt. Jurisdic nionem namque exclusivam supremo nostro Ordini paragraphum superius relatum tunc tantum tribuisse iidem putarunt, cum tribunal laicum vel ecclesiasticum quaestionem cognoverit et definiverit, cujus definitio ratione materiae vel personarum ad auctoritatem tantum ecclesiasticam pertinebat, vel laicalem. Hoc sane in casu dum judices ecclesiastici, vel laici incapacitate prorsus laborassent ad judicium ferendum, lex nullitatis ab ipsis patratae cognitionem demandavit solum Ordini nostro.

§ 8. Nullitas autem sententiae de qua pronunciavit Camerae auditor, originem duxit minime ab incapacitate vicarii Ravennae, neque quia is quaestionem definivit ratione materiae vel personarum spectantem ad jurisdictionem tribunalis laicalis, sed quod judex ille existimavit adeundum potius fuisse a Quartarolio vicarium faventinum, in cujus dioecesi sita erant praedia censita, quam vicarium ravennatem, cujus jurisdictioni suberat clericus Hieronymus ob ejus domicilium in dioecesi Ravennae. Extraneam quapropter a censura §. 791 nullitatem adversus sententiam vicarii ravennatis a Camerae auditore pronuntiatam merito Patres habuerunt. Atque eo pronius bujusmodi sententiam fuerunt amplexi, quia si ex dispositione paragraphi illius quaelibet querela nullitatis, in quam inciderint in suis sententiis judices ecclesiastici in quaestione etiam ratione materiae et personarum ad eorum definitionem a lege commissa, ad supremum nostrum Ordinem fuisset privative reservata, neque judices ecclesiastici unquam de sententiarum nullitatibus cognoscere valerent, etsi ab alteris judicibus ecclesiasticis patratis; quo nihil foret absurdius, nihil magis alienum a censura codicis gregoriani, qui eamdem jurisdictionem, easdem facultates in causis ejus definitioni commissis, tribuit auctoritati ecclesiasticae, quae generatim tributae fuerunt judicibus laicis in causis eorum jurisdictioni ablegatis.

§ 9. Nulla idcirco suberat ratio ob quam R. P. D. auditoris Camerae sententia circumscriptionis gladio foret a supremo nostro Ordine delenda. Valor profecto rei in judicium deductae capacem eumdem reddebat ad actionem a Quartarolio promotam in provocationis gradu cognoscendam ac definiendam; nullitatem deinceps potuit rite valideque judex ille pronuntiare sententiae provocatae, dum de nullitate agebatur nequaquam ad Ordinem nostrum a censura §. 791 privative reservata. Et ita etc. utraque etc.

Die 9 septembris 1847 « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram R.P.D. auditore Camerae cum omnibus inde sequutis, ex defectu jurisdictionis,* PP. VV. JJ. SS., *et extendatur decisio per rmum Decanum, et reproponatur* ».

Die 18 novembris 1847 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Federici — D. Dominicus Montanari.

Prot. 38 / 1847 R. P D. ARNALDI DECISIO CXXXV.

EUGUBINA CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 29 Julii 1847.

Argumentum

De jurisdictione habituali et actuali, proindeque de judicis incapacitate vel incompetentia — De prorogatione jurisdictionis juxta formam benedictinae constitutionis in judicio cessionis bonorum — De facultate forum eligendi, qua viduae et miserabiles personae fruuntur.

§ 1. Salomon et Leo Rieti negociatores judaei cum olim in commercio florerent, ex ludibrio fortunae quae modo aequa modo iniqua, ast semper fatua solet esse, unam

alteramque sententiam Urbini et Anconae tribunalium passi sunt, quarum postrema pressim ex die quintadecima septembris anno 1836 ipsorum decoctionis initium declaravit. Privilegio *miserabilium* utentes junii mense anni 1839 ecclesiasticum tribunal Eugubii, ubi domicilium habent, adiverunt, expletisque actis quae jure indicuntur, postularunt admitti ad miserabile beneficium cessionis omnium bonorum juxta censuram §. 1487 et sequentium codicis praxeos. Hoc ad judicium vocati inter reliquos creditores fuerunt Epiphanius Mazzatinti canonicus atque Henricus Hoz sociorum vel etiam nomine, qui judicio vicarii lubenter suppositus, acerrima contentione de merito postulati dimicavit, donec longam post pugnam, rejectis exceptionibus sententiam vicarius pronunciavit qua postulantes ad imploratum beneficium admisit.

§ 2. Etsi nulla adversus eam definitionem a creditoribus reclamatio edita sit, annorum fere octo servato silentio, nihilominus idem ille Henricus nuper surrexit, atque omnium coram vicario gestorum deletionem rogavit, defectum causatus jurisdictionis, eo quod minime licuisset judaeis coram vicario de cessione bonorum judicium instituere, quum coram tribunali civili ubi moratur reus jussum a lege sit debere institui juxta §. 444, objectoque altero §. 1488 qui declarationem jurejurando fulcitam tabulario tribunalis in provinciae principali loco inserendam sancivit. Ast Patres re sedulo perpensa, querelae fundamentum debile nimis levique ruens impulsu existimantes, hoc in priori conflictu responsum dederunt « *Nihil* ».

§ 3. Plura siquidem moverunt ad circumscriptionem reijciendam. Recolebatur in primis, defectum jurisdictionis insanabilem tunc erumpere, cum judex incapax prorsus sit ac nullo modo de subjecto litis, sive quoad litigantium personas judicare valeat, adeo quidem ut neque habitu neque actu potestas ei sit. Atque ea jugiter in foro viguit distinctio, vel de *incapacitate* agatur vel de *incompetentia*. Illa habitu atque actu exutum quavis jurisdictione judicem exhibet. Altera non habitu, sed actu certis exhibet judicem constrictum finibus, qui tamen sive ex tacito sive ex aperto litigantium consensu ampliari prorogarique possunt, atque ita de incompetenti competentem efficere valet ex satis nota jurisprudentia, de qua *card. De Luca de judiciis disc.* 3 *part.* 1 *n.* 26, expressitque haud semel supremus Ordo praesertim in *decis. Civitatis Castelli circumscriptionis* 20 *julii* 1845 §. 16 *coram Grossi*. Porro haud ambigitur ecclesiasticos judices inter laicos de re laicali haud habitu, sed tantum actu in jurisdictione deficere, quae tamen litigantium consensione sumere vires ampliarique possit, ad exposita juxta canonicas sanctiones in *decis.* 12 *adnotat.* 2 *num.* 47 *cor. Panimolle*, edocetque judiciarius *codex* §. 358 *num.* 2. Cum igitur inficiari haud possit consensum praestitum ab Henrico fuisse, qui non modo vocatus nil de jurisdictione excipiens comparuit, imo vero etiam summa contentione rogantibus ad cessionem admitti, obstitit, conseruitque pugnam ad usque definitivam sententiam, quae postea in utramque aurem obdormivit octo annorum cursu, ideo ille inciviliter ex jurisdictionis defectu, quem tot gestis consanavit, nullitatem expostulat, cum neminem lateat, et in codice, quo adhuc vivitur, scriptum legatur *in* §. 785, quandoquidem de incompetentia sit sermo, « *È rimesso e sanato il difetto di giurisdizione in ordine alle persone laicali se la parte comparisce, e senza opporre l'eccezioni di nullità, produce documenti e difese relative al merito* ».

§ 4. Nec profuit ex recitato §. 358 *num.* 2 opponere benedictinae constitutionis conditiones impletas haud fuisse, partes nimirum de incompetentia instructas nihilominus coram proprio judice, jurisdictioni ecclesiasticae subjacere velle, declarare debuisse. Quod juris enim Henricus habuisset nullitatem initio litis reclamandi, facto abjuravit suo, ac deinceps ex comparitionibus scienter ac libere repetitis, exceptionibus adductis, exacto praelio usque ad sententiam, huic per annos octo acquiescentia servata, invicta ipse praebuit certae liberaeque suae consensionis in judicem argumenta. Constitutio quippe haud obstat quin judex ecclesiasticus non habitu, sed actu incompetens, ex partium consensu competens fiat; in eo incumbit sapientissime quod certo evidenterque constet, ambagibus remotis ac sine fraude, de libera atque certa consensione. Quae certitudo atque evidentia si eluceat alioque scateat modo, constitutioni satisfactum esse nemo negabit; nam forma per aequipollens

adimpletur, dummodo obtineatur finis, effectusque sequatur ad quem fuit inducta, ad *text. in leg. ultima ff. mandati; Calvin. de aequitat. lib.* 2 *cap.* 200 *num.* 83, *Honded. cons.* 58 *n.*18, *Rota decis.* 429 *num.* 9 §. 18 *tom.* 2 *recent.* Atque etiam expressus dicitur consensus qui non verbis tantum, sed facto, potentiore verbis, demonstretur. *Rota decis.* 213 *n.* 7 *part.* 6 *recentior.*

§ 5. Inspecta autem constitutione illud quoque occurrit, eam respicere causas laicales « *inter* MERE LAICOS ». Atqui dari non potest controversia inter mere laicos nisi ex utraque parte laici sint, sive nisi actor et reus laicus sit. Neque hic in medium proferas, actorem sequi forum rei debere; nam de speciali jure agitur in quo uterque laicus debet esse, si *mere* inter laicos decertandum sit, quod sane intelligitur absque aliarum diversarum personarum mixtura. Dum itaque inter creditores canonicus existat, causam non *inter mere laicos*, sed inter clericum ex una parte, laicum ex altera peractam esse dicere debemus, atque idcirco, neque adeo rigide opus esset inquirere de implemento conditionis, sed eo fortius per aequipollens adimpleri potuisse retinendum est, cum talis imo diversitas severam censurae legis applicationem repellere videatur.

§ 6. Quid quod Salomon et Leo coram vicario insinuarunt actia « *i documenti comprovanti la condizione loro miserabilissima*»? Hinc libello principe expositum ab ipsis fuit « *che hanno adito il suddetto tribunale, come miserabili persone, in virtù delle apostoliche costituzioni* ». Profecto etsi praescripto legis §. 280 quaevis privilegia traducendi avocandique litigantes extra illa tribunalia quae lex recens designaverat, abolita penitus sint, nihilominus ex suprema declaratione *diei* 14 *februarii* 1834 habetur, quod si privilegium ex civili jure *legis unicae*, ex neoterica illa disciplina deletum sit, haud tamen viduis, quod jure canonum indultum est ipsis in *cap. ex parte*, derogatum censeri debeat. Jamvero cum ex canonico jure viduis ac pupillis miserabiles personae comparentur ad *cap.* 26 *de verbor. significat.*, plane sequitur eas ex lubitu sive laicale sive ecclesiasticum forum posse eligere, juxta disposita in *constitut. Pauli V*, cujus initium *Universi agri; Girald. exposit. juris Pontificii sect.* 229, *Ferrari in bibliot. in verbo forum, Engel. de foro competen. lib.* 2 *tit.* 2 §. 2 *n.* 73, *Rota cor. Panimoll. decis.* 12 *adnot.* 2 *n.* 47, *et supremus Ordo in Fulginaten. circumscriptionis* 6 *maii* 1836 §. 3 *cor. Grossi.*

§ 7. Hisce perpensis facili negocio prosternitur praecipuum praetensae nullitatis fundamentum constructum ex §. 444 in quo statuitur, postulatum cessionis bonorum instituendum esse « *avanti il giudice o tribunale del luogo ove l'istante o reo volontario è domiciliato* ». Generatim quippe lex loquitur « *...e tutte le istanze nelle quali alcuno si costituisce reo volontario* ». Igitur minime destruit jurisdictionem judicis ecclesiastici, quam specifice imo servavit inter mere laicos ad formam benedictinae, sive hujusce fine effectuque obtento. Nil exploratum est magis per speciem derogari generi, minime speciei per genus derogari. Atque in generica de illis omnibus praeventivis judiciis dispositione, nil obstat quin *servata constitutione*, tribunal loci inter mere laicos ac de re laicali ecclesiasticum esse possit, sub cujus jurisdictione moretur reus. Distinctionem vel exceptionem quam lex haud facit, vetitum cuique nostrum est facere, ac omnino ea quae in specie de jurisdictione ecclesiastica constituta sunt, oportet observari.

§ 8. Postremo nil attinet alter §. 1488 quo praecipitur juratam declarationem cedentis universa sua bona creditoribus, institui debuisse « *nella cancelleria del tribunale civile che risiede al capoluogo della provincia* ». Praetermittam haud de substantiali, sed accidentali forma peragi, ex quo capite nullitas stato tempore non deducta per progressum ad ulteriora in judicio, praescripta seu circumducta habeatur. Sed intelligi facile est declarationem illam in tabulario tribunalis provinciae fuisse collocandam, si causa in laicali curia peragi debuisset; sin apud ecclesiasticum, cui plus tributum erat judicandi ferendaeque sententiae, desipiat oportet qui perfracte negare vellet, jurisdictione pollere in *minimo*, recipiendae nimirum declarationis juramento vallatae, super qua libellus fundabatur. Cui plus licet minus licere nemo non intelligit. Quapropter cum undique labans proposita nullitatis querela comperiatur, merito actorum deletio rejecta est, cum vel in dubio

fuisset reijcienda, juxta monitum legis in §. 1047 « *Nel dubbio il tribunale supremo rigetterà la domanda per l'annullamento* ». Atque ita etc. utraque etc.

Die 16 decembris 1847 « *Circumscripta per viam nullitatis sententia vicarii Eugubii diei 20 septembris 1839 cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis, pp. uu. jj. ss., et extendatur decisio per R. P. D. Lippi, et reproponatur* ».

Die 3 februarii 1848 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Pontianus De-Santis — D. Crispinus Balderi.

Prot. 116/1847 **R. P. D. FERRARI** Decisio CXXXVI.

Anagnina Circumscriptionis

Jovis 12 Augusti 1847.

Argumentum

De cessione crediti in judicium deducti, lite pendente, confecta — An censendum sit judicem bis in idem pronunciavisse, eo quia terminum in sententia definitiva concessum, posteriori decreto prorogaverit.

§ 1. Religiosa vota quum Maris Rosa Martinelli explere statuisset in monasterio viterbiensi Ssmae Visitationi dicato, vir eminentissimus Bernardus Pianetti S. R. E. cardinalis illius civitatis episcopus, ac tutor Mariae a summo Pontifice datus, ejus fratres Hyacinthum, Antonium et Josephum vocavit coram vicario anagnino, ut dotem ac vestitionis expensas in summa scut. 710 persolverent. Debitum rei conventi minime impugnaverunt, sed illud ratatim partim ab eorum conductoribus, partim traditione literarum collybisticarum persolvendum esse exceperunt; quocirca reconventionali petitione postulaverunt « *non farsi luogo alla istanza in contrario promossa se non a forma di quanto si è trattato e concluso ed in parte eseguito* ». Hanc petitionem judex probavit; proindeque definitiva sententia triginta dierum terminum fratribus Martinelli praefixit « *per la consegna all'attrice o a chi per essa delle cambiali ed altre carte concernenti il convenuto contratto per la somma di sc. 710* », quo termino inutiliter elapso « *per colpa dei citati* », eos ad vim scut. 710 in numerata pecunia persolvendam condemnavit. Sententiam ipsemet episcopus viterbiensis Martinelliis indixit « *con animo espresso e riserva di appellare* », quae tamen appellatio nunquam interposita fuit.

§ 2. Quum itaque sententia in rem judicatam transitum fecisset, nihil aliud supererat quam eminentissimo tutori mandata super conductoribus et literas collybisticas tradere; quae traditio apparitoris ope nonnisi ipsius assensu, utpote qui cardinalitia dignitate insignitus erat, expleri poterat. Frustra vero ad hunc assensum obtinendum officia cardinalis ab arcanis atatus implorata fuerunt. Ne igitur fratres Martinelli loco syngrapharum ad pecuniam numerandam cogerentur, semel iterumque ab anagnino vicario termini prorogationem, antequam tempus praeterlaberetur, petere debuerunt, et sicuti justa intercedebat causa, ita concessa fuit duobus decretis, altero diei 23 octobris, altero diei 27 novembris superioris anni. Interea vero Maria suum creditum Petro Onesti cesserat, qui existimans decreta illa tum ex defectu citationis, tum ex defectu jurisdictionis insanabili nullitatis vitio coinquinata esse, viribus suis cum abbatissa monasterii Sanctissimae Visitationis junctis, recursum apud Ordinem nostrum interposuit ad hoc ut circumscriberentur; qui tamen recursus rejectus hodie fuit rescripto « *Nihil de circumscriptione* ».

§ 3. Nam quoad citationis defectum illud animadversum fuit, quod judicium pro solutione dotis ab emo cardinali Pianetti, qua Mariae tutore, inchoatum fuit; contra eum itaque prosequendum erat; ipse itaque, neque alii in jus vocari debebant, dum termini prorogatio semel iterumque petita fuit. Aliquid fortasse dicerent tum abatissa, tum

Onestius, si altera sequutam professionem et finitam cardinalis Pianetti tutelam, alter vero expletam cessionem denunciavisset. At altum utrinque servatum silentium. Quum igitur jura, si quae abbatissa et Onestius interea temporis acquisiverunt, fratres Martinelli minime novissent, rite recteque termini prorogationem petierunt, uno citato eminentissimo tutore qui uondum legitima desierat esse persona quae Mariam judicio repraesentaret.

§ 4. Neque alter consistebat jurisdictionis defectus, quem abbatissa et Onestius hauriebant ex eo quod vicarius anagninus terminum in sua sententia constitutum prorogavit, fere ac si bis in idem pronunciavisset. Nam verum quidem est quod judex nequit definitivas sententias ab eo latas revocare aut immutare; at verum quoque est quod vicarius neutrum patravit. Ipse enim non aliud egit quam terminum, antequam praeterlaberetur, in longius tempus proferre. Nihil itaque novi constituit, nihil novi concessit; editam sententiam minime immutavit. Nam tempus prorogatum ita habetur veluti ac si ab initio concessum fuisset, atque confunditur et censetur unum et idem cum primo termino. Quae optimo sane jure constituta sunt. Sicuti enim judex usque ab initio loco triginta poterat nonaginta dies ad cambialium traditionem explendam concedere, ita valebat etiam post latam sententiam diem prorogare, uti optime observat *card. De Luca de feudis disc.* 4 *num.* 24, *s. Rota in recent. part.* 12 *decis.* 343 *num.* 30 *et part.* 18 *tom.* 1 *dec.* 281 *num.* 21, *et cor. Zarat. decis.* 15 *num.* 40.

§ 5. Distingui siquidem debet sententia a dilatione concessa ad eam implendam. Silet quidem jurisdictio post judicatum in eo quod ad ipsius substantiam pertinet, sed non silet quoad dilationem quae sententiae executionem tantum respicit, et quam ideo dare et prorogare judex potest utpote qui sententiae ab eo latae executor a lege constitutus est. Expressi sunt textus *in leg.* 51 *ff. de rejudicata*; « ibi » *Debitoribus non tantum petentibus dies ad solvendum dandi sunt, sed et prorogandi si res exigat ; in leg.* 2. *ff. eod.* « ibi » *Qui pro tribunali cognoscit non semper tempus judicati servat, sed non nunquam arctat, non nunquam prorogat pro causae qualitate et quantitate, vel personarum obsequio et contumacia ; in leg.* 4 *ff. de damn. infect.* « ibi » *Dies cautioni praestitutus si finietur, praetoris vel praesidis officium erit ex causa vel rerum notare, vel protelare eum ; in leg.* 7 *ff. de feriis et dilat.* « ibi » *Oratione quidem divi Marci amplius quam semel non esse dandam instrumentorum dilationem expressum est, sed utilitatis litigantium gratia, causa cognita, et iterum dilatio tam ex eadem, quam ex alia provincia secundum moderamen locorum impertiri solet et maxime si aliquid inopinatum emergat. Illud videndum si defunctus acceperit aliquam dilationem propter instrumenta, an successori quoque ejus dari debeat, an vero quae jam data est, amplius dari non possit? Et magis est ut et hic, causa cognita, dari debeat* ».

§ 6. Nec secus constitutum est a codice judiciario, in quo judici qui debitorem per definitivam sententiam damnavit, potestas tribuitur eidem concedendi dilationem ad debitum persolvendum; ita sancitum legitur in §. 1152; « ibi » *La legge sospende inoltre la esecuzione delle sentenze definitive che condannano al pagamento di una somma liquida e certa, se il soccombente dopo emanata la sentenza in primo grado, od anche dopo interposta l'appellazione accetta puramente e semplicemente la condanna e rinunzia a qualunque rimedio ordinario o straordinario*, et in §. 1154 « ibi » *Durerà la sospensione per quel tempo che sarà determinato dal giudice o tribunale, avuto riguardo all'entità dell'affare ed alle circostanze del soccombente* ». Quod si judex post latam sententiam potest tempus debitori concedere ad aes alienum persolvendum, manifestissimum omnium est quod dilatio, atque ideo termini prorogatio, sententiae executionem respicit, minime vero illius substantiam tangit; manifestissimum est quod nova censeri nequit sententia super merito causae, qua solum ferenda judex jurisdictione destitutus est.

§ 7. Pronius vero noster Ordo circumscriptionem rejiciebat, quia praeter quam quod agebatur de querela odii plena, illud occurrebat quod justissima intercessit causa, ob quam judex terminum prorogavit. Nam eñus tutor licet requisitus, tamen veniam tradendi mandata et cambiales nunquam concessit. In re igitur trepida novit judex quod sine fratrum Martinelli culpa tempus praeterlabi poterat, atque ideo loco cambialium sine ulla eorum

culpa ad dutem in pecunia numerata persolvendam (quod gravius erat) cogi poterant. Nuvit itaque de novo prorsusque novu casu agi super quo in sententia nihil disposuerat. Termini igitur prorogatione, dum suppetias debituribus tribuit, quaestionem diremit, de qua nullum judicium tulerat. Contra durum nimium esset, si hodie circumscriptione delenda essent acta, quibus eius tutor causam dederat, durissimum vero acta delere in gratiam Onesti, qui lite pendente Mariae creditum comparavit; qui proinde nullum jus cessione illa sibi quaesivit. Nam « *lite pendente actiones quae in judicium deductae sunt, vel res, pro quibus actor a reo detentis intendit, in conjunctam personam, vel extraneam donationibus, vel emptionibus, vel quibuslibet aliis contractibus minime transferri ab eodem actore liceat, tamquam si nihil factum sit* », quae verba sunt *leg.* 2. *cod. de litig.* Et ita etc. utraque etc.

Die 9 septembris 1847 « *Provisum per renunciationem* ».

Procuratores — D. Archangelus Onesti — D. Joseph Saraiva.

Prot. 120/1845 R. P. D. VICI Decisio CXXXVII.

Cervien. Circumscriptionis

Jovis 12 Augusti 1847.

Argumentum

De privativa jurisdictione tribunalium civilium in causis fisci et Camerae spoliorum interesse respicientibus.

§ 1. In vim sententiae tribunalis civilis Ferrariae, cui robur accessit reijudicatae, canonicus Antonius Cinti uti rector beneficii sub denominatione Ssmi Nominis Jesu, atque erecti in collegiata ecclesia Massae Fiscagliae creditor renunciatus fuit argenteorum 397, 81 adversus reverendam Cameram spoliorum ob detrimenta, quae Cintius ajebat illata bonis beneficii, antequam Camera spoliorum ea administravit. Ut remjudicatam ille executioni committeret, sequestrum indixit curam curia ecclesiastica Cerviae Joanni Baptistae Salducci, qui in emphyteusim acceperat bona nonnulla minime tamen ad Cameram spoliorum spectantia, sed ad sacram congregationem de propaganda fide, sequestrationis actu judicialiter nunciatio Camerae etiam spoliorum.

§ 2. Ut sequestri illius effectus effugeret sacra eadem congregatio judicium instituit curam ipsamet curia ecclesiastica Cerviae in jus vocatis tam Camera spoliorum, quam canonico Cinti et Salduccio ad sequestri illius revocationem consequendam tanquam peracti super bonis alterius quam debitoris. Ast victa eadem discessit a judicio, et sententia illius curiae ecclesiasticae rejecit instantiam editam pro revocatione sequestri. Tunc Camera spoliorum judicium illud nullitatis incusavit uti absolutum coram curia illa, quod absolvi tantum poterat a tribunali civili Ferrariae. Assueto in id proposito recursu ad supremum nostrum Ordinem, nullitatis querela proposita fuit in hodiernis comitiis, quam jura sua deducente tantum Camera spoliorum, illico Patres exceperunt rescripto « *Circumscriptis omnibus gestis per viam nullitatis coram tribunali ecclesiastico Cerviae cum omnibus inde secutis ex defectu jurisdictionis, partes utantur juribus suis* », munere mihi datu decisionem vulgandi.

§ 3. Actorum profecto eorum nullitas evitari nequaquam potuisset, etiamsi vel Cintius, vel Salduccius, vel ipsamet sacra congregatio de propaganda fide defensiones suas exhibuissent. Nullitas namque judicii a curia ecclesiastica Cerviae absoluti adeo patens erat ac manifesta, ut judicium idem consistere nulla ratione valeret. Jubet namque *codex gregorianus in sectionis octavae titulo primo parte secunda* §. 328 « *le cause di qualunque somma maggiore o minore di duscento scudi, che risguardano l' interesse dell' erario pubblico saranno conosciute e decise in primo grado dai tribunali civili nelle provincie* » cu-

jus dispositionis vim et efficaciam lex ampliavit quoad causas Camerae spoliorum in subsequenti §. 334, in quo maudavit « *le disposizioni di questo capitolo sono comuni alle cause della Camera de' spogli, e per essa della congregazione di propaganda fide* ». Ast si quidquid in §. 328 quoad fiscum statuitur, respicit etiam causas Camerae spoliorum, si in paragrapho eo saneitur, judicia in quibus agitur de fisci interesse, cognoscenda et absolvenda tantum esse in primo jurisdictionis gradu « *dai tribunali civili* », ueque certo certius jurisdictione ulla pollebat curia ecclesiastica Cerviae judicium absolvendi super sequestri revocatione coram ea a sacra congregatione de propaganda fide promotum, in quo sane judicio citata specialiter fuit Camera spoliorum, deque illius proinde interesse necessario agebatur.

§ 4. Jure igitur meritoque circumscribendum Patres duxerunt quidquid gestum fuit coram curia eadem. Jurisdictio siquidem omnium judicum ab uno summo Imperante dimanat; hinc jurisdictione quoad certas causas in aliquem magistratum a lege specialiter collata, judicibus caeteris earum cognitio interdicta penitus manet, eique tantum licet in illo contentionum genere sese ingerere. Ita post *textum in leg. fin. cod. de jurisdictione omnium judicium* tradunt *Barbosa ad leg. de judiciis art.* 4 *num.* 48, *Donnell. comment. in jus civile lib.* 17 *cap.* 9 *num.* 12 *et* 13, *ibique Stilliger not.* 13, *et supremus noster Ordo in Maceraten. injunctionis facultatum* 9 *julii* 1829 §. 4 *cor. Galmberti*, atque in thesi huic simillima *in Bononien. circumscriptionis* 15 *septembris* 1842 §. 2 *cor. rmo Decano*. Quod si judices alienas invadunt provincias, idque definiunt quod a lege aliorum magistratuum definitioni committitur, ruaut mole sua oportet ea omnia quae gesta ab ipsis fuerunt, *ad textus in leg.* 1 §. *haec autem ff. quod quisque juris, in leg.* 2 *ff. de poenis, et in leg. ultima ff. de jurisdictione*, et post eos statuunt *Vantius de nullitate ex defectu jurisdictionis num.* 1, *sacra Rota in Anconitana seu Centumcellarum circumscriptionis* 5 *augusti* 1833 §. 7 *cor. R. P. D. De Avellà*, ac centies definivit *supremus Ordo*, ac praesertim in *Firmana circumscriptionis et appellationis die* 7 *februarii* 1828 §. 2 *cor. Grossi*.

§ 5. Neque nullitas judicii a curia cerviensi editi sanari potuisset *ex clericali qualitate canonici Cintii*, veluti ac si is a sacra congregatione de propaganda fide citatus in judicio super revocatione sequestri ob qualitatem eam nonnisi coram curia ecclesiastica cerviensi citari potuisset, « *dum actor sequi debet forum rei* ». In judicio namque eo praeter Cintium in jus vocata etiam fuit Camera spoliorum. Silere hinc penitus debebat fori privilegium a qualitate clericali canonici Cintii desumptum. Apertissime id eruitur ex amplissima *dispositione* §. 328 *superius relati*, in qua generatim, atque ulla absque distinctione causae cujuscumque valoris, in quibus agitur de interesse Camerae illius, privative delegatae fuerunt in primo jurisdictionis gradu ad tribunalia civilia. Clarius vero, si fieri potest, privilegium hujusmodi fiscale emergit etiam ex *censura* §. 445 ejusdem codicis gregoriani, quique jubet « *Le cause nelle quali è attrice la Camera Apostolica e qualunque amministrazione fiscale saranno introdotte avanti i tribunali civili competenti* ».

§ 6. Hinc dum causas omnes in quibus administratio quaelibet fiscalis actricis personam repraesentat, jurisdictioni lex delegavit tribunalium civilium, despectis penitus reorum conventorum qualitate et fori privilegio, eo fortius ex censura legis illius tribunalia tantum civilia privativam exercere debent jurisdictionem in causis in quibus, uti evenit in judicio super revocatione sequestri, Camera spoliorum minime gessit personam actricis, sed illam rei conventi, quo sane in casu nil dubii est jus eidem fuisse litigatores caeteros etsi reos pariter conventos, etsi altero fori privilegio suffultos, trahendi ad forum sibi a lege constitutum. Qualitas quapropter ecclesiastica Cintii jurisdictionem nullam curiae cerviensi tribuere potuit in judicio, in quo citata fuit Camera spoliorum, et in quo de illius interesse agi necessario debuit; atque hinc circumscriptionis gladio deleri oportuit quidquid extra limites suae jurisdictionis gessit curia cerviensis. Atque ita etc. unica etc.

Die 16 decembris 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Ignatius De Witten — D. Silvester Pediconi.

MACERATEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 12 Augusti 1847.

Argumentum

De dote congrua — De proprietate bonorum quae filius familias, uxoris pecunia, proprio autem nomine acquisiverit.

§ 1. Fabrianensis civis *Coelestinus Bigonzetti* initio labentis saeculi cum unico filio *Francisco* fuit primum « *sellaro* », deinde « *venditor di castagne* » ac tandem « *spedizioniere di merci* », sed labore, sedulitate ac parsimonia tam sua quam filii brevi valuit sibi mediocrem censum ac rerum suarum fortunam comparare. Praeter filium Coelestino erant quoque tres filiae nomine *Aloysia, Rita* ac *Catharina*, quarum primae *anno* 1808 nuptae cuidam *Scassellati* dos a patre constituta fuit in *scut.* 400, muliebrisque traditus apparatus in *nummis* 150, quorum utrumque Aloysiam viduam inde redditam, ac transeuntem ad secunda vota cum *Romualdo Angeletti* huic et attulisse ostendunt publicae in id 11 *novembris* 1819 tabulae adstipulatae. Dotem pariter *scut.* 300 praeter mundum muliebre *in nummis* 100 a patre assecuta fuit et *Rita*, dum nupsit *anno* 1813, cui ob fractas mariti substantias Coelestinus addidit dotis quoque nomine alis *scut.* 200, muliebrisque apparatus intuitu alia *scut.* 100 dum filia vidua facta ad alteras convolavit nuptias. Isthaec autem gemina dotis constitutio non modo in publicis tabulis appellata congrua, sed dicta quoque immodica, attento familiarum statu, ex unius alteriusve dotatae facto omnibus ad hoc adhibitis solemniis universalem meruit abdicationem omnium jurium et actionum « *sopra l'eredità paterna, materna, ed avita* ».

§ 2. Postrema supererat nubenda *Catharina* filia quae interim ad trigesimum et ultra primum aetatis annum pervenerat. Huic Coelestinus consulere putavit extremo quo *anno* 1838 decessit elogio *sub die* 9 *novembris* 1822 obsignato. In eo equidem, scripto haerede ex asse Francisco filio, Catharinae reliquit *scut.* 600 « *a titolo di legato, istituzione di legittima, come anche a titolo di dote* » ea tamen sub lage, quod ipsa nil aliud « *possa pretendere della mia eredità* ». Testamento autem vix condito, Coelestinus apopletici morbi ergo demens quodammodo factus interdictioni subjici debuit, ne furiosum exitum rerum suarum facere prosequeretur. Hinc familiae gestor successit Franciscus, qui ducta vel ipse uxore, cum hujus dote suaque peculiari industria et labore censum sibi particularem valuit constituere. Inter haec tamen Franciscus haud neglexit sororem Catharinam, quae revera *anno* 1823 nupta *Nicolao Costantini* architecto et architecti cujusdam filio, ac praeter maximam honestatem sufficienti censu ditato, tum *anno* 1824 in quo primam dotis ratam recepit, tum *anno* 1839 in quo illius solidationem fuit assecuta, semel ac bis omnibus intercedentibus solemniis, reque intimius perpensa ac discussa, dotis congruitatem « *ed anche maggiore dello stato patrimoniale del fu Celestino Bigonzetti* » non modo cum viro declaravit, sed edidit insuper « *generale rinuncia a qualunque diritto le potesse competere ed appartenere sopra tutti i singoli beni costituenti la eredità paterna e materna* ».

§ 3. Caeterum facta et ipsa Catharina ad instar aliarum sororum vidua, cum iterum nupsisset *Christophoro Tortolini* in urbe olim amanuensi, hic statim pulsavit cum uxore penes tribunal civile primae actionis Maceratae Franciscum, ut dotem quam incongruam dixit, juxta legitimae modum reus conventus solvere teneretur. Verum rejudicata coram illo tribunali appellationis oborta, qua plenissime reprobata fuit actorum petitio, adversus eam conjuges ad nostrum supremum ordinem confugerunt pro in integrum restitutione. Cui quidem recursui principio ipsius procuratoris ope per significatam renunciationem, quin penes acta deiu existere apparuerit, valedicere simularunt, deinde vero revoluto pallio hoc mane in quo causa proponenda erat, pro dilatione institere; sed Patres mei incivili recurrentium methodo jure merito indignati, comperendinatione reprobata, rescripserunt « *Nihil* ».

§ 4. De manifesta legis violatione, ad quam unam totus cohibebatur conjugum Tortolini recursus, accusabant et ipsi remjudicatam maceratensem, qua reprobatus fuerat eorum libellus super dotis incongruitate, ejusque supplemento usque ad legitimae rationem. Verum Patres dum prospexere remjudicatam, quin ullam manifestam praeseferret injustitiam, potius leges omnes et regulas in subjecta sequendas specie undique servavisse, pari tempore animadverterunt in thcmate agi de dotis congruae articulo, qui utpote pendens ab arbitrio patris, a prudentia judicis, a varia aestimatione et opinabili, vel conjecturali filiarum conditione nequit unquam restitutionis in integrum subjectum constituere. Hanc sane doctrinam quae in foro peregrina non est, jam statuit supremus hic Ordo noster *in Bononien. restitutionis in integrum* 23 *augusti* 1838 §. 15 *cor. R. P. D. meo Lippi.*

§ 5. Quod vero resjudicata procul a quavis injustitia leges omnes in rejicienda conjugum petitione religiosissime servaverit, manifestissime eruebatur tum ex sanctione pianae legis vim omnem obtinentis *anno* 1823 tempore initi matrimonii, tum ex altera gregoriani juris *anno* 1838 vigentis, in quo Coelestini Bigonzetti successionis dies est aperta. Ab illa enim sic edocemur *sub art.* 112, « ibi » *Le figlie e nepoti già collocate in matrimonio nel tempo della morte del padre o dell'avo paterno, e da questi provvedute di dote congrua null'altro potranno pretendere dalla loro eredità testata od intestata. Si avrà sempre per congrua la dote, quando con essa la femmina sarà stata collocata in matrimonio con persona di pari condizione* ». Haec autem sub §. 18 confirmata iisdem fere verbis prima dispositione quoad dotis congruae provisionem filiabus neptibusque ante patris vel avi mortem nuptis attributam, earumque exclusionem ab intestata vel testata illorum haereditate, ita *sub insequenti* §. 21 statuit « *Si avrà sempre per congrua quella dote, con la quale le femmine vennero onestamente collocate* ».

§ 6. Jamvero sive unam sive alteram legem expendere juvat, semper *in facto* et *in jure* compertissimum ibit remjudicatam merito decrevisse Catharinae dotem congruam prorsus esse habendam; namque cum illa nupta ea fuit non modo « *con persona di pari condizione* » juxta pianae legis censuram, sed meliori quoque genere, vel ad tramites alterius gregorianae fuit etiam atque etiam « *onestamente collocata* ». Reque vera Coelestini Bigonzetti licet initio humilis conditio exinde labore industris ac parsimonia patrisfamilias mediocriter fuerit aucta, tamen cum *fortuna non mutet genus*, uti jam cecinit *Q. Horat. Flac. Epodon lib. unic. od.* 4 *vers.* 6, ideo primaevi status obscuritas ex superventa negociatoris qualitate, ac ex mediocri censu quaesito haud potuit abstergi. Si itaque hujus hominis filia nuptias contrahere valuit cum Constantinio, qui filius non ultimae notae architecti, architecturam et ipse tum domi tum foris magna cum utilitate profitebatur, quique, ut testes omni exceptione majores perhibent « *ha posseduto più case in questa città* », nemini dubium quin attenta dotis congruitate Catharina meliorem reddiderit suam conditionem nubendo non tam viro « *di pari condizione* », quam melioris originis ac paterni quoque generis, vel fuerit ipsa « *onestamente collocata* ».

§ 7. Atque hoc magis, quia attenta familiae dotantis consuetudine nedum longe ditior fuit dos Catharinae, sed etiam patrimonii dotantis viribus mirifice cohaesit. Exploratissimum siquidem in facto est illius sorores *Aloysiam*, nempe *anno* 1808 nuptam, dotem a patre retulisse *in scut.* 400 praeter mundum muliebre *in scut.* 150 »; *Ritam* vero in secundis nuptiis de anno 1819 initis ob fractas primi viri substantias adauctam a Coelestino reportasse dotem apparatumque muliebrem specie tenus *ad scut.* 700; Catharina e contra ex paterno testamento revera dotem habuit *in scut.* 600, quae proinde ditior certe est respectu aliarum sororum, apprimeque convenit patrimonii dotantis viribus. Coelestino enim, si statum attendas relatum in instrumento adauctae dotis Ritae anno 1819 celebrato, vix erat « *in tutto un estimo complessivo di scudi* 1221, 33 » partim in bonis rusticis, partim vero in urbanis. Ob auctam Ritae dotem patrimonium ipsum imminutum extitit, nec intra quinquennium in quo celebratum fuit primum Ca-

tharinae matrimonium, ita illud augeri potuit, ut et ipsa Catharina dotem *scut.* 600 sperare valeret. Habuit itaque ea dotem praeter vires patrimonii, quae talis quoquo fit inspecto temporo finalis solutionis de anno 1839 initae. Ex voto enim jurisconsulti *advocati Fidanza* in solemniis pro quietantia adhibito patet patrimonium paternum tunc assurgere *ad scut.* 4521. 77, dotemque constitutam congruam esse, quod etiam verificaretur, si in unum collatis dotibus aliis filiabus datis cum patrimonio tunc existenti, ac pecunia in commercium *in scut.* 1521, 30 immissa, dos ipsa ad rationem legitimae pro modo filiorum constitui vellet.

§ 8. Nec ad remjudicatam post haec evertendam quidquam prodesset conjugibus Tortolini huic patrimonii paterni augmento inniti post dotem constitutam advento, ut praesertim excludi posset Catharinam nupsisse viro « *di pari condizione* », vel saltem fuisse « *onestamente collocata* ». Indubii namque juris est augmentum quodcumque post constitutam dotem superveutum non reddere istam inofficiosam et incongruam, prout decrementum eam non reddidisset immoderatam vel reductioni subjectam. Ad rem *Constant. ad stat. urb. annot.* 35 *numer.* 36, cui conciuit *Rota in Faventina renunciationum* 24 *martii* 1817 §. 11 *coram Serlupi*, *et in Septempedana supplementi dotis* 12 *decembris* 1831 §. 10 *in fin. et seqq. coram De-Cursiis.* Quod vero respicit *conditionis* nuncupationem in sensu legis, ea intelligi proprie debet quae genus et originem, non vero quae divitias et fortunam constituit, ceu jam definivit in articulo plane simili leonini motus-proprii supremus hic Senatus *in Bononien. restitutionis in integrum* 23 *augusti* 1838 §. 13 *et seq. cor. R. P. D. meo Lippi.*

§ 9. Praeterea haud Tortolinios juvaret in medium afferre jus quodammodo ipsis competens pro assequendo dotis supplemento juxta vires patrimonii tempore obitus constituentis usque ad legitimae rationem. Nulla siquidem lex est, quae patri mandet dotare filiam pro legitimae quantitate et jure ipso communi inspecto circa dotis quantitatem redditur materies arbitraria subjecta judicio patris, cui dotis tantum onus injicitur, vel ea datur norma, ut respondeat mariti et mulieris conditioni ac fortunae. Ita namque post textum *in leg.* 60 *ff. de jure dot.*, *in leg.* 69 §. 5 *ff. eodem.*, *ac in leg.* 43 *ff. de legat.* 3 statuit passim *Rota*, ac praesertim *in Faventina renunciationis* 24 *martii* 1817 §. 9 *coram Serlupi*, *et in Septempedana supplementi dotis* 14 *junii* 1833 §. 2 *coram Marini.* Quod si non modo piana lex *sub artic.* 113, sed gregoriana quoque, qua adhuc moderamur, *sub* §. 19, mandat, *illa* dotis supplementum super bonis haereditatis usque ad legitimam, *haec* autem juxta congruitatis rationem, id locum obtinet in utraque si filia innupta fuerit, aut incongrue dotata. In themate autem agitur de filia nupta, antequam pater decessisset, et congrua etiam dote ditata vel ob matrimonium initum « *con persona di egual condizione* », vel quia Catharina fuerit « *onestamente collocata* ». Abs re ergo foret ad supplementum confugere sive pro ratione legitimae, sive pro modo congruitatis dotis, vix ubi in discrimen nunquam venerit supplementum dotationis quae probata et admissa fuerit uti incongrua.

§ 10. Tandem neque conjuges jure vindicarent bona a Francisco comparata ad illa patris adhuc viventis accrescere debere, ut inde major sororum redderetur dos congrua ac legitima. Quae bona enim Franciscus labore, industria, diligentia sibi curavit ope emptionum suo nomine gestarum, erogatis in id nummis propriae uxoris, non est cur contendatur inde auctum parentis Coelestini patrimonium pro effectu praesertim dotationis illarum congruae quae jamdiu decenter nupserant. Et licet diceres Franciscum post coitum matrimonium, et patris dementiam in furorem conversam, in quo statu nulla patria potestas certe cohaerere videtur, haud ipso jure redditum fuisse emancipatum, attamen patrimonium paternum ex hoc augeri haud potuit bonis per eumdem filium uxoris pecunia quaesitis suoque labore ac industria fructuosis exinde effectis. Est namque in jure exploratissimum istiusmodi bona a filiis comparata, vigente licet patria potestate, ipsorum omnino propria evadere, nec quoad proprietatem ullo modo ad pa-

trem pertinere ad textum *in leg.* 6 *cod. de bon. quae liber. etc.* Atque ita etc. altera tantum etc.

Die 9 septembris 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Binarelli — D. Angelus Biscontini.

Prot. 58/1847 R. P. D. AMICI Decisio CXXXIX.

Maceraten. Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum

Jovis 19 *Augusti* 1847.

Argumentum

De incidentali controversia super qualitate haereditaria coram judicibus mercatoriis excitata, ad civile tribunal ablegata, et ab eodem absoluta — De prorogatione jurisdictionis civilis in re commerciali — De obligatione solidali — De differentia inter petitionis intimam justitiam, et intrinsecam instituti judicii legitimitatem.

§ 1. Opificium pro fictilibus fingendis vendendisque Urbaniae erectum Joannes Baptista Gestoli Duart una cum sociis pluribus possidebat, dum fati munus implevit, haeredibus aliis, partim usufructuariis, partim proprietariis praeter filium natu majorem Josephum institutis. Quum autem labente anno 1844 in id consilii socii fere singuli venerint, sociale nimirum opificium comiti Benedicto Materozzi Brancaleoni vendendi, calendis aprilis praefati anni 1844 contractus hujusmodi privatis tabulis est consignatus, solidali venditorum omnium accedente obligatione, ac Josepho dumtaxat (quod ad Joannis Baptistae pertinet haeredes) praeter socios caeteros venditionis syngrapham subscribente. Emptore vero postea detrectante sibi divenditi opificii traditionem accipere, tum Josephi tum sociorum caeterorum nomine judicium adversus eum pro contractus executione coram mercatorio Urbini tribunali est institutum.

§ 2. Lite vix contestata incidentem petitionem coram mercatoriis judicibus proposuit Benedictus, eoque sub obtentu quod Joseph « *non è altrimenti erede universale* » patris sui Joannis Baptistae « *qualifica che dall'istante vivamente s'impugna ed intende col presente atto avere per impugnata* », eique proinde procul a cohaeredum consensu legitima deesset persona tum haereditariam patris substantiam distrahendi tum judicio sistendi, declarari petiit « *a termini del* §. 554 *dell'attuale regolamento legislativo e giudiziario che non si fa luogo a procedere sulla domanda degli avversarj* ». Quam sane postulationem cum a propria jurisdictione alienam mercatorii censuerint judices, ad civile ablegarunt tribunal, quo coram litigatores omnes ultro libenterque steterunt, juraque sua protulerunt in medium. Duplici autem tum civilis urbinatensis collegii, tum maceratensis appellationis tribunalis sententia Benedictus repulsus, supremum Ordinem nostrum adiit, vel circumscriptionem urgens tam incompetentiae decreti a mercatoriis judicibus editi quam actorum omnium quae in illius sequelam coram civilibus juridicis fuerant gesta, vel in integrum saltem posceus restitui adversus sententias omnes sibi inimicas. Nec meliorem tamen expertus est sortem rescripto in hodiernis comitiis ab RR. PP. edito « *Nihil de circumscriptione et restitutione in integrum* », datoque mihi munere decisionis vulgandae.

§ 3. Atque ut a petita actorum circumscriptione sit exordium, lex erat omnino aperta ac diserta in §. 943 *gregor. cod.* conceptis jubens verbis mercatorios judices teneri ad civilia tribunalia ablegare « *le controversie incidenti sulla qualità ereditaria* ». Si hujus itaque legis haerens sanctioni incidentem Benedicti petitionem, tamquam haereditariam Josephi qualitatem respicientem, ad civiles judices mercatorium ablegavit tribunal, eamque postea ii diremerunt, nil erat certe tam civilibus quam mercatoriis judicibus succensendum, quasi ad acta id genus sine jurisdictione devenerint. Neque erat in facto ambigendum quin Benedicti petitio incidentem praeseferret controversiam « *sulla qualità ereditaria* ». Id enim sua-

debat tum integer libelli contextus, tum ejusdem spiritus ac ratio. Non aliter siquidem a judicii limine, tamquam legitima carentem persona Josephum repelli urgebat Benedictus, nisi eo sub obtentu, quod is nimirum haud foret universalis patris sui haeres, quam caeterum qualitatem in ipsomet proposito libello declaravit expressim sese omnino oppugnare et *« col presente atto avere per impugnata »*.

§ 4. Neque hilum movebat vel ex parte tantum haereditariam patris qualitatem in Josepho impugnasse Benedictum, vel in libelli conclusione ea desuper re eum omnino siluisse et a judicii tantum limine Josephum caeterosque socios repelli postulasse. Quod enim ad primum attinet, lex generaliter loquitur, neque casum quo haereditaria alterius qualitas generatim, et ex integro in discrimen revocetur, a casu altero distinguit quo ex parte tantum ea oppugnetur. Quod vero ad alterum, adeo erat libelli conclusio, sive petita Benedicti absolutio ab judicii observatione, conjuncta cum haereditaria Josephi veste, quam nominatim et expressim in eodem libello Benedictus antea oppugnaverat, ut nefas omnino foret unam et individuam petitionem scindere, maxime vero quum ad mercatorii tribunalis incompetentiam declarandam non opus quidem sit controversiam super haereditaria alterius qualitate *principaliter*, et in ipsa libelli conclusione excitari, sed satis omnino sit *incidenter* eam, sive quolibet modo in discrimen adduci, vel *in dubio* etiam ejusmodi rem versari, ita ferente §. 432 *greg. cod.*

§ 5. Caeterum licet fingere paulisper luberet non de vera haereditaria controversia actum in themate fuisse, eamque proinde mercatorios ipsos judices potuisse valide dirimere; compertissimum tamen visum est Patribus, vitium quodlibet quod ex hujusmodi causa erui unquam posset, ex litigatorum facto consensuque in civilis tribunalis jurisdictionem ab iis praestito fuisse jamdiu numeris omnibus consanatum. Constabat enim ab incompetentiae nedum decreto Benedictum haud provocasse, verum insuper coram civilibus judicibus ab actoribus lacessitum eorum jurisdictionem ratam eum acceptamque habuisse, suaque jura strenue coram iis protulisse; quod num aedepol ex vigentium legum sanctione ad jurisdictionis defectum sanandum sufficere scitissimum in foro est, traditque expressim §. 785 *praecit. cod.* Hanc autem vulgatissimam praxeos legem locum potissimum obtinere in mercatoriis etiam controversiis, quae communi litigatorum placito ad civiles fuerint judices ablegatae, erat omnino exploratum. Quamvis enim mercatoriae leges nonnullas peculiares causas ab ordinaria civilium tribunalium jurisdictione exemerint, earumque cognitionem mercatoriis judicibus tribuerint, non inde tamen mercatoribus vetitum, privilegio eorum favore invecto renunciare, et mercatoriam causam communi utriusque litigatoris accedente placito, ad civiles judices deferre, quorum caeterum jurisdictio cum ordinaria suapte indole sit et universalis, litigatorum consensu prorogari dubio procul valet. Ita communi calculo tradunt *Merlin. in ejus repertor. verb. trib. de commercio* §. 5, *Rogron. cod. di commercio spiegato tit.* 2 §. 401, *Pardessus corso di diritto mercantile p.* 7 *tit.* 2 *num.* 1347, *Sirey append. al cod. di commercio* §. 631, *Vincens. esposizione della giurisprudenza commerc. lib.* 2 *cap.* 4, *Foramiti dizionario alla voce competenza pag.* 426, *Marré p.* 4 *cap.* 1 *et* 9, *et Rota in Romana circumscriptionis in re commerciali* 28 *julii* 1845 §. 2 *et* 3 *coram eminentissimo Bofondi, in confirmatoria* 20 *martii* 1846 §. 2 *cor. eodem, et in Bononien. incompetentiae* 13 *junii ejusd. anni* §. 9 *cor. R. P. D. Bonini.*

§ 6. Tali autem pacto actorum validitate vindicata, vindicata etiam una simul manebat intrinseca justitia incompetentiae decreti ab mercatoriis judicibus editi, quod incidentem Benedicti petitionem ad civile tribunal ablegavit, suaque proinde mole, quod ad hujusmodi pertinet decretum, omnino ruebat restitutionis quoque in integrum petitio ab eodem proposita. Quod vero ad rem alteram judicatam pertinet quae super petita ab instituto judicio observatione prodiit, in invitos cujuslibet oculos ejusdem erumpebat justitia. Nil enim a veritate magis abhorrebat, quam deficiente Josepho universalis patris haeredis qualitate, tum ei, tum ejusdem sociis legitimam defuisse personam judicio sistendi pro contractus executione instituto. Misso siquidem caeteros Josephi cohaeredes lite vix contestata, venditionis contractum cum Benedicto initum, solemniter quidem numerisque omnibus ratum habuisse, ideoque

neque irritam, nulliusque roboris alienae etiam rei, quod ad contrahentes pertinet, venditionem manere, duo insuper gravissima urgebant in themate ad manifestam Benedicti petitionis evincendam calumniam. In eo autem versabatur primum, quod venditores nimirum cuncti Benedicti favore in solidum sese obligaverant, cum iisque singulis solidaliter Benedictus contraxerat, prout solidali pariter singulorum nomine controversum fuerat judicium adversus eum institutum.

§ 7. Etiamsi enim nulliter Joseph, tamquam universalis patris haeredis qualitate destitutus, sisteret judicio, caeteri tamen qui solidali obligatione devinciebantur, proprioque nomine cum Benedicto contraxerant, legitima dubio procul haud carebant persona, ut venditionis contractus executionem adversus eum urgerent. Ea siquidem est solidalium omnium stipulationum et obligationum indoles, ut solidum singulis debeatur, et singuli solidum exigere valeant, ad *text. in leg.* 2 *et* 3 §. 1 *de duobus reis*. Quibus insuper et illud accedebat aeque peremptorium, quod Joseph pariter non alieno, sed proprio tantum nomine sociale opificium Benedicto vendiderat, adeoque ant valide aut nulliter ejusmodi inivisset contractum, facultas ei denegari dubio procul nequibat proprio pariter nomine pro illius executione adversus emptorem agendi. Haud enim intima petitionis justitia cum intrinseca instituti judicii legitimitate valet confundi, neque ex eo forte, quod Josephi actio, tamquam ad caeteros ejus cohaeredes pertinens, vel cum legibus omnino pugnans (prout Benedictus tuetur) rejici mereatur, argui inde valet a judicii limine eum esse repellendum. Et ita in acri partium certamine jus redditum est.

Die 16 decembris 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Joseph Cervini — D. Franciscus Barattini.

Prot. 86/1847 Rmo P. D. FERLISI Decano DECISIO CXL.

RAVENNATEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 9 *Septembris* 1847.

Argumentum

Habes in Decis. CXXXIV quae infirmatur.

§ 1. Associationis judicio pro solutione scutorum 141 et obol. 75 caeterisque fructibus in posterum decurrendis coram archiepiscopali Ravennae curia anno 1843 a Carolo Quartaroli censuali creditore instituto tum adversus march. Hieronymum Spreti, tum adversus conjuges Sanctam et Petrum Lugaresi censiti fundi possessores, incompetentiae primum exceptiones conjuges Lugaresi proposuere, ac liberationem postea a molestiis adversus Bonafidem et Sebastianum Lanconelli, unde caussam ii habent, coram eadem curia postularunt. Licet autem incompetentiae exceptione omnino posthabita, tam principem associationis actionem, quam liberationem a molestiis albo undique calculo ravennatensis vicarius probaverit, provocatione tamen interjecta, reique cognitionem ad R. P. D. auditorem Camerae delata, sententiam is tulit quae ravennatensis curiae incompetentiam declarans universi hujus judicii acta ex jurisdictionis defectu delevit. Quam sane innocentiani judicis sententiam cum numeris omnibus in tertio jurisdictionis gradu ecclesiastica A. C. congregatio pro confirmatione dubia dederit, ad Ordinem nostrum Carolus convolavit nullitatem urgens actorum omnium quae coram R. P. D. auditore Camerae et innocentiano collegio fuerant gesta. Quamvis autem ejusmodi petitionem in primo causae periculo supremum undique tribunal rejecerit, veluti ostendit decisio in comitiis diei 29 julii labentis anni ab R. P. D. meo Vici edita, rebus tamen in illustriori loco hodie positis a decisis recesserunt Patres, rescriptumque proinde tulere « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram R. P. D. auditore Camerae cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis, FF. VV. JJ. SS.* », dato mihi munere revocatoriae decisionis vulgandae.

§ 2. Erat porro in facto exploratissimum, judicium apud ecclesiasticam Ravennae curiam a Carolo institutum associationis actionem praeseferre non adversus principem tantum census debitorem, sed adversus tertios potissimum censiti fundi possessores propositam. Eo enim actoris tendebat petitio ut conjugibus nimirum Lugaresi « *quali terzi possessori del fondo censito* », terminus praefigeretur ad censuales fructus ad eam usque diem effluxos rependendos, eoque inutiliter elapso sibi tribueretur immissio « *nel possesso precario del suddetto fondo censito, onde possa coi prodotti del medesimo ed a termini di ragione soddisfarsi della detta somma di scudi* 141 . 75 *frutti, come si è detto decorsi, non che dei frutti posteriormente decorsi, e che decorreranno in seguito* ». Petitionem autem id genus, utpote adversus tertios censiti fundi possessores et ad illius adamussim possessionem vindicandam propositam, non actionem mere personalem exhibere, sed actionem aut *realem*, aut *in rem scriptam*, erat aeque omnino compertissimum.

§ 3. Nulla enim personali obligatione (qua caeterum deficiente personalis etiam deficit actio) Caroli favore conjuges Lugaresi obstringebantur, eosque non aliter quidem Carolus persequebatur, nisi *jure in re* quod in ipsamet census constitutione ex constituti praesertim et precarii clausulis eidem adjectis censuali creditori quaeritur, et rem ipsam, sive censitum fundum apud quemlibet etiam ejusdem possessorem sequitur. Duplex siquidem, ut scitum est, ex censuali contractu oritur actio, *personalis* nimirum altera adversus census debitorem ejusque haeredes pro mera fructuum solutione competens, altera vero aut *realis* aut *in rem scripta* quae non debitorum quidem personas, sed rem ipsam, sive censitum respicit fundum, ac jus creditori tribuit tertium etiam ejusdem possessorm persequendi, illiusque possessionem ab eo avocandi et sibi retinendi, donec ex ejusdem fructibus sibi satis ex integro fiat, veluti perbelle tradunt *Cencius de censibus qu.* 97 *num.* 1 *et seq.*, *Covarruvias var. resol. lib.* 3 *cap.* 7 *num.* 6, *De-Marinis var. resol. cap.* 100 *num.* 13, *et Rota in Civitatis Castellanae pecuniaria* 17 *aprilis* 1820 *p.* 12 *coram Tiberi, in Romana associationis* 14 *junii* 1830 *p.* 3 *et seq. cor. Zacchia, in confirmatoria* 13 *maji* 1831 *p.* 3 *cor. eodem, in Romana census quoad fructus* 13 *decembris* 1839 *p.* 2 *coram emo Marini, ejusque confirmatoria* 6 *aprilis* 1840 *p.* 2 *coram eodem.*

§ 4. Quidquid autem primis vix labiis innuerit revocata decisio, indubium bodie visum est Patribus associationis petitionem a Carolo in themate propositam, licet actionem in *rem* tantum *scriptam* exhibere censeatur, inter actiones tamen reales potius vel mixtas, quam personales referri mereri. Id enim suadere videbatur tum intrinseca ejusdem indoles hactenus enucleata ejusque potissimum subjectum quod censitum ipsum respicit fundum, tum diserta vigentis codicis dispositio. Illud siquidem nominatim cautum in §. 1445 *praecitati codicis*, non alibi quidem actionem id genus exercere fas esse, nisi coram tribunali intra cujus fines censitum positum sit praedium; quod caeterum reali quidem non personali congruit judicio ad *textus in leg.* 4 §. 2 *ff. de censibus*, *et leg.* 3 *c. ubi in rem actio.* Quibus sane tum in facto tum in jure positis illud prono veluti alveo fluebat acta cuncta coram innocentiano juridico in gradu appellationis gesta una cum omnibus inde sequutis ex insanabili jurisdictionis defectu omnino ruere. Cum enim ex praxeos, qua vivimus, lege in actionibus singulis realibus, vel mixtis causae valor ex censuali praedii pendeat aestimatione, teste §. 457 *praecit. codicis*, deque censito fundo agatur in themate, cujus valor ex censualibus tabulis haustus summam argenteorum quingentum longe praetergreditur, in necessarium veluti consequens descendit controversiae hujus cognitionem in secundo jurisdictionis gradu non ad R. P. D. auditorem Camerae deferri debuisse, sed ad unum S. Rotae auditorium, cui dumtaxat jurisdictionem legislator attribuit controversias cunctas dirimendi argenteis quingentum majores.

§ 5. Neque propositae contentionis thesi congruebat quod praecedens statuit decisio, litis nimirum valorem ex priore dumtaxat libelli parte metiri oportere, quae praefixionem termini continet ad summam argenteorum 141 et obol. 75 actori rependendam; nullo vero in calculo haberi e contra mereri, tamquam pedissequam ac mere

hypothecicam, posteriorem alteram ejusdem libelli partem quae immissionem respicit ad censiti fundi possessionem ab eodem actore expetitam. Regula enim haec, quam in personalibus quidem actionibus suum sibi locum vindicare tradidit pluries nostrum tribunal, ad actiones reales vel mixtas pertrahi nullatenus poterat. Ad eas siquidem quod pertinet peculiaris atque expressa praesto erat legis dispositio, qua ab omni procul distinctione vel limitatione conceptis sancitum erat verbis earumdem valorem ex una censuali controversi fundi aestimatione esse metiendum. Cum fuerit itaque superius demonstratum associationis actionem adversus tertium praesertim censiti fundi possessorem propositam, inter actiones punctim reales, vel mixtas recenseri mereri, praecitata legis dispositio obicem omnino praebebat quominus ejusdem valor aliunde erueretur, eique proinde aptari nequibat regula altera in personalibus tantum vigens actionibus.

§ 6. Vindicata autem ex hujusmodi capite actorum omnium coram R. P. D. auditore Camerae gestorum nullitate, erat omnino supervacaneum alterum nullitatis vitium aggredi, quod ex Ordinis nostri jurisdictione ab innocentiano judice sibi arrogata, sive ex violata §. 791 *judiciarii codicis* sanctione cruere Carolus conabatur, ab eaque proinde controversia dirimenda prudenti consilio sese Patres omnino abstinuere. Et ita in acri partium conflictu jus redditum est.

Vide Decis. CXXXIV.

Die 18 novembris 1847 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Federici — D. Dominicus Montanari.

Prot. 179/1846 R. P. D. LIPPI DECISIO CXLI.

BONONIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS SEU RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 9 Septembris 1847.

Argumentum

Quaeritur an defectus mandati specialis pro declaranda acceptatione devolutionis, gignere valeat circumscriptionem actorum judicii subsequentis — An decisio causae principis, antequam praejudicialis altera causa absoluta sit, nullitatem pariat ex defectu jurisdictionis — An tandem in emphyteusi filiae primi investiti finem constituant ejusdem lineae masculinae, vel potius initium lineae foemininae.

§ 1. Ultimo quo decessit voluntatis elogio canonicus Petrus Landi fiduciarium haeredem bononiense s. Petronii capitulum dixit, haeredes vero usufructuarios quarumdam aedium in eadem urbe extantium viis « *Val d'Aposa e Pugliola* » conjuges Amaliam Venturoli ac Joannem Orlandini instituit. Mortua Amalia, harum aedium conductor Petrus Tibaldi a capitulo petiit ut sibi emphyteusis titulo pro annuo scut. 165 canone concederentur. Recursus itaque pro necessaria obtinenda facultate habitus fuit ad sacram episcoporum et regularium Congregationem, quae petitioni annuit, citra tamen canonis redemptionem, et dummodo concessio ad masculinam dumtaxat lineam cohiberetur. At Tibaldius de utiliori concessione sollicitus sacram iterum episcoporum et regularium Congregationem supplex adivit, quae firma retenta emphyteusis qualitate ac adjecta insuper in singulos 29 annos ejusdem renovatione, canonis tantum affrancationem commisit prudenti bononiensis antistitis arbitrio, quatenus videlicet id expedire ipse censeret, sed pro non minore summa scut. 3300. Demum praescripsit ut cessante quomodocumque emphyteusi ante canonis redemptionem, utile cum directo dominio consolidaretur quin concessionis renovatio et melioramentorum refectio peti quavis causa valerent. Quocirca bononiensis antistes decretum edidit die 11 aprilis 1832, vi cujus canonicorum collegio facultates tribuit contractum celebrandi eisdem conditionibus in rescripto

comprehensis, addito tantum ut si Tibaldius canonis affrancationem peragere vellet, sortem principem ratione scut. centum pro singulis quinque annui canonis rependere deberet, servata in reliquis benedictina constitutione.

§ 2. Hisce itaque fundamentis ad instrumenti confectionem die 21 julii 1833 deventum est, quo, praeter jam dicta id etiam expresse cautum fuit, ut contractus initium non esset habiturus nisi a die, qua Joannes Orlandinius postremus usufructuarius vita fungeretur. Hoc tamen nihil obstante tot illico renovationes in aedibus Tibaldius explevit, ut protestationem usufructuarius tum adversus eum, tum adversus capitulum emiserit. Hinc graves ortae sunt controversiae, quibus ut finis imponeretur, emphyteuta canonis redemptionem proposuit, oblato pretio scut. 3350, 32, quin quintae pariter ejusdem partis augmentum exhiberet juxta benedictinae constitutionis praescriptionem. Haec igitur causa fuit cur propositio ad actum nunquam pervenerit, donec obierit Tibaldius nullis masculis relictis, sed tribus solummodo filiabus, Gertrude scilicet, Marianna atque Henrica. Quapropter canonicus Minarellius capituli camerarius causidico Gualandio mandavit ut emphyteusis devolutionem acceptaret ob lineam finitam. Quo expleto et relativo actu singulis quorum intererat, nunciato, Gualandius ejusdem camerarii mandato fretus devolutionis judicium coram bononiensi curia archiepiscopali instituit adversus viduam, qua filiarum tutricem ac curatricem, arcessitis etiam emphyteuticae domus conductoribus.

§ 3. Tunc vidua nullam esse praedictam declarationem contendens, utpote speciali capituli mandato destitutam, coram eodem archiepiscopo institit ut irrita renunciaretur tum declaratio, tum subsequens de devolutione judicium ex defectu citationis et mandati. Duplex igitur aderat controversia, prima scilicet a capitulo instituta super devolutione, altera vero a vidua promota super declarationis nullitate, atque utramque istius favore archiepiscopalis curia definivit quum oppositam nullitatem admiserit, alii autem finem imposuerit decreto « *Provisum* ». Appellationem capitulum ab hisce sententiis ad s. auditorium interposuit coram rmo P. D. Muzzarelli, duabus dubii formulis conceptis, pro priori videlicet « *An sit locus devolutioni ita ut sit relaxandum mandatum* », et pro altera « *An constet de nullitate declarationis et citationis in casu etc.* ». Sed licet utraque causa esset in comitiis diei 29 januarii 1844 proponenda, quum tamen vidua dilationem quoad priorem petierit et obtinuerit, secundam dumtaxat Rota diremit negativo rescripto, ac sub unica decisione. Proposita postmodum priori controversia quae dilata fuerat, nec Tibaldia propria jura deducente, devolutio fuit admissa.

§ 4. In hujus proinde resolutionis acceptationem capitulum emphyteuticae domus possessionem suscipiendam prae primis apparitori mandavit, huic tamen injungens ne viduam expelleret, sed ei conductionis titulo per totam hyemem domum retinere permitteret, ac dein coram civili bononiae tribunali institit ut eadem a fundo die 8 maji 1845 discedere indiceretur. At vidua tali executioni obviam eundi sollicita, appellationem a sententia rotali super devolutione coram nunc emo Bofondi interposuit. Nihilominus bononienses judices petitam contra Tibaldiam expulsionem decrevere, ita ut aliam haec incidentem de attentatorum purgatione quaestionem coram eodem Ponente proposuerit. Perperam tamen. Non modo enim haec attentatorum petitio sub unica decisione rejecta fuit, sed confirmata etiam praecedens coram Muzzarelli sententia super devolutione, ita ut hac in causa orta fuerit resjudicata. In hisce rerum adjunctis recursum Tibaldia coram supremo nostro Ordine interposuit ut ejusdem acta circumscriberentur ex defectibus citationis, mandati et jurisdictionis, sin minus extraordinarium restitutionis in integrum remedium concederetur. Verum PP. hodierna die utramque libelli partem rejecerunt rescripto « *Nihil de circumscriptione et restitutione in integrum* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 5. Neque vera circumscriptionis ratio in eadem praesertim declarationis nullitate ponebatur, quae fundamentum jam constituebat quaestionis ab archiepiscopali curia ad Rotam delatae. Nam quemadmodum in ista, ita etiam hodie vidua in eo erat ut probaret perperam procuratorem Gualandium speciali capituli mandato carentem devolutionem se acceptare declarasse; ex quo mandati defectu illum quoque citationis deducere conabatur,

perinde ac si eadem deesse videretur, quo casu nulla esset praedicta declaratio. Quum igitur haec hodierna quaestio jam coram ordinariis judicibus penderet, id unum sat erat ut circumscriptionis querela illico rejiceretur. Lex enim eo dumtaxat in casu afferri sinit ad supremum nostrum tribunal nullitates ex citationis et mandati defectibus, quo coram ordinariis judicibus deductae non fuerint, quum extraordinarium remedium cesset, quoties ordinarium competat et adhibeatur.

§ 6. Etsi vero de his cognoscere liceret, haud melior evaderet viduae conditio, tum quia nulla dici nequibat memorata declaratio ob specialis mandati in procuratoris Gualandi persona deficientiam, tum quia admissa etiam declarationis nullitate, non inde sequeretur petitae circumscriptioni ex oppositis vitiis locum fieri debere. Licet enim Gualandius in devolutione acceptanda speciale mandatum neutiquam habuerit, animadvertendum tamen erat mandati specialitatem tunc tantum obtinere debuisse, quoties de poenali caducitate res fuisset, neutiquam in casu, ubi de necessaria ob lineam finitam emphyteusis devolutione agebatur, quum magnum inter utramque intersit discrimen. In priori scilicet, quae ad directi dumtaxat domini favorem invecta fuit, aequitati consonum est ut dominus qui proprio juri valedicere potest, suam voluntatem expresse declaret, minime vero in altera quae suapte natura et absque domini consensu perficitur, in qua idcirco nulla subest ratio ob quam explicita ipsius voluntas requiratur. Quare cum ageretur de emphyteusi ad lineam tantum masculinam concessa, consolidatio utilis cum directo dominio ipso jure contigisse dicenda erat ex quo Tibaldius obiit nullis masculis liberis relictis, absque ulla pro parte capituli declarationis necessitate.

§ 7. Accedebat quod etsi speciale capituli mandatum pro declarationis validitate requiri concederetur, non inde citationem ipsam defuisse concludendum esset. Haec enim ut abesse dicatur, non sufficit deficientia tituli super quo judicium instituatur, sed requiritur omnino materialis omissio actus ipsius introductivi, quo tantum casu citatio deesse intelligitur ex vigentis praxeos §. 781 sanctione « *Si verifica il difetto di citazione, quando fu omessa la citazione introduttiva del giudizio, ossia quando il reo convenuto non fu citato in principio della lite, nè in persona, nè al domicilio, nè alla sua dimora, nè in altro luogo determinato dalla legge* ». Quum itaque citationem factam fuisse ex actis constaret, declarationis nullitas id tantum efficere poterat ut injuste devolutionis judicium institutum fuisset, haud quaquam profecto ut acta ex citationis defectu circumscribi deberent, quia secus absurdum oriretur, quod cujuslibet actionis injustitia citationis defectum praeseferret.

§ 8. Nec diversa erat ratio ob quam excludebatur alter mandati defectus. Aliud enim est mandatum pro validitate declarationis, atque aliud longe aliud pro judicii institutione, quum illud actionis justitiam vel injustitiam praeseferat, hoc ejusdem nullitatem ideoque circumscriptionis effectum pariat. Quare quum procurae mandatum initio litis exhibitum fuisse constaret, opponi nequibat ipsius defectus, qui tunc tantum adesse dicitur ex praxeos §. 783 dispositione « *quando il procuratore in principio di lite non ha prodotto il mandato di procura innanzi ai giudici ove è pendente la causa* ». Nec ipsius nullitas erui poterat ex quo istud non ab universo capitulo, sed ab uno canonico camerario relaxatum fuerit. Cum enim capitulum repraesentet camerarius, ejusdem vices gerere optime poterat in illius praesertim judicii institutione quod consectarium erat praecedentis emphyteusis voluntate ac consensu ejusdem capituli ad lineam tantum masculinam concessae. Quod vero Minarellius camerarii munus gesserit quo tempore Gualandium procuratorem constituit, non modo probatur, sed potius de hac ejus qualitate dubitari nequibat, tum quia se ipsum uti talem subscripserit, tum quia eadem archiepiscopalis sententia eum camerarium constituerit.

§ 9. Quoad vero tertium jurisdictionis defectum ex eo ductum, quod nihil in causa principe super devolutione statui posset nisi prius praejudicialis altera de nullitate declarationis, vel posterior de validitate oblationis factae ab ipsa vidua pro canonis re-

demptione definita fuisset, jure non solum, sed etiam facto diluebatur. Tibaldia enim sibimet imputare debeat si resjudicata super causa principe orta fuerit antequam altera praejudicialis de nullitate reijudicatae vim potestatemque adquisivisset, cum a priori dumtaxat, haudquaquam ab altera ipsa provocaverit, nec capitulum a sententia sibi favorabili appellare teneretur; atque ita, immo validiori ratione dicendum est in alio judicio pro validitate oblationis, quum istud vix intra fines deseruerit introductivae citationis. Verum hunc etiam defectum lex ipsa excludebat, cum in §. 782 scriptum legatur « *Si verifica il difetto di giurisdizione, quando i giudici sono incompetenti sia per ragione delle persone, sia per ragione della materia, sia per ragione della somma o valore della lite* ». Quum itaque nihil ex iis verificaretur, fieri locus certe nequibat cuilibet nullitati quae ex jurisdictionis defectu derivaret.

§ 10. At circumscriptioni non tantum, sed etiam extraordinario restitutionis in integrum beneficio locus esse nequibat, quod tunc tantummodo concedi solet quum resjudicata manifesta injustitia laboret, quae scateat « *o dall' essersi giudicato sopra documenti riconosciuti in appresso come falsi, o dall'essersi rinvenuti documenti pubblici o privati coi quali si provino fatti nuovi e decisivi, o dal non essersi nelle sentenze avuta ragione di qualche legge, o dall'essersi espressamente contravvenuto ad una legge in vigore* ». Nulla porro ex hisce conditionibus efferebatur propter quam in integrum restitutio concederetur. Rei quippe judicatae causam praebuit emphyteuticae concessionis instrumentum, quod nec falsum dici, nec novo alio labefactari poterat. Omnis igitur justitia aut injustitia haurienda erat ex pactorum et ex apostolici beneplaciti quod formam contractui dedit, interpretatione. Hoc itaque unum sufficiebat ad extraordinarium hoc remedium denegandum quum in facti aut juris interpretatione, quae a judicantium religione ac prudentia pendet, nulla dari aut fingi aperta legis violatio queat, ac proinde exulet manifesta reijudicatae injustitia, ceu pluries supremus noster Ordo definivit.

§ 11. Verum etiamsi ad trutinam resjudicata revocari valeret, non inde melior fieret Tibaldiae conditio, quum argumenta quae in medium ipsa afferebat ut devolutioni locum non esse probaret, facile diluerentur. Et primo quidem licet defunctus emphyteuta pretium pro canone redimendo exhibuerit, constabat tamen, ipsius oblationem ab eminentissimo bononiensi antistite, cujus consensus requirebatur, acceptatam minime fuisse, quum summa oblata quintam pretii partem praeter canonem vicies adauctum minime contineret, atque idcirco canonia affrancationem effectu caruisse. Quousque vero Tibaldius vixit, non modo nunquam redemptionis contractum perficere sategit, non modo adversus capitulum ob propositionis rejectionem protestatus minime fuit, nec istud in mora constituit, sed e converso canones singulos religiosissime quotannis persolvit, ita ut proprio facto solemniter declaraverit se a canonis redimendi consilio prorsus recessisse.

§ 12. Nec movebant quae de emphyteusis perpetuitate, de impensis in fundis emphyteuticis a defuncto factis, de attentatorum purgatione rejecta sub unica decisione, ac tandem de primi investiti filiabus, perinde ac si ipsae tamquam agnatae habendae essent. Nam non modo verum erat perpetuam emphyteusim initam fuisse, sed dubitari etiam nequibat quin ultra lineam masculinam extenderetur. Semel ac igitur per Tibaldii obitum nulli amplius masculi extabant ad quos emphyteusis transire debebat, contractus ipso jure evanuisse dicendus erat. Ita impensae ab emphyteuta factae nullum impedimentum afferebant quominus devolutio perageretur, quum emphyteusis sic constituta fuerit, ut deficientibus masculis, omnino cessare deberet quin melioramentorum refectio peti quavis ex causa valeret. Ita si Rota attentatorum purgationem sub unica decisione definitive rejecit, nullum exinde injustitiae argumentum oriebatur, quia de incidenti et quidem a merito omnino distincta quaestione agebatur, quae idcirco cum re definita confundi non poterat. Atque ita tandem filiarum primi investiti conditio sat esse nequibat ad imploratum beneficium impetrandum, quum anceps adhuc pendeat inter doctores quaestio, num illae tamquam lineae masculinae finis, an potius femininae initium haberi

debeant, ita ut recte potuerint judices postremam opinionem amplecti, quin ob id contra legem evidenter peccasse dicerentur. Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicante, decisum est.

Die 16 decembris 1847 « *Quoad circumscriptionem in decisis; in reliquis de causis sine praejudicio reijudicatae, extendatur decisio per revmum Decanum, et reproponatur quoad restitutionem in integrum* ».

Die 6 junii 1850 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Caesar Pellisier — D. Philippus Guarnieri.

Prot. 98 / 1847 R. P. D. PACCINELLI DECIS. CXLII.

CENTUMCELLARUM SEU SUTRINA CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 18 *Novembis* 1847.

Argumentum

An defectus quo sententia laboret, eo quia lata fuerit extra petita, appellationis ope corrigi valeat.

§ 1. Coram tribunali civili Centumcellarum Vincentius aliique ex fratre nepotes Alberti *die* 10 *januarii* 1846 vadimonium indixere Nicolao Quagliotti, quo efflagitarunt « *sentir dichiarare irriti e nulli gli atti di vendita giudiziale delle cose oppignorate a pregiudizio degli istanti, che sono stati dal citato fatti a tutto il presente giorno* ». Petitionis fundamentum totum in eo residebat, quod nempe Quagliottus super credito in *scut.* 541 *et obol.* 26 contra Albertos haud subduxerat nonnullas solutiones a debitoribus peractas, postquam super *undecim* vaccis frumentique rubiis *septuaginta septem* facta executione *sub die* 4 *septembris superioris anni*, pignorum deliberationes pro *scut.* 803 *obolisque* 65 fuere prorsus expletae. Illud vero tribunal quin propositum pro nullitate libellum in decernendo observaret, *die* 27 *julii* 1846 sententiam protulit qua definivit « *la nullità di tutti gli atti fatti dal giorno* 10 *gennaro* 1846 *in poi, e riferibili alla vendita del grano e bestiame vaccino oppignorato li* 4 *settembre* 1845 *ad istanza del signor Niccola Quagliotti* ».

§ 2. Ad Rotam, jure sibi reservato actorum postulandi circumscriptionem, Nicolaus provocavit, atque in Albertorum contumacia concordatum primo dubium « *An sit locus nullitati deliberationum* », dimissumque fuit exinde amico pro informante Quagliotti responso « *Negative* », cujus rationum momenta significavit decisio *Sutrina nullitatis* 10 *maji* 1847 *coram R. P. D. Bonini*. Edocti interea Alberti a jurisprudentia hujus supremi Ordinis, qua novissime exemplarem diremit causam *Bononien. circumscriptionis*, confestim pro sententiae primi gradus nullitate cum omnibus inde secutis *ex defectu jurisdictionis* penes acta de more interposuere recursum. Hunc equidem Nicolaus despiciens, curavit *in Rota* 2 *augusti modo elapsi*, absentibus usque Albertis, rescriptum « *Expediatur* » referre, quod statim subsecuta est Rotalis sententia, qua primae sedis illa omnino revocata, definitum fuit « *non fuisse, neque esse locum nullitati deliberationum expletarum sub diebus* 12 *et* 13 *januarii dicti anni* 1846 ». Caeterum hisce minime obstantibus propositam hodie Albertorum pro circumscriptione petitionem Patres comprobandam duxerunt rescripto « *Circumscripta per viam nullitatis sententia tribunalis civilis Centumcellarum diei* 23 *julii* 1846 *cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis, PP. UU. JJ. SS.* ».

§ 3. Inficiari siquidem *in facto* nequibat tum primordiali judicii libello Albertos expostulasse judicialis venditionis actorum nullitatem « *che sono stati dal citato fatti a tutto il presente giorno* 10 *gennajo* 1846 », tum sententia quam dixit primae actionis Centumcellarum tribunal, fuisse definitam « *la nullità di tutti gli atti fatti dal giorno* 10 *gennajo* 1846 *in poi, e riferibili alla vendita del grano e bestiame oppignorato ad istanza del signor Niccola Quagliotti* ». Patet ergo primi gradus tribunal quod ex vigentis adhuc praxeos legibus

sub §. 589 tenetur partium libello omnino respondere « ibi » *I tribunali rispondono alle dimande delle parti* », in decernendo minime sese Albertorum petitioni conformasse; nam sententia illorum actorum et praeter certum tempus admisit nullitatem, quae vel nec postulata, vel intra tantum definitam diem implorata fuerat. Centumcellarum itaque triumviros non *ultra* solum sed longe etiam *extra petita* fuisse vagatos res ipsa monebat, proindeque ex insanabili jurisdictionis defectu *materiae ratione* edita ab illis sententia, qui licet *habitu*, actu tamen judices in iis non erant, circumscriptionis gladio cum omnibus inde secutis erat omnino delenda. Sic post *text. in leg.* 18 *ff. com. divid.*, *in leg.* 10 *ff. quemad. usufruct. caveat.*, *et in leg.* 4 §. 8 *ff. de damno infecto*, statuit novissime, articulo formiter discusso, supremum nostrum tribunal in vulgatissima *Bononien. circumscriptionis* 28 *januar.* 1847 *per tot. cor. rmo P. D. Decano.*

§ 4. Nec Aloysio Quagliotti in Nicolai jura interim defuncti modo suffecto quidquam profuit in medium protulisse, circumscriptionem a themate prorsus abhorrere vix ubi Centumcellarum sententia in appellationis per Quagliottum interpositae gradu, a rotali judicio jam fuerat revocata. Avimadvertebant enim Patres quaestionem tertio adhuc periculo esse subjectam, ideoque sententiae illius revocatio rerum conditionem in casu immutare nequibat. Praeterea Rotae sententia nullo legitimo visa est inniti fundamento, ut in qualibet hypothesi aliquam utilitatem Quagliotti juribus afferre posset. Etenim cum neque anceps, neque *in facto* dubium sit primos Centumcellarum judices sine jurisdictione tulisse judicium, quisque ictu oculi facile videt sententiam nec sententiae nomen mereri, proindeque uti a privato dictam nullum gignere potuisse juridicum effectum, ac proinde materiem Quagliotto defecisse, quam ipse ad Rotam in gradu appellationis deferre valuerit, et Rotae defuisse quod judicii provocati subjectum constitueret, quodque tandem in melius converteret revocatoria sententia. Postremo rotale judicium licet sit illius primi gradus revocatorium, baud tamen valet sententiae priorum judicum defectum emendare. Jurisdictionis namque defectus *materiae ratione* est omnino insanabilis, ideoque non provocationis ope corrigendus, sed ad unum nostrum supremum Ordinem pro debito deferendus judicio, ita imperante §. 791 judiciariae nostrae legis, cui album adjecit calculum memorata nuper *Bononien. circumscriptionis* 28 *januar.* 1847 §§. 9 *et* 10 *coram rmo P. D. Ferlisi decano.*

§ 5. Post haec demum Aloysius frustra contendit ad extraordinarium circumscriptionis remedium minime Albertis fuisse confugiendum cum *per simplicem renunciationem* Centumcellarum sententiae quae ipsis amica est, res poterat componi. Verum inspecto illius tribunalis judicio Patres mei sibi facile suasere illud quin amicum, adversum contra fore actorum juribus. Etenim Centumcellarum triumviri dum expetitam ab illis nullitatem coercuere ad acta solum confecta *post diem* 10 *januar.* 1846, reprobarunt *implicite* Albertorum petitionem in ea parte, quae praecedentium actorum nullitatem respiciebat. Quare eodem ferme tempore quo ad supremum nostrum Senatum confugientes toti sunt in efflagitanda jure merito illius sententiae nullitate, baud ipsis permissum est ordinario renunciationis uti remedio pro ea sententiae parte, quae eis adversatur. Juris namque est regula antiqui omnes licentiam habere his, quae pro se introducta sunt, renunciandi, ad textum *in leg.* 29 *cod. de pact.* cui consonat *Galleratus de renunciat. tract.* 3 *Renunciat.* 172 *num.* 3 *et* 4, *Surdus decis.* 175 *num.* 2, *Rota coram Buratto decis.* 277 *num.* 6, *et in Verulana fructuum census* 23 *novembr.* 1830 §. 4 *coram Zacchia*, *ac tandem supremus Ordo noster inter collect. decis.* 169 *num.* 2, *et in Bononien. circumscriptionis* 6 *augusti* 1846 §. 10 *coram R. P. D. meo Ferrari.* Atque ita etc. utraque etc.

« *Nondum reproposita* ».

Procuratores — D. Angelus Lucbini — D. Aloysius Gizzarelli.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET PERTINENTIÆ

Jovis 18 Novembris 1847.

Argumentum

De subrogatione ponentium in tribunali S. Rotae. De hujusmodi actus natura, et de facultatibus quoad eam Praesuli decano tributis.

§ 1. Pervulgatissima est lis quae agitur inter Aloysium Pancaldi, ducem D. Marinum Torlonia, Camillum Pizzardi atque Dominicum Benucci super nullitate transactionis a Pancaldio cum eis initae, et super traditione utilium pro rata centesimorum sex cum dimidio, quae ex redemptura vectigalis super sale et pulvere nicosiana redierunt. Pancaldi actionem triumviri A. C. penitus rejecerunt. Per appellationem causa ad Rotam devoluta, duae sententiae prodierunt ab R. P. D. Albergbini obsignatae, quarum altera declaratum fuit « *constare de nullitate, vel esse locum rescissioni contractus transactionis* », altera vero constitutum fuit tradenda esse Aloysio utilia, addita tamen lege, quod « *centesima sex cum dimidio diminuantur ob onera superventa, hoc est servata proportione ad alienationem centesimorum quinquaginta et trium quadrantium, quae a sociis fieri debuit* ».

§ 2. Provocarunt Torlonia ejusque socii coram R. P. D. Bonini a sententia rotali super nullitate transactionis; provocavit quoque Pancaldius coram R. P. D. Marini a sententia super traditione utilium. Scissa itaque quum fuisset causarum continentia, ad supremum nostrum Ordinem ventum fuit pro earumdem unione, et nulla mora conjunctae fuerunt rescripto « *Eidem R. P. D. Bonini in statu et terminis* », veluti ostendit decisio *Romana unionis et avocationis 17 aprilis 1845 coram R. P. D. Janni.* Hoc rescriptum acceptum habuit Pancaldius. Sicuti vero interea temporis praesul Marinius ad praefecturam urbis vocatus fuerat, proindeque tres redibant coram Bonini corresponsales, qui in ferenda sententia ab R. P. D. Albergbinio obsignata votum dederunt, ita ne appellatio elusoria fieret, Torlonia ejusque socii ab rmo P. D. Rotae decano obtinuerunt ut R. P. D. Bonini subrogaretur R. P. D. Quaglia qui nova in judicio suffragia ferebat. Existimans vero Pancaldius quod rmus Rotae decanus facultate minime polleret subrogandi ponentem, petiit coram Ordine nostro *ut praevia circumscriptione subrogationis R. P. D. Quaglia, declaretur causas controversas jam unitas in unum coram R. P. D. Bonini spectavisse et spectare ad eumdem R. P. D. Bonini*, sin minus, postulavit ut noster Ordo subrogaret R. P. D. De-Magno. Quae instantia licet probata fuisset in comitiis diei 4 septembris 1845, rejecta postea fuit in alteris comitiis diei 29 januarii superioris anni edito tunc rescripto « *Nihil de circumscriptione, et causam spectare ad R. P. D. Quaglia* », quemadmodum patet ex decisionibus *Romana circumscriptionis, seu pertinentiae causae, et Romana subrogationis cor. R. P. D. Conventati* ad eas dies latis.

§ 3. Quibus rescriptis quum Pancaldius fascea submisisset, causae actae fuerunt coram R. P. D. Quaglia, qui duas evulgavit decisiones, quibus utraque sententia rotalis confirmabatur. Accidit vero ut rmus P. D. Bofondi Rotae decanus sacra purpura ob eximias ejus virtutes, ingenii vim et profundam in jure dicendo peritiam decoratus fuerit; quocirca sedes mutatae fuerunt, et tres Rotae auditores ad suffragandum redibant qui votum suum dederunt in secundo jurisdictionis gradu cor. R. P. D. Albergbini. Ut igitur judicium in tertio gradu finem haberet cum iis judicibus cum quibus coeptum fuerat, et ne ad suffragium ferendum redirent ii qui in altero gradu jus jam dixerant, Pancaldius ab rmo Rotae decano obtinuit ut subrogaretur R. P. D. Antinorius, qui eosdem corresponsales invitabat, quique nunquam in secundo gradu litem cognoverunt. Illico Pancaldius causam detulit ad R. P. D. Antinori. Ex quo gravis exarsit controversia. Nam sicuti Pizzardius et Benuccius subrogationem petierunt R. P. D. Bonini,

ita recursum apud Ordinem nostrum interposuerunt ad hoc ut « *praevia circumscriptione rescripti subrogatorii R. P. D. Antinori et singulorum actorum coram eo factorum, ac praevia avocatione causarum jam pendentium coram R. P. D. Quaglia*, decerneretur *illas spectavisse, spectare et remitti ad primitivum ponentem R. P. D. Bonini* », qui tamen recursus hoc manc moderatus fuit. Dux vero D. Marinus instantiam primum coram R. P. D. Quaglia proposuit, qua petiit « *non esse locum alicui subrogationi ponentis* »; postea vero institit apud Ordinem nostrum ut « *praevia, quatenus opus sit, circumscriptione omnium et singulorum gestorum in s. Rota cor. ponente R. P. D. Antinori ex defectu jurisdictionis* », declararetur « *causas spectavisse et spectare ad s. Rotam, ponente vero R. P. D. Quaglia* ». Quae instantia dimissa hodie fuit rescripto « *Nihil* ».

§ 4. Nullus enim occurrebat jurisdictionis defectus, qui tunc solum erumpit « *quando i giudici sono incompetenti sia per ragione delle persone, sia per ragione della materia, sia per ragione della somma o valore della lite* », ceu totidem verba sunt §. 782 codicis judiciarii. Jam vero R. P. D. Antinorius qui alter est ex XII viris qui in Rota sedent, tum ratione materiae, tum ratione personae, tum ratione valoris jurisdictione pollebat ad litem dirimendam, quae post sententiam A. C. et post sententiam rotalem coram eo versabatur. Quilibet enim ex Rotae auditoribus jurisdictionem habet dirimendi lites ad illud tribunal devolutas. Pendebat quidem haec lis coram R. P. D. Quaglia; at res in eum casum venerat a quo incipere non poterat. Nam postquam ad cardinalatus dignitatem reverendissimus s. Rotae decanus evectus fuerat, sedium mutatio contigerat, ex qua mutatione illud sequutum fuerat ut ad suffragium ferendum redirent tres ex XII viris qui sententiam tulerunt in secundo jurisdictionis gradu, nimirum RR. PP. De-Avellà, Alberghini et Muzzarelli. Locus igitur subrogationi alterius ponentis factus fuerat, ne illud absurdi accideret ut in tertio gradu illimet judicium darent qui in anteacto gradu super eadem lite jus dixerant, et ne igitur appellatio illusoria fieret.

§ 5. Quam subrogandi ponentem facultatem ad Rotae decanum pertinere visum fuit. Neotericis enim legibus nostro Ordini data ea certo certius non fuit. Omnes respse causarum species quae Signaturae tributae fuerunt, codex judiciarius accurate enumerat, atque inter illas minime recensentur quaestiones super subrogatione ponentis. Quod si Signatura potestate destituta est decernendi qui litis ponens esse debeat in tribunali sacrae Rotae, in quo totidem turni sunt quot praesules auditores, sponte sua sequitur quod haec potestas Rotae decano servata fuerit. Nam subrogatione ponentis judicis competentia minime declaratur, sed unus seligitur causae relator; verbo non decernitur de jurisdictione quae aeque in omnibus insidet, sed quo ordine, qua ratione suffragia ferri debeant; id quod nec ad judicii ordinatoriam pertinet, sed ad meram tribunalis disciplinam quae praesidibus in aliis tribunalibus, et in Rota reverendissimo decano commissa est. De qua subrogandi facultate post *constit. Innocentii VIII* quae incipit *Finem litibus*, *testantur Fattinell. de referend. Sign. in append. pag.* 208, *card. Petra ad constitut. Joannis XXII num.* 4 *tom.* 4 *pag.* 97, *Emerix jun.* in opere inedito, cui titulus *Tractatus seu notitia s. Rotae Romanae*, atque innumera subrogationis exempla efferri possent a reverendissimo Rotae decano sine ulla litigantium querela expleta, *uti in Romana immissionis* 21 *martii* 1735 *coram Peralta*, *in Romana pecuniaria* 14 *februarii* 1828 *coram Ruspoli*, *in Veliterna transitus* 28 *januar. ejusdem anni coram eodem*, *in Romana super subrogatione ponentis* 8 *januar.* 1836 *coram card. De-Curtiis*, *et in Sutrina juris pascendi super subrogatione ponentis* 12 *jun.* 1837 *cor. R. P. D. Alberghini*.

§ 6. Neque rem mutabat nostri Ordinis decisio in *Auximana circumscriptionis* 1 *aprilis* 1830 *coram De-Bubalo*, fere ac si reverendissimus decanus facultate subrogandi ponentem polleat tantum in casu diuturnae absentiae, mortis vel promotionis. Nam trium illorum casuum enumeratio taxativa non fuit, sed demonstrativa; siquidem decisio non exclusit alterum casum, quando scilicet ob sedium mutationem plerique ex Patribus ad suffragium vocantur qui in priori sententia quoque accesserunt, neque excludere poterat. Nam subrogatio prudentior quoque, justior atque urgentior est hoc in casu, ne

in tertio gradu jus dicant qui in antecedenti gradu suffragium jam dederant; quo in casu appellatio illusoria omnino fuisset. Si igitur Decanus subrogare ponentem potest, dum alter absit, vel vita functus sit, vel ad majora evectus, eo magis subrogare poterit quando eadem suffragia redeunt, ut ita absurdum ingens et immane vitetur, quod nimirum in gradu appellationis ab eisdem judicibus eadem lis definiatur. Quae ratio fuit, ob quam novi ponentis subrogatio in hac ipsa causa probata fuit ab Ordine nostro *in Romana unionis et avocationis* 17 *aprilis* 1845 *coram R. P. D. Janni, in Romana circumscriptionis et pertinentiae causae* 29 *januar.* 1846 *coram R. P. D. Conventati, et in Romana subrogationis ponentis ejusdem diei coram eodem.* Quod si nemo ad imparia judicari debet, si dux D. Marinus aspernari non debet « *idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit* », uti ait *text. in l.* 1 *ff. quod quisque*, valida declaranda est subrogatio R. P. D. Antinori, sicuti valida declarata fuit subrogatio R. P. D. Quaglia. Eadem siquidem occurrunt rerum adjuncta.

§ 7. Et revera, dux D. Marinus subrogationem obtinuit, quia victus a judicio cor. Albergbini discesserat. Verum enim vero neque victoriam Aloysius retulerat. Nam hic petierat centesima sex cum dimidio utilium quae ex redemptione vectigalis super sale et pulvere nicosiana provenerant. Sententia vero rotali sub R. P. D. Alberghioi obsignata decretum fuerat tradenda esse utilia, addita tamen lege, quod « *centesima sex cum dimidio diminuantur ob onera superventa, hoc est servata proportione ad alienationem centesimorum quinquaginta et trium quadrantium, quae a sociis fieri debuit* ». Non integra igitur centesima sex et unum dimidium tributa ei fuerunt, sed vix ac ne vix quidem centesima tria et unus quadrans. Quoad dimidiam igitur lucrorum jacturam passus fuerat; quocirca appellationem ab hac sententiae parte interposuerat. In quarto proinde casu ad amussim versabatur, in quo, uti superius demonstratum fuit, ponentis subrogationi locus est, si tres saltem judices suffragium ferre debeant, qui causam in superiori gradu definiverunt.

§ 8. Nec res mutabatur quod post rotalem sententiam causa semel iterumque coram R. P. D. Quaglia cognita fuisset. Nam ratio ob quam in quarto casu ponens subrogari potest illa certo certius est, ne redeant ad suffragandum in gradu appellationis illi correspon-sales qui in gradu praecedenti judicium tulerunt. Verum enim vero eadem occurrit subrogandi ratio si post semel propositam caussam cum suffragiis novis sedium mutatio contingat; ita ut ad judicandum redeant illimetipsi judices qui in gradu anteriori litem definiverunt. Nam etiam hoc in casu si alter ponens a rmo decano subrogatus non sit, illud absurdi sequitur, ut judices secundi gradus in tertio quoque gradu suffragium ferant. Ubi autem eadem militat legis ratio, eadem quoque obtinere debet juris dispositio ad *text. in l.* 11 *et* 12 *ff. de legibus.* Nullum igitur dubium esse potest quin etiam hoc in casu reverendissimus decanus alterum ponentem subrogare valeat, uti docet auctor anonymus in opere « *Pratica della curia romana pag.* 777 », atque uti probat rotalis consuetudo, de qua exempla habentur in *Fulginaten. immissionis* 20 *jun.* 1795 *cor. Gardoqui, in Veliterna redditionis sup. liquidatione* 6 *Maj.* 1844 *cor. R. P. D. De-Silvestris, et in Spoletana immissionis* 5 *jul. labentis anni cor. R. P. D. Antinori*, in quibus etiam post inceptam causae discussionem re non integra rmus decanus ob sedium mutationem alterum ponentem subrogavit.

§ 9. Vindicata subrogationis validitate, altera quoque ducis D. Marini recursus pars vi sua corruebat, qua ipse postulabat ut causae coram eodem R. P. D. Quaglia absolvendae essent. Si enim reverendissimus decanus jure suo usus fuit in ponente subrogando, subrogatio id effecit ut causae ab R. P. D. Quaglia avulsae illico fuissent, atque ad R. P. D. Antinorium rite recteque translatae mansissent. Pendentia itaque deficiebat cor. R. P. D. Quaglia, qua deficiente de pertinentia nulla indago esse potest. Nam ut de ea disputari valeat omnino requiritur ut causae coram diversis judicibus pendeant. Post subrogationem vero nulla amplius causa cor. R. P. D. Quaglia manserat.

§ 10. Rescripto vero « *Nihil* » PP. mei addendum existimarunt et *U. J. S.*, ut dux D. Marinus intelligeret viam ei patere disputandi coram s. Rota de justitia subrogationis.

Ad illud tribunal enim pertinet cognitio super regularitate subrogati novi ponentis, id quod ipsemet dux D. Marinus apprime novit, quum Aloysium post peractam subrogationem vocavit cor. R. P. D. Quaglia, petens « *non esse locum alicui subrogationi ponentis* », et consonum est praxi rotali. Innumera revera exempla afferri possent sive vetusta, sive nupera, ex quibus manifestissime deprehenditur de ponentium competentia judicium ab eadem Rota redditum semper fuisse. Ita Coccinus *in annot. decis.* 17 *tom.* 1, *nec secus in annot.* 32 *et annot.* 258, *cui consonant decisiones in Placen. seu Tolentina canonicatuum et beneficiorum* 5 *maj.* 1608 *cor. Ludovisio*, quae est in ordine *la* 369, *in Sutrina juris pascendi diei* 12 *jun.* 1837 *cor. R. P. D. Alberghini*, et in altera *Romana nullitatis testamenti* 22 *april.* 1839, in quibus omnibus casibus s. Rota de subrogationis justitia vel injustitia judicium tulit. Et ita etc. in acerrimo partium certamine definitum fuit.

Die 27 januarii 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Antonius Vasselli — D. Vincentius Binarelli.
D. Augustinus Pagnoncelli.

Prot. 114 / 1847 R. P. D. VICI Decisio CXLIV.

ROMANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 18 *Novembris* 1847.

Argumentum

An et quae solemnia requirantur in contractibus interdictorum — An et quando ratihabitio supplere valeat absentiam a contractu — An tandem restitutionem in integrum petere liceat in vim exceptionis, quas antequam resjudicata oriretur, proposita minime fuerit.

§ 1. Utile dominium aedium quae numero civico 139 signatae extant in urbe in regione *dei Coronari*, alienavit die septima septembris anni 1830 favore Antonii Orradini Joannes Baptista Tomassetti. Ad hanc alienationem is devenit in vim facultatum, quas ipsi per epistolam tribuerat praesul Santucci absens tunc ab urbe ob regimen delegationis beneventanae eidem commissum, quique oeconomus Tomassetto fuerat a suprema auctoritate constitutus, interdicta huic solemniter bonorum administratione. Praesuli Santuccio suffectus fuit in hujusmodi munere R. P. D. Pentini, qui illico apposito instituto judicio nullitatis incusavit alienationem illam ob vitia eidem inhaerentia, eamque reapse nullam declaravit absolutissima resjudicata orta ex binis consonis sententiis, altera tribunalis civilis A. C., altera s. Rotae auditorii. Adversus illam extraordinarium restitutionis in integrum remedium postulavit Orradinius a supremo nostro Ordine; frustra tamen. Dimissus namque fuit in hodiernis comitiis rescripto « *Nihil* », munere mihi dato decisionem vulgandi.

§ 2. Nullam namque legis violationem in rejudicata Patres praesto esse existimarunt, ob quam juxta censuram §. 1058 legum neotericarum restitutio in integrum foret adversus eam concedenda. Porro duplici ex causa resjudicata decrevit nullitatem alienationis aedium a Tomassetto erga Orradinium expletae, nimirum ob absentiam oeconomi praesulis Santucci a contractus stipulatione, atque ob omissionem decreti caeterorumque solemnium quae in contractibus de rebus interdictorum stipulatis necessario observanda esse lex eadem constituit. Attamen quae ab Orradinii oratore afferebantur ad demonstrandum neque unum, neque alterum in hujusmodi contractibus esse necessarium, nullius ponderis Patres retinuerunt. Etenim non modo legem ullam, ac peculiarem juris dispositionem in id ipsemet non invocabat, ceu opus fuisset, juxta paragraphum superius relatum, sed e contra inspecta juris communis censura certum est ac indubium tum oeconomi praesentiam, cum judicis decretum caeterasque solemnitates requiri in alienationibus rerum ad interdictos spectantium.

§ 3. Et reapse dum leges tutoris praesentiam et solemnium observantiam requirunt in minorum contractibus, ad *textus in leg.* 9 *ff. de auctor. et consensu tutor. et curat., et in* §. 2 *instit. de auctor. tutor., et uti post eos statuunt Cujacius observat. et emendat. juris lib.* 13 *cap.* 31, *Brunemannus in pandectas ad leg.* 9 *lib.* 26 *tit.* 9, *Oinotomus in institut. lib.* 1 *de auctor. tutor.*, dum tutoris officium in omnibus aequiparatur officio curatoris, uti tradunt *Caldas Pereira ad leg. si curat. numer.* 21, *Jovius de solemnitat. gloss.* 21 §. 1 *numer.* 30, *et Montanus de tutor. et curat. cap.* 29 *numer.* 1 *et seqq.*, ullo procul dubio tenendum est in contractibus etiam interdictorum necessariam esse praesentiam oeconomi qui vices gerit curatoris, neque omitti impune posse judicis decretum caeterasque solemnitates, quae omnia praesto sint oportet in contractibus minorum. Ita de oeconomi praesentia statuunt *Bartolus et Baldus et communiter doctores in leg. fin.* §. *necessitate cod. de bonis qui liber, et post eos sacra Rota decis.* 75 *num.* 10 *et* 11 *part.* 5 *tom.* 1, deque decreto caeterisque formis extrinsecis in contractibus etiam prodigorum adhibendis jubet *lex* 11 *ff. de rebus eorum qui sub tutela etc., gloss. in leg.* 2 *cod. de curat. furiosi ac prodigi, et tradit idem sacrae Rotae tribunal cor. Ansald. decis.* 44 *n.* 48.

§ 4. Atque incassum objiciebat Orradinii orator, praesulis Santucci absentiam suppletam fuisse in vim ratihabitionis ab eo praestitae aedium alienationi. Misso namque incertum penitus videri, utrum nec no ratihabitio eadem sequuta reapse fuerit, dum si documentum ad eam probandam Orradinius afferebat, altera tamen minime deerant quae ratihabitionem illam penitus excludebant, hoc etiam misso, praesulis oeconomi ratihabitio etsi reapse intercessisset, tamen praesentiae defectum eam supplere nequaquam potuisse suadebat distinctio a doctoribus et sacra Rota communiter accepta et tradita, juxta quam in hujusmodi circumstantiis tunc ratihabitio supplere valet absentiam cum res sit de actu praejudicium inferente personae, cujus praesentia et consensus requiruntur, nequaquam vero id queat evenire, si de contractu agatur qui nihil interest personae de cujus praesentia et consensu controvertitur, sed quae adsit, et assentiatur necesse est ad tutandum interesse et ad consulendum fragilitati illius, quem ipsa repraesentat. Ad rem *Gabriell. cons.* 2 *n.* 1. *et seqq.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 140 *n.* 19, *Costantin. ad statuti urbis adnotat.* 45 *art.* 2 *n.* 95, *et Rota post Zacchia de salario decis.* 34 *n.* 8 *et seqq.* Hinc dum praesentia praesulis Santucci alienationi de qua agitur, necessaria erat minime ob sui peculiarem indemnitatem, sed ad tutandum interesse Joannis Baptistae Tomassetti, neque certo certius illius ratihabitio aedium alienationi, etsi deinceps accessisset, supplere potuisset ejus praesentiam alienationis stipulationi.

§ 5. Aeque modo incassum ad decreti caeterarumque solemnitatum defectum effugiendum invocabat Orradinius *articulum* 78 *codicis leonini* qui vigebat initae alienationis tempore, veluti ac si articulus idem immunes declaraverit a solemnium observantia contractus de rebus prodigorum stipulatos. Etsi namque articulus ille, dum solemnitates adhiberi voluit in contractibus minorum et mulierum, peculiarem mentionem praetermiserit instituere de contractibus etiam prodigorum, certum tamen est cum de contractibus minorum et mulierum loquutus fuerit, adjecisse etiam verba « *ed altri simili* ». Hasce sane expressiones quisque facile percipit referendas tantum fore ad contractus prodigorum, atque eo fortius quia ut superius demonstratum fuit, minores, mulieres et prodigi in omnibus quoad eorum contractus acquiparantur. Ast etiamsi nihil quoad contractus prodigorum dispositum fuisset in codice leonino circa solemnium observantiam, attamen in hujusmodi etiam legis silentio, atque absque expressa juris communis derogatione, juris ipsius dispositio semper obtinere debuisset, atque idcirco decretum et solemnitatum caeterarum observantia nunquam impune potuissent omitti. Igitur resjudicata quae ob oeconomi absentiam et solemnium defectum nullam declaravit alienationem aedium a Tomassetto erga Orradinium expletam, justitia undique redundat, ac merito denegata fuit restitutio in integrum adversus eam ab Orradinio postulata.

§ 6. Denique extraordinarium remedium illud Orradinio competere nequaquam valet ne ob retentionem quidem quam sibi competere tuebatur ob expensas et meliorationes super alienatis aedibus a se expletas, quamque resjudicata ei denegavit, dum redinte-

grationem ad aedes ipsas Tomasetto indulsit. Etenim cum exceptionem hanc nunquam ille rite proposuerit, ac juxta monitum §. 772 *legum neotericarum*, antequam oriretur resjudicata, iniquum foret restitutionem in integrum adversus remjudicatam concedere in vim exceptionis, quae cum proposita nequaquam fuerit antequam ea oriretur, neque proinde approbari, neque rejici ab illa poterat. Animadvertendum insuper erat expensas eas et meliorationes ne hodie quidem in eo liquidationis statu ab Orradinio demonstrari, ceu opus erat ad retentionem aedium obtinendam. Demum minime praetermittendum amplam Orradinio facultatem futuram retentionis exceptionem proponere cum res erit de liquidatione pensionum et fructuum aedium alienatarum ad quorum restitutionem eumdem resjudicata damnavit. Et ita etc. utraque etc. resolutum fuit.

Die 27 januarii 1848 « *Provisum per renunciationem* ».

Procuratores — D. Alexander Franchi — D. Marinus Balzarini.

Prot. 120 / 1847 R. P. D. ARNALDI Decisio CXLV.

NARNIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 18 *Novembris* 1847.

Argumentum

De jurisdictionis prorogatione juxta formam benedictinae constitutionis.

§ 1. Locaverat venerabile sodalitium sancti Joannis Decollati oppidi Colliscipoli nonnulla praedia rustica atque urbana Antonio Diamanti et Dominico Ricci mercede annua scutatorum quinque supra septuaginta et assium quinquaginta a kalendis martii 1844 usque ad postremam diem februarii 1847, absque ulla disdicta. Cautum illud erat « *in caso d'inadempimento de' patti, e di questioni del presente contratto il tribunale competente sarà il tribunale ecclesiastico di questa città* (nempe Narniae)*, nella di cui giurisdizione essi affittuarj ed infrascritta sicurtà solidale per sè e suoi prestano fin d' adesso ogni loro consenso necessario ed opportuno, avanti di cui vogliono essere citati etc.* ».

§ 2. Quaestione scilicet in exitu conductionis exorta, an haec perempta dici debuisset, sodalitium coram tribunali ecclesiastico narniensi, sive pro-vicario generali lege egit « *ad ottenere che mediante sentenza, si sentisse decretare già avvenuta la cessazione dell'affitto in disputa* ». Verum judex perpendens haud injuria conductores sationem explevisse, et coloniae jure styloque agrario illius comodo et utilitate perfrui debuisse, postulatum rejecit quod contineret praeterea « *e conseguentemente dichiarar nullo il fatto della semenza violentemente fatta nei fondi locati* ». Tunc qui actor, conventionis ad tramites, ecclesiasticum judicem adiverat; omisso provocationis remedio, circumscriptionem omnium actorum ad supremum Ordinem interjecto recursu quaesivit causans jurisdictionis defectum, eo quia ecclesiasticus in laicos jurisdictione careat, nisi ad unguem servata constitutione benedictina. Sed responso « *Nihil* » dimissa est hodierno in certamine postulatio, si placeat, alteri subjicienda periculo.

§ 3. Jure sane meritoque. Nam Patres prae oculis habentes haud hic agi de judice prorsus incapaci, sed tantum de incompetenti, cujus ex consensu jurisdictio prorogetur, observabant *actorem* in judicio fuisse sodalitium idem quod conductores rapuit coram ecclesiastico judice ut eorum e fundis locatis expulsionem obtineret; ideoque incivile maxime habitum est quod nullitatem ex jurisdictionis defectu ob non servatam constitutionis dispositionem actor ipse qui ad eam provocavit, proponat, dum constitutionis disposita intelligenda sint potius de reo convento qui coram judice incompetenti forsan invitus atque ignarus potestatis judicis, compellatur, non ita tamen de actore qui ad agendum haud unquam putatur invitus et paratus, accedens plenam ot exuberantem, ut amplior nequeat desiderari, consensionem exhibeat suam in judice a se electo maximeque beneviso. Ut perbelle

observavit in simili casu supremus Ordo in *Interamnen. circumscriptionis et appellationis* 11 *mart.* 1826 *cor. Alessi, in Romana seu Albanen. circumscriptionis* 29 *jul.* 1841 *coram R. P. D. Conventati, et in Interamnen. circumscriptionis* 5 *april.* 1845 *coram R. P. D. La Grua Valdina.*

§ 4. Accedebat constitutionem benedictinam disponere inter mere laicos. Atqui sodalitium tamquam Pium opus ecclesiasticae jurisdictioni subjectum se esse facto suo profitens, judicio egisset adversus reos qui Pii loci professionem factumque laudantes jurisdictioni fasces submiserant. Nec movet quod longo carmine revolutoque pallio insinuabatur, sodalitium illud potius laicale ac minime jurisdictioni ecclesiasticae subjectum dici debere, ac vel etiam personali agens actione a foro rei declinare haud potuisse. Praeterquam quod enim in ancipiti controversia ex facto et jure ea omnia obversentur ac perridiculum sit in themate quaestionem de quaestione obtrudere, illud urget maxime, quod contra proprium factum insurgere liceat nemini, neque ex improvido forsan consilio suo damnum et jacturam tertio irrogare. Quod olim placuit, nequit postea detrimento alieno displicere. Eo autem ex facto etsi inter mere laicos jus dictum esset, nihilominus judicis ecclesiastici jurisdictionem constitutam fuisse retineri oportet. Illa enim actu tantum, non habitualiter deficit quae partium consensione excitari haud possit, quemadmodum distinctione adhibita ab incapacitate ex habitu et actu, ab incompetentia unice ex actu, saepe saepius docuit supremum tribunal in puncto ecclesiasticae jurisdictionis, praesertim in *Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 20 *junii* 1839 *cor. R. D. P. Morichini, in Ariminen. circumscriptionis* 6 *junii* 1836, *et Civitatis Castelli* 20 *jul.* 1843 *cor. Grossi.*

§ 5. Jam vero si devium esset a recto, ab actore ipso, adversus rem a se ipso gestam, constitutionem protendere, quid si eidem adhibita stipulatione fuerit satisfactum? Porro partes scientes judicem ecclesiasticum non esse competentem, expresse plenoque consensu, praesentibus testibus, in jurisdictionem illam convenerunt ad absolvendas quaestiones quae suboriri ex contractu potuissent. Ita « *Il tribunale competente sarà il tribunale ecclesiastico di questa città* » *E prestano*, expressis verbis, « *fin d'adesso ogni loro consenso necessario ed opportuno, avanti cui vogliono essere validamente citati* », addentes « *per tal effetto rinunciamo a qualunque legge in contrario disponente sulla competenza de' tribunali* ». Quae tribus munita est testibus, inter quos Joseph Rodulphius episcopalis curiae cancellarius reperitur. Jam vero si quae in constitutione praecepta sunt, scientiae nimirum incompetentiae, voluntatis enixae nihilominus jurisdictioni annuendi, coram testibus voluntatem explicandi, adimpletum siquidem formae praescriptae dicendum est semel ac praeceptis requisitis satis fuisse factum cognoscatur, dum in durioribus vel etiam terminis constitutionis formae adimpletum fuisse per aequipollens saepe supremus Ordo noster constituit praesertim in *Interamnen. circumscriptionis* 3 *apr.* 1845 *cor. R. P. D. La Grua Valdina, et in Verulana circumscript.* 9 *jul.* 1846 *cor. R. P. D. Conventati.*

§ 6. Perperam objiciebatur nefas esse in alienum judicem compromitti, praeterquam in Rotam. Non enim compromissum dici potest, ubi laici in ecclesiastici jurisdictionem conveniant, constitutionis benedictinae requisita sequentes, et eo coram judice veniant servatis substantialiter his omnibus quae praecedere jubeat constitutio. Neque ad rem faciunt nonnullae supremi Ordinis decisiones quae neque consensum expressum ex pacto laudabant. Ab his enim recessit supremus Ordo satius ducens ex germanis juris principiis, non objecta a laico declinatoria incompetentiae exceptione ante litis contestationem, sed amplexato judicio, documentis productis, defensione super merito causae et usque ad definitionem sententiae quaestione consumpta, defectum factis plusquam verbis potentioribus remissum esse, veluti diserte disponit gregorianus codex in §. 785, quae remissio, renunciationis ad instar, regressum impedit ad jura remissa infirmatis praecedentibus contrariis decisionibus, ut fuso calamo exponit laudata decisio *coram R. P. D. Conventati*, cui jam aliae decisiones supremi Ordinis consonant, ac praesertim *Ariminen. et Interamnen.* praedictae *coram R. P. D. La Grua, et Grossi.* Nullitatem autem actorum per constitutio-

nem inflictam merito esse intelligendam patet quoties nempe laicus sive per compulsum compareat, sive non exhibeat patentem illam consensionem, et facto suo judicio standi obligationem baud suscipiat. Constitutio siqnidem in odiosis in eo qnod evidenter non expressit, quo minus laedat jus commune interpretari decet. Plus demum buic accidit controversiae, quod nimirnm actor in jurisdictionem insurrexerit quam ipse elegit, et judicio peracto praeiverit stipulatio quae benedictinae constitutionis requisita contineret. Cumque, si tantum in dubio, odiosa circumscriptio rejicienda sit, eo id praestat magis dum jurisdictionis defectus, tam ob expressum consensum in syngrapha, quam ob tacitum, sive ex comparitione, prodnctione docnmentorum, exhibitione defensionnm caeterisque actis ex parte actoris et rei conventi expletis, plene esset utrinque remissus, bisque omnibus satis superqne benedictinae constitutioni impletum fuisse constitisset. Et ita etc. utraque etc.

Die 3 februarii 1847 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Antonius Vasselli — D. Augustinus Pagnoncelli.

Prot. 38 / 1847 R. P. D. LIPPI Decisio CXLVI.

Eugubina Circumscriptionis

Jovis 16 *Decembris* 1847.

Argumentum

An jurisdictio judicis ecclesiastici in judicio cessionis bonorum ex litigantium consensu prorogata extendi valeat ad convocationem concursus, quam respicit art. 557 *codicis mercatorii.*

§ 1. Quemadmodnm narrat praecedens R. P. D. mei Arnaldi decisio, jndaei Salomon et Leo Rieti mercaturam Eugubii exercentes sententiam ab urbinatensi tribunali passi sunt, vi cujus ipsorum decoctio declarata fuit a die 7 junii 1837, eamque sententiam anconitani judices confirmarunt, immutata dumtaxat decoctionis die, scilicet a quinta decima septembris ejusdem anni. Quam post commercialem remjndicatam, et anteqnam caetera ad idem decoctionis judicium pertinentia absolverentur, praedicti judaei non civile tribunal, sed ecclesiasticum judicem vicarium generalem Eugubii adiverunt, miserabile cessionis bonorum beneficium implorantes, exbibito patrimonii statu, ut de bona vel mala ipsorum fide constaret. Hic tamen vicarius non modo ipsos ad petitum beneficium admisit, sed apertum praeterea coram se universalem creditorum concursum declaravit. Quae postmodum sententia cum ob temporis lapsum reijudicatae vires adquisiverit, recursum creditores Henricus Hoz istiusque socius Soffrig apud supremum nostrum tribunal interposuere pro circumscriptione omnium in hoc cessionis bonorum judicio gestorum, vel saltem memoratae ejusdem sententiae. Et licet praeteritis in comitiis diei 29 julii 1847 petitionem PP. rejecerint, bodiernis tamen, re maturius discussa, eam exceperunt rescripto « *Circumscripta per viam nullitatis sententia vicarii Eugubii diei* 20 *septembris* 1839 *cum omnibus inde sequutis, ex defectu jurisdictionis, PP. VV. JJ. SS.* », commisso mibi munere decisionem vulgandi.

§ 2. Ratio anteactae resolutionis in eo potissimum constituebatur, quia etsi judaei ecclesiasticum tribunal prae civili tribunali adeuntes formam a constitutione Benedicti XIV praescriptam non servaverint, creditores tamen in eumdem judicem ita consenserunt, ut non modo fori declinatoriam baud opposuerint, sed defensionem insuper susceperint et ad definitivam usque sententiam acriter dimicaverint. At in boc altero experimento hoc etiam admisso, animadversum est vicarium eugubinum propriae jurisdictionis limites aeqne semper praetergressum fuisse, cum ad petitum cessionis bonorum beneficium propriam sententiam ipse non cohibuerit, sed universalem creditorum concursum coram se apertum etiam decreverit. Lex enim commercialis in art. 557 di-

sertis verbis imperat ut bisce in judiciis post bonorum cessionem a civili tribunali admissam, decoctus ad commerciales judices redire et coram iisdem cessionem renovare teneatur. « *Il fallito ammesso al beneficio di cessione sarà obbligato di fare e di reiterare la sua cessione in persona, e non per procuratore, chiamati i suoi creditori all'udienza del tribunale di commercio del suo domicilio* ». Etsi igitur ecclesiasticus judex prae tribunali civili aditus ex litigantium consensu competens factus retineatur, in una certe bonorum cessione admittenda, vel deneganda ejusdem jurisdictio consistere, neutiquam in concursus convocatione extendi potuisset, quum id ne tribunali quidem civili licuisset.

§ 3. Reque vera si hoc non obstante legis praescripto fas cuilibet judici esset nedum de bonorum cessione cognoscere, sed creditorum etiam concursum indicere, licet id speciatim commercii judicibus reservetur, illud admitteretur absurdum, ut litigantium consensus eum judicem, quem lex noluit, facere posset; dum e converso contrarium semper obtinuit. Quando enim in certa re alicui data est privativa dijudicandi facultas, alteri censetur penitus sublata atque interdicta, ceu videre est in *Romana circumscript. diei* 27 *novembris* 1828 *inter collectas et in Viterbien. alimentorum super circumscriptione* 3 *augusti* 1837 §. 9 *coram Amici* ». Quare quum lex taxativo voluerit ut de una bonorum cessione civile tribunal cognoscere valeret, et post banc admissam aut denegatam litigantes ad commercii judices redire praescripserit, ob id ipsum quoad concursus judicium illam caeteris, praeter ipsos, jurisdictionem abstulisse palam erat.

§ 4. Id autem eo fortius obtinebat in themate, ubi speciali legis destinatione concurrebat qualitas debitorum qui erant commercio addicti, quique ut rei in judicio concursus coram proprio tribunali commerciali erant dijudicandi, atque ubi eadem quaestio praeoccupata jam extiterat a commercii judicibus tum urbinatensibus, tum auconitanis. Ipsi enim apertam jam decoctionem per remjudicatam declaraverant, ita ut nequiret alter judex banc sibi quaestionem, contempta praecedentium judicum jurisdictione, arrogare, perinde ac si de re adhuc integra ageretur. Quocirca si accedente etiam creditorum consensu, ne civile quidem tribunal coram se concursum indicere valuisset, quia lex taxativo et absolute banc rem alii tribunali specialiter addixerat, et quia competentes judices eamdem jam quaestionem praeoccupaverant, eo vel magis absque nullitatis vitio id decernere poterat judex ecclesiasticus, qui non ex lege, sed vix hoc eorum consensu competens factus fuisset in uno cessionis bonorum judicio.

§ 5. Constituto itaque eugubini vicarii sententiam evidenti nullitate quoad concursus indictionem laborasse, sponte sua omnimodam corruere, ideoque circumscribendam esse sequebatur. Sententia enim est actus individuus qui proinde nequit pro parte sustineri et pro alia irritus decerni, sed ex una corruens, totus corruat oportet. Hinc licet non omnia initio coram vicario gesta utpote nulla haberentur, sententia tamen cum omnibus inde sequutis jure merito deleta fuit, quin recursus termini excederentur. In eo enim non modo omnium in cessionis judicio ab initio gestorum, sed ipsius etiam sententiae circumscriptio petita fuit, ita ut relictis prioribus, postrema tantum favorabiliter excipi potuerit. Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicante decisum est.

Vide Decis. CXXXV.

Die 3 februarii 1848 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Pontianus De-Santis — D. Crispinus Balderi.

Prot. 179/1846 R. P. D. FERLISI Decano DECISIO CXLVII.

BONONIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS SEU RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 16 *Decembris* 1847.

Argumentum

Habes in Decis. CXLI.

§ 1. Ad trutinam hodie revocata elucubratissima decisione quinto idus septembris

labentis anni ab R. P. D. meo Lippi in bujusmodi causa edita, quae germanam factorum historiam fuso etiam calamo enarrat, acriter et strenue tutorio filiarum suarum nomine adversus eam dimicavit Caelestis Clo vidua Petri Pauli Tibaldi, neque omine quidem prorsus infausto. Licet enim quoad praetensam actorum nullitatem, sententiam antea paditam numeris omnibus, proculque ab omni cunctatione confirmaverint Patres, quoad restitutionis tamen in integrum beneficium ab ea recesserunt rescripto edito ad hunc modum concepto « *Quoad circumscriptionem in decisis, in reliquis de causis sine praejudicio reijudicatae etiam quoad refectionem expensarum, et reproponatur quoad restitutionem in integrum* », datoque mibi munere novam ex lege decisionem vulgandi.

§ 2. Neque dubitarunt quidem vel leviter Patres quin praecedens confirmari mereretur decisio in eo quod ad actorum pertinet circumscriptionem. Nedum enim ipsemet viduae defensor, jurisdictionis et citationis vitio omnino reposito, unum specialis procurae mandati in devolutionis judicio instaurando carpebat defectum, quae caeterum querela, utpote apud s. Rotae tribunal jamdiu proposita, ab Ordinis nostri investigatione erat prorsus aliena, verum firma insuper ea etiam ex parte, atque in plenissimo undique robore hodie manebant singula, ac vere gravia rationum momenta in anteacta decisione jam enucleata. Illud enim compertum et hodie rursus visum est Patribus, *neque* in facto quidem deesse speciale procurae chirographum a bononiensis capituli Camerario, et ex ejusdem capituli voluntate obsignatum, atque in ipsomet litis exordio apud acta delatum, *neque* mandatum insuper pro validitate declarationis in devolutionis judicio emittendae juxta peculiarem sanctionem §. 1438 *vigentis codicis* necessarium, confundi ullatenus mereri cum mandato altero mero generali quod pro judicii fundamento exhibere actoris causidicus tenetur, *neque* praecitatam demum legis dispositionem devolutionis causae congruere, quam ob lineam finitam in ecclesiastica praesertim emphyteusi directus dominus foveat. Cum enim ex ipso legis ministerio, proculque a directi domini consensu suum sibi locum in bujusmodi casu devolutio vindicet, neque ecclesiae insuper rectoribus liceat emphyteusim jam extinctam contra apostolici beneplaciti legem proregare, nulla opus est speciali illius declaratione, veluti perbello statuit praeterita decisio a §. 6 ad §. 8.

§ 3. Secus vero censuerunt Patres quoad restitutionem in integrum. Cum enim ex novis et authenticis monumentis a vidua exhibitis luculenter eruperit, Tibaldium longe antea quam fati munus ipse impleret, annui canonis, directique emphyteuticarum aedium dominii redemptionem, ecclesiastica etiam intercedente auctoritate, cum bononiensi capitulo conclusisse, ambigi profecto amplius nequibat de manifesta injustitia rei editae judicatae, quae Tibaldio sine masculis liberis defuncto redintegrationem ad emphyteuticae domus possessionem capitulo concessit, ab eaque ejusdem filias et baeredes ejici jussit, quod unum aedepol satis ad restitutionis in integrum beneficium iis tribuendum; scripta quippe lex est in §§. 1058 *et seq. vigentis codicis*, quod « *ha luogo il ricorso per ottenere il rimedio straordinario della restituzione in intiero* », quoties reijudicatae injustitia emergat « *dall'essersi rinvenuti documenti pubblici o privati con i quali si provano fatti nuovi e decisivi* ».

§ 4. Et re quidem vera praesto erat in themate pacti conventi lex in ipsis emphyteuseos tabulis juxta pontificii chirographi legem adjecta, ubi cautum expressim fuerat, 'quod « *sia sempre in libertà del sunnominato signor Pietro Tibaldi, e dei compresi in questa enfiteusi di liberare i suddetti stabili dal sopraddetto annuo canone di scudi* 165 *col pagare il capitale corrispondente allo stesso annuo canone alla ragione del cinque per cento* ». Ex novis autem adductis monumentis manifesto constabat, facultate bujusmodi, cujus exercitium ab una ejusdem voluntate pendebat, ab anno usque 1834 fuisse eum plenissime usum, ejusque votis numeris omnibus annuisse tum bononiense capitulum, tum vel ipsum praeclarissimum illius civitatis antistitem, voto etiam in id accedente peculiaris congregationis, cujus consilio in ecclesiasticis suae dioceseos absolvendis negociis uti is solet. Constabat enim ex iis labente anno 1834 canonis redemptionem secundum pacti conventi legem bononiensi capitulo proposuisse Tibaldium, tum argenteis 3353 obulisque 32 $^1/_2$ pro ejusdem pretio oblatis, tum congruo ac fructifero bujusce summae exhibito investimento.

§ 5. Sic pariter constabat post rem omnem diligenter ex capituli mandato ab ipsius cancellario perscrutatam preces ejusdem capituli nomine bononiensi antistiti fuisse porrectas, quibus narratum quod « *il capitolo ritiene non potersi ricusare dalla suaccennata francazione, ed essere utile alla eredità Landi il proposto investimento* », esque proinde desuper re ipsius emi antistitis auctoritas est implorata. Precibus vero hisce ad ecclesiasticam superius memoratam congregationem pro maturiori examine allegatis, ipsa non solemni tantum ritu scriptoque eadem declaravit « *la congregazione consultiva è di subordinato avviso, che sua eminenza possa degnarsi di annuire all'una ed all'altra dimonda del rmo capitolo* » (canonis scilicet redemptioni ac proposito pretii investimento), verum hujusmodi insuper panditam sententiam albo undique calculo emus antistes comprobavit, subscriptione sua in ima ejusdem cera propria manu adjecta. Post tot itaque adeoque solemnia tam Tibaldii quam capituli ac bononiensis antistitis facta, haud erat sane ambigendum quin ab eo usque tempore tum mutuo contrahentium intercedente consensu quoad rem et pretium, tum legitima ecclesiastica accedente auctoritate, redemptionis contractus perfectionem suam numeris omnibus acceperit, ab eoque recedere nemini amplius postea licuerit. Scitissimum quippe in jure est emptionis non minus quam redemptionis contractum utpote mere consensualem ac nominatum, solo partium perfici consensu, eoque semel praestito nullum amplius dari locum poenitentiae.

§ 6. Perperam hinc studioque omnino inani vel omissam in posterum illius executionem, vel recens novumque alterum emi antistitis rescriptum ex ejusdem congregationis consilio ad diem 6 maji 1835 editum, vel solemnia demum ipsius Tibaldii facta, annuique praesertim canonis solutiones ad diem usque obitus ab eo expletas in medium proferebat capituli defensor, ut inde argueret non conventionem undique perfectam, sed merum simplicemque redemptionis tractatum ab exhibitis monumentis comprobari, cujus proinde auctoritatem nefas erat viduae invocare. Quod enim ad neglectam contractus executionem annuique canonis solutiones, dum in humanis fuit, a Tibaldio peractas, misso etiam anterioris conventionis perfectionem luculentior superius probatam nullatenus ex iis evelli, illud urgebat gravissimum, tribui ea cuncta mereri non culpae ipsius Tibaldii, sed capituli potius, quod mutato consilio conventionem antea initam executioni renuit committere. Quod vero ad novissimum bononiensis antistitis rescriptum pertinet, quo propositam canonis redemptionem probare recusavit, nisi oblatae summae argenteorum 3353, 32 quintae ejusdem partis adjungeretur augmentum, juxta benedictinae constitutionis sanctionem, quam post redemptionis pretium praefinitum in *reliquis* servari jusserant emphyteutici contractus tabulae cum Tibaldio conscriptae, illud pariter erat ponderandum, post redemptionem ipsam ab emo antistite antea probatam, in ejus arbitrio haud amplius fuisse rescripti jamdiu editi legem reformare, maxime vero cum relatio ad Benedicti XIV constitutionem in emphyteuticis tabulis adjecta, non ad redemptionis pretium quod fuerat expressim conventum, esset porrigenda, sed ad *reliqua* potius, prout fuerat ibi nominatim cautum, sive ad redemptionis impensas, aliaque id genus prorsus diversa cohiberi mereretur.

§ 7. Redemptionis vero contractus veritate et perfectione undique probata, ruebat mole sua, tamquam cum ejusdem lege e diametro pugnans, caducitatis actio post Tibaldii obitum adversus ejusdem filias et haeredes proposita; eratque proinde iis restitutionis in integrum praesidio succurrendum adversus remjudicatam, quae propositam id genus actionem albo undique calculo exceperat. Eoque pronius in hanc sententiam descenderunt Patres duplici alia adstipulante ratione, ex quibus *altera* extrinsecae nititur indoli ipsius reijudicatae quae licet numeris omnibus perfecta, non alitor tamen prodiit nisi pupillis ac vidua perpetuo indefensis atque omnino inauditis, *altera* vero in eo potissimum residet, quod anceps summopere est, utrum Tibaldio sine liberis masculis defuncto exitum nec ne emphyteutica habuerit concessio, licet expressim cohibita ad masculinam dumtaxat ejusdem lineam. Quum enim illius filiae, quas in pupillari aetate reliquit superstites, ad ejus agnationem dubio procul pertineant, ac masculinae ejusdem lineae finem constituant, non immerito videntur sub concessione ea et ipsae comprehensae ad tradita per *Peregrin. de fideicom. art.* 26 *n.* 4,

Fusar. de substitut. qu. 404 *num.* 24, *et Rota in Romana immiss.* 1 *jul.* 1720 §. 7 *coram Lancetta*. Et ita in acerrimo partium conflictu jus redditum est etc.

Vide Decis. CXLI.

Die 6 junii 1850 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Caesar Pellisier — D. Philippus Guarnieri.

DECISIONES

SUPREMI TRIBUNALIS SIGNATURÆ JUSTITIÆ

ab anno 1845 ad annum 1854.

Prot. 71 / 1847 R. P. D. FERRARI Decisio CXLVIII.

Reatina Circumscriptionis

Jovis 27 *Januarii* 1848.

Argumentum

Cum locator conductoris expulsionem petierit, affirmans aedem locatam propriis usibus esse necessariam, de hujusce litis valore disceptatur.

§ 1. Usque ab anno 1841 Gregorius Morelli domum quam possidebat in oppido *Canemorto*, annua conventa pensione scutorum sexdecim Josepho Galli illius gubernii cancellario locaverat nullo exarato in scriptis contractu. Die hinc 27 septembris Gregorius judicio Josephum coram gubernatore provocavit ut domum evacuaret, quia « *servir deve per uso proprio* ». Vadimonio a reo deserto, instantia a judice illo probata fuit, nec victo profuit appellationem interposuisse, et actorum circumscriptionem ex defectu mandati postulavisse. Nam tribunal appellationis querelam circumscriptionis rejecit, et sententiam gubernatoris penitus confirmavit. Joseph vero existimans quod revera causidicus qui pro Gregorio judicio coram Gubernatore steterat, mandato destitutus fuisset, et quod litis valor summam superavisset scut. biscentum, recursum apud Ordinem nostrum interposuit, quo tum ex defectu mandati, tum ex defectu jurisdictionis petiit circumscribi « *omnia et singula acta facta coram gubernatore Canismortui, et signanter sententiam latam die* 27 *semptembris* 1844 *cum omnibus inde sequutis* »; qui tamen recursus rejectus hac mane fuit rescripto « *Nihil* ».

§ 2. Nam quoad mandatum, PP. investigare noluerunt utrum Ferdinandus Caponetti procurator a Gregorio electus fuisset ad causam coram gubernatore agendam, utrum eligi potuisset; rem enim conficiebat ipsius Josephi factum, qui incidentalem coram tribunali appellationis instantiam proposuit, qua ex defectu mandati nullitatem actorum postulaverat, quae coram primo judice gesta fuerunt. Quum vero hujusmodi nullitas rejecta fuisset, nequibat eam iterum coram Ordine nostro proponere statim ac de ea sententiam jam tulerat tribunal reatinum, cui ex censura §. 789 et 790 judicandi potestas data erat. Quaestio igitur illa absoluta fuerat, ideoque excitari amplius non poterat, cum juris axioma sit, quod « *nec instaurari finita rerum judicatarum patitur auctoritas* », uti scriptum est *in leg.* 5 *cod. de rejudicata.*

§ 3. Neque ullo pacto consistere visus fuit jurisdictionis defectus a litis valore depromptus. Nam illius quantitas vim non excedebat scut. biscentum. Gregorius enim petierat ut Josepho terminus praefigeretur « *ad effetto di evacuare e rendere libera una casa di*

proprietà dell'istante abitata dal citato, e ciò in ragione che servir deve per uso proprio ». Gregorius itaque evacuationem postulavit non ex eo quod ad exitum perductus fuisset locationis contractus, sed privilegio innixus *leg. aede* 3 *cod. de locat.*, qua cavetur ut locator valeat conductorem ab aede conducta expellere si propriis usibus eam necessariam esse probaverit. Quum itaque pro rescissione contractus ante expletum illius terminum judicio actum fuisset, ad mensurandum litis valorem cumulandae erant pensiones « *di tutto il tempo che ancora rimane al compimento* », uti sancitum expresse est in secunda parte §. 454. Nulla quidem scripta fuit syngrapha ex qua pateret pro quo tempore locatio inita fuisset. At vero etiamsi fingas domum locatam fuisse donec cancellarii munus Joseph in oppido *Canemorto* obivisset, nimirum ad ipsius vitam, uti testes ab ipso Josepho inducti probare videbantur, ad conductionis terminum a motae litis die vix ac ne vix quidem anni decem supererant; quocirca pensionibus acceptis decem annorum, ipsae una simul collectae summam tantum constituunt scut. centum et sexaginta, quae judicis singularis jurisdictionem minime excedunt.

§ 4. Neque recte objiciebatur hominum vitam indeterminatam esse, ideoque indeterminatum quoque litis valorem hoc in casu habendum esse. Nam lex in contractibus vitalitiis, ne indeterminatus esset litis valor, sancivit quod esset hauriendus ab annuis praestationibus decies multiplicandis « *se la rendita* (ita §. 450) *o prestazione è vitalizia, il valore si desumerà dalla rendita stessa o prestazione moltiplicata dieci volte* ». Ut itaque circumscriptionis querela odii plena rejiceretur, justissime argumentum ab hoc paragrapho deductum fuit, et locatio nonnisi pro decennio inita habita fuit. Sicuti itaque conventa pensio in annuis scutis sexdecim decies multiplicata vim non excedebat scut. 160, ita ratione valoris lis ad jurisdictionem judicis singularis omnino pertinebat.

§ 5. Perperam vero Joseph confugiebat vel ad procuratorum facta, vel ad dicta testium, vel ad aliquot sententiae secundi gradus enunciativas, ex quibus arguebat evacuationem petitam fuisse, quia locationis terminus praeterlapsus fuerat. Nam ad litis valorem metiendum, et ad judicis jurisdictionem statuendam, instantia qua judicium introductum fuit, inspicienda tantum est, *ad text. in leg.* 19 §. 1 *ff. de jurisdictione;* « ibi » *Quoties de quantitate ad jurisdictionem pertinente quaeritur, SEMPER QUANTUM PETATUR quaerendum est, non quantum debeatur* ». Et vigens neoterica lex in §§. 465 et 466 *codicis praxeos* « ibi » *Nel fissare il valore delle cause non si avrà riguardo all'eccezioni del reo; il valore è sempre fissato dalla dimanda dell'attore e non dalla somma stabilita nella sentenza* ». Quum itaque Gregorius evacuationem e domo postulavisset quia « *servir deve per uso proprio* », hoc ipso patet quod locatio adhuc permanebat, et quod ante illius exitum redintegratio postulabatur ex notissimo privilegio inducto a lege *aede* 3 *cod. de locat.*, uti testium depositionibus ipsemet Joseph probare curavit.

§ 6. Nullo vero in pretio haberi poterat id quod Joseph contendebat, Gregorium nimirum defecisse in editae actionis probatione, cum nullum apud acta monumentum attulerit et nullam declarationem expleverit quibus evinceret domum suis usibus necessariam esse. Nam hujusmodi exceptio rejudicatae injustitiam tantum respicere poterat, utpote quae juribus reluctantibus Gregorii instantiam pronis auribus excepisset, non item vero evincebat quod hic judicem incompetentem adivisset. Et ita etc. utraque etc.

Die 30 martii 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Cerica — D. Joseph Vasselli.

Fabrianen. seu Matilicen. Circumscriptionis

Jovis 3 *Februarii* 1848.

Argumentum

An mulieri, aetate majori, sine curatore judicio sistere liceat — An mulier jurisdictionem judicis ecclesiastici absque solemnitatibus valeat prorogare.

§ 1. Gemino collybi nomine *argenteorum* 1500 ad bessalem rationem frugiferi, creditrix ibat adversus Franciscum Braccinium nobilis mulier comitissa Francisca Fossa vidua Stefanoni, quae ut dotales pecunias investimento poneret, in fratrum De-Luca priorum creditorum jura pro cambiis successerat. Utrumque collybi caput duplex tutabatur hypotheca inscripta super praedio « *Burano* o *Campo d'olmo* », quod volvente *anno* 1844 emptionis venditionis titulo sibi acquisivit vir nobilis itemque fabrianensis comes Joannes Baptista Pettoni-Possenti, duobus ad hoc in se venditoris Braccini cambiorum nominibus translatis, sciente ac consentiente et ipsa Stefanonia. Verum *semestre* ante tempus in quo utriusque sortis frugiferae restituendae dies cederet atque veniret, comes Pettonius per acta ecclesiasticae matilicensis curiae contractus proximam cessationem comitissae significavit, addita insuper declaratione se paratam habere pecuniam pro nominum dimissione, quam tamen creditrix renuit usque recipere. Ex quo factum est ut idem comes *die 4 junii* 1846 coram eadem episcopali matilicensi audientia Stefanoniae diem dixerit tum pro decernenda aede sacra in qua utriusque sortis ac fructuum conficiendum foret depositum, tum pro creditrice devincienda ad assequendum extrajudiciale decretum, quo ad juris lancem cambiorum extinctionem fundique ab hypothecis liberationem merito adstipulari posset.

§ 2. Libelli autographum confestim rea conventa tradidit cuidam procuratori matilicensi *Aloysio Zannuccoli*, qui non modo ope *mandati praesumpti* viduam defendere penes acta declaravit, factoque defendit, sed illius quoque nomine coram eodem tribunali reconventionalem transmisit petitionem, qua nullitas et inefficacia disdictae, ac per consequens cambiorum prorogatio contra comitem Pettonium fuit efflagitata. Attamen ille judex in acri partium certamine duabus editis terminalibus sententiis comprobavit *una* plenissime Possenti instantiam, *altera* vero illam viduae penitus rejecit. Hinc a Stefanonia ad Rotam itum, ibique geminis *coram reverendissimo P. D. Muzzarelli decano* dubiorum formulis concinnatis, *altera* nempe *super deposito*, *altera* autem *super nullitate et inefficacia disdictae*, diu dimicatum, sed frustra; nam duplex rotalis sententia *die* 9 *augusti* 1847 prolata matilicenses illas provocatas omnino confirmavit. Orta sic rejudicata, putavit vidua ad supremum nostrum Senatum confugere, interpositoque de more penes acta recursu, institit pro actorum circumscriptione *ex defectu* tum *jurisdictionis* tum *citationis*. Quam quidem instantiam hoc mane pro definitione propositam PP. reprobarunt edito rescripto « *Nihil* ».

§ 3. Quoad enim *jurisdictionis defectum*, qui hoc uno innitebatur fundamento, ecclesiasticum nempe judicem in causa de re mere laicali inter laicas personas nequire jus dicere nisi servata religiosissime constitutionis benedictinae forma, de qua *in* §. 358 *num.* 2 judiciariae legis, Patres mei in comitissae oratione nil invenere quod ab jurisprudentia undequaque justissima et millenis jam in casibus confirmata eis deflectere suaderet. Reque vera quidquid sit de illius constitutionis importantia, quae taxative loquitur de tribunalibus vicariatus urbis, deque verbis quodammodo rigidissimis, quibus servandae formae in consensus praestatione pro jurisdictione proroganda dispositio concipitur, nil in foro pervulgatum, quam cortici verborum non esse inhaerendum, ideoque ipsi jure merito constitutionis illius spiritum prae verbis tenendum esse, totiesque constitutioni judicarunt satisfactum, quoties forma, ex qua obtineatur finis effectusque sequatur ad quem fuit inducta, per aequipollens adimpleatur, *ad textum in leg. ultima ff. mandat.*,

Calvin. de aequitate lib. 2 *cap.* 200 *ff.* 83, *Honded. cons.* 58 *num.* 18, *Rota decis.* 126 *num.* 38 *part.* 14 *recent., decis.* 254 *num.* 7 *eodem, decis.* 416 *num.* 9 *part.* 18 *tom.* 1, *et decis.* 429 *num.* 2 *part.* 18 *tom.* 2 *eod.*; quibus concinit supremus Ordo noster in *Romana seu Albanen. circumscriptionis* 21 *jun.* 1841 §. 8 *coram R. P. D. Conventati, in Civitatis Castelli circumscriptionis* 21 *julii* 1843 §. 10 *coram Grossi, in Ariminen. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 29 *maji* 1845 *cor. R. P. D. meo Ferrari, in Interamnen. circumscriptionis* 3 *aprilis* 1845 §. 2 *coram R. P. D. La Grua Valdina, in Verulana circumscriptionis* 9 *julii* 1846 *per tot. coram R. P. D. Conventati*, ac demum in *Eugubina circumscriptionis* 29 *julii* 1847 §. 4 *coram R. P. D. meo Arnaldi;* namque expressus dicitur consensus, qui non verbis tantum, sed facto verbis potentioro demonstretur, *Rota decis.* 213 *num.* 7 *part.* 6 *recen.;* facta enim multo magis quam dicta hominis voluntatem ostendunt, ut perbelle animadvertit *dec. in leg.* 48 §. 3 *ff. de aedilitio edicto.*

§ 4. Jamvero ex actis in comperto erat viduam Stefanoniam episcopalis matilicensis audientiae, ubi judex *habitu* ideoque in causa licet de re mere laicali et inter laicas personas *incompetens, non incapax erat* (*Font. de pact. nupt. clas.* 4, *gloss.* 13 *part.* 2 *num.* 21 *et seqq., et supremus hic Senatus in Civitatis Castelli circumscriptionis* 29 *julii* 1847 §. 3 *coram R. P. D. meo Arnaldi*), ex facto suo quod pro consensus explicita habetur praestatione, jurisdictionem potuisse prorogare, veluti post textum *in leg.* 1 *ff. de judic., in leg.* 74 *ff. eodem, et in leg.* 28 *ff. ad municipalem, ubi glossa et interpretes,* tradunt passim doctores, quos inter praesertim *Escobar. de ratiocin. administ. cap.* 7 *numer.* 14 *et seqq., Barbosa in leg. Titio* 35 *ff. solut. matrim. num.* 22, *Rovit. in pragmat.* 2 *de jurisdict. non invicem turbanda num.* 35, *Gratian. discept. foren. cap.* 224 *num.* 5 *et seqq., card. De-Luca de jurisdict. discurs.* 110 *num.* 10, *Constanti vot.* 77 *num.* 43, ac demum *Gonzalez in lib.* 2 *tit.* 2 *decret. cap.* 18 *num.* 10, nec secus ad exposita juxta canonicas sanctiones *in decis.* 12 *adnotat.* 2 *num.* 47 *coram Panimolli*, quibus omnibus album adjicit calculum supremum hocce tribunal *in Romana circumscriptionis et appellationis* 20 *julii* 1826 §. 4 *coram Grossi, et in Romana circumscriptionis et appellationis* 19 *julii* 1827 §. 5 *coram eodem,* ac revera prorogasse. Comitissa enim vix a Pettonio vocata in jus fuit coram episcopali Matilicae curia, procul a quavis incompetentiae querela ei ultra lubenterque fasces submisit.

§ 5. Hinc uti rea conventa dato libelli autographo *Aloysio Zannuccoli*, eum procuratorem constituit; reconventionalem petitionem super nullitate et inefficacia disdictae coram eadem episcopali audientia adversus comitem Pettonium transmisit; protulit in utraque causa documenta; diu acriterque ad sententias licet inimicas, usque dimicavit; ad Rotam confugit appellationis ope, ibique strenue depracliata est, donec orta duplex resjudicata causas omnes prorsus diremit. Inficiari ergo non poterat viduam comitissam non solum convenisse in ecclesiastici judicis jurisdictionem, et conventionem ipsam solemnioribus factis ratihabuisse, quae nullam admittunt dubitationem, sed etiam curiam episcopalem matilicensem, etsi origine incompetentem, factam inde fuisse competentem propter jurisdictionis prorogationem quae ex consensu derivavit, ideoque non posse amplius quidquid ab ea gestum est ex capite nullitatis everti et infringi. Idipsum enim post scriptam judiciariam praxim in §. 785 « ibi » *È rimesso e sanato il difetto di giurisdizione in ordine alle persone laiche se la parte comparisce, e senza opporre l'eccezione di nullità produce documenti e difese relative al merito della causa* », passim ac constantissime firmavit supremus hic Ordo noster *in Romana circumscriptionis* 31 *julii* 1834 §. 4 *coram eminentissimo Vannicelli Casoni, in Anconitana circumscriptionis* 30 *aprilis* 1835 §. 6 *coram eodem, in Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 20 *junii* 1839 §. 10 *coram R. P. D. Morichini, in Civitatis Castelli circumscriptionis* 20 *junii* 1843 §. 9 *coram Grossi,* graviterque *in Verulana circumscriptionis* 9 *julii* 1846 §. 5 *coram R. P. D. Conventati, in Eugubina circumscriptionis* 29 *julii* 1847 §. 3 *coram R. P. D. meo Arnaldi,* ac demum in specie rei conventi actorem reconventionis jam statuit in *Interamnen. circumscriptionis et appellationis* 11 *maji* 1826 §§. 4 *et* 6 *coram Grossi.*

§ 6. Quod vero respicit alterum *citationis* defectum, quem recurrens vidua haurire praesumpsit a curatoris in judicio ni deficientia utut feminae licet aetate majori sed perpetuae tutelae subjectae, *Gravina in tit. de leg. et senat. cons.* §. 34, per judicem deputandi, Patres mei novum omnino, nec veteribus, neque hisce temporibus in melius prodeuntibus, neque tandem perantiquo fori usui accomodatum ullo modo agnovere. Misso namque quod comitissa sibipsi contradicens in hoc sistitit judicio absque invocati curatoris persona, illud in primis occurrit, nullam adesse legis dispositionem quae recentem Stefanoniam cauonem protueatur, nec ipse nobilis mulieris orator, caeteroquin egregius, sustinere potuit hanc curatoris *ad litem* deputationem in praxi ullimodo observari. Accedit insuper mulieres praesertim majores, ac viduas non generatim perpetuae, sed ei tantum quam leges decreverunt, subesse tutelae, prout est quando agitur de contractibus ineundis. Verum ipsae liberam quodammodo rerum suarum administrationem habent, nec ipsa testandi facultas eis invidetur. Quod si reapse interdictum fuisset mulieribus judicio sistere proprio marte, idipsum lex expresse statuisset, prout idem cavit quoad pupillos, interdictos ac minores in §. 490 judiciariae praxis; « ibi » *I pupilli, gl'interdetti e minori saranno citati in persona o al domicilio de' loro curatori* ». Inclusio ergo unius fit alterius exclusio, nec lex prohibitiva ampliari valet ad effectum praesertim circumscribendi ultra casus expressos, cum ex diversis nulla fieri possit illatio, teste *Rota in Leodien. decimarum super novis attentatis* 20 *junii* 1785 §. 3 *coram Rigo, et in Alatrina Molendini super attentatis* 26 *novembris* 1756 §. 5 *cor. Stadion.*

§ 7. Et inutili nisu post haec praesidium quaeritabat comitissa Fossa ex §. 358 *num.* 2 judiciariae praxis adhuc vigentis, quae dum contulit in curias ecclesiasticas eorumque vicarios generales facultatem jus dicendi « *nelle cause meramente laicali fra meri laici* », statim conditionem adjecit illam « *purchè le parti vi consentano a forma della costituzione di Benedetto XIV* romanae curiae *nel* §. *Jurisdictionem vero* ». Qua de re non satis esse concludebat ut praestetur consensus, sed consensum esse a *partibus* praestandum « *a forma della costituzione di Benedetto XIV* » quae requirit ut ipsae partes sciant eum esse sibi judicem incompetentem, atque eae ab initio litis in actis sui competentis et proprii judicis coram duobus testibus expresse consentiant in jurisdictionem judicis ecclesiastici, quod in themate utraque pars neglexerat. Re namque sedulo et accurate introspecta visum est Patribus haec a summo Pontifice prae actore fuisse pro uno reo disposita. *Nullus* enim actor est actor invitus, ad tradita *per Justinianum in leg. unic. ut nemo invitus*, ac proinde voluntarius in episcopalem audientiam, prout comes instaurando peregit judicium, consensisse videtur. Istiusmodi enim solemne factum pro plusquam explicito consensu semper habuit supremus hic Senatus, veluti caeteris missis videre est articulo formiter discusso *in Interamnen. circumscriptionis et appellationis* 11 *maji* 1826 §§. 4 *et* 5 *cor. Grossi.*

§ 8. Ad rei vero conventi personam quod attinet, hoc voluit Pontifex, ut scilicet solemni illo ritu quem benedictina requirit constitutio, palam fiat caeteroque constet eam nec invitam, nec ignaram, ut plerumque usuvenit, fuisse raptam ad judicem, cujus poterat, si lubebat, ab jurisdictione declinare. Jamvero nec invitus nec ignarus, ceu evenit quoad comitissam in casu, haberi poterit ille reus qui ad judicem vocatus ecclesiasticum tot tantisque suis factis, ac omnibus seriis ita episcopalis audientiae jurisdictionem laudat, ut procul a quavis incompetentiae exceptione terminalem sententiam in definienda causa imploret. Quin imo nec contentus in litis sestu rei conventi partes agere, petitionem coram eodem ecclesiastico judice reconventionalem transmittit, ut actor ipse idem non invitus sed voluntarius fiat, atque ita supervacaneum reddat de benedictinae constitutionis formis vel quoad illam disputare. Desinat ergo mulier jurisdictionis defectum proclamare, sibique imputet prorogatam ecclesiasticae curiae jurisdictionem, quam tamen hodie incivile est adulti prorsus convellere. Quod enim semel placuit, amplius displicere non potest, neminique licet mutare consilium suum in alterius injuriam, *ad textum in leg. quod semel ff. de leg. jur. et in leg. Nemo potest ff. eodem.*

§ 9. Postremo viduae Stefanoniae nequidquam juvit in medium proferre sibi ignotam

esse juris regulam, non posse judices ecclesiasticos procul a consensu per partes praestando super laicis personis ferre judicium, nec non pro nihilo habendum proprium consensum, si qui tamen praestitus a se dici valet, quia cum ageretur de contrahendo, indigebat et ipsa antea praescriptis a lege solemnitatibus juxta censuram §. 52 codicis judiciarii. Juris autem ignorantia minime opitulari comitissae valebat; usm eam neminem excusare posse dogma in foro est pervulgatum, ac praesertim in hoc odiosissimo circumscriptionis themate. De legis insuper deductis solemnitatibus Patres mei prospexere ne verbum quidem ullum fieri in ipsa benedictina constitutione, ideoque lege non distinguente, nec aliis permissum est distinguere. Praeterea inutile prorsus visum extrajudicialem judicis desideraro auctoritatem, ubi solemnis ac judicialis intercedit persona, atque potestas illius et praecipuae ecclesiastici, quem prae omnibus sacri canones *in cap. super quibusdam de verb. signif.* renunciant viduarum protectorem atque patronum; idemque per ea quae scribit, confirmat *card. De-Luca de jurisdict. disc.* 115 *num.* 4, *aliique canonistae relati in Fagnan. in cap. significantibus num.* 6 *et seq. de offic. deleg.*, *ac demum Rota coram Litta apud Marsh. part.* 2 *fol.* 369. Atque ita etc. utrasque etc.

Die 10 martii 1848 « *Declaratio pro parte Franciscae Fossa viduae Stefanoni* ».

Procuratores — D. Bartholomaeus Belli — D. Franciscus Lasagni.

Prot. 159/1847 R. P. D. VICI Decisio CL.

PISAUREN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 3 *Februarii* 1848.

Argumentum

Disputatur de exceptione reijudicatae.

§ 1. Binae resjudicatae ortae ex consonis sententiis tribunalium commercialium Pisauri et Anconae damnaverant Antonium Pistoja ad solutionem binarum syngrapharum cambialium, quas ipse die 25 januarii anni 1845 signaverat favore Dominici Gennari spreta penitus exceptione non numeratae pecuniae adversus illas ab Antonio proposita, absolutoque Dominico a juramenti praestatione in probationem exceptionis ejusdem ei ab Antonio delati. Veluti ac si exceptionem illam ac juramenti praestationem minus recte resjudicatae rejecissent, restitutionem in integrum adversus alterutram earum Antonius a supremo Ordine nostro postulavit. Vindicata tamen illius justitia, extraordinarium remedium illud supremus Ordo denegavit, ceu constat ex *decisione* a me vulgata *die* 14 *januarii anni praeteriti*, quaeque confirmata fuit *in comitiis diei* 11 *martii ejusdem anni*.

§ 2. Hinc Antonius fere ac si de re integra foret, coram tribunali civili pisaurensi Dominicum in jus vocavit, eoque sub intuitu quod « *in giudizio ordinario si può produrre in via d'azione una eccezione non provata nell'esecutivo, ovvero messa in non cale, o rigettata per la qualità privilegiata dell'azione sommaria* », cambialesque syngraphas incusans uti « *appoggiate a falsa causa* », ab eo tribunali petivit ut decerneretur « *che non consta del debito dell'istante, e del credito a favore del Gennari risultante dalle dette due cambiali* », articulos etiam deferens testibus, quorum depositiones extrajudiciales exhibuerat judicibus consularibus. Nec profuit Dominico nullitatem novi hujus judicii coram tribunali civili petere, eo quod quaestio iterum coram eo excitabatur jam absoluta a rebusjudicatis; tribunal namque illud incidentalem instantiam in id ab illo propositam penitus rejecit. Tunc ad supremum nostrum Ordinem ille confugit, appositoque recursu circumscriptionem efflagitavit ob defectum materiae et jurisdictionis actorum omnium quae gesta fuerunt coram tribunali civili pisaurensi, rescriptumque propitium, Antonio jura sua nequaquam deducente, retulit in hodiernis comitiis, nempe « *circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali pisaurensi cum omnibus inde secutis ex de-*

fectu jurisdictionis, partes utantur juribus suis », munere mihi dato decisionem vulgandi.

§ 3. Et merito. « *Exceptio quippe reijudicatae (ut Julianus ait in leg.* 7 §. 4 *ff. de except. reijudicatae) obstat quoties inter easdem personas eadem res revocatur quamvis alio genere judicii* » Atque *de eadem re agere videtur et qui non eadem actione agat, qua ab initio agebat, sed etiamsi alia experiatur de eadem re* », ceu statnitur in *leg.* 5 *ff. eod. titulo.* Aperta binc legum censura prohibet no Antouius in jndicio nudius tertius a se instituto coram tribnnali civili pisaurensi litteras cambiales Dominico solvere recuset, earum veritstem et efficaciam denegando, ad quas eidem rependendas, illarum punctim veritate et efficacia cognita, resjudicata ipsum damnavit. Neque minime haerendnm unam eamdemque rem subjectum constituere tam judicii nunc ab Antonio promoti, qnam illius absolnti e rejudicata.

§ 4. Objectum namque judicii institnti corem tribunsli civili pisaurensi in eo punctim residet, ut *n*empe nullina efficaciae declarentur cambiales syngraphae eb Antonio favore Dominici signatae, ceu clarissime apparet ex illius jndiciali instantia, atque ex articulis testibus exhibitis. Nonne tamen, ut id punctim judices consnlares declararent Antonius ipsemet totis viribus curavit? Nonne ad id consequendum extrajudiciales testium depositiones exhibuit et decisorium juramentnm detulit Dominico? Quod si tunc coram judicibus consularibus syngrapharum cambialium veritatem in discrimen adduxit « *ob exceptionem non numeratae pecuniae* », hodie vero in discrimen adducit coram tribunali civili « *ob causae defectum* », nemo tamen non intelligit, unum idemque respicere utramque eam exceptionem, atque ad id unum fuisse unam alteramque propositam, ad effugiendam *n*empe litterarum cambialium solutionem. Quocirca dum utrnmque judicium super uno tantum subjecto versatur, ullo procul dubio nefas est Antonio specie novi judicii ad trutinam revocare quod a perfectissima rejudicata fuit definitum.

§ 5. Atqui incassum in libello a quo initium sumpsit judicium noviter institutum, contendit Antonius fas sibi esse efficaciam et veritatem syngrepharum cambialium iterum impuguare, eo quod in judicio ordinario vetitum *n*equaquam sit « *produrre in via d'azione una eccezione non provata nell' esecutivo, ovvero presa in non cale o rigettata per la qualità privilegiata dell'azione sommaria* ». Exceptionem namque non numeratae pecuniae in vim incidentalis instantiae ab Antonio propositam rejecerunt judices consulares minime quia haud satis probatam retinuerunt, vel quia extraneam a judicio executivo, sed rejecerunt e contra ob peculiares factorum circumstantias, quodque nullo in pretio eam haberi posse existimarunt adversus syngraphas cambiales clausulam praeseferentes « *valuta avuta* ». Hanc sane clausulam ejus ponderis retinuerunt judices ii, ceu apparet ex eorumdem sententiis, ut ipsa confessionem exhibens de pecuniis receptis labefactari nequiret ob exceptionem non numeratae pecuniae, et ob documenta ab Antonio qui confessionem eam ediderat, allata.

§ 6. Licet quidem in ordinario judicio in vim actionis exceptiones proponere in judicio executivo jam allatas, nequaquam tamen perpensas et cribratas, vel amandatas ad examen judicii ordinarii; id tamen evenire minime potest, si exceptiones ipsae fuerunt in judicio executivo perpensae et serins discussae, ast ob earnm inefficaciam omnino rejectae. Ite *post legem* 7 *ff. de compensat. quod in diem* §. *si rationem*, tradunt *Gabriell. commun. opinionum tit. de exceptionibus conclus.* 2 *num.* 12, *Scaccia de sentent., et reijudic. gloss.* 14 *quaest.* 2 *num.* 22, *Vincentius de Franchis decis. neap.* 289 *num.* 1, *Carol. Anton. De-Luca observat. ad dict. decis. per tot., sacrum Rotae tribunal cor. Molinee decis.* 1149 *num.* 1 *et seqq. in Comaclen. actionis hypothecariae* 15 *januarii* 1844 §. 8 *cor. rmo Muzzarelli decano*, et statnit *supremus noster Ordo in Ferrarien. injunctionis facultatum* 1 *febr.* 1827 §. 6 *cor. Grossi.* Fieri binc minime potuit quin Patres circumscriptionis gladio delenda esse mandaverint ex defectu jurisdictionis acta omnia gesta in judicio noviter ab Antonio instituto coram tribunali civili pisauriensi, quod nulla pol-

lebat auctoritate cognoscendi ac definiendi quaestionem jam absolutam a perfectissima rejudicata. Et ita etc. unica etc.

Die 30 martii 1848 « *Nihil, et extendatur decisio per R. P. D. Ferrari, et reproponatur* ».
Die 26 augusti 1848 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Franciscus Xaverius Borghi.

Prot. 167/1846 R. P. D. FERLISI Decano DECISIO CLI.

FERRARIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS VEL RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 17 Februarii 1848.

Argumentum

De electione domicilii facta ab alienigena in contractu expleto in ditione Pontificia — De foro competenti quoad obligationes ab alienigena in Pontificia dominatione contractas — De compensatione opposita per viam exceptionis — De requisitis castrensibus loco damnorum interpositis super credito canonum, pendente judicio devolutionis.

§ 1. Publicis solemnibusque tabulis anno 1832 Ferrariae obsignatis marchionissa Maria Aloysia Trotti De Bagno malo suo fato in subemphyteusim aut *subusum* Stephano Nagliati concessit latifundium amplissimum in Ariani insula apud venetos positum locique vocabulo nuncupatum « *Rivà* », pro annuo convento canone scut. 581 et obol. 40 in duplicem ratam diviso, tum speciali domicilio in ipsamet ferrariensi civitate a Stephano electo « *per tutti gli effetti del presente contratto* », adjectaque lege sese subjiciendi « *alla giurisdizione dei tribunali pontificj di questa città e legazione di Ferrara, non che in quelli di tutto lo Stato di sua Santità* », tum conventione partea inter inita quod « *mancando esso subusuario e suoi al pagamento dell'annua pensione sopra convenuta per tre rate consecutive* », liberum marchionissae foret devolutionem urgere, post novum tamen mensis spatium effluxum, quod uterque declaravit contrahens indultum emphyteutae censeri « *per ogni purgazione di mora che potesse competergli* ». Contractu vix celebrato morosum adeo sese praebuit Stephanus ut nedum pluries Aloysia obtinuerit ad reliquum canonem sibi debitum persolvendum eumdem damnari et incidentem compensationis petitionem ab eo propositam omnino rejici, verum ab anno insuper usque 1837 perpetuum etiam, ut ajunt, mandatum adversus eum impetraverit, quas caeterum sententias cunctas pacificum est in rem absolutissimam judicatam abiisse.

§ 2. Debitor hujusmodi nomine labente junio meuse anni 1843 Stephanus erat ad vim usque triplicis conventi canonis ratae, dum novas adhuc ab Aloysiae benignitate impetravit inducias, quas tamen non aliter nobilissima creditrix ei concessit, nisi conditione addita quod nuncium expressim ipsemet mitteret « *ai beneficj della purgazione di mora e dilazione di legge* ». Quibus aequissimis votis obsequens Stephanus privatam sub die 13 ejusdem mensis obsignavit syngrapham, qua et proprium confessus est debitum, et conceptis verbis spopondit « *di non chiedere alcuna dilazione, e neppure di affacciare la pretesa del beneficio della purgazione della mora* » si stata die effluxos canones Aloysiae religiose haud rependeret. Quum praestitam itaque fidem Stephanus haud servaverit, freta Aloysia tum pacti conventi legi in subemphytheuseos tabulis scriptae, tum superius memorate declarationi, apud ferrariensis collegii acta stetit et latifundii devolutionem acceptam solemniter habuit, sese in illius possessionem poscens redintegrari, quem sane actricis petitionem cum albo undique calculo ferrariense tribunal exceperit, novo etiam exploso praetensae compensationis commento quod ad devolutionis remorandam actionem in medium rursus coram juridicis iis Stephanus protulerat, ad bononiense appellationis collegium provocavit Nagliatius, actorum etiam omnium coram pontificiis judicibus gestorum nullitatem, sive eorumdem judicum incompetentiam, in extremo fere

causae exitu, ac post intima ejus merita diu acriterque discussa, declarari urgens.

§ 3. Utraque vero tam principe quam incidenti illius petitione rejecta Ariani praetorem adiit Aloysia, ab eoque obtinuit remjudicatam a pontificiis judicibus editam in veneta etiam ditione executioni committi. Haud animo tamen fracti Stephani filii qui interea temporis in defuncti patris haereditatem successerant, incompetentiae primam exceptionem coram pontificiis judicibus incassum initio propositam, ad Arianensem rursus detulerunt juridicum, ab eoque pariter rejecti, recursu de more interposito apud Ordinem nostrum institerunt postulantes vel acta cuncta coram ferrariensibus et bononiensibus judicibus gesta ex jurisdictionis defectu deleri, vel restitutionis saltem in integrum beneficium sibi concedi. Hodie vero causa proposita, quum vadimonium ii omnino deseruerint, rescriptum tulerunt Patres « *Nihil de circumscriptione et restitutione in integrum* », dato mihi munere decisionis vulgandae.

§ 4. Et quod ad circumscriptionem primum pertinet, ex solemnibus patebat tabulis Stephanum inter et Aloysiam signatis pro implemento pactorum omnium quae fuerant partes inter conventa, domicilium in ferrariensi civitate, ac potissimum apud aedes Josephi Mariae Zaniratti ELEGISSE Nagliatium. Si eum itaque coram ferrariensibus ad amussim judicibus appellavit Aloysia, nefas hercle erat eorumdem jurisdictionem ad causae opportunitatem in discrimen in praesens adducere. Scripta quippe lex est omnino aperta ac diserta in §. 446 *vig. cod.* quod « *il domicilio eletto nelle obbligazioni ed in altri atti pubblici o privati . . . . . si ritiene come domicilio reale all'effetto di determinare la competenza* ». Neque Stephani filiis vel leviter quidem proderat, sed in eos potius retorquebatur, quod oggeri forte ab iis potuisset, inter pontificios nimirum subditos recenseri nequivisse Nagliatium in veneto territorio degentem. Misso enim ex sanctione altera §. 427 *ejusdem codicis* cuilibet alienigenae impune licere domicilium in pontificia ditione caligere, talique pacto nostrorum tribunalium jurisdictioni sese subjicere, hoc inquam penitus misso, vel una sat erat obligatio in pontificia ditione a Stephano suscepta, ut procul etiam a speciali domicilii electione posset is, quamvis alienigena, coram pontificiis judicibus et in contractus praesertim foro, valide ac legitime in jus vocari, ita ferente §. 427 *praecit. cod.*

§ 5. Nil autem facessebat negocii fundum pariter, cujus devolutionem urgebat Aloysia, in veneto aeque territorio positum fuisse, quasi pontificiis haud liceat judicibus de bonis cognoscere sub aliena ditione jacentibus. Initio enim non realis sed *personalis* erat actio coram ferrariensi collegio in judicium deducta, adeoque aliena prorsus ab hodierna contentione erat id genus investigatio, quae non aliter quidem, nisi in actionibus tantum realibus locum sibi potest vindicare, unumque executionis respicit modum, quemadmodum perbelle docuit nostrum tribunal in *Ferrarien. circumscriptionis* 12 *februarii* 1843 §. 3 *coram R. P. D. meo Caracciolo Santobono.* Et re quidem vera nonnisi ex contractu Stephanum inter et Aloysiam inito caducitatis profluebat actio ab Aloysia proposita, neque alio insuper eadem tendebat, nisi ad meram ac naturalem latifundii possessionem recuperandam, quod interdictum exhibet retinendae vel recuperandae possessionis ad tradita *per Bartol. in leg.* 1 *num.* 17 *ff. uti possidetis, Menoch. de retinen. possec. remed.* 3 *num.* 22, *Fulgin. de divers. quaest. emph. qu.* 7 *num.* 1 *et seq.*, *et veluti definivit Rota in rec. dec.* 79 *n.* 3 *et dec.* 339 *n.* 1 *et seq. part.* 5 *rec.* Actiones autem cunctas quae ex contractu vel quasi contractu oriuntur, prout interdicta pariter singula quae non rerum respiciunt dominium, sed meram simplicemque earum possessionem, inter actiones tantum *personales* recenseri praeterit neminem, qui fori limina vix salutaverit, veluti apertissime *edocent. textus in leg.* 1 §. 3 *ff. de interdictis et* §. 1 *inst. de actionibus.*

§ 6. Praeterea nec melior quidem Stephani liberorum fieret conditio, licet de actione vel reali vel mixta ageretur in themate. Ex praxeos enim qua vivimus, lege, in actoris manet arbitrio actiones etiam id genus proprio lubitu experiri, vel « *avanti il giudice* o *tribunale nella cui giurisdizione è situata la cosa litigiosa, oppure avanti il giudice o tribunale del domicilio* o *dimora del reo* », veluti eadem ponderat praecitata decisio *Ferrarien. circum-*

scriptionis 17 *februarii* 1843 §. 2 *coram R. P. D. Caracciolo*. Quibus demum et illud accedebat gravissimum ac vere peremptorium, quod in nostrorum nimirum tribunalium jurisdictionem consensum suum numeris omnibus Nagliatius praestiterat, nefasque proinde ejusdem liberis in praesentiarum erat auctoris sui facto contradicere. Nedum enim in contractus tabulis solemni ritu is declaraverat sese convenire « *nella giurisdizione dei tribunali pontificj di questa città e legazione di Ferrara, non che in quelli di tutto lo Stato di sua Santità* », domicilio etiam in eadem civitate electo (quod caeterum alienigenis cunctis licere superius ostendimus), verum insuper penes ferrarienses judices vocatus ultro libenterque coram iis stetit, juraque sua ac monumenta exhibuit, reconventionali etiam, seu incidenti praetensae compensationis petitione proposita, quam tribunal idem penitus rejecit.

§ 7. Licet autem ab inimica ferrariensis collegii sententia ad bononiense appellationis tribunal ipsemet postea provocaverit, incompetentiae tamen exceptionem coram appellationis etiam judicibus in medium non antea protulit, nisi in novissimo causae periculo, sive post intima ejusdem merita diu acriterque discussa, assertumque proinde jurisdictionis defectum numeris omnibus jamdiu consanatum. Scitum quippe est ex gregoriano quo utimur codice, nullitatem id genus sanatam omnino censeri quoties « *la parte comparisce, e senza opporre l'eccezione di nullità produce documenti o difese relative al merito della causa* », teste §. 785 cit. cod. Quod sane romanorum etiam congruit jurisprudentiae. Nil enim in civili jure notius quam nemini licere fori praescriptione juvari, cui vel expressim, vel tacite nuncium antea miserit, veluti *post text. in leg.* 29 *cod. de pactis* communi calculo tradunt *Peretius in eod. lib.* 3 *tit.* 13 *num.* 13 *et seqq., Bruneman in comm. ad leg.* 29 *num.* 1 *et seq. cod. de transact.*, *et Barbosa collect. doct. in cit. lib.* 3 *cod. tit.* 13 *leg.* 1.

§ 8. Actorum autem validitate *tum* ex domicilii electione in ferrariensi civitate expleta contractusque tabulis in ea obsignatis, *tum* ex intrinseca instituti judicii indole, *tum* ex consensu demum in nostrorum judicum jurisdictionem a Stephano praestito numeris omnibus vindicata, in invitos cujuslibet oculos facile erumpebat rei editae judicatae justitia. Caducitatis siquidem actio adversus Stephanum ab Aloysia proposita, et a rejudicata probata apertissimae contractus legi nitebatur, qua nominatim fuerat partes inter conventum quod « *mancando esso subusuario o suoi al pagamento dell'annua pensione sopra convenuta per tre rate consecutive* », mensis vix spatio effluxo, impune Aloysiae liceret « *chiedere la consolidazione dell'utile col diretto dominio, ed espellerlo dal detto subuso* ». Casum autem hujusmodi reapse evenisse luculenter patebat ex solemni et amplissima ipsius Stephani confessione, quam incivile prorsus et propudiosum erat in discrimen adducere ejusdem haeredes in praesens conari. In privata enim syngrapha diei 16 junii 1843 non cubitalibus solum verbis declaravit Nagliatius quod « *stante le sofferte disgrazie si è avverato il suddetto patto, essendo in credito la lodata dama di tre semestrali rate scadute a tutta la scorsa santissima pasqua anno corrente* 1843 », verum in correspectivitatem insuper novae dilationis a nobilissimae foeminae humanitate tributae nuncium etiam misit cuilibet morse purgationis beneficio, spondens stata die integram summam Aloysiae debitam sese religiose numeraturum.

§ 9. Si obligationem itaque suam nullatenus postea implevit Nagliatius, nil equidem justiusre judicata quae caducitatis probavit actionem Aloysiae nomine propositam. Vel ipsa siquidem naturalis flagitat ratio, pacta conventa religiose ut ad unguem servari, ac pro judicatis confessos haberi *ad text. in leg.* 7 *ff. de pactis*, *leg.* 16 *ff. de rejudicata et leg.* 1 *ff. de confessis* ». Neque audiri quidem Stephani filii amplius merebantur dum gratuito asseverabant, ab anno 1833 majorem vectigalium quotam quam in contractus tabulis eorum reapse auctor suscepisset, fuisse ab eo persolutam, unde non leve eisdem creditum arguebant cum canonum debito ex legis ministerio compensandum. Ejusmodi siquidem primum exceptio cum diserta et explicita debiti confessione pugnabat anno 1843 ab ipsomet Stephano emissa, ac superius memorata, quae una hercle insuperabilem hodie obicem Ordini nostro praebebat quominus ullo in calculo exceptio eadem haberetur. Pugnabat ea insuper cum re altera judicata ab anno usque 1836 edita, quae simillimam compensationis exce-

ptionem ad canonum solutionem remorandam coram ferrariensi adsessore ab eodem propositam penitus rejecerat, Stephani petitione ad congruum sejunctumque judicium ablegata.

§ 10. Pugnabat demum cum factorum veritate legumque quibus vivimus, sanctione. Et quod ad factorum primum pertinet veritatem, cautum utique contrahentes interfuerat quod augmentum quodlibet taxarum, ex veteri tamen causa, sive ex aere alieno antea contracto derivans una marchionissa pene in posterum ex integro deberet. Verum nullum praesto erat novum et authenticum monumentum unde palam compertumque fieret, augmentum bujusmodi locum reapse in themate obtinuisse. Quin imo ex monumentis ipsis apud ordinarios judices exhibitis patebat vectigalia exacta integro labente decennio a Stephano persoluta summam una simul aequasse libellarum 2134 et ob. 23, sive annuam attigisse summam libellarum 213 et ob. 42, dum annua e contra eorumdem symbola ad diem initi contractus latifundium praegravans, et anno 1832 ab Aloysia persoluta, libellas 342 et ob. 26 complectebatur, secumque proinde non minorem quidem sed longe majorem pecuniae vim ferebat.

§ 11. Quod vero ad jus pertinet, praeterit neminem non aliter compensationem per incidens praesertim propositam, atque ex novis potissimum praxeos legibus excipi mereri, nisi creditum proferatur in medium omnino certum et liquidum, veluti cubitalibus scriptum est literis in §. 845 *et seq. vig. cod.* Quum assertum itaque Nagliati creditum in qualibet etiam hypothesi ei magis propitia, ex rationum penderet dispunctione, sive ex calculis super majori vel minori vectigalium quantitate adhuc subducendis, cum limpidissimo canonum debito compensari dubio procul nequibat. Eo autem minus erat censendum caducitatis postulandae juri valedixisse Aloysiam, dum damnorum loco castrensia requisita super canonum credito interposuit, ac devolutionis fervente judicio ea Nagliatio denunciari curavit. Neque enim mera simplexque id genus interpellatio cum devolutionis pugnat actione antea proposita, neque tacitam caducitatis remissionem inducere suapte indole valet, sed cum damnorum imo congruit reservatione tum in primordiali libello expressim adjecta, tum instituti judicii indoli apprime consona, ad tradita per *Mantica de tacit. et ambig. lib.* 22 *tit.* 27 *n.* 82, *et Fulgin. de caducit. quaest.* 15. Et si dubia etiam ancepsque res foret, non inde tamen jus esset Nagliatiis manifesta et expressa legis violatione deficiente, extraordinarium restitutionis in integrum beneficium sibi vindicandi. Et ita etc. unica etc.

Die 30 martii 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Franciscus Xaverius Borghi — D. Vincentius Binarelli.

Prot. 88 / 1846 — R. P. D. ARNALDI — Decisio CLII.

MACERATEN. CIRCUMSCRIPTIONIS ET RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 16 *Martii* 1848.

Argumentum

Post venditionis contractum cum innotesceret in eo per errorem comprehensa fuisse quaedam bona ad venditorem minime pertinentia, disputatur an in calculo laesionis de valore eorumdem bonorum ratio habenda sit.

§ 1. In ducatu camerinensi nonnulla numerantur oppidula « *Sefro, Pioraco, Fiuminata, Compattone* » montana loca, consita silvis, ubi pascendi ac lignandi jus ex immemorabili usu sibi vindicant incolae, ac fere omnia illa Fiuminatae et Compactonis directo dominio Apostolicae Camerae attinebant. Potissimam horum cameralium bonorum partem emptionis titulo acquisiverat Carolus Lori anno 1802, donec ex eadem familia Lori Petrus emphyteutico jure obtinuit « *tutti i suddetti residuali beni camerali esistenti nella tenuta di Fiuminata e Compattone* » annuo rependendo canone *scutatorum quinquaginta*, quemadmodum

anni 1804 solemnes tabulae testautur, adeo ut « *tanto nella vecchia quanto nella nuova mappa i beni intestati ai fratelli Lori ed a diversi particolari esauriscono tutta la superficie del territorio di Compattone* », ac silvestres inter alias hoc in territorio comprehenduntur vocabulo « *Oppago terre con boscaglie e sodi sassosi della superficie ed estimo di staja* 9741, *scudi* 687, 05», quae omnia simul in censu camerali erant inscripta, deinceps Lorii in suum censum retulerant.

§ 2. Jamvero cum omnia bona urbana et rustica municipiorum venui subjicerentur (ut notum est omnibus) pro communi omnium municipiorum aere alieno dissolvendo, exposita quoque sunt bona sefrani municipii, quod distinctum est ab altero Compactonis, quatuordecim millia fere passuum dissitum, quodque proprium disjunctumque habet territorium. Haec Sefri bona a nobili viro comite Antonio Foschi coempta sunt mense augusti anni 1821, in qua venditione fiscus taxative tradere declaravit « *un molino con diversi terreni annessi, provenienti dalla comune di Sefro delegazione di Camerino, posti nel territorio di essa comune sotto diversi vocaboli* ». Haec dum Romae fuerant conventa, Joseph Claudi agens cameralis in delegatione camerte habens prae oculis materialem descriptionem sefrani census, cujus in statu impressus erat terrarum numerus *a* 24 *ad* 403, inter quos *numerus* 42, ubi erant descriptae terrae illae omnes in vocabulo « *Oppago* » jam Loriis in emphyteusim datae, caecis oculis eas quoque interseruit consignationi, confusaeque tradere in possessionem enunciavit, prompteque comes universam illam descriptionem in suum retulit censum, suoque nomini idcirco etiam *Oppagi* terras inscripsit.

§ 3. Inutiliter tamen; nam dum a verbis ad factum ventum est, nullo prorsus facto eas Oppagi terras in territorio sefrano comperire datum est ei; novit eas possideri a Loriis qui canonem solvebant Camerae. Res ut ex novis documentis patuit, delata est judicio administrationis generalis, penes quam comes contendebat eas vel etiam *Oppagi* terras sibi fuisse adjudicatas, semel ac in censu sefrano erant inscriptae, atque ab agente consignationem accepisset, ac in suum censum contulisset. Mordicus re discussa constitutum fuit bona tantum venui data ei esse, quae in *territorio sefrano* comperirentur, minime unquam ea quae in *compactonensi*; sefrana non compactonensia in contractu venisse; et ea sefrana quidem quae a municipio locabantur annuo reditu scutatorum nonaginta, in quibus haud canon compactonensis comprehendebatur. Aperte erroneam esse inscriptionem illam in censu sefrano patet, quandoquidem decurio ipse Compactonis dominium Camerae declaraverat, inscribens anno 1776 jus tantum pascendi atque lignandi, erroremque forsan irreptum, quia eo tempore Sefrum caput loci erat jurisdictione non dominio, nec territoriorum confusione, insinuatumque censui Devoti, quique reapse tandem in novo gregoriano censu correctus est. Itaque conclusum est, uti erroneam inscriptionem, ita pariter erroneam nulloque habendam in calculo consignationem vel possessionem illam, et comitem Foschium « *non avere alcun diritto d'includere nel suo acquisto il canone di scudi cinquanta che si corrisponde dai signori Lori su i beni camerali esistenti nella tenuta di Fiuminata e Compattone da essi ritenuta* ».

§ 4. Tali pacto comitis minime reclamantis resoluta postulatione, accidit quod is camerali administratione « *de' lotti* » suscepta, sefrana illa bona ab anno 1821 coempta hypothecae subjecerit, et cum inter illa, correctione non gesta, terrae *Oppagi* adhuc perlegerentur in censu, ita in elencho hypothecatorum bonorum intrusae sunt. Ruraum manu regia perculsus ob solutionis debitae defectum, apparitor eam hypothecatorum bonorum descriptionem sequens, terras illas quae, ut dictum est, in censu Sefri apparebant *sub numero* 42, in executione manus regiae sub *numero* 50 designavit, totusque actus ad licitatores alliciendos ad hastam expositus est. Verumtamen Camera, dum ad actum venditionis ventum est, strictim enunciavit eam iniri super bonis « *posti nelle pertinenze di Sefro* ». Atque Zecchinius qui major extitit oblator, se emptorem declaravit « *de' fondi stabili posti nel territorio di Sefro* ». Sed error errorem parturiens, effecit quod cum actus deliberationis ad alterum executionis se referret, in quo etiam fundus ille *Oppago* compactonensis adnotabatur, ita integer actus nunciatus comiti pariter illum complecteretur, idemque evenerit in descri-

ptione acquisitionis suae a Zecchinio emptore in censu peracta. Ast veritas tamen est nunquam in possessionem illius ivisse Zecchinium; fere integrum Compactonis territorium possideri a Loriis; nil in eo possessum a Foschio; nil a Zecchinio; nunquam Foschium possessorem in eo territorio fuisse recensitum, ac nunquam Lorios in eorum possessione turbatos.

§ 5. Hoc in statu rerum comes Foschius in priori judiciorum sede emptionis peractae a Zecchinio, utpote ac si esset enormissimae laesionis vitio infecta, nullitatem postulavit, restitutionemque omnium fundorum ac redintegrationem ad possessionem. Peritiam obtulit extrajudicialem, qua vir peritus exponebat praevio sedulo examine « *al caso conveniente su tutti i fondi componenti le possidenze del signor conte Foschi conosciute e comprese sotto il territorio di Sefro* », eos omnes ad summam scutatorum 5073 pervenire, minime tamen reperto nec aestimato « *l'altro appezzamento num.* 50 *in contrada Compattone di staja* 9741 », ita idem ostendens in venditione fundorum in territorio Sefri, nonnisi per errorem comprehensum fuisse illum in alio dissito territorio positum, minimeque communitati Sefri pertinentem. Hinc de more peritos judiciales elegit tribunal, quibus commissum est opus de valore *quinquaginta sex* fundorum referendi juxta seriem in actu executionis concinnatam, in qua *numerus* 50 de fundis compactonensibus includebatur. Ast periti per accuratam inspectionem injuriam ab extrajudiciali perito de pretio patratam vindicantes, binas hypotheses proponebant. In altera valorem dabant *in scutatis* 2879, 80, in altera « *ritenuta per parte dei comunisti di Sefro la continuazione del diritto di pascere e legnare* », minorem exhibebant *in scutatis* 2112, 12 declarantes aperte « *non ostanti però le più accurate ispezioni fatte sulla faccia del luogo non si è potuto rinvenire l'altro appezzamento in detto editto di subasta num.* 50 *in contrada Compattone di staja* 9741 », reddentesque rationem « *dalle indicazioni avute, abbiamo potuto rilevare che non si godevano dal signor conte Foschi, come non si godono dal deliberatario signor Zecchini, ed è perciò che non sono state riportate nella presente descrizione* ».

§ 6. Cum neque ex uno, neque ex altero pretio in persoluta a Zecchinio summa scutatorum 1200 enormissima, ultra bessem, laesio prodiret, adeo praevaluerunt conatus comitis, ut tribunal novo decreto juberet peritis volentibus nolentibus, ad Compactonem accedere, rursumque referrent, habito etiam respectu ad fundos illos Oppagi. Hi suo satisfecerunt muneri, easque aestimarunt terras in *mille centum viginti septem scutatis et assibus* 88, quo valore rigidiori alteri scutatorum 2879, 80 adjecto, et sic insimul in scutatis 4007, 68 de enormissima laesione constare, nullam irritamque deliberationem fuisse, omnes esse reddendos fundos, redintegrationemque Foschio concedendam judices pronunciarunt. Appellationis tribunal etsi adversam opinionem fuse exposuisset, tamen sententiam paulo post, mutato consilio, edidit quae priorem confirmavit. In hanc autem remjudicatam Lorii fratres caput extulerunt pro deletione ex citationis defectu, cum praecipuum interesse in judicio habuisse contendant. Item ex parte altera Zecchinius circumscriptionem, vel saltem restitutionem in integrum praestolatur. Quoad Lorios in contemporanea fit sermo. Quoad Zecchinium, circumscriptionem respuere, haud vero restitutionem in integrum Patres censuerunt, edito rescripto « *Nihil de circumscriptione; in reliquis de causis sine praejudicio reijudicatae etiam quoad expensas* », commisso mihi munere, hoc in priore certamine, exponendi resolutionis fundamenta.

§ 7. Nullo fulcro circumscriptionis querelam fulciri ipse pene agnoscebat Zecchinius qui ad eam emendicandam jura decantabat aliena, ex citationis videlicet defectu remjudicatam delendam, eo quia Lorii de quorum jure agebatur, judicio vocati haud fuissent, sine citatione e propriis detrusi bonis, dum in haec ordinem redintegrationis Foschius abripuerat. Sed aliena praeponens jura, frustra laborat, eoque suo deficit, cum jura sibi adscribit aliena, ex regula omnibus nota, de alieno jure excipere licere nemini.

§ 8. Verumtamen cum ad assequendum beneficium restitutionis in integrum duo requirantur, vel de novo edita authentica et decisiva documenta quae rei evidentiam adversus remjudicatam ostendant, vel ut edoceantur jusdicentes aut praetermisisse aut sprevisse et con-

culcasse vigentem aliquam legem (ut saepissime dictum est), dices porro evidentissimam esse reijudicatae injustitiam, quae mensuram laesionis, comprehensis quoque terris *Oppago* in territorio Compactonis jacentibus, suscepit, dum ex novis atque authenticis documentis comperitur terras illas neque Foschio attinuisse, neque a Zecchinio acquisitas, vel in deliberatione comprehensas dici potuisse. Quid magis absurdum? Quid iniquius? Semel ac sciunt qui nil sciunt, laesionem ex contractu, ac ex iis in eo *vere contentis* esse metiendam, non ex uno alteroque defectu, vel erroneitate quae forsan obtigerit, ad *textus in leg. fundi partem ff. de contrah. empt., leg. si venditor in fin. ff. de serv. expor., leg. penultim. ff. de haered. vel act. vendit., Surd. cons.* 217, *Rot. decis.* 248 *numer.* 12 *part.* 11 *et decis.* 408 *numer.* 12 *recentior.*

§ 9. Porro luce clarius apparuit congeriem illam terrarum in territorio Compactonis, licet ipsae sub *numero* 42 in censu Sefri, atque in actu executionis sub *numero* 50 designatae fuerint, nihilominus nullo pacto pertinuisse comiti Foschio, neque ullam illarum unquam possessionem eum obtinuisse. Porro ex resolutione cameralis administrationis cui comes postulationem porrexit, constitit eas terras ex anno 1804 in emphyteusim annuo scutatorum quinquaginta canone Loriis fuisse adscriptas, Foschium anno 1821 non alia coemisse bona quam communalia Sefri et descriptionem illam in *numero* 42 census sefrani erroneam esse, et idcirco Foschium « *non aver alcun diritto includere nel suo acquisto il canone degli scudi* 50 *che si corrisponde dai signori Lori sui beni camerali esistenti nella tenuta di Fiuminata e Compattone* », atque erroneam illam iscriptionem consignationemque gestam, corrigendam esse. « *Si conclude adunque che per ratificare l'errore in cui è incorso il signore ingegnere Giuseppe Claudi, occorre indispensabilmente riformare il citato processo verbale conferito al signor conte Foschi escludendo l'estimo di sc.* 687, 05. Quem errorem idem comes agnovit, factoque probavit conveniendo alios reperire fundos, si qui forsan essent, qui Sefri municipio attinuissent; et reapse nec recognitionem dominii postulare, nec quid ultra urgere est ausus in Lorios qui canones pontificio aerario rependere porrexerunt. Quid ad rem ergo si quod Compactoni spectat, legatur erronee in censu alieno? Quid si quod ab agente denunciatum fuit, etiamsi possessio sit data, comes in suum censum inscripserit? Errore detecto, ab eoque ipso Foschio recognito, ea omnia luxuriant, abeunt in inania, pro nihilo habenda sunt; non enim quae sunt erronea veritati nocent, vel illius substantiam immutant. Haud quidem possunt efficere quod comiti Foschio dominium et possessio sit tradita quae, ut ipsi contrahentes fateri debent, nonnisi quam super erroneis enunciationibus, tamquam in arena sine calce fundatur. Errore recognito, manet innocua veritas, cui falsa demonstratio immutare nequit substantiam, ad *leg. error facti, et leg. cum falsa c. de jur. et fact. ignorantia.* Nullum infectumque redditur quidquid actum dictumque sit adversus detectam veritatem, ad *leg. de aetate ff. de interrogat. act.* Exulat enim consensus et voluntas et causa obligandi ipsaque confessio, cum nil magis voluntati et consensui repugnat, quam error. *Leg. hoc ita ff. de acq. pluv. arcen. leg.* 12 *confession. ff. interrogat. act., Post. de manuten. observ.* 67 *num.* 47, *Fusar. consil.* 169 *num.* 113.

§ 10. Influunt haec eadem in caetera. Objicitur Cameram pro tutamine administrationis locticae delatae comiti Foschio hypothecam super ipso fundo suscepisse. Ast in primis recte consideranti statim occurret id obtigisse ex communi culpa, eo quia correctio illa in censu prompte, ut decebat, gesta non fuit. Sed hic correctionis defectus haud quidem abstersit errorem ab ipsis contrahentibus agnitum qui probatus, erat corrigendus. Itaque evanita illa remansit inscriptio, quandoquidem exploratum est hypothecam contrahi nullam super fundo ab exhibitore non possesso. Error inficiebat actum ipso jure, et correctionis omissio negligentiam sapit, haud vero errorem tollit qui manet jugiter, donec corrigatur. Advertendum praeterea hypotecae subjectam fuisse totam illam fundorum seriem a *numero* 42 *ad* 403, in quo partes ipsae sciebant fundum *Oppago* non attinere Foschio, neque ab ipso possideri, sed a Loriis; quo casu dicendum, quod utile per inutile vitiatum haud esset; inutile vero ex partium cognitione in causa nullitatis suae permaneret, cum nulla fraus in re jam praecognita concipi possit.

§ 11. At enim apparitor dum manum regiam executioni tradidit, fundum *Oppago sub num.* 50 in executione comprehendit; item in elencho distrahendorum ad bastam, etiam ille numerus ad licitatorum aemulationem excitandam renuntiatus, acclamatusque est. Praetermisso quod eodem istbaec errore infecta sint, et apparitorem nil aliud secutum, quam illam erroneam descriptionem adhuc incorrectam; nam ex novis documentis patet Compactonem quatuor super decem millia passuum dissitum a Sefro, ubi ea transcripta fuerat, illum pedibus ne attigisse quidem. Sed id spectandum unum in hoc de laesione dissidio, quid vere ac substantialiter deliberatum fuerit, quid reapse deliberator Zecchinius sit assecutus, haud quid erronee expositum conclamatumque sit. Sane hi quos revera fiscus bastae subjecit fundos taxative fuerunt « *posti nelle pertinenze di Sefro* ». Ac licet adjectum fuisset « *oppignorati a carico del medesimo signor Foschi* », ita ut includere Compactonem viderentur, ac licet praeterea sequendo erroneam descriptionem executionis Foschio nunciasset, deliberata omnia bona oppignorata illi fuisse, inter quae aderat *numerus* 50, ac inscriptionem in censu peregisset, veritas tamen est nullam in terris illis realem possessionem coepisse, neque ullam ad eas assequendas actionem habere cognovisse. Nam licitationi fuerunt adscripti « *i fondi stabili posti nelle pertinenze di Sefro* ». Strictim oblatio edita est. « *Ha offerto in tutti i terreni soggetti al comune di Sefro* ». Demum utpote oblatori utiliori, deliberati fuerunt « *i fondi posti nel teoritorio di Sefro* ». Ibi terras quae in *numero* 50 enunciabantur reperiri haud posse, ratio docet ipsa ex diversitate territorii, ut periti vel etiam judiciales testantur. Ad hasce obtinendas nullam se habere actionem Zecchinius professus est; nam de fundis sefranis non compactonensibus emptio venditio processit, eaque fuit contrahentium intentio; quandoquidem terrae compactonenses supponi bastae nec potuissent, sed canon a Loriis debitus.

§ 12. Quid jamvero ad haec fundamenta reijudicatae evellenda recolere principia illa juris; rem alienam emi vendique posse, in judicio laesionis exulare quaestionem dominii, cautum evictione emptorem esse, ac licet res ei tradita adhuc non sit, habere actionem, quod idem est ac rem habere? Corruant oportet argutiae falso fulcitae supposito. Non enim rem alienam venditam emptamque fuisse in comperto est, semel ac de fundo compactonensi haud convenisse contrahentes consentiunt; nec erroneae enunciationes, sed quid vere actum, quid efficaciter secutum sit attendendum. Quid in hoc themate evictionis cautio? Quid idem habes rem ac actionem, dum emptor nec rem nec actionem habere profiteatur? Rursum in laesionis judicio quaestionem dominii repelli, quia ut arguunt doctores, ex ipso venditionis actu satis dominium venditoris probatur; sed, ut in doctorum controversia recte concludit *Andreolus allegat.* 390 *num.* 71, *dummodo tamen ab emptore diversimode non probetur*. Cum igitur ex novis allatis documentis eluxerit comitem Foschium omni plane dominio ac possessione in fundis Oppago in territorio Compactonis destitutum esse, ac neque irreptos errores rei veritatem immutare valuisse, evidenti injustitia in metienda laesione fundorum illorum pretium inclusum est, quos emptor non habuit, neque ad eos assequendos ulla ei praesto actio est, neque dolo protendi a comite poterat quod suum non esse idem agnoverit.

§ 13. Ad haec Patres sedulo cuncta rimantes addebant, ex ipso reijudicatae tenore manifestam apparere injustitiam. Quippe judiciales periti in priori hypotesi « *fissarono quelli beni nell'atto dell'aggiudicazione portando il prezzo a scudi* 2879, 80 » in altera « *in quanto alla continuazione del diritto attivo di pascere e legnare a favore de' comunisti lo ridussero a scudi* 2112 », de quo pascendi lignandique jure professus fuerat ex anno 1776 compactonensis decurio, et in censu adnotaverat. Probari siquidem prior ratio haud poterat nisi constitisset apprime deliberationis tempore de eo jure non subsistere. Quo non cognito metitior erat laudanda relatio in sc. 2112, cui etsi debuisset addi pretium fundorum *Oppago* in sc. 1200, integra tamen summa in scutatis 3312 enormissimam ultra bessem laesionem non attigisset, ut facili calculo notum cuique esse potest. Evidentia facti hujus evidentem in apertam legem ostendit offensionem, potissimum cum dogma sit laesionem ex indubiis ac ipsa meridiana luce clarioribus probationibus ostendi debere, adeo ut in dubio semper pro firmitate et validitate respondendum, eo

fortius dum agitur de rescindenda venditione solemnitate publicae licitationis confecta, ut post *Pinell. ad leg.* 2 *c. de rescin. vendit. cap.* 1 *num.* 12, verba fere sunt ipsa *sac. Rotae in Anconitana laesionis* 2 *maji* 1816 §. 2 *cor. emo Bofondi.*

§ 14. Quapropter cum manifesta redundare injustitia remjudicatam in comperto fuerit, extraordinario restitutionis in integrum remedio, quod ad veritatis praesidium institutum est, Zecchinio ferendam opem Patres censuerunt. Atque ita etc. utraque etc.

Die 25 maji 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Achilles Sironi — D. Petrus Proja.

Prot. 135/1847 R. P. D. ARNALDI Decisio CLIII.

MACERATEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 16 *Martii* 1848.

Argumentum

Cum in judicio laesionis ad eam metiendam comprehensum fuerit pretium fundi tertio pertinentis, hic actorum petit circumscriptionem ex defectu citationis.

§ 1. Cum per remjudicatam novissent Franciscus et Carolus fratres Lori, de laesione enormissima emptionis ad bastam fundorum municipio Sefri spectantium a Vincentio Zecchinio peractae judicium latum fuisse, atque in pretio ad laesionem dimetiendam constituto, inclusum fuisse pretium terrarum *Oppago* in territorio Compactonis emphyteutico jure sibi pertinentium, et ab anno 1804 pacifice possessarum, pro quibus etiam mandatum de redintegrando actor Foschius obtinuisset, supremo Ordini recursum exposuerunt pro circumscriptione actorum gestorum tam in prima sede coram tribunali Camerini quam Maceratae in provocatione, ex citationis defectu, cum de eorum ageretur proprietate, ex qua ejicerentur sine ulla defensione. Sed supremus Ordo undique re perspecta, prout ex coeva decisione resultat, querelam dimittere rescripto « *Nihil de circumscriptione, in reliquis utatur jure suo* » arbitratus est, mihique datum resolutionis rationes evulgandi.

§ 2. Etsi enim cautum, quo vivimus adhuc, codice §. 1046 « *Un terzo che aveva interesse principale nella causa e che non venne citato può domandare l'annullamento degli atti e sentenze che ledono i suoi diritti* », nihilominus perpendebatur actionem a Foschio promotam pro laesione deliberationis a Zecchinio obtentae, non inter alias personas observari debuisse, quam inter ipsum emptorem ac venditorem, quo in judicio minime coactus esse poterat Foschius evocare Lorios, qui nullum prorsus super validitate vel invaliditate deliberationis illius jus haberent. Cum ergo in negotio principe, atque ab iis aliena disputatione, praecipuo essent jure destituti, non ea oritur circumscribendi ratio, quod in jus vocati haud sint, cum reapse in jus vocari haud debuissent. Centies dictum definitumque est, jure deleri ex citationis defectu acta debere, quando evocandus praecipuo potiretur jure, non secundario, vel incerto et quod incidenter prosiliret.

§ 3. Satis ergo cautum Loriis esse existimatum est restitutione in integrum Zecchiniis elargita, cum nimirum ob causam, quia non secus ac si terrae illae *Oppago* in territorio compactonensi jacentes ac Loriis spectantes, atque ab ipsis possessae; Foschio attinuissent, ac reapse in deliberatione comprehensae fuissent, resjudicata per summam injuriam constituerit. Apertum est rem in alios actam nocere ipsis non potuisse; sed tamen salutarem clausulam « *et in reliquis utatur jure suo* » adjicere putarunt Patres, ut Lorii ea exerceri omnia judicia valeant quae vel ad tutanda vel vindicanda eorum quaevis jura leges praescribunt. Et ita etc. utraque etc.

Die 25 maji 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Antonius Vassolli — D. Achilles Sironi.
D. Petrus Proja.

Bononien. Unionis Causarum

Jovis 16 *Martii* 1848.

Argumentum

Quaenam requirantur ad constituendam litis pendentiam — De qualitate judicii instituti super validitate oblationis realis — De juribus conductoris quoad restaurationem rei locatae et pensionum retentionem — De identitate personarum quae requiritur ut judicia uniri valeant.

§ 1. Latifundium sub vocabulo « *Mazzolara* » in bononiensi territorio situm vir princeps Felix Bacioccbi locato conducto dedit die 4 octobris 1840 advocato Antonio Rusconi et Dominico Maldini, ita tamen ut contractus per duodeviginti annos duraturus initium a mense novembris 1842 numero deberet, atque annua responsione constituta in vim scutatorum 20000, duodecim menstruis ratis scut. 1666, 66, 6 persolvenda. Plures ad oryzam expurgandam areae in latifundio reperiebantur, inter quas aderat « *l'aja delle Bagnare dietro la via delle Cavalle* », quae utpote inservibilis tradita et accepta expressim fuit pure et simpliciter, nulloque adjecto refectionis aut constructionis a locatore perficiendae onere. Caeteras vero areas reficiendi atque eodem in statu quo tradebantur, servandi obligationem sibi conductores sumpserunt, cuilibet impensarum refectioni apertis verbis valedicentes.

§ 2. Res per quinquennium bene cessit, menstruae pensitationes a conductoribus diligenter expletae, quaelibet conventio religiosissime servata. At mense junii superioris anni 1847 pensionis solutio detrectata fuit, et quum comes Napoleon Camerata Bacioccbi qui interim locatori successerat, eamdem postulaverit, protestationem advocatus Rusconi alter ex conductoribus emisit, vi cujus quadam periti declaratione fretus autumabat jus sibi esse summam scut. 2200 pro dictae areae « *delle Bagnare* » reconstructione retinendi. Contraria autem protestatione a creditore emissa, judicium coram prima bononiensis civilis tribunalis aula Rusconius instituit ut comes ad aream reconstruendam adigeretur, utque interim sibi praedictam scut. 2200 summam retinendi jus esse declararetur. In argumentorum et probationum quae hinc inde afferebantur, conflictu, interlocutoriam sententiam judices edidere judiciali perito mandantes ut ad loci faciem accedens de singulis circumstantiis ad causae definitionem pertinentibus referret.

§ 3. Interea alter mensis, julius nempe ejusdem anni, effluxerat, pro quo pariter pensionis solutio detrectata est. Sed Rusconius ut solutionis inadimplementum aliquo colore obumbraret, ad realem oblationem non scut. 3333, 33, quot ex binis pensionibus rependi debuissent, sed scut. dumtaxat 1133, 33 procedere cogitavit, deductis videlicet praedictis scut. 2200, quae sibi retinenda esse ob controversam areae reconstructionem contendebat. Hac oblatione per creditorem recusata, duplex judicium una eademque die 5 augusti institutum fuit, alterum coram memorata prima bononiensium judicum aula a creditore instauratum pro mensis julii pensitatione obtinenda, alterum vero a Rusconio coram novis judicibus, scilicet coram secunda ejusdem tribunalis aula promotum, ut oblationis validitas decerneretur. Putavit porro Rusconius causarum unionem atque avocationem locum obtinere posse, atque eadem die recursum interposuit, promota dein relativa apud supremum nostrum tribunal instantia. Ast perperam. Ipsius quippe petitionem hodierna die PP. rejecerunt rescripto « *Nihil* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 4. Et merito quidem ita decisum est tum ob extrinseca, tum ob intrinseca rationum momenta. Atque praeprimis ob extrinseca. Constabat enim judicium pro solutione pensionis mensis julii institutum fuisse die 5 augusti 1847, atque eadem die interpositum a Rusconio fuisse recursum pro causarum unione. Causa itaque avocanda nondum pendens dici poterat, quo tempore recursus interponebatur, quum citationis judicii introductivae ad acta delatio, quae una litis pendentiam constituere valebat, die dumtaxat 11 ejusdem mensis expleta —

creditore fuerit. Quominus itaque causa nondum pendens uniretur atque avocaretur impedimento erat vigentis praxeos §. 1052 qui ita cavet « *Non è ammissibile il ricorso per l'avocazione o riunione delle cause . . . 2. Quando la causa da avocarsi o riunirsi non sia pendente* ». Nec rem mutabat superventa postmodum litis pendentia, quia non ex postfacto dijudicandum erat, sed habito respectu ad tempus interpositi libelli. Nec etiam oberat quod idem Rusconius recursum interjicens copiam citationis super pensionis solutione apud acta detulerit, quum litis pendentia non a libelli copia, sed ab ipso originali apud acta ab actore producto dumtaxat constituatur.

§ 5. Sed multo magis petita unio deneganda erat ex intrinseco. Scriptum enim legitur in vigentis codicis §. 1052 « *Non è ammissibile il ricorso per l'avocazione e riunione delle cause . . . 4. Quando avuto riguardo alla circostanza ed alla qualità dei giudizi rispettivi, si riconosca che il ricorso è diretto ad impedire o ritardare il corso dell'uno e dell'altro* ». Jamvero constabat in themate ob id ad amussim unionis recursum interpositum fuisse, ut solutionis judicium longius, quo fieri posset, protraheretur. Nulla enim aderat ratio propter quam Rusconius de realis oblationis validitate judicium coram secundae potiusquam primae sectionis aula institueret. Et sane licet dignosci nequiret quodnam ex binis judiciis, quorum unio postulabatur, anterius dici posset, quum utrumque eadem die 5 augusti institutum fuisset, quia tamen in veteri controversia super areae reconstructione ac summae scut. 2200 retentione jam antea Rusconius primam sectionem adiverat, in posteriori etiam judicio super oblationis validitate camdem adire debuisset. Ita enim egerat creditor qui pro mensis julii pensione obtinenda non novum tribunal, sed illud idem adivit, ad quod Rusconius ipse convolavit. Atque eo vel magis coram prima sectione causam super oblationis validitate instituere conductor debuisset, quia ab exitu judicii super retentionis jure quod coram eadem conductor ipse instauraverat, omnino pendebat judicium de oblationis validitate aut nullitate ferendum, quum eatenus oblatio valida fuisset, quatenus retentionis jus ei competiisset. Patebat igitur nullam aliam ob causam ad alios judices in posteriori quaestione eumdem convolasse, nisi ut viam sibi sterneret recursui pro causarum unione, prout revera eadem die 5 augusti interposuit, atque idcirco ita ipsum egisse ut executivum solutionis judicium longius quo fieri posset protraheret.

§ 6. Obstabat praeterea diversa causarum indoles ac natura. Judicium siquidem pro mensis julii pensitatione executivum erat ac summarium, utpote stipulationi evidentissimae innixum. Judicium e contra super oblationis validitate altiorem indaginem requirebat, atque ordinaria dumtaxat methodo absolvi poterat. Nam licet in legis §. 1641 inter causas summarie absolvendas illae etiam recenseantur quae oblationis validitatem respiciant, id tamen intelligendum est quoties haec quaestionem peculiarem, distinctam et ab alia minime dependentem constituat. At longe aliter res in themate se habebat. Non enim oblationis validitas distinctam atque separatam quaestionem praeseferebat, sed adeo a primo judicio super areae reconstructione ac retentionis jure pendebat, ut nihil in ea definire liceret, nisi prius dijudicaretur retentionis jus conductori revera competere. Jamvero primum istud judicium summarium profecto dici nequibat, sed e converso valde implexum et difficultatibus plenum esse constabat, atque per plurimas indagines definiendum, quia dijudicari debebat num ad aream reconstruendam locator teneretur, licet eadem ipso contractus tempore tamquam non servibilis tradita et acrepta expressim fuerit, et licet in conventione sibi onus conductor sumpserit areas reficiendi et servandi eo in statu quo illas acceperat, omni indemnitatis jure penitus excluso. Quare factum est ut judicialis etiam peritus electus fuerit, qui ad loci faciem accederet, deque singulis rebus referret. Nec aliter dicendum erat de posteriori judicio super oblationis validitate, quum hoc esset cum illo ita connexum atque dependens ut posterius absque praecedentis judicii definitione dirimi omnino nequiret.

§ 7. Quibus etiam accedebat evidens retentionis injustitia, quia licet admitteretur locatorem ad aream reconstruendam teneri, non ex hoc jus fuisset conductori praeteritae pensionis retentioni. Non enim agebatur de locationis contractu, cujus terminus

jam effluxisset, perinde ac si oulla cautio conductori superfuisset si pensiones elapsas retioere ipsi non licuisset. Sed agebatur e converso de contractu adhuc per tredecim fere annos duraturo atque idcirco de eo, cui maxima de obtinenda indemnitate securitas erat, quia admissa etiam arese a locatore reconstruendae necessitate, potuisset Rusconius super futuris pensionibus sibi prospicere, etiamsi praeteritas rependisset. Nisi quod alia etiam animadversio retentionem excludebat, conductori nempe non licere petitum opus propriis sumptibus conficere, ac pensionem retinere, antequam per remjudicatam praefinitus non esset locatori terminus pro reconstructione perficienda, quo dumtaxat inutiliter elapso, conductori et opus propriis impensis exequendi et pensiones retinendi jus fuisset.

§ 8. Demum deerat litigantium identitas quae omnino requirebatur ad hoc ut judicia uniri valerent, qoia solutionis judicium non adversus Ruscooium tantummodo, sed contra Dominicum etiam Maldinium alterum ex conductoribus institutum fuit, dum e converso in judicio super oblationis validitate unus Rusconius actor reperiebatur. Quoquoversus igitur res inspiceretur, petitae unioni locum fieri non posse patebat. Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicante decisum est.

Die 6 julii 1848 « *Eidem primae sectioni tribunalis civilis Bononiae in statu et terminis quoad omnes et omnia, et extendatur decisio per R. P. D. Lippi, et reproponatur* ».

Die 24 augusti 1848 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Aloysius Briganti — D. Bartholomaeus Belli.

Prot. 159/1847 R. P. D. FERRARI Decisio CLV.

PISAUREN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 30 *Martii* 1848.

Argumentum

Quaeritur an et quando super exceptione opposita in judicio executivo resjudicata oriatur et an hujusmodi resjudicata litis ingressum super eadem re impedire valeat — Disceptatur praeterea de indole exceptionis reijudicatae, et an judex ordinarius exceptionem ipsam cognoscere possit, eamdemque reservare ad tempus quo sententiam ferat definitivam.

§ 1. Postquam nostrum tribonal restitutionem in integrum a duabus rebus judicatis denegaverat quibus Antonius Pistoja damnatus fuerat ad duas collybisticas litteras Dominico Gennari persolvendas, incidentali rejecta instantia, qua ut debitor evinceret pecuniam numeratam non fuisse, creditori juramentum litis decisorium detulerat, hic judicium ordinarium coram tribunali civili Pisauri instituit petens ut decerneretur « *che non costa del debito dell'istante Pistoja, e del credito a favore del Gennari risultante dalle suddette due cambiali datate li* 25 *gennaro* 1845, *essendo appoggiate a falsa causa e perciò nulle e di niun effetto* ». Actorum circumscriptionem tunc Dominicus coram adito tribunali proposuit, contendens quod sicuti exceptio non numeratae pecuniae a rejudicata exploss fuerat, ita amplius proponi non potuisset; sed semel iterumque circumscriptione rejecta et propria competentia declarata, recursum apud Ordinem nostrum interposuit, quo postulavit omnium actorum deletionem quae coram tribunali Pisauri gesta fuerunt. Vadimonio in comitiis diei 3 februarii labentis anni ab Antonio deserto, rescriptum fuit « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali pisaurensi cum omnibus inde secutis ex defectu jurisdictionis, partes utantur juribus suis* » uti patet ex decisione R. P. D. mei Vici ad eam diem latae. Renovato hodie certamine, et Antonio jura sua viriliter deducente, rescriptum prodiit « *Nihil* ».

§ 2. Nam pacificum erat quod tribunal Pisauri ratione tum personarum, tum valoris

litis, tum materiae jurisdictione pollebat ad litem super nullitate litterarum collybisticarum inter Antoninm et Dominicnm dirimendam; sed totus in eo rens conventus erat ut contenderet litis ingressui impedimento esse res judicata, qua ad easdem litteras persolvendas Antonio damnato instantia rejecta fuerat, in eum finem promota ut pecnniam numeratam non fnisse evinceret. At PP. perpendebant liberum esse actiones edere; sin vero super eis judicatum fuerit, bujusmodi investigationem a tribunalibus ordinariis suscipiendam esse. Simul enim haec inspici valent, an idem corpus sit, quantitas eadem, idem jus, an eadem causa petendi, et eadem conditio personarum, quae omnia concurrere debent, ut reijudicatae exceptio dari possit; secus enim alia res est *ad text. in leg.* 12, 13 *et* 14 *ff. de re jud.* Quae omnia sicuti pertinent ad jurisdictionem ordinariam, ita ad eam pertinere quoque debet decernere, utrum judicatum fuerit, *ad text. express. in leg.* 1 §. 4 *de liberis exhiben.*; « ibi » *Pari modo si judicatum fuerit non esse eum in potestate, etsi per injuriam judicatum sit, agenti hoc interdicto objicienda erit exceptio reijudicatae, ne de hoc quaeratur, an sit in potestate, sed an sit judicatum* ». Zoes *comment. ad lib.* 44 *tit. de except. reijudicatae num.* 2, *Donnell. comment. jur. civil. lib.* 22 *cap.* 5 §. 3 *num.* 5 *edit. Maceratae.*

§ 3. Et optimo sane jure. Nam exceptio reijudicatae nihil prorsusque nihil differt ab exceptionibus transactionis, praescriptionis, jurisjurandi, non numeratae pecnniae. Jam vero exceptiones istae litis ingressum certo certius non impediunt. Leges enim potestatem judicibus dant inquirendi de viribus transactionis, praescriptionis, jurisjurandi et veritate vel falsitate numeratae pecuniae. Ratio igitur inveniri nequit ob quam judex non possit exceptionem reijudicatae ad examen revocare, ut cognoscat utrum judicatum nec ne fuerit. Una quaestio quae inter doctores agitur, in hoc posita est, utrum nimirum judex possit exceptionem hanc reservare ad tempus quo sententiam definitivam ferat; quam quaestionem distinctione dirimunt. Aut apertissimum est super mota lite remjudicatam exortam esse, et tunc super exceptione illico sententia ferenda est, aut obscurum, et tunc judicium differri valet ad tempus ferendae sententiae super merito. *Cancer. variar. resolut. part.* 3 *cap.* 17 *numer.* 3, *Carleval. de judiciis lib.* 1 *tit.* 2 *disput.* 5 *numer.* 3, *De-Franchis decis.* 289 *numer.* 3.

§ 4. Si igitur tribunalia decernere possunt an judicatum sit, resjudicata litis ingressum minime impedit. Resjudicata id efficit ut contra id quod judicatum fuerat, judicium ferri nequeat. Quam juris regulam mirifice probat integer digestorum titulus de *exceptione reijudicatae;* in quo titulo quot leges referuntur, tot finguntur casus in quibus aliquid contra remjudicatam petitum fuerit. Jurisconsulti vero respondent actorem exceptione reijudicatae *submovendum esse.* Res igitur judicata non impedit litis ingressum, impedit tantum quominus contra eam judicetur. Rite itaque recteque judicium institutum fuit coram tribunali Pisauri; rite itaque recteque judices illi propriam competentiam declararunt ut cognoscere possent, utrum reijudicatae quaestio coram eis promota jamdiu definita fuisset.

§ 5. Si judex ordinarius exceptionem reijudicatae cognoscere nequivisset, nemo esset qui super ea judicium ferre posset. Nam inter facultates supremo nostro tribunali tributas illa certo certius non recensetur identitatem investigandi, quae inter novum judicium et veterem remjudicatam intercedere potest; quin imo facultas ista apertissime declaratoria lege diei 3 septembris 1836 tribunalibus ordinariis tributa fuit; « ibi » *Appartiene ai tribunali esclusivamente il conoscere sull'esistenza della cosa giudicata, o sopra qualunque altra eccezione che potrebbe rendere inammissibile la istanza* » et rursus « *qualunque eccezione desunta o dalla cosa giudicata o dalla perenzione dell'appello dedotta o non dedotta non dà luogo a ricorso per annullamento al tribunale supremo di Segnatura. I ricorsi sono nulli di pieno diritto, e si ritengono come non avvenuti* ». Quem praxis articulum optime novit ipsemet Dominicus qui, vix vadimonio ei coram tribunali Pisauri indicto, potiusquam nostrum adire tribunal, exceptionem reijudicatae coram eodem tribunali proposuit. Tot itaque rationum momentis solemne accessit ipsius rei conventi factum quod judicii validitatem magis magisque evincit.

§ 6. Ulterius PP. animadvertebant quod resjudicata impedimento minime erat quominus judicium Antonius coram tribunali Pisauri promoveret. Nam licet verum sit quod incidentali instantia non numeratae pecuniae et causae falsitatis exceptionem dedisset, verumtamen est quod tribunal appellationis expresse declaravit quod hujusmodi exceptio locum vindicare sibi poterat « *nella sua congrua e separata sede di giudizio ordinario* ; at in illo executivo et privilegiato judicio admitti nequibat. Quum igitur resjudicata exceptionem illam formiter non discussisset, quia in ea actione celeri et expedita inefficax judicata fuerat, Antonius minime prohibebatur quominus in judicio ordinario per viam actionis eamdem exceptionem proponeret. Nam super exceptione opposita in judicio executivo resjudicata nunquam exoritur, nisi plene funditusque cribrata ea fuerit. *Brunemann. ad leg.* 3 *ff. de except. reijudic.*, *Scacc. de sentententia et rejud. gl.* 14 *qu.* 2 *num.* 22, *De-Franch. dec.* 289 *num.* 1 , *Fontanell. dec.* 132. Atque ita praecedenti revocata decisione jus tributum fuit, utraque etc.

Vide Decis. CL.

Die 24 augusti 1848 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Franciscus Xaverius Borghi.

Prot. 13 / 1848 R. P. D. PACCINELLI Decisio CLVI.

Romana Circumscriptionis

Jovis 13 *Aprilis* 1848.

Argumentum

De judicii indole ex libelli substantia, prae verborum cortice, haurienda — De inhibitione fodiendae arenae caementariae et de restitutione in pristinum jam confecti cuniculi — De novi operis nunciatione — De regulis quoad ea quae inspicienda sunt ad valorem litis praefiniendum.

§ 1. Tertio ab urbe lapide extra portam *Naeviam* sacerdos Stephanus Diamanti vineam possidet censuaria aestimatione *scut.* 373 *et obol.* 31 finitimam alteri ad advocatum Antonium Carosotti pertinentem, in qua *ab anno usque* 1844 hic caementariae arenae, vulgo « *Pozzolana* », fodinam pro agendu exercet negocio. Hinc effossis ubique cuniculis prope unius alteriusque vineae finem qui est *ad meridiem*, illorum unus ita processit, ut *dodrantes ultra triginta* Diamanti proprietatem invaserit proximam minitatus ruinam. Ex quo factum est ut Sacerdos Stephanus advocatum in jus rapuerit coram subselliis alterius turni modo deletae civilis congregationis A. C., ibique negatoria actione servitutis arenae caementariae fodiendae Carosotti facto obstiterit, interdictoque restitutorio res ad primaevum statum redigi expostulaverit, sub certo tamen praestituendo tempore, quo elapso sibipsi expetiit in id impertiri facultates. Tunc illud tribunal interlocutorii decreti ope primum veritate facti comprobata per *Hyginum Tilli* agronomum judiciali ritu deputatum tandem Diamanti petitionem excepit terminali sententia, quam exinde post peractum in loci faciem accessum *die* 10 *septembris* 1847 confirmarunt triumviri primae sectionis, ad quos Carosottus confugerat. Sic rejudicata orta, ejusque executionem advocato detrectante, Diamantius *Tilli* judicium sequens restitutorio satisfecit interdicto, atque ob id *scut.* 45 *et obol.* 40 exsolvit. Quod Carosotto occasionem praebuit ad supremum nostrum convolare Senatum, ideoque penes acta de more interjecto recursu circumscriptionem efflagitavit *vel* integri judicii *uti minoris* absoluta pecunia in pristinum reductionis ergo metiti, *vel* saltem in gradu appellationis ob indeterminatum valorem ac proinde Rotae tantum competentem, quem de restitutorio interdicto libelli naturam praeferre putavit. Verum hoc mane propositam Carosotti petitionem Patres reprobarunt rescripto « *Nihil* ».

§ 2. Neminem enim praeterit ad praefiniendum quid in judicium venerit prae cortice

verborum in libello illud potissimum esse spectaudum quod actor seuserit, *ad textum in leg.* 61 *in princ. ff. de judic.* et *leg.* 83 *ff. de verbor. oblig.*, cui cobaeret supremi bnjns Senatus auctoritas *in Viterbien. circumscriptionis* 4 *februarii* 1847 §. 3 *coram reverendissimo P. D. Ferlisi decano.* Jamvero si intimam proposita a Diamantio actionis indolem actorisque praesertim meutem et iutentionem altins Inbebat inspicere, exploratum undique erit sacerdotem Stepbannm ea tautum ratione in judicium veuisse ut advocato Carosotti jus fodiendae caementariae areuae in eo fundo inficiaretur, restitutionemqne obtineret in pristinum cuniculi pro suo lubitu in aliena proprietate confecti. Actum itaque *de negatoria servitutis fodinae cum interdicto restitutorio* manifestissime patet, *ad textum in leg.* 2 *ff. si servitus vindic.*, *et in leg.* 14 *ff. eod.*, qnibus concinit *Voet. in pandect. lib.* 8 *tit.* 5 §. 5, cum praesertim in jure palam sit praediales inter servitutes et illam *arenae fodiendae* recenseri, *ad textum in leg.* 1 §. 1 *ff. de servit. praed. rustic.*, *et in instit. lib.* 2 *tit.* 3 §. 2, cui plaudet *Voet in pandect. lib.* 8 *tit.* 3 § 11, *et Richer. jurisprud. lib.* 2 *tit.* 3 §. 1195. Litis ergo valor in causa « *di servitù reali* » juxta censuram §. 456 neotericae legis non aliter constitui valebat quam « *dalla stima del fondo serviente che risulta dai libri del censo* », qui quoad vineam Diamanti in tbemate cum non excedat *scut.* 373 *et obol.* 31, proindeque jusdicentis *in primo gradu* ab advocato jactatam excludit competeutiam, illamque viudicat unius alteriusve turni modo adrogatae civilis congregationis A. C., qui in utroque jurisdictionis gradu jus merito dicere potuit, ad tradita *in* §§. 317 *et* 318 judiciarii adbuc spirantis regiminis; « ibi » *Ciascuno dei due turni conosce e giudica in prima istanza le cause di Roma e Comarca maggiori di scudi duecento* », subditque « *conosce ancora e decide in secondo grado le cause non maggiori di scudi cinquecento decise in primo grado dai tribunali civili e di commercio . . . . . e quelle pur giudicate dall'altro turno* ».

§ 3. Post haec advocatus in recursu actor ad minorem constituendam causam frustra praesidium quaerere videbatur *ab judicii eventu*, qui debitam summam in reijndicatae execntionem Diamanti favore, qni restitutorio satisfecit interdicto, constituit *in scut.* 45 *et obol.* 40. Namque Patres mei ea, qua praestant sapientia atque justitia, ictu oculi conspexere, posita negatoria servitutis actione cum restitutorio interdicto a Diamantio exercita, nullam rationem de judicii eventu ad litis valorem constituendum haberi posse. Ea namque quae instituto judicio superveniunt vel obtingunt, petitionis primaevae naturam immutare baud valent, quae eadem semper maneat oportet, qnicumque sit litis exitus. Canon enim in foro, quo non vulgatior alter, admonet pro litis valore constituendo, quid petitnm fuerit, non quid exceptum, non qnid judicatnm, esse inspiciendum, uti edocet *textus in leg.* 19 *ff. de jurisdict. omn. judic.*; « ibi » *Quoties de quantitate ad jurisdictionem pertinente quaeritur, semper quantum petatur quaerendum est, non quantum debeatur* », cui respondet *nupera* qua adhuc moderamur, *praxis in* §. 463; « ibi » *In tutti i casi il valore della lite sarà determinato dal valore della cosa richiesta* » et perbelle plaudit suprema istbaec justitiae aula *in Montis Alti causa circumscriptionis* 7 *maji* 1846 §. 4 *cor. R. P. D. meo Ferrari.*

§ 4. Et incassum regerebat advocatus Carosotti litis valorem indeterminatum prorsus baberi, *aut* qnia in libello neque vis aliqua in certa determinata fuit specie, *aut* quia actum fuit de novi operis nunciatione. Ad *primum* namque quod pertinet, Patribus meis facile apparuit ex praxis vigentis sanctione *in* §. 449 specialis valoris defectum in libello non usque reddere litem indeterminatam, sed tantum ubi agatur de juribus honorificis, dignitatibus, privilegiis aliisque de hoc genere quaestionibus, quae singillatim ibi enumerantur; secus vero si res sit de causa, cujus valor licet non appareat ab actoris petitione, praefiniri tamen valet « *dai modi che saranno indicati nei* §§. *seguenti* », ceu ex negativo sermone scatet exceptio *a numero* 3 *ipsiusmet* §. Cum itaque ab *insequenti* §. 456 qui loquitur de servitutibus, in quorum themate praesens versatur quaestio, litis valorem praefiniendi constituatur modus, nempe « *dalla stima del*

fondo serviente, che risulta dai fondi del censo », nemini dubium quin illata oppositio mole sua in jure corruat, quia juri eidem cui innititur, adversatur.

§ 5. Quapropter cum litis subjectum illud unum respexerit negandi aut admittendi jus fodinae per Carosottum agendae vel relate ad integram Diamanti vineam, vel ad illius prorogationem *per unum* ultra *dodrantes triginta* in termino *meridiem versus*, quisque sensu suo facile percipit remjudicatam semper legitime fuisse prolatam, quia in qualibet hypothesi certus, non indeterminatus venit in judicium valor, atque in utroque gradu tribunalis civilis tunc A. C. jurisdictioni semper obnoxius. Nam in *primo* casu actum fuerat de certo, quia « *risulta dai libri del censo* », vineae valore *scut.* 373 *et obol.* 31, in altero vero de valore *in nummis* 241, quem de vineae effossae parte certum ac aeque statuerunt determinatum cum iisdem census regulis *Seraphinus Sala* et *Carolus Belli* alteri periti a Diamantio selecti. Indefinitum enim dici nequit quod in continenti definiri potest, atque incertum dubio procul non est quidquid certam habet normam, unde ejus valor atque aestimatio valetfacillime haurire, uti affabre definivit supremum nostrum tribunal in *Veliterna circumscriptionis* 6 *augusti* 1840 §. 5 *cor. R. P. D. meo Arnaldi.*

§ 6. Tandem quod respicit indeterminatum causae valorem, quem Carosottus deducere conabatur ex Diamanti libello nunciationis novi operis interdictum prae negatoria servitutis cum restitutorio praeseferente, Patres mei, monente *textu in leg.* 1 §. 12 *ff. de nov. oper. nunc.*, statim conspexere cuniculos effossos in alieni fundi perniciem sub nunciationis novi operis specie suapte natura venire non posse. Non omnia namque opera illud complectitur edictum, sed ea sola quae solo conjuncta sunt, quorum aedificatio aut demolitio videtur opus novum continere. Quin immo quidquid sub jure servitutis venit aut negativo aut affirmativo, quod accidit in casu, ita abhorret novi operis nunciationis interdicto, ut peculiaris ac propria servitutis instituenda sit actio a jure nostro designata, veluti post *textum in leg.* 14 *ff. de oper. nov. nunc.* tradit *Romunius art.* 16 *num.* 21 *et seqq. de nov. oper. nunc.* Atque ita etc. utraque etc.

Die 11 maji 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Cyrus Marini — D. Angelus Corradi.

Prot. 195/1847 R. P. D. VICI Decisio CLVII.

Maceraten. Restitutionis in Integrum

Jovis 11 Maii 1848.

Argumentum

An dari queat manifesta iniquitas in re judicata super interpretatione alicujus facti vel contractus — An liceat si qui contractum uti minus legitime stipulatum, et ob defectum formularum extrinsecarum redarguit, simulationis deinde eumdem incusare — De repugnantia inter judicium actionis hypothecariae institutum contra tertium fundi possessorem et judicium alterum quo ejusdem fundi dominium et possessionem tertio eidem inficiantur.

§ 1. Sorores Anna et Paschalina Cola earumque cessionarius Isidorus Luciani mandatum judiciale adversus Franciscum Manardi obtinuerunt die 22 junii anni 1842 a tribunali civili Maceratae pro summa scutatorum 337, 68, illudque exequi curarunt die sexta septembris illius anni super domo, quam propriam debitoris existimarunt, sita in oppido Montis Ulmi « *in contrada la pubblica piazza* » ut signata « *numero civico* 94 ».

§ 2. Ast domum punctim eam usque a die septima julii illius anni Manardius vendiderat pro restitutione dotis a se acceptae uxori suae Theresiae Bazzofioni, quae idcirco apposito instituto judicio coram eodem tribunali civili maceratensi illico postulavit nul-

litatem executionis ipsius tamquam expletae super fundo ad virum suum non amplius pertinente. Nec profuit sororibus Cola atque earum cessionario venditionem eam in discrimen adducere in vim reconventionalis instantiae uti minus legitime et fraudolenter inter virum et uxorem contractam. Nullitas namque executionis fuit decreta tam a tribunali civili, quam ab altero provocationis Maceratae. Orta hoc modo rejudicata, extraordinarium restitutionis in integrum beneficium adversus eam sorores Cola et Lucianus assueto interposito recursu a nostro supremo Ordine efflagitarunt. Dimissi tamen fuerunt in hodiernis comitiis rescripto « *Nihil de restitutione in integrum* », munere mihi dato decisionem vulgandi.

§ 3. In primis namque Patres animadverterunt remjudicatam nullitatem executionis decrevisse, eo quia existimavit contractum emptionis venditionis de controversa domo inter Manardium et Bazzofioniam expletum in irritum nequaquam deduci valere ab exceptionibus adversus illum a sororibus Cola et Luciano allatis, quin imo acta judicialia atque horum confessiones penitus prohibere ne de illius veritate atque existentia dubitari amplius valeret. Fieri hinc nequibat ut restitutio in integrum concedi posset adversus remjudicatam quae ad interpretationem tantum respexit contractus ejusdem atque ad examen rerum et actorum judicialium, ex quorum investigatione retinuit nullitatis exceptionem adversus eum amplius proponi nequire. Etenim ex constanti supremi nostri Ordinis sententia in re conjecturali et contra interpretationem facti alicujus vel contractus nunquam dari valet manifesta iniquitas, nec proinde restitutio in integrum adversus id quod a rejudicata fuit quoad hujusmodi factum vel contractum definitum. Ita statuit *supremus Ordo in Ariminen. restitutionis in integrum* 19 *decembris* 1833 *coram Alessi, in Reatina restitionis in integrum* 17 *augusti* 1837 §. 11 *coram Grossi, et punctim in Maceraten. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 25 *februarii anni praeteriti* §. 11 *coram me.*

§ 4. Accedebat deinceps nullum documentum hodie primum a sororibus earumque cessionario exhiberi, quo evinceretur manifesta reijudicatae iniquitas in efficacia et veritate contractus de quo agitur, praefinienda; aequo modo nullimode ipsi ostendebant remjudicatam nullitatem executionis decernendo, in aliquam peculiarem legem peccasse. Atque hinc extrema deficiebant quae juxta censuram §. 1058 codicis gregoriani praesto sint oportet ad restitutionis in integrum consecutionem. Quod si judices primarum instantiarum extraneam putarunt a controversiae definitione simulationis exceptionem adversus emptionem a sororibus Cola et a Luciano exhibitam, certo certius nullam legem hoc modo violarunt, dum sententiam eam sunt amplexi in vim reconventionalis libelli ab ipsis sororibus et Luciano editi.

§ 5. In eo namque ipsi petierunt ut executionis validitas pronunciaretur « *senza avere alcun riguardo ad un preteso contratto di vendita* ILLEGITIMO *per la qualità delle persone, per la natura del credito, per le forme e contrariato dalle leggi di procedura e dalle disposizioni di ragione in frode dei legittimi creditori* ». Certum quapropter est voluntatem ab instantibus hoc modo panditam, terminosque ab ipsis adhibitos penitus abhorruisse a petenda contractus simulatione. Etenim qui contractum uti minus legitime stipulatum redarguit et ob defectum formularum extrinsecarum, si illius effectus effugere conatur, ejusdem tamen veritatem et existentiam fatetur; e contra exceptione simulationis adversus contractum proposita, ille penitus funditusque impugnatur, uti minime confectus habetur, atque non modo ipsius effectus, sed veritas etiam ac existentia inficiantur. Recte hinc tribunal civile Maceratae statuit simulationis exceptionum extraneam habendam esse ab emptione, cujus non jam existentiam et veritatem, sed efficaciam tantum sorores Cola et Lucianus in discrimen adduxerunt.

§ 6. Neque a justitiae tramite deflexit tribunal provocationis, quod simulationis exceptionem non amplius proponi posse judicavit, postquam sorores eae et ipsarum cessionarius in plenam executionem mandati ab illis obtenti die 22 junii anni 1842, atque in vim hypothecariae inscriptionis jamdiu susceptae super bonis Manardi, actionem hy-

pothecariam adversus Bazzofioniam instituerunt ad hoc ut vel ab ea obtinerent solutionem argenteorum centum, vel dimissa ab ipsa muliere executae domus possessione, haec pro satisfactione summae illius hastae exponeretur. Sane dubitari nequaquam valet ipsos actionem eam proponendo, atque idcirco vel dominium, vel saltem domus possessionem agnoscentes in Bazzofionia, simulationi venditionis nuncium misisse, nisi per absurdum dici vellet, fas unicuique fore, actione hypothecaria tertium domus possessorem persequi in uno judicio, dominium vero et possessionem fundi ipsius eidem inficiari in judicio diverso.

§ 7. Vindicata quapropter reijudicatae justitia et demonstrata exceptionum levitate quae ad ipsius vires labefactandas proponebantur, sponte sua sequebatur ut rejici penitus deberet restitutio in integrum adversus eam expostulata. Et ita etc. utraque etc. fuit resolutum.

Die 3 Augusti 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Joseph Mancini Lombardi — D. Joannes Baptista Ruggieri.

Prot. 68/1847 R. P. D. PILA Decisio CLVIII.

RAVENNATEN. CIRCUMSCRIPTIONIS SUPER EXPENSIS

Jovis 25 *Maii* 1848.

Argumentum

Qui coram judice incapaci vocatus, exceptione incompetentiae rite proposita, judicio sistit, deinde jure sibi reservato petendi nullitatem actorum, usus est appellationis remedio, ac tandem ab supremo Ordine illorum judiciorum circumscriptionem obtinuit, nunc refectionem expensarum eorumdem judiciorum petit a succumbente, loco damnorum, cum in rescripto supremi tribunalis nulla mentio de expensis facta fuerit.

§ 1. Sententiam a curia archiepiscopali Ravennae latam favore Caroli Quartaroli pro associatione ad fundum censitum « *Fornazzo* » adversus tertios possessores Sanctam et Petrum conjuges Lugaresi, et pro istorum liberatione a molestiis contra Bonafidem ac Sebastianum Lanconelli, a quibus causam illi habent, delevit una cum caeteris gestis ex jurisdictionis defectu altera sententia in gradu appellationis edita a R. P. D. Camerae auditore, quo coram proposita fuit de circumscriptione incidentalis quaestio ab appellante Bonafide antedicto. Delata hinc causa in tertio jurisdictionis gradu ad ecclesiasticam congregationem A. C., antequam definitiva prodiret sententia, Quartarolius apud supremum Ordinem nostrum questus est de nullitate ex defectu jurisdictionis actorum omnium quae coram R. P. D. auditore Camerae et ecclesiastica congregatione fuerant gesta. Denegata primo fuit quaelibet circumscriptio in comitiis diei 29 julii 1847, ut ex decisione *Ravennaten. circumscriptionis*, quam ea die edidit R. P. D. meus Vici. Attamen iterum discussa sub die 9 septembris 1847, admissa fuit nullitatis querela ex rescripto « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram R. P. D. auditore Camerae cum omnibus inde secutis ex defectu jurisdictionis, partes utantur juribus suis* », veluti ostendit revocatoria decisio die dicta a R. P. D. meo Ferlisi decano evulgata, quae decisio confirmata inde fuit in comitiis diei 18 novembris insequentis per assuetum rescriptum « *In secundo loco decisis* ».

§ 2. Victor ex contentione profectus Quartarolius instantiam adversus victum Bonafidem Lanconelli proposuit coram R. P. D. auditore supremi tribunalis tam pro executione rescripti, quam pro condemnatione ejusdem Lanconelli ad omnes expensas etiam judicii circumscripti, et prolatum est a laudato judice decretum « *Obtinuit ad formam rescripti cum condemnatione ad judiciales expensas factas coram tribunali plenae Signaturae, et quoad judiciorum circumscriptorum utatur jure suo prout et quatenus de jure* ». Ita abscissa

de expensis controversia, Quartarolius adiit supremum tribunal petiitque « *condemnari citatum Lanconelli ad solutionem summae scutatorum tercentum viginti octo pro functionibus et expensis factis in judicio circumscripto tam coram tribunali auditoris R. C. A. quam coram congregatione praelatitia ad formam computationis loco damnorum in actis productae etc.* ». Proposita fuit petitio ejusmodi in proximis elapsis comitiis diei 11, et dilatione a Lanconellio expostulata rescriptum prodiit « *Dilata ad sequentem* ». Hodie hinc proposita est causa et penitus deserto a Lanconellio vadimonio, instantiam Quartarolii supremum tribunal admisit rescripto « *Esse locum solutioni expensarum judiciorum circumscriptorum loco damnorum* », commisso mihi munere decisionis vulgandae.

§ 3. Equidem juris est non ambigui, sumptus litis et caetera damna ei qui causam obtinuit, ab altero reficienda esse qui cecidit; *ita in capit. calumniam de poenis in leg.* 4 *et* 5 *cod. de fruct. et lit. expens., leg.* 13 §. *sive autem cod. de judiciis, et leg.* 79 *ff. de judiciis.* Sumptus enim litis in poenam temeritatis et pertinaciae sunt victori refundendae a succumbente. Damna autem, quae culpa et facto ipsius succumbentis passus est victor, sarcienda ab eodem sunt ex notissimo publici et civilis juris principio, quod is ad redintegrationem damni teneatur qui damno dedit causam; *ad text. in leg.* 11 §. *final., et leg.* 59 *ff. locat., et conduct.; et s. Rota coram Isoard decis.* 21 *n.* 2, *et coram Marco decis.* 221 *n.* 6. Cum itaque Quartarolius victor discesserit in judicio circumscriptionis coram supremo tribunali, non solum rependendae sunt ei a victo Lanconellio uti temere litigante, expensas illius judicii, verum et reficiendae *loco damnorum* caeterae expensae, quas facto et culpa ejusdem Lanconelli substinuit ipse in judiciis circumscriptione deletis.

§ 4. Damno quidem fuit Quartarolio plures insumere litis expensas, ut per legitimam exceptionem incompetentiae sese extricare valeret a jurisdictione R. P. D. Camerae auditoris, ad quam Lanconellius ex interposita appellatione a sententia curiae archiepiscopalis Ravennae causam detulit, atque perniciosum fuit ipsi alios effundere sumptus in tertio jurisdictionis gradu penes ecclesiasticam congregationem A. C., quam Lanconellius adire necessario debuit ad detinendam vim praefatae sententiae curiae ravennatensis. Si itaque acta omnia circumscriptionis gladio deleta a nostro tribunali, introducta atque expleta fuere apud judices innocentianos facto et culpa unius Lanconellii, si in oppugnanda ac declinanda illorum judicum jurisdictione plures Quartarolius sustinere debuit expensas, consonum rationi et justitiae est ipsum a Lanconellio redintegrandum esse de hujusmodi expensis *loco damnorum*, cum ex notissima juris censura, expensae judiciorum minuant patrimonium collitigantis, et idcirco infecti damni naturam praeseferant; *leg.* 3 *ff. de damn. infect., s. Rota coram emo Pianetti decis.* 262 *n.* 3, *et in Pisauren.* 23 *februarii* 1818 §. 10 *coram Odescalchi.*

§ 5. Quin referat Quartarolium judicio penes R. P. D. Camerae auditorem perstitisse usque ad sententiam, et appellationem ab ea interposuisse ad ecclesiasticam congregationem A. C., inde autem circumscriptionis querelam coram supremo nostro Ordine proposuisse. Judicium ad A. C. subsellia delatum fuit ex appellatione a Lanconellio interposita adversus sententiam vicarii generalis Ravennae; ipse ideo auctor fuit nullitatis actorum omnium, et causam praebuit illorum circumscriptioni. Quartarolius adiit compulsus juridicum innocentianum, et necessitate adactus inibi sistitit judicio, actaque gessit; proindeque omni culpa expers subiit judicium incapacis et incompetentis auctoritatis, et jure nunc postulat contra Lanconellium refectionem expensarum illorum actorum, quae ejus facto et culpa contexere debuit. Advertendum propterea est Quartarolium ipsum vix contestato in gradu appellationis judicio, in actis curiae innocentianae exceptionem incompetentiae deduxisse, ne ultra in causa procederetur, et ne quid judex edicerct, cum litis valor excederet summam argenteorum quingentorum, et a s. Rotae auditorio ipsa foret cognoscenda. Ita Quartarolius manifesto dissensit jurisdictioni incompetentis judicis, et ad praxeos legem sategit illam repellere, seseque ab illegitima auctoritate eximere. Quod si incompetentiae exceptione posthabita, placuit judici causam cogno-

scere et sententiam ferre, id Quartarolii culpae tribuendum non est, nec in ejus damnum vertendum; cum constituat factum judicis provocatum a temeritate et pertinacia unius Lanconelli.

§ 6. Atque incusandus non est Quartarolius, si damnatus sententia illa, appellationem interposuit ad ecclesiasticam congregationem A. C. cui ex judiciariae legis praescripto, data est facultas revocandi ad trutinam in tertio jurisdictionis gradu sententias a R. P. D. auditore Camerae editas. Id enim consequens fuit originarii vitii et nullitatis primo insitae in actis a Lanconellio, et nonnisi ad praepediendam executionem sententiae illud effecit Quartarolius; qui immo in actu appellationis jus sibi expresse servavit adeundi supremum tribunal pro circumscriptione omnium gestorum in curia innocentiana, prout inde jure perfecit, et obtinuit.

§ 7. Caeterum supervacanea nunc est quaestio utrum justa adsit causa adigendi Lanconellium succumbentem in judicio circumscriptionis favore Victoris Quartarolii. Rem enim conficit principale circumscriptionis rescriptum nostri Ordinis in quo nulla occurrit exclusio vel limitatio sumptuum reficiendorum a succumbente; ideoque ii etiam sumptus judiciorum circumscriptorum sunt ab ipso rependendi. Hujusmodi quippe sumptus adhaerent rei in judicium deductae, et veniunt victori refundendi in causam et consequentiam circumscripti judicii, prout advertit explicitis verbis declaratoria lex diei 29 januarii 1840 « *il* §. 223 *del motu-proprio del* 10 *novembre* 1834 *ingiunge a monsignor uditore della Segnatura di rendere esecutivi i rescritti del tribunale supremo, e pronunciare contro il soccombente la condanna alle spese, e tal condanna essendo necessaria conseguenza del rescritto, dee comprendere le spese tutte dovute dal soccombente, anche per patto e relative non solo alla controversia decisa dal Tribunale, ma inoltre ai giudizj annullati, semprechè il tribunale medesimo nel suo rescritto non abbia fatto alcuna limitazione* » et ad praescriptum hujusce legis definitum est a nostro tribunali in *Centumcellarum causa circumscriptionis super taxatione expensarum* 12 *martii* 1840. Jure igitur Quartarolius condicit a succumbente Lanconellio judiciorum circumscriptorum expensas, quae loco damnorum debentur ipsi victori in judicio circumscriptionis, nec illarum refectionem rescriptum exclusit supremi Ordinis super circumscriptione editum. Et ita etc. unica etc.

Procuratores — D. Petrus Federici — D. Joseph Montanari.

Prot. 37/1848 Rmo P. D. FERLISI Decano Decisio CLIX.

ROMANA UNIONIS CAUSARUM

Jovis 25 *Maii* 1848.

Argumentum

Quaeritur an tertius qui molestias alteri illatas suscipit, principio judicii partem ita constituat, ut judicium idem habendum sit tamquam adversus ipsum usque ab initio institutum — Quaeritur praeterea an diversa judiciorum indoles ad eorumdem unionem denegandam sufficiat.

§ 1. Ad multiplices componendas lites inter advocatum Josephum Belloni ejusque fratres Paulum, Michaelem et Joannem ferventes, officio et auctoritate intercedente tum viri praestantissimi cardinalis Petri Marini, tum duplicis jurisconsulti Caramici et Borniana, privata concordiae syngrapha ad diem 30 aprilis anni 1847 partes inter signata est, qua caetera inter cautum, quod vinea suburbana extra portam Salariam posita et argenteis termille communi consensione aestimata, ad unum Josephum spectaret, ejusdem pretio imputato in diminutionem quartae partis communis urbanae domus penes viam nuncupatam *Felicem* sitae, et quod aedes vero mox memoratae pretio scutorum undeviginti millium venundarentur, praelationis tamen jure tributo primum *Michaeli et Joanni*, dein-

Paulo ac tertio tandem *Josepho*, si eo uti caeteri fratres recusarent. Quod ad vineam pertinet, in illius possessione pacifice mansit Joseph. Quo vero ad urbanas aedes apud innocentiani collegii acta sub die 23 decembris ejusdem anni Michael et Joannes stetere, ac solemni declararunt ritu, praelationis jure uti sese velle in concordiae tabulis sibi concesso, ejusmodi declaratione sub insequenti die tum germanis fratribus Paulo et Josepho, tum singulis earumdem aedium conductoribus denunciata, indictaque iis lege ut ab ea usque die illos agnoscerent « *quali padroni di detta casa* », eisque integras pensiones rependerent.

§ 2. Hac tamen declaratione penitus spreta, vadimonium exeunte februario mense insequentis anni coram urbano adsessore adv. Desanctis conductoribus singulis indixit Joseph quartam earumdem pensionum partem sibi vindicans; quas sane Josephi molestias cum Michaeli et Joanni conductores nunciaverint, eas quidem acceptas solemniter ii habuere, diem vero coram secunda sectione civilis urbis collegii utrique germano fratri Paulo et Josepho una simul dixere, conceptis urgentes verbis « *la piena osservanza ed esecuzione della citata transazione del di* 30 *aprile* 1847 », in ejusque proinde sequelam declarari postularunt « *che la casa posta in via Felice num.* 113 *e seguenti dal giorno della suddetta emessa e notificata giudiziale dichiarazione spetta ed appartiene unicamente agl'istanti signori Michele e Giovanni Belloni, per cui ad essi spettano pur le pigioni della casa stessa* ». Ejusmodi vero judicio vix instituto recursum penes Ordinem nostrum actores interjecerunt, cum eo conjungi flagitantes judicia etiam caetera adversus singulos controversae domus conductores Josephi nomine antea instituta. Reique cognitione ad hodierna comitia delata voti compotes facti protinus ii sunt rescripto a RR. PP. edito « *Eidem secundae sectioni tribunalis civilis urbis quoad omnes et omnia in statu et terminis* », ac decisionis vulgandae munere mihi commisso.

§ 3. Neque ambigendum sane vel leviter erat de intima unaque simul arctissima causarum connexione, deque gravissimo quod urgebat periculo, quod invicem pugnantes sententiae facile prodirent, si una simul eae haud conjungerentur. Dum enim in judiciis singulis coram adsessore Desanctis institutis urgebat Joseph, quartam urbanae domus pensionum partem sibi deberi, easque a singulis illius conductoribus sibi rependi, eo e contra tendebat actio coram civili collegio Michaelis et Joannis nomine proposita, ut executioni committeretur concordia ad diem 30 aprilis 1847 partes inter inita, in ejusque sequelam declararetur, non ad Josephum quidem, sed ad eos tantum pertinere tum dominium aedium de quibus agitur, tum earumdem pensiones, quod sane cum Josephi petitione pugnabat e diametro. Quum fieri itaque facile posset, quod ejusmodi judiciis haud consnciatis adsessor Desanctis Josephi petitionem exciperet, eique jus tribueret controversas pensiones sibi vindicandi, urbanum vero declararet collegium ad Joannem dumtaxat et Michaelem eas pertinere, vel ipsa naturalis flagitabat ratio ad pugnantium sententiarum advertendum periculum, causas eas cunctas quoad omnes et omnia penes civile collegium, quod majori jurisdictione pollet, una simul conjungi, ita ferente sanctione apertissima §§. 1050 *et* 1051 *vigentis codicis*.

§ 4. Quin aliquid facesseret negocii, non adversus germanos fratres suos, sed adversus aedium tantum conductores judicio egisse Josephum, quasi acta inde cuncta hujus nomine gesta suapte indole forent a Michaele et Joanne prorsus aliena. Quum enim molestias sibi a conductoribus nuntiatas solemni ritu iidem susceperint, ita habenda ejusmodi erant judicia, perinde ac adversus eos fuissent ab initio usque instituta. Scitum quippe est cautumque expressim in §. 868 *praecitati codicis*, tertium, qui molestias alteri illatas susceperit, principis judicii partem ita constituere, ac singula ejusdem acta veluti sua facere ut nedum necesse omnino sit acta caetera « *successivi all' assunzione della lite* » ei indicere; verum insuper in libero actoris maneat arbitrio litem ipsam prosequi « *contro il solo terzo senza chiamare il reo convenuto* »; neque minus a veritate abhorrebat quod insinuare nitebatur Joseph, *ordinariam* nimirum fuisse causam a fratribus suis promotam, ejusque proinde indolem prohibere quominus cum summariis

conjungeretur judiciis super pensionum solutione ejusdem nomine institutis, cum nullatenus pugnet ordinaria super bonorum proprietate et dominio lite fervente, alterum ex litigatoribus summaria interim actione eorumdem bonorum fructus sibi vindicare.

§ 5. Misso enim unam diversam judiciorum indolem, caeteris deficientibus rerum adjunctis singillatim descriptis in §. 1052 *num.* 4 *vigentis codicis*, satis nullatenus esse ad causarum unionem denegandam, quemadmodum statuit nostrum tribunal *in Bononien. unionis causarum* 2 *maii* 1844 *coram me*, hoc inquam penitus misso, illud vere peremptorium urgebat in themate, quod Josephi nimirum fratrum petitio, tamquam concordiae executionem respiciens, tabulisque incumbens a die usque 30 aprilis 1847 partes inter signatis, secum dubio procul ferebat, non ordinarium quidem sed judicium pariter mere summarium, *teste* §. 538 *num.* 1 *ejusdem codicis*. Non ex jure itaque solum, verum ex facto etiam corruebat difficultas a Josepho proposita, cuique potissimum universa ejus nitebatur defensio, eaque proinde omnino posthabita, jure merito causarum unionem Patres decreverunt. Quidquid vero postremo loco blaterabat Joseph, non veram numerisque omnibus absolutam transactionem, sed merum potius simplicemque ejusdem tractatum contineri in concordiae syngrapha pro judicii fundamento ab ejus fratribus exhibita, nedum manifesto pugnabat cl cum integro ejusdem syngraphae contextu et cum amplissimo testimonio utriusque honesti jurisconsulti Caramici et Borniana, et cum facto demum ipsius Josephi, qui in ejusdem concordiae sequelam pacificam retinuit possessionem haereditariae viucae sibi tributae, ac monumenta cuncta ad eam spectantia sibi vindicavit, verum ab hodiernae insuper controversiae sede erat prorsus alienum. Ad intima enim causae merita ejusmodi pertinet investigatio, quam ordinariis licebit judicibus, dum universae rei cognitio in vim rescripti nostri ad eos deferetur, maturius ac diligentius suscipere. Et ita etc. utraque etc.

Die 24 augusti 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Alexander Piccinini — D. Thomas Farsarelli.

Prot. 138/1847 **R. P. D. ARNALDI** Decisio CLX.

Hortana Circumscriptionis

Jovis 6 *Julii* 1848.

Argumentum

De competentia tribunalis civilis, cum dubia sit illa judicis pedanei — De valore litis in judicio redintegrationis, cum actor quantitatem usurpatae partis sui praedii in libello exprimat, ignoret autem an ab uno vel ab altero vel a pluribus lateribus ejusdem praedii usurpatio obtigerit — An, et quando fructuum et damnorum petitio litis valorem augeat — An dispositio §. 461 *legis praxeos coercenda sit ad fructus tantum crediti pecuniarii, vel traduci possit ad fructus quoque naturales praediorum — An haeredes indivisi citandi omnino sint coram tribunali civili, eo etiam in casu quo in jus vocentur pro omni juris effectu — De acceptatione judicii.*

§ 1. **P**raedium quod in Soriani agro late patet quodque audit *s. Butizio* rubiis pene constans quinquaginta a familia Fanti, nonnullis exceptis frustulis, favore Octaviani Panunzi fuit divenditum; frustula vero in venditione erga Panuntium excepta, partim in quantitate « *di tavole* 46 *e del valore catastale di sc.* 96 », erga ecclesiam Deiparae *del piano*, partim pro quantitate scilicet rubrorum 4, *mezze* 6, erga Philippum Baldioli fuerunt distracta, qui acquisitae quantitatis partem favore Mariae Cozzi alienavit in cujus jura Laura et Lugdovicus Sommaini successerunt. Postquam diu retinuit Octavianus empti praedii possessionem, novit Baldiolum conterminum dominum sui praedii portionem usurpasse, hinc accitis in arte peritis facile innotuit ei deesse non minus quam « *rubbia tre, mezze cinque, misurelle tre* », sibique addixisse Baldiolum, quem idcirco

Octavianus in jus rapuit apud Viterbii primae actionis tribunal, postulans « *la reintegrazione ed immissione a favore dell'istante al possesso del terreno come sopra* ; (nempe *di rubbia tre, mezze cinque e misurelle sei*) *dal Baldioli indebitamente occupato* », cui et alias tam pro fructuum restitutione quam pro pretio arborum incisorum petitiones adjunxit, et cum non liquido apparebat num Baldiolus, num potius *indivisi* haeredes Cozzi usurpationem patraverint, hinc et ipsos ad judicem vocavit.

§ 2. Ad facti veritatem statuendam Viterbii tribunal peritum elegit, qui de usurpatione a Panuntio clamata referret. In rem praesentem ivit decempedator Parrius; usurpationis existentiam a Baldiolo patratae confirmavit, sed illam cohibuit « *a rubbia due, mezze cinque, misurelle due* ». Vix ut judicialis agronomus suam retulit peritiam, ad acta convolavit Baldiolus, ibique solemniter professus se accepto habere « *la perizia giudiziale del signor Parri, non che l'opinamento del tribunale, e rinunciando qualora faccia di bisogno agli atti della lite stessa, ha dichiarato rilasciare a profitto del Panunzi l'appezzamento di terra come alla perizia ec.* ». Sed cum tribunal in pandita opinione aperte non significaverit a quo tempore fructus restituendi forent a Baldiolo, et an damna ob arborum caesionem fuissent reficienda, iterum Octavianus ipse postulavit redintegrationem et fructuum restitutionem, nec non damna ob caesionem arborum. Viterbii tribunal inhaerens Baldioli declarationi definitiva prolata sententia jussit « *che l'istante sia reintegrato al possesso della porzione del terreno nella quantità di rubbia due, mezze cinque e misurelle due, ed a tale effetto, riservato all'istante il diritto ai danni, ordina che il Baldioli sia espulso dal possesso della detta porzione, con la condanna alla restituzione dei frutti dal giorno della mossa lite* ».

§ 3. Nec profuit Baldiolo provocare ab sententia illa; nam rejectus pariter fuit ab triumviris qui primo turno Romae causas dicunt, quique illum damnarunt ad fructuum restitutionem a dio captae possessionis. Solemni perculsus rejudicata ad extraordinarium circumscriptionis remedium tunc Baldiolus convolavit. Interjecto itaque recursu a supremo nostro Ordine actorum circumscriptionem ex jurisdictionis defectu, et causam ad gubernatorem Soriani pertinere postulavit. Sed inutili prorsus conatu; nam Patres hujusmodi postulationem rejecerunt rescripto « *Nihil de circumscriptione* », commisso mihi munere evulgandi decisionem.

§ 4. Et jure quidem. Cum enim praesumptio urgeat pro validitate actorum, nullitas semper dilucidis argumentis demonstranda est. Baldiolus acta jurisdictionis vitio, nulla esse asserit, eo quod causae valorem scutatis 200 minorem contendit, ideoque non apud tribunal civitatis Viterbii, sed apud gubernatorem Soriani contestari judicium debuisse putat. Ast Baldioli assertio non est inprobatis, imo petitio Panuntii talis est, quae non nisi ad tribunal civile deferri poterat. Scitum enim litis valorem ab aestimatione rei in judicium deductae esse desumendum. Ita judiciarius codex in §. 457 « *Nelle azioni reali o miste, e nelle cause che riguardano il possessorio, il valore della causa si desumerà dal valore della cosa litigiosa* » quod confirmatum legimus in §. 463 « *In tutti i casi il valore della lite, sarà determinato dal valore della cosa richiesta* ».

§ 5. Atqui Panuntius postulavit penes viterbiense tribunal redintegrationem ad possessionem « *di rubbia tre, mezze cinque, misurelle due* » praedii *s. Eutizio*. Ergo ad causae valorem dimetiendum petitae quantitatis censualis aestimatio spectari debet. Verum cum ignoraret Octavianus quo precise loco num ab uno prorsus vel ab altero vel pluribus lateribus usurpatio obtigerit, hinc liquido scatebat certum determinatumque valorem minime posse postulationi assignari, quia ab usurpati loci designatione censuale pretium pendebat. Non solum autem Octavianus, sed ne ipse quidem peritus definire valuit quibus in locis fundi fuerit Baldiolus egressus; retulit tantum ex eo quod venditum fuit Baldiolo ab Anselmo Fanti, et ex eo quod a Baldiolo possessum usurpationem arguit in rubiis « *due, mezze cinque, misurelle due* ». Nescivit quin imo peritus assignare annuum fructum « *non sapendo precisamente da qual parte accaderà la separazione del terreno trovato in maggior quantità, dovendo questa venir ordinata, e precisamente dal*

giudice a seconda dei confini ». Quum igitur non constet de usurpationis loco, et ideo de quantitate soli injuste occupati, fieri non potest ut ex censu argui queat quis fundi valor sit. Ergo incertus omnino erat rei petitae judiciique valor. Verum ubi certus determinatusque valor rei in judicium deductae assignari minime valet, lex non judicis pedanei sed tribunalis competentiam declarat, teste §. 291 judiciarii codicis « *I tribunali civili conoscono e decidono in prima istanza le cause maggiori di sc. 200, e di valore indeterminato* ». Et in §. 431 « *Quando apparisce dubbia la competenza dei governatori ed altri giusdicenti per ragione della somma o valore della lite, dovrà sempre ritenersi competente il tribunale civile* ». Uno verbo, quaelibet circumscriptionis querela residet in statuendo valore jugerum ad quae redintegrari postulavit Panuntius. Cum vero ex primaevo judicii libello erui nequaquam valeat, in qua fundi parte extent jugera ea, ac proinde nec determinatus illorum valor dici valeat in instantia ipsa, idcirco redintegrationis judicium fuit rite recteque coram tribunali civili institutum. Ergo adiri debebat viterbiense tribunal in causa ab Octaviano excitata, et incusatus jurisdictionis defectus levissimas adibat in auras. Ita millies definivit noster Ordo, et praesertim in decis. *Sabinen. circumscriptionis* 20 *februarii* 1845 *coram rmo D. Ferlisi decano, et in Albanen. circumscriptionis* 6 *aprilis* 1837 *coram bo. me. Grossi.*

§ 6. Neque jurisdictionis defectus verificaretur, etsi determinatum valorem habuisse petitam praedii partem concederetur. Etenim vel ipsi Baldioli defensores ultro admittebant juxta pretium in censualibus tabellis tributum singulis tabulis rubrorum « *tre, mezze cinque, misurelle sei* » conscendere valorem ad sc. 190. Verum ab omnibus iis quae in libello judicii comprehenduntur causae meritum metiri deberi lex jubet in §. 466 « *il valore della causa è sempre determinato dalla domanda dell'attore* ». Atqui Octavianus non solum postulavit reidntegrationem ad fundi partem, sed petiit insuper restitutionem fructuum, ideoque conjuncta hac summa cum valore fundi usurpati, procul dubio semper est causae pretium valorem scutatis biscentum excedisse. Licet enim certum sit fructus, qui decurrere incipiunt post litem contestatam, haud in calculum deduci posse ad fundi valorem constituendum, tamen quae petuntur ad diem contestati judicii, augere causae valorem patet ex argumento discretivo §. 464 regulae vigentis « *Nel fissare il valore della causa non si avrà mai riguardo ai frutti che hanno luogo pendente il giudizio* » quod sane innuit rationem habendam esse fructuum anteriorum qui augent valorem litis. Huic jurisprudentiae supremum tribunal adhaerebat praecipue *in decis. Alatrina circumscriptionis* 9 *junii* 1836 *coram bo. me. R. P. D. Grossi.*

§ 7. Neque audiendus erat Baldiolus dum reponebat nullam ad litis compendium statuendum de fructibus haberi posse rationem, quia ex §. 461 codicis praxeos statutum est fructus augeri non posse valorem causae, nisi certa et liquida sit quantitas; nam apertum est ex verbis legis, hanc dispositionem coerceri ad fructus tantum crediti pecuniarii, minime vero traduci posse ad fructus naturales praediorum de quibus nulla fit a lege mentio. Non licet ergo propterea leges extendere ad causas non expressas, et eo minus in materia odii plena, prout est circumscriptionis querela, quae acta judicatumque prosternit. Hanc jurisprudentiam utpote legis sanctioni magis consonam pluries tenuit supremus Ordo, et signanter in supracitata *Alatrina circumscriptionis coram Grossi* §. 9.

§ 8. Nec satis. Considerabant Patres in libello litis introductivo Octavianum praeter immissionem, petiisse expressis verbis valorem arborum. Atqui si horum valor superaddatur pretio quod et ipse Baldiolus solo attribuebat, nemo dubitare poterit negocium esse de lite valorem praeseferente sc. 200 majorem. Ex praemissis evidens est, quod petitio seu actio est generalis directe videlicet ad redintegrationem non solum sed etiam ad fructuum damnorumque largitionem, atque in qualibet hypothesi secumfert incertitudinem et obscuritatem in ipsa rei petitae determinatione, et idcirco recte judicium institutum coram tribunali fuit. Nec praetereunda est peculiaris circumstantia, sicut aliquis ex Patribus notabat, quod cum in citatione comprehensi fuerint, licet pro quocumque juris effectu, haeredes Cozzi, iidem cum adhuc sint indivisi juxta §. 441 co-

dicis procedurae citari non poterant nisi coram tribunali civili. Hisce omnibus quasi pro coronide accedebat solemnis declaratio a Baldiolo emissa, qua judicium accepto habuit, et judiciali ritu suis juribus nuntium misit apud viturbiense tribunal. Scitum est non posse renunciantem ad renunciata jura redire. Neminem latet nullum dari beneficium contra sententiam a litigatoribus probatam. Si ergo Baldiolus solemniter professus ad acta est « *rinunciando qualora faccia di bisogno agli atti della lite, ha dichiarato rilasciare, siccome rilascia a profitto del Panunzi l'appezzamento di terra reclamato* », nemo profecto inficias ibit hujusmodi renunciatione jurisdictionem ex valore litis incerto agnovisse, ultro libenterque admisisse et nunc contra proprium factum insurgere propriamque confessionem, novum injustumque esset et a legibus reprobatum. Ei ita etc. utraque etc.

Die 3 aprilis 1848 « *Declaratio pro parte Baldioli* ».

Procuratores — D. Arcangelus Onesti — D. Joseph Mancini Lombardi.

Prot. 162 / 1847 R. P. D. LIPPI DECISIO CLXI.

BONONIEN. UNIONIS CAUSARUM

Jovis 6 *Julii* 1848.

Argumentum

Habes in Decis. CLIV.

§ 1. Quemadmodum narrat praecedens mei ipsius decisio, latifundium sub vocabulo « *Mazzolara* » in Bononiensi territorio situm vir princeps Felix Baciocchi locato conducto dedit die 4 octobris 1840 advocato Antonio Rusconi, solidali accedente istius fidejussore Dominico Maldini, ita tamen ut contractus per duodeviginti annos duraturus a mense novembris 1842 exordium caperet, atque annua pensio scut. 20000 solveretur duodecim menstruis ratis scut. 1666, 66, 6 rependenda. Et quoniam in latifundio plures ad oryzam expurgandam areae reperiebantur, inter caetera cautum expressim fuit ut has omnes absque ullo discrimine tradere locator teneretur « *in istato manutenibile siccome essi possono servirsi delle nette aje, ed alla fine della locazione saranno tenuti di restituirle nel medesimo stato che vengono consegnate* ».

§ 2. Caeteras inter areas recensebatur « *l'aja delle Bagnare dietro la via delle Cavalle* » quae cum in traditionis actu inservibilis reperta et descripta fuerit, ita juxta conventionem locator reficere eam debuisset. Quare non expleta hujusmodi refectione, protestationem conductor advocatus indixit comiti Napoleoni Camerata Baciocchi, qui interim locatori successerat, declarans jus sibi esse scut. 2200 summam retinendi pro dictae areae « *delle Bagnare* » reconstructione. Contraria vero protestatione per creditorem emissa, apud primam bononiensis civilis tribunalis aulam Rusconius instituit ut comes ad praedictae areae instaurationem damnaretur, atque sibi sumptus hac in re necessarios a menstruis pensitationibus detrahere fas esse declararetur. Quam controversiam ut recte judices dirimerent, tres judiciales peritos elegere, qui ad loci faciem accedentes singulas circumstantias ad causae definitionem pertinentes expenderent atque referrent. Peritorum relatio favorabilis conductori fuit, quippe qui reconstruendae areae necessitatem perspexerunt.

§ 3. Quo pendente judicio cum alterius menstruae pensionis tempus venisset, idem Rusconius die 4 augusti ad realem oblationem processit scut. 1133, 33 in solidationem binarum pensitationum mensis junii ac julii, deductis nempe praedictis scut. 2200, quot ad aream reconstruendam requirebantur. Postera autem die instantiam coram secunda ejusdem tribunalis aula promovit ut talis oblatio valida renunciaretur. Comes e converso Baciocchi vadimonium coram prima ejusdem tribunalis aula indixit tum advocato, tum solidali ejusdem fidejussori Maldini pro solutione menstruae ratae julii obtinenda. Hisce itaque judiciis institutis, quorum alterum super oblationis validitate versabatur, alterum vero nulla habita

oblationis ratione, menstruae pensionis solutionem respiciebat, recursum Rusconius interposuit ad supremum nostrum tribunal pro eorumdem unione. Et licet in anteactis comitiis diei 16 martii 1848 petitam unionem PP. rejecerint, factis tamen meliore in luce positis eamdem bodie admiserunt rescripto « *Eidem primae sectioni tribunalis civilis Bononiae quoad omnes et omnia in statu et terminis* », commisso mibi munere decisionem vulgandi.

§ 4. Praeteritae decisionis fundamentum ea praesertim intrinseca ratione innitebatur, quod ex judiciorum indole ac qualitate ideo unionem petitam fuisse appareret, ut in aevum protraheretur pensionis solutio, quum unum ordinarium, alterum vero summarium atque executivum videretur. At re diligentius inspecta, factisque ad veritatem restitutis, patuit e converso utraque judicia esse executiva, ac rationem idcirco evanescere ob quam contra unionem responsum fuerat. Etsi enim dubitari non posset quin oblationis validitas, seu nullitas a praecedenti retentionis judicio penderet, non ideo tamen hoc judicium ordinariam potius quam summariam qualitatem habere demonstratum est. Siquidem in facto probatum fuit istiusmodi retentionem super ipsa locationis apocha inniti, qua locator onus expressim suscepit arcas tradendi « *in istato manutenibile* ». Quum itaque controversa area « *della Bagnara* » in ipso traditionis actu prorsus inservibilis agnita ac tradita fuerit, necessario consequebatur aliud etiam de oblationis validitate judicium esse summarium. Semel ac enim quaestiones de validitate oblationis, ac praesertim scripto titulo innixae inter summarias ex legis praescripto recensentur, summarium pariter dicendum erat de oblationis validitate judicium, quod ex ipsa locationis apocha definiendum erat, qua retentionis jus derivabat.

§ 5. Hac vero cessante difficultate, de unionis necessitate dubitari nequibat, quum adeo sit stricta utriusque judicii continentia ut unum absque alterius diremptione consistere omnino nequiret. Quomodo namque pensionis solutio demandari posset, quin prius judicaretur num valida an irrita fuerit oblatio quae eamdem pensionem includit, quum non aliter pensio rependenda esset, nisi quo casu irrita renunciaretur? Reque vera si pro validitate oblationis sententia ferretur, jus seu obligatio perimeretur ad petitam pensionem eon sequendam, ut e converso contrarium obtineret, si nulla eadem oblatio diceretur. In hac igitur arctissima ac vere praejudiciali utriusque judicii indole ac qualitate fieri certe nequibat quin unum cum altero uniretur, ut evidenti sententiarum contradictioni obviam iretur. Scriptum quippe legitur in vigentis codicis §. 1050 « *Quando una medesima causa, ovvero più cause fra di loro connesse e dipendenti sono introdotte avanti diversi giudici o tribunali, ha luogo il ricorso per l'avocazione e riunione di esse avanti un solo giudice o tribunale, affinchè da un solo sieno decise.*

§ 6. Extrinseca quae afferebantur argumenta tanti esse visa sunt ut intrinsecam unionis necessitatem excluderent. Atque praeprimis de pendentia judicii solutionis tempore interpositi recursus non erat ambigendum, quia eadem ipsa die Rusconius passivam citationem reproduxit. Hanc enim adversae citationis reproductio litis certe pendentiam constituebat ad hoc, ut unionis recursus legitime interpositus haberetur, ad tradita per nostrum tribunal in *Romana competentiae diei* 24 *jul.* 1845 *cor. R. P. D. La Grua.* Quod vero dicebatur, recursum nempe fuisse interpositum ad solutionis judicium intercipiendum, quia alterum de oblationis validitate non fuit institutum in eodem tribunali quo coram illud et retentionis aliud ventilabatur, non minori facilitate diluebatur. Siquidem locator eadem ipsa die 5 augusti solutionis citationem transmisit, qua conductor aliam de oblationis validitate excitavit, ita ut divinare nequiret an primum potius quam alium turnum idem locator elegisset. Quod si vero coram secundo turno retentionis judicium jamdiu penderet, non erat quaerendum nec dijudicandum, eum unionis recursus ad illud non extenderetur.

§ 7. Quae tandem addebantur de retentionis injustitia, Rusconii defensores excluserunt in facto, quum e converso probaverint ab expressa ac scripta conventione eamdem derivare. Nec de personarum identitate ambigi poterat, si Maldinius in judicio de oblationis validitate fuerat comprehensus, quia ipse ut conductoris fidejussor unam

eamdemque cum eo personam efficiebat. Atque ita in acerrimo partium conflictu decisum est.

Vide Decis. CLIV.

Die 24 augusti 1848 « *In primo loco decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Aloysius Briganti — D. Bartholomaeus Belli.

Prot. 172/1847 R. P. D. FERRARI DECISIO CLXII.

FERRARIEN. RECUSATIONIS JUDICIS

Jovis 6 Julii 1848.

Argumentum

An judicis affinitas cum procuratoribus litigantium legitimam recusationis causam praebeat — De officio supremi tribunalis cum de recusatione judicis agatur.

§ 1. Joannes Barbi Cinti coram secunda sectione tribunalis Ferrariae provocavit Herculem Della Fabra, advocatum Franciscum Bonaccioli, nec non marchionem Franciscum Gavassini ad hoc ut decerneretur censum quemdam scutat. 3333, 33, 8 ad se pertinere, proindeque sibi ejusdem census fructus esse persolvendos. Advocatus Bonaccioli qui censum illum coemerat, ad acta venit, et recursum apud Ordinem nostrum interposuit, quo petebat « *che sia deputato altro giudice in luogo del signor avv. Paolo Clarusi allegato in sospetto* » sub fuco quod levir esset Vincentii Pareschi Joannis Barbi procuratoris.

§ 2. Licet nulla legitima suspicionis causa praesto esset, tamen judex Clarusius a ferenda sententia se abstinuit, et in ejus locum subrogatus fuit advocatus Crema, quae subrogatio ab Hercule Della Fabra omnibus collitigantibus indicta fuit. Eam tamen Bonacciolius nihili faciens, acta apud Ordinem nostrum prosequutus fuit. Tunc Barbi et Della Fabra solemni ritu declararunt sese recursum acceptum habere, quam declarationem quum Gavassinius minime explevisset, dum advocatus causae propositionem indixit, rei conventi instituerunt ut decerneretur « *Provisum super recursu, de quo etc.* ». Quae instantia dimissa quum fuisset decreto « *Utatur jure suo in die propositionis causae* », Patres mei recursum rejicere existimarunt rescripto « *Nihil* ».

§ 3. Nam ut libera sint judicia, sancitum quidem est ut judex justa intercedente causa recusari possit. Inter justas vero recusationis causas apprime recensetur peculiaris animi affectus erga alterum ex collitigantibus propter consanguinitatem, affinitatem, familiaritatem, uti ex §. 1053 codicis judiciarii; « ibi » *Ha luogo il ricorso perchè venga ammessa la ricusa dei giudici quando sia fondata sopra un motiva di legittimo sospetto* ». Subest §. 1054 « *Sono motivi di legittimo sospetto. . . . . . 5. la parentela in qualunque grado della linea retta, e nella linea trasversale fino al quarto grado della computazione civile inclusivamente; l'affinità diretta in qualunque grado, la trasversale fino al secondo* ». At vero judex Clarusius neque consanguineus, neque affinis est alicui ex collitigantibus. Recusationi igitur locus esse nequibat.

§ 4. Neque res mutabatur quod Clarusius levir esset Vincentii Pareschi qui in judicio jura Joannis Barbi protuebatur. Nam ut judex recusari possit, consanguinitas vel affinitas cum litigantibus intercedere debet, minime vero cum procuratoribus, qui tamen a defendendo se abstinere debent, minime vero judex a judicando, in casu quo « *debba dare il suo voto come giudice il loro figlio, padre, avo, suocero, e fratello maggiore* », uti sancitum est in §. 209 legis disciplinaris diei 7 decembris 1834. Quum itaque demonstratum nullo pacto fuisset Pareschium aliquod in causa habuisse interesse, atque ex actis patebat Clarusium illius tantum levirum esse, nulla idcirco suberat causa ob quam in suspicionem adduci potuisset.

§ 5. Accedebat petitam non fuisse recusationem judicis utpote suspecti, sed alterius judicis subrogationem « *in luogo del signor Paolo Clarusi allegato in sospetto* ». Verum enim vero recursus interponendus erat, quo in suspicionem judex ille adduceretur, atque postulandum, ut illius recusatio admitteretur, uti cautum est in §. 1053 *cod. judiciar*. Pro subrogatione vero locus non erat ad Ordinem nostrum confugiendi. Nam ipsa lex, postquam judex aliquis utpote suspectus a ferenda sententia abstinere se debet, alium judicem subrogat. Ita in §. 1055 « *Quando la causa sia introdotta avanti un tribunale collegiale, un altro giudice o supplente farà le veci del giudice ricusato* ». Si igitur lex ipsa judicem subrogat, perperam Bonacciolius ad Ordinem nostrum confugerat, ut loco Clarusii alter judex subrogaretur, praesertim quum Clarusius a jure dicundo revera se abstinuerat, et in ejus locum suffectus fuerat advocatus Crema.

§ 6. Licet recursus rejiciendus esset, tamen PP. non existimarunt rescribendum esse « *Provisum* », uti Barbi et Della Fabra postulabant, sive quia judicis Clarusi abstentione et alterius judicis subrogatione, sive quia ipsorum declaratione qua acceptum habuerunt recursum, litem absolutam existimabant. Nam non constabat recursum a Gavassinio acceptum habitum fuisse; quoad eum igitur integer perseverabat, proindeque nostri Ordinis auctoritate e medio tollendus erat, ne in posterum super Clarusii jurisdictione ulla lis excitaretur. Potuisset enim Gavassinius minime obstantibus actis abstentionis et subrogationis ab eo non probatis, judicio protueri quod recusationi locus non erat. Et ita etc. utraque etc.

Die 14 septembris 1848 « *Esse locum recusationi judicis, et extendatur decisio per R. P. D. Paccinelli, et reproponatur* ».

Die 23 Novembris 1848 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Binarelli — D. Joannes Baptista Roseo.
D. Joannes De-Romanis.

Prot. 56/1848 R. P. D. FERLISI Decano Decisio CLXIII.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS

Jovis 24 Augusti 1848.

Argumentum

De individua sententiae natura — De agnitione validitatis sententiae per compensationis petitionem adversus illam propositam — An sententia rotalis laboret defectu jurisdictionis eo quia decreverit ordinem executorium, cum in dubii formula ejusdem mentio deficeret — De iis quae uti accessoria aut consectaria ex libello dimanant, vel sub eodem virtualiter comprehensa censentur — An et quomodo sententiae rotales a praecedentibus decisionibus interpretationem accipiant.

§ 1. Adjudicatis anno 1809 marchioni Julio Gavotti Januensi urbanis aedibus aliisque bonis ad comitem Alexandrum Savioli spectantibus, pro actorum hujusmodi nullitate et adjudicationis decreti revocatione coram sola appellationis urbis institit primum Saviolius; quum ejus vero petitionem tribunal rejecerit, jure ei reservato agendi pro ejusdem adjudicationis laesione, pontificio tandem restituto regimine ab R. P. D. Ssmi auditore illius filii impetrarunt laesionis causam ad s. Rotam ablegari. Proposita autem dubii formula ad hunc modum concepta « *An et de qua laesione constet, ita ut sit locus vel supplemento, vel redintegrationi et restitutioni fructuum, seu potius obstet praescriptio in casu etc.* », rotalis prior prodiit sententia anno 1822 a cl. me. cardinali Spada obsignata, solemnique ritu declarans « *Non constare de ulla laesione praefatae adjudicationis, neque idcirco esse locum supplemento, neque redintegrationi et restitutioni fructuum* ».

§ 2. Quam caeterum sententiam licet numeris omnibus *quoad laesionem enormissimam* in gradu postea appellationis sacrum tribunal confirmaverit, quoad laesionem tamen *enormem* omnino revocavit, conceptis edicens verbis « *Esse locum supplemento pretii in summa scutatorum octo millium quatuor et obolorum* 48 ». Rei vero cognitione in ejusmodi sententiarum conflictu coram R. P. D. Bofondi decano, nunc amplissimo S. R. E. cardinali in postremo jurisdictionis gradu delata, tertia tandem exeunte anno 1844 lata est sententia, quae enormem quidem probavit laesionem, pretii vero supplementum cohibuit ad argenteos tantum nummos 6759, obolosque 54, statuitque proinde in hujusmodi tantum summa « *esse locum supplemento pretii* », hisce incontinenti additis verbis « *et pro dicta summa ordinem executorium necessarium et opportunum relaxamus, atque ita pro relaxato haberi volumus atque mandamus* ».

§ 3. Novissima ejusmodi sententia Julii haeredibus denunciata, ad s. Ordinem ii redierunt pretii supplementi compensationem urgentes cum assertis suis creditis tum sortis, tum fructuum, quam sane petitionem diu licet communi consensione dilatam, in comitiis tamen diei 5 maji labentis anni sacrum tandem dimisit tribunal jubens « *partes uti juribus suis pro compensatione coram quo prout et quatenus de jure* ». Hujus vero judicii exitum eorum quasi antevertens defensor, recursum exeunto aprili mense ejusdem anni ad Ordinem nostrum interjecit sententiam ab emo Bofondi in tertio jurisdictionis gradu editam poscens deleri in ea tantum parte, « *qua relaxavit ordinem executorium pro scutatis* 6759, 54 ». Causa tamen bodie proposita rescriptum tulerunt Patres « *Nihil de circumscriptione* », dato mibi munere decisionis vulgandae.

§ 4. Neque minus *extrinseca* quam *intrinseca* controversiae merita rescriptum hujusmodi suomet veluti jure sibi vindicabant. Et ad extrinseca primum quod pertinet, illud urgebat initio, non universae quidem sententiae, sed ejus tantum *partis* nullitatem Gavottios carpere, quod sane cum praxeos legibus nullatenus congruit. Non pluribus enim sejunctisque capitibus rotalis constat sententia, sed unicum orationis contextum ea exhibet, quod unum satis, ut individuum actum eadem praeseferat, veluti auctoritatibus plena manu adductis egregie statuit supremum tribunal *in Romana circumscriptionis* 22 *decembris* 1831 §. 8 *cor. Galimberti.* Actum autem vel sententiam natura sua individuam nefas esse in partes scindere, ac partim delere, partim vero sartam tectam servare, vel ipsa naturalis suadet ratio, traditque pariter eadem praecitata *decisio* §. 7, et perbelle concinit *Rot. in dec.* 790 *num.* 3 *et dec.* 1845 *num.* 8 *coram Coccino.* Quibus insuper accedebat, rotali sententia vix sibi nunciata illius validitatem Gavottios novisse et probasse, compensationis petitione coram eodem tribunali proposita, juribusque inde suis ea desuper re strenue deductis, quod novum equidem praebebat iis obicem, quominus revoluto in praesens pallio illius circumscriptionem urgerent, ita etiam ferente sanctione apertissima §§. 784 *et seq. greg. codicis.*

§ 5. Caeterum extrinsecis etiam hisce omnino sepositis facile quidem circumscriptionis ruebat petitio, ejusdem meritis intimius perscrutatis. Ad id siquidem unum universum illius fundamentum coercebatur, quod nefas omnino foret tum s. Rotae auditorio, tum eo vel fortius novissimo causae Ponenti, mandati relaxationem, seu ordinem executorium pro supplemento pretii in rotali sententia adjicere, qualibet prorsus hujusce rei mentione deficiente in primaeva dubii formula, quae litis solet subjectum apud sacrum illud tribunal praefinire, cujusque fines praetergredi ei nullatenus licet. Verum nil evidentius quam regulam a Gavottiis invocatam alienissimam prorsus natura sua esse a proposita contentionis thesi. Mandatum enim seu Ordo executionis nil aliud exhibet, nisi partem mere accessoriam, pedissequam, ac veluti necessariam et inseparabilem a re in judicium adducta, uti est etiam victi ad expensas condemnatio, quae ex jugi constantique s. Ordinis stylo cuilibet sententiae adjici perpetuo solet, quamvis sub dubio haud comprehensa. Licet hinc nulla fuerit de eo mentio in rogationis formula adhibita, valide tamen et ab omni procul jurisdictionis defectu in rotali sententia adjici valuit, nec nisi inepte hujus nullitas carpitur, perinde ac jurisdictionis limites Ponens excesserit.

§ 6. Nil enim vulgatius et antiquius in foro quam cuilibet judici impune licere sententiam suam nominatim et expressim porrigere ad ea cuncta, quae licet in actoris libello (cujus vices apud s. Rotam dubii formula gerit) haud continenatur, vel tacite tamen et virtualiter sub eo comprehenduntur, vel tamquam accessoria, aut consectaria ex eodem dimanant, quemadmodum pest *text. in leg.* 40 *ff. de rejudicata, et in leg.* 1 *et seqq. cod. si a non competenti judice judicatum esse dicatur*, communi edocent calculo *Bruneman. in comm. ad cit. leg.* 1 *et ult. cod. si a non compet. jud., Vantius de nullit. tit. de nullitate ex defectu processus sive ordinis judiciarii num.* 96 *et seq., Scaccia de sententiis et rejudic. gloss.* 14 *qu.* 17 *n.* 16 *et seq.* et perbelle, ac magistraliter *Rota coram Coccino dec.* 136 *num.* 3 *et cor. Ansaldo dec.* 30 *num.* 36 *ac seqq.* Quod sane locum potissimum obtineat oportet in themate, quum ex praxeos, quibus vivimus, legibus, mandatum, seu ordinem exequutorium cuilibet sententiae cancellarius ipsemet adjicere ex officio hodie teneatur, teste §. 609 *in fine vigentis codicis.* Plus enim quam fando exprimi valeat, luculenter ex eo eruitur, nil aliud in praesens in eo contineri, nisi consectarium mere accessorium et veluti necessarium cuilibet judicio virtualiter inhaerens.

§ 7. Neque recte Gavottii regerebant tum ex juris dispositione, tum ex s. Ordinis decisionibus quae rotali sententiae facem normamque praebuerunt, optionem sibi competere aut adjudicata dimittendi bona aut supplendi justum pretium, quam caeterum optionem rotali postea sententia, sive mandati relaxatione ibidem adjecta, fuisse sibi penitus ademptam blaterabant. Misso enim, compensationis judicio postea instituto, Gavottius ipsus satis superque declarasse a bonis restituendis sese omnino abhorrere, quod caeterum neque in eorum quidem facultate amplius erat, cum adjudicata bona jamdin distraxerint, hoc inquam penitus misso, duo potissimum propositam difficultatem funditus diluebant. In enque versabatur primum, quod tum s. Ordinis rescriptum, tum pars altera ac princeps rotalis sententiae, quam sartam tectam servari Gavottii ipsi hodie urgebant, de optionis jure iis competente nullatenus meminerat, sed conceptis sanciverat verbis « *esse locum supplemento pretii* ». Si quid hinc vitii ex qualibet prorsus omissa optionis mentione rotali sententiae impingere in praesens liceret, vitium hujusmedi non eam sententiae partem respiceret, quae mandatum seu ordinem executorium relaxavit, et in discrimen dumtaxat hodie adducitur, sed partem potius alteram afficeret quae solemni ritu declaravit « *esse locum supplemento pretii* ».

§ 8. In eo vero alterum longeque gravius residebat, qued rotales nimirum sententiae non aliter quidem latae perpetuo censentur, nisi ad tramites decisionum, quibus nituntur et ad quas expressim soleut referri, ab iisque proinde pariter interpretationem suam ita accipiunt, ut quidquid in decisionibus continetur, tamquam expressim in sententiis habeatur, ad tradita per *card. De-Luca de praeeminentiis disc.* 4 *num.* 8 *et miscellan. eccl. disc.* 38 *num.* 7, *Rot. dec.* 75 *num.* 16 *p.* 9 *rec., dec.* 327 *num.* 1 *cor. Buratto, dec.* 1164 *num.* 12 *cor. Emerix, et dec.* 475 *num.* 4 *cor. Ansaldo.* Licet hinc nulla fuerit de optionis jure Gavottiis competente in rotali sententia adhibita mentio, quum jus tamen hujusmodi in s. Ordinis decisionibus, quibus eadem adhaesit, fuerit iis expressim tributum, ex ipsomet legis ministerio in rotali quoque sententia illud adjectum eorumque favore reservatum debet censeri, tum in principe nimirum ejusdem parte quae de pretii supplemento agit, tum in parte altera mere pedissequa et accessoria quae « *pro dicta summa mandatum seu ordinem executorium necessarium et opportunum relaxavit* ». Et ita in acerrimo partium conflicto jus redditum est.

Die 23 novembris 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Augustinus Rempicci — D. Philippus Guarnieri.

—

ANCONITANA AVOCATIONIS ET UNIONIS CAUSARUM

Jovis 14 Septembris 1848.

Argumentum

Petitur unio judicii super nullitate instrumenti, cum altero executivo solutionis: objicitur autem diversa eorumdem qualitas et natura; objicitur equidem personarum diversitas. Deducitur tandem alterum ex eis minime pendere, dum alterum versatur in limine expeditionis.

§ 1. Quemadmodum ex publicis tabulis sub die 11 augusti 1841 exaratis colligitur, ratio mercatoria Moysis Salomoni sociorumque Anconae instituta, mutuam sentatorum 13780 summam dedit comiti Joanni De-Vico Ubaldini hac conditione, ut interusuras ad rationem scut. septem super quolibet centenario et anno comes rependeret « *di semestre in semestre* », atque sortem principem intra sexennium restitueret. At quoniam hoc sexennium effluxit, quin comes non modo de sorte principe, sed ne de usuris quidem persolvendis sollicitum se praeberet, eadem ratio mercatoria judicium die 12 augusti 1847 coram anconitano civili tribunali instituit petens ut debitor condemnaretur « *al pagamento di scudi* 13780 *sorte di cambio . . . . . . e più al pagamento dei frutti decorsi e maturati a tutto il giorno* 11 *agosto* 1847 *e residuati alla somma di scudi* 2649, 40 ». Quam instantiam die 14 septembris 1847 propositam tribunal summariam declaravit, licet postea dilata pluries fuerit, donec die 28 martii 1848 decretum ediderit « *alla seconda udienza per la decisione* ».

§ 2. Dum causa hoc modo in expeditionis limine versabatur, aliud comes judicium die 3 aprilis 1848 instituere excogitavit adversus quemdam Josephum Salomoni, qui non Anconae, ubi ratio creditrix mercatoria, sed Firmi degebat, ut instrumenti crediti frugiferi nullitatem obtineret. Sed quia nil commune erat inter memoratam rationem ac Josephum Salomoni, istius procurator judicio se sistens declaravit « *di impugnare la qualità attribuita al suo cliente di rappresentare la ditta Moisè Salomoni e compagni* ». Hoc tamen nihil obstante comes eadem die 3 aprilis, etsi posterius judicium nondum contestatum fuisset, recursum pro causarum unione coram supremo nostro tribunali penes anconitanos judices interjecit ut praecedentis judicii suspensionem, quam reapse obtinuit, consequeretur.

§ 3. Quo facto ac de obtenta suspensione satis superque contentus nunquam de eodem recursu apud supremi nostri tribunalis acta reproducendo cogitavit, sed e contra recursum eumdem non semel dumtaxat, aut bis, sed terque quaterque ac veluti per jocum creditori nunciavit cum citatione semper pro causarum unione. Quare mercatoria Moysis Salomoni ratio ne ulterius in damno haereret, utque tandem quodlibet obstaculum averteret, coram supremo nostro Ordine institit petens « *declarari non esse locum petitae ex adverso avocationi et unioni, ideoque rejici dictum recursum instanti ultimo loco notificatum die* 25 *maji* ». Quam instantiam PP. hodiernis in comitiis, comite vadimonium deserente, favorabiliter exceperunt rescripto « *Nihil* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 4. Et merito quidem ita decisum est. Scriptum siquidem legitur in §. 1052 vigentis praxeos « *Non è ammissibile il ricorso per l'avocazione o riunione delle cause . . . .* 2. *quando la causa da avocarsi o riunirsi non sia pendente;* 3. *quando l'una o l'altra causa sia in istato d'esser decisa . . . . .* 4. *quando avuto riguardo alle circostanze ed alla qualità dei giudizi rispettivi, si riconosca che il ricorso è diretto ad impedire e ritardare il corso dell'uno o dell'altro* ». Jamvero haec singula in themate concurrebant. Ac praeprimis deerat litis pendentia. Constabat enim citationem pro instrumenti nullitate trasmissam fuisse eadem die, qua unionis recursus interpositus fuit, die scilicet 3 aprilis, licet praedicta citatio

nonnisi die 5 maji apud acta producta fuerit. Semel ac igitur citatio super instrumenti nullitate nondum producta fuerat, quo tempore recursus interjiciebatur, prono velut alveo fluebat defuisse quamlibet litis pendentiam, quia lis pendens dici nequit, donec contestata non sit, et tunc contestata dicitur, quando judex petitione proposita et responsione audita, causam cognoscere incipit, *ad text. in leg. res in judicium cod. de litis contestat.*

§ 5. Quid vero cum solutionis causa in expeditionis limine jam versaretur ea die qua recursus interjiciebatur? Patebat enim anconitanum tribunal in audientia diei 28 martii 1848 hoc decretum in ea causa edidisse « *alla seconda udienza per la decisione* », ita ut sententia proferenda esset die 4 sequentis aprilis. Hinc quoniam recursus fuerit die 3 aprilis interjectus, et postridie nunciatus, palam erat eumdem fuisse a comite interpositum, dum causa in expeditionis limine versabatur, dum scilicet nil aliud praeter sententiam eadem recursus die edendam desiderabatur.

§ 6. Dein recursum pro unione ideo dumtaxat a comite interjectum fuisse patebat ut cursum judicii super solutione quomodocumque retardaret. Etiamsi enim hactenus dicta seponerentur, tunc tamen causae tantummodo uniri potuissent, cum par illarum qualitas, conditio et natura extitisset, quando nempe utrumque judicium ordinarium fuisset, vel utrumque executivum, quia lex prohibet quominus unio decernatur quoties haec conditio desit, quum judicia executiva cum ordinariis copulari minime debeant, ne celeritas in executivo judicio servanda turbetur ab ordinario, quod involutum est, altioremque indaginem requirit, quemadmodum supremus noster Ordo semper tenuit, ac praesertim in *Romana circumscript. et avocat.* 17 *septembris* 1839 §. *fin. coram R. P. D. Morichini, et in Ferrarien. avocationis et unionis causarum* 20 *julii* 1840 *coram me.* Nulla autem dubitatio, quin judicium a mercatoria ratione institutum super solutione inter summaria recensendum esset, sive quia utpote tale ab ipsismet anconitanis judicibus declaratum fuit, sive quia publico instrumento nitebatur, ita ut nullam admittere dilationem valeret. Judicium e converso a comite promotum ordinarium omnino erat, quum in isto ad trutinam revocandum esset num instrumentum aliqua nullitate laboraret, quod judicium implexum satis erat, ac per longiores circulos definiendum. Nullo ergo pacto comparari istud poterat cum altero executivo solutionis, quod citissime tractandum et definiendum erat, ne expeditissima negotia maximo societatis detrimento intercipiantur, cujus utilitas expostulat ut obligationes certae sint quo magis fieri possit, et in illarum executione nulla mora patretur.

§ 7. Demum deerat litigantium identitas, quae necessaria omnino erat ut judicia simul unirentur. Ratio quippe mercatoria Salomoni, cum qua comes frugiferum debitum contraxit, Anconae degit, non Firmi. At debitor de via sibi ad recursum interjiciendum sternenda sollicitus, ob id ad amussim alium Salomoni, quemdam videlicet Josephum nil commune cum anconitano mercatore habentem vadatus est, ut nempe coram diversis judicibus novam causam instauraret. Quod quidem in causa fuit, ut Josephi procurator se in judicio sistens declaraverit suum clientem Firmi immorantem extraneum prorsus esse rationi mercatoriae Moysis Salomoni anconitani. Studiose itaque comes unam pro altera persona in jus vocasse dicendus erat, quia ipse tutissime sciebat mutuum se a Moyse anconitano, non a Josepho firmano accepisse, atque nonnisi hac versutia recursui viam sibi sternere posse. Quocumque igitur sub aspectu res perpenderetur, petita unio erat semper deneganda. Atque ita etc. ratione tantum mercatoria sua jura deducente, decisum est.

Die 20 decembris 1849 « *Ad D. Auditorem juxta petita per viam nullitatis* ».

Procuratores — D. Stanislaus Vannutelli — D. Maximilianus Nannerini.

FERRARIEN. RECUSATIONIS JUDICIS

Jovis 14 *Septembris* 1848.

Argumentum

Decisio CLXII in novum certamen adducitur — Quaeritur insuper an interpositio recursus super judicis recusatione ad jurisdictionem eidem auferendam sufficiat — Disputatur denique de vi acceptationis hujusmodi recursus, nec non de abstentionis declaratione et de subrogatione alterius judicis, pendente ejusdem recursus definitione, peractis.

§ 1. Recusationem *advocati Pauli Clarusi* judicis in altera sectione tribunalis primi gradus Ferrariae sedentis, quam legitimo penes acta interjecto ad supremum nostrum Ordinem recursu ex consanguinitatis vel affinitatis causa cum aliquo ex collitigantibus efflagitaverat advocatus Franciscus Bonaccioli, PP. mei in primo quaestionis periculo reprobarunt, ceu patet *ex decisione* in vulgus edita *die* 6 *julii nuper elapsi*, cui titulus *Ferrarien.* ab R. P. D. meo Ferrari. Verum ad legis stateram renovato hoc mane certamine, novisque juribus atque argumentis per victum advocatum Bonaccioli allatis, suprema isthaec justitiae aula, ea qua praestat sapientia ac docilitate, consilium in melius mutare putavit veteri abrogato, ac recenti edito rescripto « *Esse locum recusationi judicis* ».

§ 2. Petitam enim fuisse a recurrenti advocato Bonacciolio penes supremum hocce tribunal judicis Clarusi recusationem cuique facile patebat ex perpenso libelli spiritu ac ratione, quibus prae cortice verborum omnino standum esse ad praefiniendum quid in judicium venerit, jam pluries docuit *post textum in leg.* 61 *ff. de judic.*, *et in leg.* 83 *ff. de verb. oblig.* supremi hujusce senatus auctoritas *in Viterbien. circumscriptionis* 4 *februarii* 1847 §. 3 *coram Rmo P. D. Ferlisi decano*, *in Maceraten. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 19 *augusti* 1847 §. 3 *coram Amici*, novissime vero in *Romana circumscriptionis* 13 *aprilis* 1848 §. 2 *coram me*. Ab adductis autem inter nova jura per eumdem Bonacciolium positionibus, quas a seipso exhibitas ob detrectatam per Joannem Barbi Cinti responsionem tum censura §. 738 *vigentis adhuc praxeos*, tum ferrariensium triumvirorum decretum quod eas admisit, ita haberi jubebat, nempe « *si riterranno i fatti contenuti come veri e confessati* », in propatulo ibat causidicum *Vincentium Pareschi*, qui judicis Clarusi certo certius levir est, in causa de census proprietate deque fructuum solutione non modo illius Barbi Cinti defensoris partes agere, sed etiam eodem jure, parique interesse pollere, cum insimul censum in societate acquisiverint. At neminem latet, ad judiciorum libertatem vindicandam lege cautum esse, ut justa intercedente causa, quas inter adest animi affectus erga aliquem ex collitigantibus propter consanguinitatem, affinitatem, familiaritatem, judex valeat recusari. Textus est apertissimus quoad affinitatem *in leg.* 10 *ff. de jurisd.*, *et in leg.* 5 *ff. de injur.*, cui cohaeret *nupera*, qua adhuc moderamur, *praxis in* §§. 1053 *et* 1054 *num.* 5.

§ 3. Et frustra, qui Barbi Cinti jura tuebatur, proximam judicii alae immutationem praevidens suadere conabatur saltem rescribendum esse « *Provisum* », sive quia tam sui clientis, quam alterius collitigantis *Herculis Della Fabra* delaratione, qua acceptum habere dixerunt recursum, sive quia judicis Clarusi abstentione, et advocati Crema justa licet subrogatione, petitae recusationi jam plene satisfactum ac consultum fuerat. Ad hanc enim rogationem repellendam Patribus meis satis fuit perpendere simplicem de judicis recusatione recursum interpositum minime ei jurisdictionem auferre, sed tantum suspendere, *cap. quoties* 2 *quaest.* 6 *ubi gloss. in verbo appellant*, *et cap. quod suspecti* 3 *quaest.* 5 *ubi gloss. in verbo canonice;* ita ut non probata legitima suspicionis ratione judex in causa valeat procedere; secus vero si jurisdictione statim careat, *ad textum in capit. cum speciali de appellat.* Pendente ergo recursus definitione, qui judicis jurisdi-

ctionem in incerto tenet, nil sive ab eodem judice sive a partibus innovari poterat, ac proinde nihili facienda erat allata declaratio, abstentio atque subrogatio, cum praesertim neque leges nostrae sinant prae arbitrio vel privatorum consensum judices facere, *leg.* 1 *ff. de judic.*, *et leg.* 3. *cod. de jurisdic. omn. judic.*, vel ipsos judices decreta adhuc excusatione destitutos sese a ferendo judicio abstinere, *leg.* 13 §. 2 *ff. de vacat. et excusat. muner.*, neque insuper propriam a quovis praeoccupari potestatem pati queat supremi nostri tribunalis majestas, cui uni de judicum recusatione, seu de tollenda vel servanda illorum jurisdictione, quod tantummodo summi imperantis est, regio jure reservatum fuit judicium, sic lege qua modo vivimus, ferente in §. 338; « ibi » *Il tribunale supremo di Segnatura conosce e giudica in nome e vece del sommo Pontefice . . . . . 4. Le questioni concernenti la ricusa de' giudici per legittimo sospetto* ». Atque ita etc. utraque etc.

Vide Decis. CLXII.

Die 23 Novembris 1848 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Vincentius Binarelli — D. Joannes De-Romanis.
D. Joannes Baptista Roseo.

Prot. 78 / 1848 — R. P. D. ARNALDI — Decisio CLXVI.

Maceraten. Unionis

Jovis 14 *Septembris* 1848.

Argumentum

Judiciorum unio postulatur quorum altero adversus haeredem scriptum petitur possessio cappellaniae ex lege fundationis, altero contendit haeres eamdem in auctore suo liberam mansisse in vim gallicae legis quae fideicommissa delevit.

§ 1. Maceratense Xenodochium haeres scriptum exeunte anno 1847 a Carolo Illuminati, quem gentis illius ferunt postremum, haereditariae substantiae possessionem ubi cepit, praedio est potitum, quod defunctus auctor habuerat quidem, verum cappellaniae titulo habuerat tum ea cum lege ex voto institutoris qui fuerat Antonius Angeletti circa annum 1740, ut eam primo loco haberet gens Illuminati, et hac deficiente haberent Minores Conventuales, quibus substitui mox jusserat « *i Padri Domenicani* », dein « *il Suffragio* », atque demum « *la Casa Lauretana* ». Qua idcirco fundationis lege spectata praedium illud post Caroli funus, quippe quem postremum gentis illius diximus, ob suppressum jamdiu Conventualium coenobium ad se spectare contendit Guzmanitarum familia. Nullam itaque irritamque occupationem illam clamabat Conventus, et nullam sane irritamque renunciari petiit coram maceratensi vicario; Xenodochio idcirco rejecto, immissionem sibi seu conventui decerni postulavit. Sed unum post mensem atque alterum fere elapsum ab instituta sic lite, instituit Xenodochium contra Conventum, vocata etiam in jus Lauretana Domo quae in ultimam spem dicebatur instituta, coram lauretana episcopali curia, ut decerneretur quod jussa illa cappellania, quippe quae ob substitutiones plures, ceu innuimus, « *importa un vero fideicommisso* », ex notissimis probatisque gallicis legibus in postremo illius possessore Carolo Illuminati libera manserit atque idcirco potuerit ad haeredes transmitti; interposito mox recursu ad supremum Signaturae tribunal postulavit, ut litem quae instituta jam primum fuerat immissionis a Conventu coram maceratensi curia, uniri mandaretur cum novissima hac lite super fideicommissaria fundi qualitate; vicissim at postulavit Conventus ut unio mandaretur causarum coram tribunali episcopali Maceratae, uti judice praevento.

§ 2. Disputatum de re fuit in comitiis diei 29 praeteriti mensis, et quia nondum apud Ordinem nostrum comparuerat Lauretanae Domus commissarius, differri causam

petiit Nosocomii moderator, et voti sui compos fuit factus; denuo autem hodie proponi causam quum contingerit, denuo institit moderator ipse eadem adducta causa ut novae dentur induciae; nimium at ipsum praesumere adparuit, ac rejecta proinde diuturnioris morae instantia, pro informante fuit responsum « *Ad tribunal ecclesiasticum Maceratae quoad omnes et omnia, et reproponatur* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 3. Novae ne darentur induciae causa erat quia tempus satis longum erat elapsum, cujus spatio mens si fuisset Lauretanae Domus commissario comparendi, ut dicunt, comparere potuisset commode; id facere quum omiserit, conjici facile potest non hanc ipsi mentem esse, eo magis, tum quia substituta ultimo loco fuit Lauretana Domus, cujus proinde vocationis remota spes admodum est quominus ita sit rei sollicita ut litem suscipere tentet sibi nullimode profuturam fortasse, cujus idcirco sumptus atque molestiae non certa spes sit futurum ut aliquo modo compenseutur; maxime tum lis ista quum debeat cordi esse conventui, praesumi prorsus non potest futurum, ut indefensa lis maneat; certo immo sperandum fore ut totis viribus pugnet conventus; communem itaque causam satis agat Conventus, quin arma sua jungendi opus habeat Lauretana Domus; non praeterenndum tandem quod feriis imminentibus, tanto difficiliores aures esse debent in induciis concedendis.

§ 4. Quin porro unio decerneretur causarum dubitandi ratio nulla esse poterat; hujusmodi enim unio quum tunc soleat decerni quando causarum plurium coram diversis judicibus pendentium eadem sit continentia, et fieri nihilominus posset ut ex diversis judicibus unus sententiam teneret plene discrepantem ab alterius judicio, quod si contingeret sententiarum oriretur conflictus, quae res absona foret omnino, huic igitur sententiarum conflictui ne detur occasio, unio causarum a lege conceditur et prudenti consilio decernitur.

§ 5. Atqui continentia haec causarum maxime comperitur in themate; specie tenus enim diversa licet adpareant judicia, quippe unum coram maceratensi vicario institutum eo spectat ut nullitas decernatur possessionis per maceratense Nosocomium adeptae, qua occasione Caroli Illuminati haereditatem sibi delatam adivit, atque ut ejecto Xenodochio immissio detur Conventui; judicium porro alterum coram lauretano vicario institutum eo spectat ut fideicommissaria renuncietur fundi istius originaria qualitas, et solutum postmodum vinculum in actuali possessore renuncietur; una tamen eademque ratio decidendi utrique causae est communis, una eademque investigandi ratio, una eademque ratio utramque causam informat.

§ 6. Eatenus enim nulla aut valida erit renuncianda occupatio, quatenus fundum hunc habuisse Carolum Illuminati cum vinculo restitutionis judicetur, vel procul ab ullo vinculo; nulla scilicet occupatio erit dubio procul, si cum vinculo restitutionis habuisse fundum istum Carolum Illuminati constiterit, qui ad substitutos idcirco transire deberet post ipsius obitum, quique consequenter nec in haereditate comprehendi, nec ab haerede occupari potuisset; valida e contra erit judicanda occupatio si libere ad Carolum Illuminati spectasse fundum istum constiterit, quem itaque ad haeredem suum rite transmiserit unacum reliquo asse, quo in casu jure occupasset haeres. Itaque tanta est causarum continentia ut discrimen aliud nullum adsignari posse comperiatur, nisi quod *per viam actionis* investiganda proponitur fundi qualitas in judicio uno coram lauretano judice, et per viam *exceptionis* investiganda necessario erit qualitas haec ipsius fundi coram judice maceratensi, unde occupationis nullitas aut validitas consequatur; vere igitur maximum adest discrimen ne sententiarum oriatur conflictus si coram diversis judicibus processerint causae, quum contingere possit quod judex unus fideicommissariam renunciet fundi qualitatem, qui itaque fundus liber evaserit in Carolo ob soluta fideicommissaria vincula, quem idcirco ad haeredes transmittere potuerit, et jure occupaverit haeres; contingere item possit quod non confundendum esse juspatronatus cum fideicommisso teneat judex alter, et ab solutis idcirco fideicommissi vinculis non bene inducatur soluta item fuisse ju-

rispatronatus vincula, hinc deficiente Carolo gentis illius postremo, ad substitutos transiisse jus istud patronatus, transiisse fundum, quem idcirco Carolus Illuminati transmittere non potuerit ad haeredem, neque haeres occupare. In tanta rei evidentia necessario erat unio decernenda causarum; immo adeo manifesta necessitas ista ut perspectam eam haberet pars utraque, et revera tum Xenodochium, tum Conventus uniri causas instarunt. Unica erat quaestio an lauretano vicario lis una atque altera esset amandanda, ut petebat Xenodochium, an potius curiae episcopali maceratensi, ut instabat Conventus. Qua porro in quaestione aeque Patribus planum compertumque fuit amandandas esse causas maceratensi vicario.

§ 7. Est enim patula lex in gregoriano codice scripta §. 1050 « *Quando una causa medesima, ovvero più cause fra di loro connesse, o l'una dall'altra dipendente sono introdotte avanti diversi giudici o tribunali . . . . . . , il tribunale supremo riunirà le cause, e le rimetterà al giudice o tribunale che sarà stato prevenuto nella causa di entità maggiore . . . . . .* ». Par siquidem est causae utrinsque aestimatio ex valore fundi desumenda, quam pars utraque sibi arrogat diverso licet titulo innixa; quamobrem unum superest investigandum uter fuerit ex judicibus praeventus. Atqui praeventum fuisse maceratensem vicarium non ambigitur; ad maceratensem igitur judicem amandandam rem omnem esse prono sequitur alveo, quod fert ad amussim editum per Patres rescriptum legibus consentaneum. Et ita etc. utraque etc.

Die 14 decembris 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Aloysius Cicconetti.

Prot. 86/1848 R. P. D. VICI Decisio CLXVII.

Septempedana Avocationis et Unionis Causarum

Jovis 14 Septembris 1848.

Argumentum

De vindicatione servitutis et de manutentione in ejusdem possessione — An instantia reconventionalis immutare valeat qualitatem judicii principalis — De judiciorum praejudicialitate — Quid in summariis judiciis inspiciatur, quid in ordinariis — An judicium executivum cum ordinario jungere liceat.

§ 1. Molendinum frumentarium quod Thomas Marantoni in emphyteusim habuerat a municipio Montis Milonis, a proprio exercitio mense martio anni 1846 cessaverat, eo quod flumen vulgo « *Potenza* » aquis praeter modum redundans aquaeductum vastaverat, cujus ope molendinum illud exercebatur. Ut hujusmodi damnum a se averteret Marantonius, confugit ad clericos regulares collegii sanctae Mariae luminum Septempedae, qui agrum possident aquaeductui conterminum, et ab eis supplex veniam petivit novum aquaeductum in agro eodem extruendi, ad hoc ut aquae fluminis illius per hunc defluentes molendinum iterum excitarent. Id tamen Marantonius aperte declaravit eventurum « *per modo di provvisione da non indurre mai diritto* », nec non sese expresse obligavit veterem aquaeductum in pristinum esse illico redacturum, ut ita clericorum ager quamprimum evaderet a novo onere immunis.

§ 2. Vota Marantonii obsecundarunt clerici regulares, sed ea quae promiserat, ille nequaquam explevit. Hinc clerici anno fere elapso a novi aquaeductus in eorum agro facta extructione, illum in judicium vocarunt coram tribunali civili Maceratae ut ipse adigeretur ad ea quae promiserat explenda. Tunc Marantonius alterum coram vicario generali septempedano judicium instituit adversus clericos, et in vim servitutis, quam sibi dixit competere uti emphyteutae municipii Montis Milonis postulavit « *senza attendere qualunque siasi dichiarazione per parte dell'istante* » manutentionem « *nel quieto e pacifico possesso del nuovo acquidotto* », jusque sibi esse contendit aperiendi semper et quandocumque « *canale vallato ad uso*

di acquidotto per animare il molino », instans deinceps etiam pro unione judicii illius cum alio a clericis instituto coram tribunali Maceratae.

§ 3. Sed paulo post consilio mutato reconventionalem edidit instantiam penes tribunal idem, in qua nullitatis redarguens obligationem favore clericorum a se signatam, petiit ut absolveretur ab executione eorum omnium, quae in eadem obligatione comprehensa ut ipsemet perficeret, clerici judicialiter a tribunali maceratensi efflagitaverant. Qua instantia emissa recursum Marantonius emisit unionis et avocationis judicii illius cum altero instituto coram vicario septempedano apud supremum nostrum Ordinem, quem indixit etiam monasterio divi Josephi Montis Milonis, quod jam in judicium vocaverat coram eodem vicario. Cum tamen monasterium solemniter declaraverit nullum interesse habere in hac unionis controversia, hinc evenit ut de justitia recursus disceptatum in hodiernis comitiis fuerit inter Marantonium et clericos tantum regulares. Patrum tamen suffragia sibi adversa expertus fuit Marantonius in vim rescripti « *Nihil* », munere mihi dato decisionem vulgandi.

§ 4. Diversae namque judiciorum indoles et natura prohibebant omnino ut petita a Marantonio unio decerneretur. Judicium siquidem a clericis regularibus institutum coram tribunali Maceratae executivum est ac summarium ullo procul dubio. Id sibi primum vult petita ab ipsis restitutio in pristinum agri ad eos spectantis et amotio novi aquaeductus in eo a Marantonio exstructi; id deinceps postulat actio ab illis in id proposita, atque eruta ex promissionibus Marantonii, atque ab obligationibus ab eo susceptis; quae sane omnia qualitatem demonstrant executivam judicii ipsius. Marantonius e contra a vicario septempedano petiit nullitatem obligationis susceptae erga clericos regulares, et servitutis sanctionem, quam sibi competere contendit super clericorum agro, ac proinde facultatem novum molendinum in eo ad sui beneplacitum extruendi. Haereri hinc neutiquam valet ordinarium judicium fuisse ab eo institutum dum illud in se continebat salebrosas quaestiones et nonnisi post maturius examen definiendas, id quod naturae judicii executivi conveniri nequaquam potest. Ast cum res sit de judiciis indole et qualitate diversis, fieri nequit omnino ut eorum unio decernatur, ceu continuo statuit *supremus noster Ordo*, ac praesertim in *Pisauren. unionis causarum* 24 *julii* 1828 §. 6 *coram Galimberti*, *in Maceraten. unionis causarum* 17 *decembris* 1840 *cor. R. P. D. meo Lippi*, *et in Ferrarien. avocationis et unionis causarum* 25 *julii ejusdem anni cor. eodem.*

§ 5. Atque in irritum ad unionem suadendam, *indolem judicii ordinarii* a se coram vicario septempedano instituti *in summariam* convertere conabatur Marantonius, eo quod ille in ipso instituit pro manutentione in possessione servitutis. Id namque nemo non videt postulatum a Marantonio fuisse ad fucum tantum faciendum, et ad naturam punctim judicii illius, si fieri potuisset, immutandam. Quomodo namque sperandum Marantonio erat sese a vicario septempedano fore consequuturum manutentionem in possessione servitutis illius, quae non modo exercita ab eo nunquam fuerat, sed quam ne existere quidem et ad se nequaquam pertinere apertissimis confessionibus et facto suo declaraverat, tunc cum pro exstructione novi aquaeductus veniam a clericis impetravit, expressa sub obligatione veterem aquaeductum illico reficiendi, ut hoc modo eorumdem ager quamprimum in pristinum restitueretur, et ab onere eidem imposito ager ille immunis evaderet?

§ 6. Subjectum igitur judicii a Marantonio instituti respicere nequaquam potuit manutentionem in possessione servitutis a se neque cognitae, neque exercitae, neque probatae, sed tantum vindicationem servitutis ipsius, atque nullitatem obligationis erga clericos regulares ab eodem susceptae; quae omnia cum controversiis altiorem indaginem requirentibus causam praebere debuissent, ac quaestiones ullo procul dubio continerent nequaquam profecto in judicio summario absolvendas, qualitatem certo certius constituebant ordinariam judicii illius. Aequo modo nullimode retineri potest *uti judicium ordinarium* illud a clericis regularibus *institutum coram tribunali Maceratae* in vim reconventionalis libelli nudius tertius a Marantonio coram eodem emissi. Etsi in eo Ma-

rantonius nullitatem obligationis a se erga clericos susceptae postulaverit, attamen ejus efficaciae libellus idem haberi nequaquam potest, ut indolem et naturam judicii principalis valeat labefactare. Reconventionales sane instantiae inter petitiones incidentales a lege comprehensae qualitatem judicii principalis nequeunt profecto immutare; alioquin jus cuicumque foret ope incidentalis instantiae judicia ordinaria in executiva, atque haec in ordinaria per metamorphosim convertere, quod absurdum prorsus esset, et a juris prudentiae regulis penitus alienum. Demonstrata hoc modo diversa judiciorum qualitate, unius nempe executivi, alterius ordinarii, fieri nequibat ut eorum unio concederetur.

§ 7. Neque rectius Marantonii defensores, ut unionis necessitatem evincerent, confugiebant ad praejudicialem unius judicii quoad alterum, atque ad sententiarum conflictum qui forte posset evenire, si judicia eadem a diversis tribunalibus forent absolvenda. Ea enim quae in judicio executivo summarie definiuntur, praejudicium nullum afferre queunt quaestionibus postea serius et maturius resolvendis in judicio ordinario. Sententiarum deinde conflictus nequaquam evenire valet in judiciis quorum diversa est qualitas, et quorum proinde resolutionibus praesto sunt diversae judicandi rationes, uti evenit in judiciis summariis et ordinariis. In illis namque inspicitur nudum factum, una contractus existentia, simplex obligatio a reo emissa. In judiciis ordinariis e contra res maturius perpenduntur, ampla competit litigantibus facultas ad quaestiones juris revolvendas, quae conveniunt propositis actionibus, ac minime nudum factum, simplex obligatio, sed contractuum etiam validitas et justitia ad trutinam revocatur, ex quorum omnium cognitione et examine manifeste appareat quid reapse egerint contrahentes, quaeque sint intrinseca contractuum vitia ac defectus. Hinc non raro accidit, ut qui damnatus fuerit in judicio summario, absolutus deinde evadat in judicio ordinario. Non ob id tamen evenisse tenendum est sententiarum conflictum legibus adversum, dum id accidere tantum valet in judiciis unius ejusdemque speciei, nequaquam vero in iis diversae indolis et qualitatis, et quorum resolutioni causam dederunt diversae decidendi rationes. Ita constantissime tenuit *noster Ordo*, ceu videre est *in Caesenaten. circumscriptionis et avocationis* 13 *decembris* 1827 *num.* 2 *coram Olivieri*, *in Romana avocationis et unionis causarum* 3 *augusti* 1837 *coram Grossi*, *et in Bononien. avocationis et unionis causarum* 3 *augusti* 1843 *coram eodem.*

§ 8. Denique minime Patres effugiebat quod perspecta actorum serie, non immerito praesumi valeat ad id unum unionis recursum fuisse a Marantonio interpositum, ad removendum nempe exitum judicii executivi a clericis regularibus coram tribunali Maceratae instituti. Ceu hujusmodi illius propositum demonstrat non solum recursus unionis primum ab eo editus et deinde minime continuatus cum judicium illud foret definitioni jam proximum, verum etiam demonstrant acta judicialia postea ab eo gesta, et reconventionalis libellus coram tribunali eodem ab ipso emissus, ita verendum maximopere est alterum unionis et avocationis recursum, de quo hodie disceptatur, fuisse a Marantonio interpositum ad inducias tantum captandas, et ad judicii resolutionem quae jam evenire debebat usque a mense augusti anni 1847, magis magisque remorandam. Eo fortius igitur petita per eum unio erat rejicienda, ita jubente §. 1052 *legum neotericarum num.* 4, juxta cujus censuram cum hujusmodi suspicio praesto foret, causarum unionem respuit *supremus Ordo noster in Bononien. unionis* 12 *septembris* 1844 *numer.* 5 *coram R. P. D. Mertel nunc sacrae Rotae auditore*, *et in Romana unionis causarum* 3 *septembris* 1846 §. *ultimo coram R. P. D. Conventati.* Et ita etc. utraque etc.

Die 14 decembris 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Aloysius Cicconetti.
D. Joseph Vasselli.

Prot. 205 / 1847 R. P. D. FERRARI DECISIO CLXVIII.

PERUSINA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 14 Septembris 1848.

Argumentum

An sententiae acceptatio, quae ab acquiescentia et voluntaria executione oritur, beneficium auferat restitutionis in integrum.

§ 1. Solemnibus tabulis diei 28 decembris 1845 marchio Hyeremias Misciattelli nonnulla bona in agro perusino sita a Josepho et Laurentio Paolotio coemit pretio scut. 5683, 45, pacto tamen quod tunc solum perselvendum esset, quum eisdem praediis a duabus hypothecariis inscriptionibus ad vim scut. quinque millium assurgentibus liberatis, tutum investimentum promptum fuisset, ac praemissa sex mensium disdicta. Hujus nominis ratam pro summa scuter. 258 Joseph Paolotius Caesari Vitali suo creditori cesserat, qui conditionis implemento minime expectato Misciattellium coram tribunali perusino provocavit, ut cessum nomen persolveret. Vadimonio a debitore deserto amicam sententiam obtinuit, quam licet victus acceptam habuisset, beneficium tamen restitutionis in integrum postulare non dubitavit. At propositum recursum PP. mei rejiciendum existimarunt rescripto « *Nihil* ».

§ 2. Nam praetermisso examine utrum tempore editae actionis dies solutionis cessisset atque venisset, illud peremptorium visum fuit, quod Hyeremias post sententiam vim persolvit scut. 100 in partem debiti, atque insuper in dispunctione rationum quae inter ipsum atque Paolotios intercessit, reliqua vis uti jam persoluta ejus credito recensita fuit. Quibus factis sententiam certo certius acceptam habuit. Nam non solum acquievit « *alle disposizioni* » ejusdem sententiae, sed eam ultro libenterque executus fuit. Nequit itaque restitutionem in integrum obtinere. Nam sententiae acceptatio, quae ab acquiescentia atque executione voluntaria prodit, non solum impedimento est quominus appellatio interponi possit, sed beneficium quoque restitutionis in integrum adimit, uti articulo formiter discusso decisum fuit *in Romana restitutionis in integrum* 12 *martii* 1840 *coram R. P. D.* meo *Ferlisi decano.*

§ 3. Quam praxis regulam Hyeremiae defensores non impugnabant, toti in eo ut suaderent solutionem scut. centum expletam fuisse « *per un mero piacere* », procul ab animo acceptam habendi sententiam. Haec vero defensionis ratio plausum penes Ordinem nostrum minime invenit. Nam perpensum fuit, quod vice expletae solutionis appellationem a sententia tribunalis Perusiae interponere Hyeremias poterat. Si igitur persolvit quin appellationis remedium experiretur, rem profecto gratam Caesari fecit; quod si facere noluisset, mutuam scut. centum summam dedisset, et mutui syngraphs scripta fuisset, minime vero acceptilationem pro vi scut. centum recepisset; ex qua agendi ratione palam est scutata centum numerata fuisse in aeris alieni solidationem, minime vero « *per un mero piacere* ».

§ 4. Quod adeo verum est, ut « *in un conteggio che* (Hyeremias) *fece con il Paolozzi medesimo e di lui rappresentanti nel dì* 30 *ottobre* 1846 » non solum solutionis scut. centum ratio habita fuit, sed insuper integrum creditum quo Vitalius erga Josephum Paoletium pollebat, « *fu* ipsi Hyeremiae *abbonato* », ita testante Philippo Dejo curatore Laurentii et Josephi Paolotii bonis dato. Si igitur Hyeremias curavit ut summa Vitalio soluta atque solvenda suo credito in dati et accepti rationibus referretur, apertissimum erat, quod perusinae sententiae acquieverat, illam imo ultro libenterque executus fuerat, proindeque *attenta acceptatione* in integrum restitutionem obtinere nequibat. Et ita etc. utraque etc.

Die 14 decembris 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Petrus Proja — D. Angelus Bonoli.

Romana Avocationis et Unionis Causarum

Jovis 23 *Novembris* 1848.

Argumentum

An judicium super praelatione in conductionem domus summarium sit, vel ordinarium — An instantia reconventionalis indolem judicii principalis immutare, vel actionem executivam turbidis exceptionibus retardare valeat — Quae requirantur ad identitatem, vel connexionem et praejudicialitatem causarum constituendam.

§ 1. Venerabilis congregatio s. Hieronymi Illyricorum urbis privata syngrapha diei 17 martii 1845 locavit ad triennium advocato Emygdio Cesarini, qui tunc legalis procuratoris munere in negociis ejusdem congregationis fungebatur, primam diaetam domus Romae sitae in vico « *degli otto cantoni* ». Non adhuc emenso triennii spatio Caesarinius inhians habitationem secundae quoque diaetae illius domus, cum noverit eam vacasse, et inde locatam a congregatione fuisse cuidam Camillo Giordani judicium instituit coram R. P. D. Vicesgerente adversus ipsam congregationem, postulans in vim decretorum s. Visitationis praepositae ecclesiae et bonis Illyricorum se praeferri qua procuratorem ven. congregationis in conductione secundae illius diaetae. Ast de observantia decretorum laudatae s. Visitationis deque manutentione Caesarinii in officio procuratoris congregationis Illyricorum lis effervescebat inter Caesarinium et congregationem penes s. Rotae auditorium; proindeque R. P. D. Vicesgerens mandavit supersederi in causa praelationis usque ad exitum hujusce litis.

§ 2. Integro hinc elapso triennio locationis conductionis primae dietae, ven. congregatio in jus vocavit Caesarinium coram secunda sectione tribunalis civilis urbis ut diaetam illam cum annexis liberam restitueret, alias ejiceretur ab ea. Attamen Caesarinius reconventionalem edidit instantiam penes eamdem sectionis tribunalis civilis qua petiit absolvi ab observantia judicii exfractationis tum ob pecuniae vim sibi debitam et a locatrice congregatione retentam in causam pensionum primae diaetae, tum ob quaestionem adhuc in s. Rota pendentem super juribus ab eo deductis adversus ipsam congregationem, tum denuo ob praelationis jus quod in vim antedictorum decretorum s. Visitationis sibi arrogabat etiam super controversa prima diaeta. Duplex ita instituta lis est; altera a Caesarinio coram R. P. D. Vicesgerente super praelatione in conductione secundae diaetae domus spectantis ad congregationem Illyricorum; altera a locatrice congregatione coram civili tribunali pro exfractatione ejusdem Caesarinii a prima diaeta illius domus. Hinc Caesarinius adiit supremum nostrum Ordinem, et recursum emisit avocationis et unionis praefati judicii exfractationis cum altero praelationis instituto penes R. P. D. Vicesgerentem. At ejusmedi recursus rejectus est ex rescripto « *Nihil* », demandata mihi decisionis extensione.

§ 3. Namque expostulatam a Caesarinio unionem respuunt primo indoles et natura judiciorum. Illud equidem in ecclesiastico tribunali R. P. D. Vicesgerentis excitatum ab ipso Caesarinio super praelatione in conductione secundae diaetae domus ad congregationem Illyricorum spectantis ordinarium est, salebrosis quaestionibus implexum, haeretque alteri judicio adhuc pendenti in s. Rota. Praelationis nimirum jus Caesarinius uti procurator legalis praefatae congregationis sibi arregat ex decretis s. Visitationis, cui tutorium ecclesiae et bonorum Illyricorum regimen commissum fuit. At ejusmodi actio extranea est a judiciis summariis recensitis in §. 538 codicis judiciarii, proindeque in judiciorum ordinariorum numerum referenda, prout praecipit insequens §. 539 iis verbis « *Tutte le altre cause appartengono alla classe dei giudizj ordinarj* ». Praeterea pluribus exceptionibus tum facti, tum juris insurgit congregatio in actionem illam praelationis, plurimaque hinc investiganda sunt et funditus expendenda a judice ut mani-

festo constet de jure praelationis per viam actionis deducto a Caesarinio, et de iis per exceptionem oppositis a congregatione. Tandem de existentia et vi decretorum a. Visitationis deque manutentione Caesarinii in officio procuratoris legalis congregationis lis fervet adhuc in a. Rotae auditorio, ita ut R. P. D. Vicesgerens mandaverit, usque ad exitum hujusce litis supersederi in judicio praelationis, quippe quae fundamentum habet in illis decretis et procuratoria qualitate.

§ 4. E contrario autem actio a congregatione promota coram secunda sectione tribunalis civilis pro exfractatione Caesarinii a prima diaeta locatae domus naturam praesefert judicii summarii, et expedita ubique patet, nullisque ambagibus involuta. Enim vero locationis conductionis contractus praelatae diaetae initus ex pacto fuit ad triennium in vim privatae syngraphae, ideoque evacuationis judicium a locatrice congregatione instructum contra conductorem Caesarinium post lapsum praefiniti illius temporis, cum respiciat scripti pacti adimplementum, atque expulsionem ob cessationem conductionis, recensendum est inter summaria judicia ex censura superius citati §. 538, ubi sub *num.* 1 ad summaria judicia referuntur « *le cause che riguardano l'adempimento delle obbligazioni risultanti da atti pubblici o da scritture private* », et sub *num.* 4 adjiciuntur « *quelle che hanno per oggetto . . . . . la espulsione degli inquilini, affittuarj o coloni per finita locazione o colonia* ». Ea autem posita summarii judicii indole, expulsionis instituta actio illa promptam paratamque habet executionem, et exceptionibus utcumque turbidis implicari ac detineri nequit, eoque minus uniri et conjungi valet cum diversa praelationis actione in judicio ordinario promota coram altero judice super diversa diaeta. Devium namque est a judiciaria praxi et a laudabili consuetudine supremi nostri Ordinis unionem decernere judiciorum quae natura et indole inter sese discrepant, ita *in Pisauren. unionis causarum* 24 *julii* 1828 §. 6 *cor. Galimberti, in Maceraten. unionis causarum* 17 *decembris* 1840 §§. 11 *et* 12 *coram R. P. D. meo Lippi, in Ferrarien. avocationis et unionis causarum* 25 *julii d. anni et* 18 *augusti* 1842 §. 2 *coram eodem, et in Septempedana avocationis et unionis causarum* 14 *septembris* 1848 §. 4 *coram R. P. D. meo Vici.*

§ 5. Nec summaria atque expedita indoles judicii exfractationis immutari potuit ex instantia in viam reconventionis opposita a conductore Caesarinio. Siquidem principale judicium suam contrahit naturam ex proposita actione atque ex titulo quo ipsa fulcitur, nec in diversam naturam unquam abit per exceptiones quae a reo objiciuntur. Hinc reconventionales instantiae a judiciaria lege in §. 844 *num.* 1 recensentur inter petitiones incidentales, quippe quae nec naturam nec formam praeseferunt judicii principalis. Advertendum praeterea est maximi momenti altiorisque indaginis quaestionem praebere ea omnia, quae a Caesarinio in reconventionali libello exponuntur ad assequendam absolutionem ab observantia judicii exfractationis, ac de iis litem adhuc pendere in s. Rota ex principali actione ab eodem Caesarinio jamdiu instituta adversus congregationem Illyricorum. Namque in auditorio illo lis est utrum manutenendus sit Caesarinius in officio procuratoris ad lites congregationis, ex qua procuratoria qualitate jus praelationis ipse profert contra instantiam evacuationis. Inibi quoque disceptatur de credito quod Caesarinius sub eadem specie procuratoris jactat in ipsam congregationem, quodque ad effugiendam expulsionem convertere nunc satagit in anticipatam solutionem pensionum controversae diaetae. Adeo autem gravis et implexa difficultatibus constitit quaestio illa, ut in gradu appellationis prodierit favore congregationis sententia revocatoria alterius in prima actione editae pro Caesarinio, et modo in tertio jurisdictionis gradu de viribus utriusque sententiae disputetur. Nefas proinde est actionem summariam et executivam per instantiam reconventionalem implicare, ac retardare turbidis exceptionibus altiorem indaginem requirentibus, atque ordinario judicio discutiendis coram superiori tribunali; ita *Constantin. ad statut. urb. annot.* 46 *art.* 3 *num.* 215, *et supremus hic Ordo in d. Septempedana avocat. et union. causarum* 14 *septembris* 1848 §. 5 *et* 6 *coram R. P. D. meo Vici*, *nec non s. Rota cor. Olivatio dec.* 305 *num.* 3 *et* 4, *cor. Herzan. dec.* 54 *n.* 2, *in Cornetana execution. contract.* 19 *febr.* 1821 §. 1 *cor. Serlupi, ac decis.* 18 *n.* 7 *et* 8 *cor. Pianetti.*

§ 6. Et perperam Caesarinius connexionem ac praejudicialitatem causarum, nec non sententiarum antinomiam praetexere studebat ut petita unio decerneretur. Diversa enim res est per actionem deducta apud distinctos judices, diversaque petitio ad ens delata quoad unam alteramque rem, et aeque diversus titulus, cui unaquaeque petitio innititur. Agitur in tribunali civili de prima diaeta domus spectantis ad congregationem Illyricorum. Agitur coram ecclesiastico tribunali de secunda diaeta illius domus. Exfractationem conductoris Caesarinii a prima diaeta postulat penes judices civiles locatrix congregatio ob cessationem contractus locationis conductionis, et in executionem scripti pacti. Praeferri in conductione secundae diaetae exposcit Caesarinius coram R. P. D. Vicesgerente ex juribus quae sibi arrogat super munere procuratoris ad lites congregationis. Quae igitur connexio, quae praejudicialitas inter utramque causam, quaeve sententiarum antinomia ex illorum contestatione ac definitione penes diversos judices? Quidquid de jure praelationis quoad secundam diaetam constituat in ordinario judicio ecclesiasticus judex, nil addit vel detrabit actioni ad civile tribunal delatae super expulsione a prima diaeta, nec adversatur sententiae quoquomodo edendae in judicio summario quoad expulsionem illam. Posita namque diversitate rei, actionis et tituli in utroque judicio, omnis evanescit causarum identitas, nec ullus oriri potest sententiarum conflictus. Quibus accedit, judicium praelationis suspensum consistere ex decreto R. P. D. Vicesgerentis, qui mandavit causae supersedendum esse usque ad exitum litis in s. Rota pendentis super juribus quibus innititur Caesarinius ad praelationem assequendam in conductione secundae diaetae. Ast judicium evacuationis a prima diaeta obnoxium nullimode est, nec dependens a quaestione illa penes s. auditorium et dirimitur ex nudo facto cessationis contractus locationis conductionis, proindeque nulla inesse valet connexio et praejudicialitas in judiciis adeo diversis natura et qualitate, nec non ex decidendi rationibus utrinque distinctis, ac ex ipso actorum statu, ut advertit noster Ordo *in Caesenaten. circumscript. et avocat.* 13 *decembris* 1827 *numer.* 2 *coram Olivieri*, *in Romana avocat. et union. causarum* 3 *augusti* 1837 *coram eodem*, *in Romana union. et avocat.* 8 *augusti* 1844 *numer.* 3 *coram Mertel*, *in d. Septempedana avocat. et union. causarum num.* 7 *coram R. P. D. meo Vici.*

§ 7. Inutilius autem ad connexionem et praejudicialitatem suadendam urgebat Caesarinius, primam alteramque diaetam de quibus contentio est apud diversos judices, eamdem spectare domum, seque praelationis jus etiam quoad primam diaetam deduxisse per instantiam reconventionalem contra libellum expulsionis. Ut enim de identitate causarum constet, necesse est cum utramque causam contestatum fuisse super eadem re. Ejusmodi autem contestatio nonnisi ex re ipsa per actionem petita eruitur. Siquidem non universitas rei contra quam actio dirigitur, sed res ipsa quae petitur, est inspicienda, ut identitas in comperto sit et connexio causarum consistat; *ita in leg. inter* 45 *ff. famil. ercisc.*, *et s. Rota cor. Cavaler. decis.* 623 *n.* 2 *et* 3. Quamquam ideo eadem sit domus utriusque controversae diaetae, nulla tamen adest identitas et connexio inter judicia, quorum unum super petita praelatione unius dumtaxat diaetae Caesarinius contestatus est, alterum respicit diaetam alteram ob institutam expulsionis actionem, contra quam opposita fuit praelationis exceptio. Nec quid confert exceptio istbaec ad connexionem et identitatem judiciorum, tum quia de prima dumtaxat diaeta agendum est coram tribunali civili, de secunda vero coram ecclesiastico tribunali; ideoque diversa jugiter manet res in judicium deducta, tum quia Caesarinius praelationis exceptionem contra instantiam expulsionis a prima diaeta congessit in libello reconventionali cum aliis exceptionibus extraneis ab altera quaestione super secunda diaeta, tum demum quia opposita praelationis exceptio nec immutavit executivam indolem judicii evacuationis, nec adigit civiles judices ad cognitionem et definitionem una simul actionis et exceptionis, potissimum cum sit de exceptione ubique turbida et implicata, ut superius observatum est. Et ita etc. utraque etc.

Die 23 augusti 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Emygdius Cesarini — D. Alexander Piccinini.

Prot. 77 / 1848 R. P. D. FERLISI Decano DECISIO CLXX.

ROMANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 23 *Novembris* 1848.

Argumentum

De excussione debitoris explenda antequam adversus cedentem regressum facere liceat — De vi reijudicatae in facti controversiis — De juribus procuratoris post mortem mandantis pendente judicio sequutam.

§ 1. Ad dirimendas lites multiplices quas causidicus Joseph Fidanza in urbe instituerat adversus Luciam Tranquilli tamquam haeredem defuncti Caroli Capodaglio, super solutione functionum et expensarum, quam sibi vindicabat pro judiciis innumeris Caroli nomine adversus Josephum praesertim Gulmanelli ab eo actis, intercedente viro praeclarissimo advocato Josepho Lunati, publicae transactionis tabulae ad diem 11 septembris anni 1839 partes inter sunt obsignatae. Duo autem caetera inter cauta in iis sunt, *alterum* nimirum, quod pro rata scutatorum sexcentum cessum Josephi favore maneret tum depositum ejusdem summae ab anno usque 1838 apud s. Pietatis aedem expletum, cum jus ex A. C. triumvirorum etiam sententia adversus Gulmanellium competens pro libera ejusdem depositi exactione, vel damnorum sarcitione consequenda, facultate ipsimet Josepho tributa vel proprio vel procuratorio Luciae nomine, sumptibus tamen suis, cessa jura experiundi; *alterum* vero, quod pro sumptibus causarum « *provenienti e dipendenti dalla sicurtà fatta dall'autore della signora Tranquilli al signor Francesco Sergentoni a favore dei nominati Pistoni con la garanzia però ripetuta dal signor Gulmanelli* » uedum teneretur Joseph « *qual procuratore della stessa signora Tranquilli continuare le rispettive difese con impronto delle necessarie spese sino però alla ultimazione dell' A. C. dei pendenti appelli e procedenti dalla contestazione del* 1833 », quod consequens erat cessionis superius memoratae, verum deberet insuper « *escutere e rivalersene nella totalità del di loro pagamento contro il signor Gulmanelli, eccettuate quelle partite e quei conti, ai quali in tutto od in parte non venisse il suddetto condannato* ».

§ 2. Legi huic obsequens Joseph lites adversus Gulmanellium ferventes resumi quidem curavit initio, eas vero diu postea longeque in suspenso reliquit, amplissimis etiam mensium decem induciis eidem tributis. Vita autem functis tum Gulmanellio tum Lucia, Carolum Cicinelli testamentarium hujus haeredem in jus repente ineunte anno 1843 rapuit Joseph, solutionem adversus eum urgens scutatorum 483 et obol. 37 pro functionibus et expensis hujusmodi causas respicientibus. Cui quidem petitioni nunquam impletae Gulmanellii excussionis exceptionem objiciens Carolus facili negocio ab A. C. triumviris obtinuit a judicii observatione sese penitus absolvi. Neque Josepho profuit adversus ejusmodi sententiam, quae ex omissa legitimo tempore appellatione in rem interim abierat judicatam, restitutionis in integrum beneficium ab Ordine nostro postulasse. Ejus siquidem postulatione bodie proposita rescripserunt Patres « *Nihil de restitutione in integrum* », dato mihi munere decisionis vulgandae.

§ 3. Porro non aliter res judicata ab instituti judicii observatione Carolum Cicinelli Luciae haeredem absolvit, nisi ob excussionis onus adversus Gulmanellium a Josepho haud impletum. Nil autem definitione hujusmodi justius. Scripta quippe in concordiae tabulis lex erat omnino aperta ac diserta, quod pro sumptibus de quibus praesens agebat contentio, teneretur Joseph tum « *continuare le rispettive difese con impronto delle necessarie spese fino . . . all'ultimazione dell'A. C. intorno ai pendenti appelli* » tum insuper « *escutere e rivalersene nella totalità del di loro pagamento contro il signor Gulmanelli* ». Excussione autem haud impleta nullum adversus cedentem regressum patere, scitissimum in jure est, ac perbelle tradit Rota *in dec.* 474 *num.* 3 *cor. Buratto*, *in Sutrina dotis* 19 *junii* 1778 *cor. Soderino*, *et in Romana pecuniaria* 3 *februarii* 1822 *cor. emo De-Cursiis.* Neque themati

huic congruebat exceptio, cui potissimum Josephi nitibetur defensio, in eoque residens quod Gulmanellii bona adeo erant implexa et implicata ut inutilis vel saltem difficilis fieret excussio. Investigatio enim id genus super haereditariae Gulmanellii substantiae viribus, atque excussionis utilitate vel inutilitate, merum secum facti controversiam ferebat, quam reijudicatae judices sedulo matureque ad trutinam jam revocarunt, et procul a novis atque authenticis monumentis nefas hodie erat coram nobis iterum refricare.

§ 4. Quod ad factum siquidem pertinet, plenissimam reijudicatae fidem lex tribuit, neque aliter quidem sinit restitutionis in integrum beneficium adversus eam concedi, nisi luculenter demonstretur vel fuisse judicatum « *sopra documenti riconosciuti in appresso come falsi* », vel fuisse postea reperta « *documenti pubblici o privati coi quali si provino fatti nuovi e decisivi* », *teste* §. 1058 *vigentis codicis.* Ex quibus sane legis extremis quum utrumque deesset in themate, fieri salva justitia nullatenus poterat quod restitutionis in integrum petitio a Josepho proposita hodie exciperetur, veluti firmavit millies nostrum tribunal, ac potissimum in *Sabinen. restitutionis in integrum* 3 *sept.* 1829 *coram R. P. D. Conventati.* Maxime vero quum ejusmodi facti investigatio ex variis penderet conjecturis et argumentis, quorum vim ae robur librare in prudenti judicum manet arbitrio, eorumque conscientiae concreditum potissimum est. Nil enim vulgatius in foro, quam in facti controversiis, quae a conjecturis et judicum opinione dependent, quum manifesta reijudicatae injustitia legisque violatio concipi nullatenus valeat, restitutioni in integrum postulandae aditum nunquam patere, ad passim tradita per nostrum Ordinem *in citat. Sabinen. restitutionis in integrum* 3 *septembris* 1829 §. 8 *cor. R. P. D. Conventati, in Romana restitutionis in integrum* 2 *augusti* 1832 §. *ult. cor. me, in Ferrarien. restitutionis in integrum* 15 *maji* 1834 §. 6 *coram Galimberti*, alibique frequentissime.

§ 5. Quibus demum accedebat nedum gravissimas probationes vel praesumptiones praesto in themate esse, ex quibus eruebatur utilem dubio procul fuisse Gulmanellii bonorum excussionem, potissimum si congruo tempore judicio adversus eum egisset Joseph, neque amplissimas ei inducias proprio lubitu concessisset, verum insuper vel ipsi Josephum haud inficiari, partem aliquam controversi nominis inter caeteros Gulmanellii creditores per contributum assequi sese potuisse, quod unum aedepol satis erat superque ut asserta excussionis inutilitas plausum haud mereretur. Praeter bona enim in haereditario ejus repertorio descripta, quamplura defunctus reliquerat nomina, prout emphyteutica erant bona oneroso titulo ab eodem quaesita, ac generali etiam hypotheca Luciae favore devincta, quae persequi utiliter poterat Joseph, antea quam molestias suas contra pacti conventi legem adversus Luciae haeredem converteret. Quibus gravissimis rationum momentis urgentibus jure merito resjudicata saucivit nefas Josepho esse Gulmanellii bonis haud excussis judicio adversus Carolum agere, tum juris dispositione, tum conventionis lege omnino prohibente.

§ 6. Neque meliori omine oggerebat Joseph, non aliter sese Gulmanellii excussionem implendam suscepisse, nisi procuratorio Luciae nomine, sive « *quale procuratore della stessa signora Tranquilli* », munus autem hujusmodi tum Luciae obitu in eo desiisse, tum gravi et apopletico morbo quo ab anno usque 1840 ipsemet fuit correptus, implere eumdem probiberi. Initio enim ex integro concordiae tabularum contextu luculenter patebat non merum simplicemque Luciae causidicum, sed procuratorem potius in rem propriam fuisse Josephum reapse constitutum, verbaque ea quae de procuratorio Luciae nomine in *articulo* 5 continentur, veram propriamque cessionem jurium omnium adversus Gulmanellium competentium in anteriori *art. quarto* Josephi favore jam expletam convellere nullatenus posse, sed interpretationem ab ea necessario mutuari. Caeterum hoc etiam misso quod ad Luciae obitum pertinet, sponte veluti sua proposita corruebat exceptio. Praeterit quippe neminem, mandantis morte fervente judicio sequuta, procuratorem ad lites ab eo constitutum *litis dominum* ita fieri ut proprio lubitu, proprioque nomine valeat ejusdem acta prosequi, suumque ad exitum perducere, veluti cautum etiam ex-

pressim in §§. 903 *et seq. vig. cod.* Quod vero ad Josephi morbum pertinet, constabat in facto universa hujus judicii acta fuisse ab eo, tamquam sui procuratore, perpetuo gesta, et hodie quoque apud nostrum Ordinem geri; quod unum quidem exceptionis levitatem in aprico undique ponebat. Manifesta itaque reijudicatae injustitia exulante, haud erat Josepho restitutionis in integrum beneficio succurrendum, ita ferente sanctione apertissima §. 1057 *praecit. cod.* Et ita in acerrimo partium conflictu jus redditum est.

Die 20 decembris 1848 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Joseph Fidanza — D. Dominicus Coari.

Prot. 58/1848 R. P. D. LIPPI DECISIO CLXXI.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 14 Decembris 1848.

Argumentum

Quonam defectu sententia bis in idem lata laboret. An supremum Signaturae tribunal exclusiva polleat facultate controversias dirimendi quae eumdem defectum respiciant — An et quomodo ob unius judicii circumscriptionem, judicium alterum corruat quod cum illo connexum sit, ab eoque dependens — De sententiis quae ab iisdem judicibus revocari possunt.

§ 1. Comitem inter Aloysium Marconi Cameralem dativae realis administratorem ejusque exactionis ministrum Philippum Tiratelli ortis dissidiis, Marconius computo quodam innixus manum regiam adversus Tiratellium indixit, ac mandatum etiam personale executioni commisit. Quare factum ut hic coram turno camerali judicium instituerit, quo, reservato sibi jure manus regiae nullitatem seu revocationem petendi, irritum renunciandum esse contendebat personalis executionis actum ut a privato homine expletum, videlicet « *da un cursore non approvato* ». Sed hac instantia rejecta, aliud coram eodem tribunali judicium promovit quoad reservatam manus regiae nullitatem seu revocationem tum ex formae tum ex tituli defectu, praesertim quia creditum, quo super Marconius ad manus regiae expeditionem processerat, ante dispunctas rationes consistere nequiret. Quae etiam posterior instantia cum dimissa fuerit interlocutione « *si serva delle sue ragioni* », iterum Tiratellius apud eosdem judices institit ut nulla hujus decreti habita ratione, ad quaestionis diremptionem procederetur, et manus regiae revocationem tandem obtinuit.

§ 2. Ab hac sententia Marconius ad plenum Camerae tribunal appellationem interposuit, duplicemque quaestionem instituit, circumscriptionis videlicet omnium gestorum coram turno Camerali post praedictum decretum « *si serva delle sue ragioni* », perinde ac si hoc decretum vim definitivam habens impedimento fuisset quominus A. C. judices ad ulteriora in posterum procedere valerent, atque ita bis in idem dijudicassent, vel saltem revocationis quoad meriti resolutionem. Et licet adducta circumscriptionis ratio efficeret ut jurisdictionis defectus super materia praesertim versaretur, cujus cognitio ad supremum nostrum tribunal exclusive pertinuisset, petita nihilominus circumscriptione demandata, rescriptum fuit super merito « *provisum in contemporanea super circumscriptione* ». Tunc super circumscriptione rescriptum expediri Marconio curante, pro alterius etiam super merito expeditione Tiratellius institit ut appellationem interponere posset, atque revera ab utroque apud Rotam interposuit. Re igitur ad tertium jurisdictionis gradum delata, etsi plenum Camerae tribunal nihil de merito statuisset, accidit e converso ut circumscriptione rejecta, post varias et inter se pugnantes decisiones manus regiae validitas fuerit definitivo constituta. Post haec Tiratellius ad supremum nostrum Ordinem confugit, circumscriptionem expostulans omnium gestorum coram tri-

bunali plenae Camerae cum omnibus inde sequutis, vel saltem in integrum restitutionem. Nec frustra. Hodiernis enim in comitiis RR. PP. rescripserunt « *Circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali plenae Camerae cum omnibus inde sequutis ex defectu jurisdictionis, rr. vv. jj. ss. Quoad restitutionem in integrum dilata* », commisso mihi munere decisionem vulgandi.

§ 3. Et merito quidem ita decisum est. Clara quippe est vigentis praxeos sanctio in §. 791 « *È riservata esclusivamente allo stesso tribunale supremo la nullità per difetto di giurisdizione, se il difetto riguarda la materia o il valore della lite* ». Hinc quoniam jurisdictionis defectus *ob bis in idem* caeteros superet, immo omnes quotquot mente concipiuntur defectus in se contineat, procul dubio est nullo unquam in casu magis exclusivam fieri supremam nostri Ordinis jurisdictionem quam ubi ex lato bis in idem judicio circumscriptio petatur. Scriptum enim et notissimum est judicem quemlibet post latam sententiam judicem esse desinere, neque posse ullo modo aut ulla ex parte propriam sententiam corrigere, cohibere, ampliare aut immutare; futurum secus ut irritum et inane ipso jure habeatur quidquid adversus eam ipse decernat. Atque adeo hoc verum est ut in re per ipsum jam definita tamquam privatus homo qualibet jurisdictione destitutus censeatur, quia post semel jus dictum judicis qualitatem amittit, atque idcirco sive recte, sive male judicaverit, functus est officio suo, nec ulla amplius ei superest auctoritas proprium judicatum vel in minima parte corrigendi.

§ 4. Ex quibus evidenter consequitur judicem, qui per sententiae pronunciationem omnem judicandi potestatem sibi a lege delatam expleverit, omnemque in eadem causa jurisdictionem amiserit, incompetentem prorsus fieri non modo ratione materiae, sed valoris atque immo ratione etiam personarum. Quamvis enim jurisdictionis defectus ratione materiae et valoris plerumque verificetur, quum ne semel quidem judex sententiam ferre valeat, fortius tamen contingit quoties bis in idem judicium ipse proferat. Primo quippe in casu, etsi judex incompetens reapse sit, fieri tamen potest ut aliquali jurisdictione polleat, nec absolute sed per accidens tantummodo dijudicandi potestate careat, puta quod de quaestione agatur creditoris adversus haeredes adhuc indivisos, aut de controversia, quae *utcumque tenuis*, super incerto nihilominus valore fortuito versetur. At longe major est incompetentia, seu potius incapacitas in judice, qui jam semel in aliquo jus dixerit. Hic siquidem jurisdictione in eodem subjecto ne specie quidem tenus perfungitur, sed ita qualibet potestate destituitur, ut si jus denuo reddat, posterius ipsius judicium perinde haberi debeat ac si ab alio quovis privato homine redditum fuisset, ad *text. in l.* 55 *ff. de rejud., l.* 42 *eod., l.* 1 *ff. de quaest.* §. *fin., leg.* 28 *ff. de poenis, et leg.* 62 *ff. de rejud.*

§ 5. Hinc palam est proposita, ac dijudicata circumscriptionis querela ex omnimodo jurisdictionis defectu ita pessumdatam fuisse supremam nostri Ordinis jurisdictionem, ut circumscriptioni locum esse satis aperte constaret. Neque ullam hoc ingerere valebat difficultatem, quod nempe Tiratellius circumscriptionis recursum ad acta dumtaxat cohibuerit coram plena Camera gesta cum omnibus inde sequutis, quin rationem habuerit de omnibus iis quae coram turno camerali A. C. gesta fuerant post diem decreti « *si serva delle sue ragioni* », quaeque basim et fundamentum constituerant jam acti circumscriptionis judicii. Animadvertendum siquidem non ideo circumscriptionem coram nobis petitam et indultam fuisse, quod reapse bis in idem judicatum ab A. C. judiribus fuisset, sed quia hujuscemodi jurisdictionis defectus ad plenam Cameram deductus et ab ea admissus fuit, dum e converso ejus admissio aut exclusio ad nostrum tribunal unice pertinebat.

§ 6. Esto immo quod illud decretum non definitivum, sed mere interlocutorium fuisse probabilius videatur, ita ut *bis in idem* defectus penitus desideretur. At semel ac Marconius aliter sentiebat, illud videlicet decretum ut definitivum haberi debuisse, et propterea bis in idem dijudicatum fuisse, non ad plenam Cameram, sed coram nobis hunc defectum deducere tenebatur. Nam exclusiva nostri Ordinis quoad memoratum

defectum jurisdictio non ab ejus existentia aut deficientia pendet, sed adsit, desit, semper coram nobis deducendus est, quibus tantummodo data est a lege facultas ejusdem inclusionem vel exclusionem decernendi, ita ut si, re intimius perspecta, de lato bis in idem judicio minime constitisset, id effecisset, ut circumscriptionis querela rejecta potius, quam admissa fuisset. Ex eo quod igitur bujusmodi defectus non verificaretur, et a primordialibus actis quae circumscriptionis quaestionem constituerant, recursus non porrigeretur, non ideo fiebat ut circumscribi recte nequirent omnia gesta coram plena Camera, quia haudquaquam ad hujus tribunalis, sed nostri tantummodo jurisdictionem pertinebat eamdem circumscriptionis querelam dirimere.

§ 7. Constituto itaque nulliter et absque jurisdictione processum fuisse in causa circumscriptionis coram tribunali plenae Camerae, prono veluti alveo fluebat una simul corruere omnia super merito gesta coram eodem tribunali cum omnibus inde sequutis. Etsi enim separatis instantiis utraque judicia fuissent instituta, ea tamen connexione et dependentia unum ab altero semper processit, ut admissa primum circumscriptione, judices camerales rescripserint super merito « *provisum in contemporanea super circumscriptione* », ac deiu, illa rejecta, rotales alii ad meriti ipsius definitionem gradum fecerint. Quare si primum ideo rescriptum fuerit « *provisum* », quia inutile erat inquirere de justitia vel injustitia sententiae, quae stante circumscriptionis sententia, haud amplius existebat, et postmodum ideo meritum fuerit diremptum, quia revocata circumscriptionis sententia, iterum reviviscebat prior A. C. judicum sententia, jam palam est adeo unum cum altero judicio fuisse connexum atque dependens ut unum absque alterius circumscriptione deleri minime possit, juxta censuram a contrario sensu generalis regulae quoad actorum nullitatem traditam in §. 409 « *Allorchè un atto sia dichiarato nullo, rimangono fermi gli atti precedenti ed i consecutivi indipendenti dall'atto annullato* ».

§ 8. Tandem nil juvat circumscriptionis sententiam fuisse postmodum a Rota revocatam, ita ut inutile videatur iterum hodie circumscribere judicatum quod, attenta ipsius revocatione, haud amplius existit. Si enim nulliter et absque jurisdictione processit plena Camera, quia agebatur de eo jurisdictionis defectu, cujus cognitio ad nostrum tribunal exclusive pertinebat, ita aeque nulliter et absque jurisdictione ob eamdem rationem processit Rota. Nec idcirco dici poterat litigantium consensu judicum incompetentiam fuisse sanatam, quia agebatur de defectu prorsus insanabili, juxta vigentis codicis §. 786 « *Il difetto di giurisdizione concernente la materia ed il valore della lite, ovvero le persone o le cose soggette al foro ecclesiastico è assolutamente insanabile* ». Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicante jus redditum est.

Die 1 februarii 1849 « *Nihil, et extendatur decisio per R. P. D. Paccinelli, et reproponatur* ».
Die 18 julii 1850 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Pius Bossi — D. Joseph Vasselli.

Prot. 6/1848 R. P. D. ARNALDI DECISIO CLXXII.

BONONIEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 25 Januarii 1848.

Argumentum

De sequestratarii declaratione per errorem emissa in actis judicis incompetentis — An error hujusmodi recte corrigatur per productionem exempli authentici ejusdem declarationis in actis judicis competentis — An speciale mandatum ad hanc productionem explendam requiratur — De lapsu termini ex §. 1209 gregorianae legis praefixi — An impedito hic terminus currat, et absentia legitimum impedimentum constituere valeat.

§ 1. Latissimae culturae et commercii oryzae societatem jamdiu Bononiae coiverat

Petrus Fumaroli cum ratione mercatoria *Landi et Roncadelli*. Societate hac jugiter manente, nec rationibus unquam inter socios dispunctis coepit Petrus peregrinari; Lutetiam Parisiorum dein sive ab anno usque 1838 se contulit, ibique morabatur tunc quum Antonius Rusconi creditorem se asserens rationis mercatoriae Landi et Roncadelli ad vim usque scutatorum supra novem millia in jus vocato *Dominico Maldini* rationis mercatoriae universali gestore coram commercii judice bononiensi, obtentoque judicis illius mandato acceptam sententiam in urbe nnnciavit Petro Fumaroli, sequestrem fecit pecuniam quam Fumarolius forte deberet rationi eidem mercatoriae, et nunciatio haec scilicet et indictio sequestri contigit die 16 maji 1845.

§ 2. Multo antequam excideret terminus a lege seqnestratario praestitutus « *per dichiarare se e quali somme ed effetti ritiene di pertinenza del debitore* », qui terminus est decem dierum (ampliandus at vero ubi distet citaudus, habita ratione distantiae), die scilicet 31 maji ad acta bononiensia tribunalis quod de primis actionibus cognoscit, contulit se procurator quem Fumarolius habet in urbe, atque ipsius allegans absentiam se imparem dixit cuilibet emittendae declarationi; tum affirmans per litteram se sciscitatum jam fuisse clientem, institutum ab se iri nunciabat ut tempus sibi indulgeretur congruum, sive ut terminus prorogaretur explendae declarationi. Re sane vera libellum misit confestim « *a prorogarsi, e quante volte occorra, concedersi un nuovo termine ad emettere la dichiarazione* ». Contextim at vero instare coepit Rusconius ut « *previa la dichiarazione di nullità, inattendibilità, inefficacia della comparsa e citazione avversaria* », debitor debitoris renunciaretur Fumarolius in praefata vi scutatorum 9097, et solutioni damnaretur erga sequestrantem creditorem.

§ 3. Pauci post haec labuntur dies, atque mandatum en pervenit a Fumarolio datum eidem procuratori suo in urbe « *a dichiarare che fino allo stralcio dei conti sociali non può costare se io sia debitore o creditore* ». Quo adductu mandato declaravit reapse Fumarolii procurator in actis A. C. sub die 20 junii, dispunctis nondum inter socios rationibus renunciari non posse « *se il medesimo sia creditore o debitore della ditta* ». Cujus declarationis authenticum documentum Bononiam missum penes acta tribunalis illius produci mox curavit Fumarolii procurator una cum authentico item exemplo procurationis sibi per Fumarolium datae, et productio haec contigit die 9 julii.

§ 4. Verum Rusconio declaratione ista nunciata, multifariam accusare hic coepit actum, sive acceptam declarationem, praesertim vero quia ex legis praescripto declarationem emittendam ajebat « *in cancelleria del giudice o tribunale competente per conoscere del sequestro* », in actis videlicet bononiensis tribunalis quod de primis actionibus jus dicit nonin actis A. C., quia extra temporis terminum a lege praefinitum clamabat emissam declarationem fuisse, nec idcirco roboris cujuspiam esse judicandam; instare igitur « *a dichiararsi irregolare e nulla la pretesa dichiarazione, irregolare e nullo anche l'atto di notifica* ».

§ 5. Cumulatis instantis hisce omnibus, bononiense tribunal nullam nec admittendam pronunciavit declarationem, quippe quam contra legis formam emissam renunciabat, tum extra terminum a lege praestitutum nec prorogandum a judice, et Fumarolium idcirco uti praesumptum debitorem, sequestranti jussit solvere ingentem vim scutatorum 9097. Latam in prima actione sententiam confirmarunt appellationis judices illi postquam haeserant animo, temperamento vix adjecto seu jussa Rusconio lege praestandae cautionis *de restituendo*, ubi Fumarolius jura sua expertus in congruo ac separato judicio praesumptum istud suum debitum valuisset excludere.

§ 6. Adversus rem hanc judicatam recursu interposito per Fumarolium ad aulam hanc nostram, voti sui ipse factus est compos; nam fuit ipsi responsum « *De causis sine praejudicio reijudicatae etiam quoad expensas* »; atque indulgendae restitutionis in integrum re sedulo perpensa (qua de causa comperendinatum etiam fuerat judicium), causa patribus fuit manifesta reijudicatae injustitia « *dall'essersi espressamente contravvenuto ad una legge in vigore* »; quae sane injustitia si ita pateat, necessario succurrendum est laeso restitutionis in integrum beneficio; ita litteraliter scriptum §. 1057 et seq. gregorianae praxeos. Quae fuerint sane latae reijudicatae momenta, seu quare nullitas decerneretur emissae declarationis, unde praesum-

ptus debitor Fumarolius fuit renunciatus, si expendatur paulisper quantum a lege aberratum fuerit, patebit confestim.

§ 7. Re enim vera contra legis formam, ubi in primis fuit indicatum peccasse Fumarolium in emittenda declaratione quam ideirco admittendam negabant, legis adducebatur praescriptum quod est sub artic. 1210, quodque jubet « *La dichiarazione si farà in cancelleria del giudice e tribunale competente per conoscere del sequestro* ». Ideo porro legis praescripto huic se conformasse Fumarolium negabant, quia declaratio fuerat emissa in actis A. C.; sequestri autem judex, seu qui de sequestro cognoscere debuisset, non alius ferebatur esse quam bononiensis judex.

§ 8. Atqui tamen emissa declaratio licet initio fuerit in actis A. C., sollicitus tamen fuit deinde Fumarolii procurator ut ex actis A. C. emissae declarationis authenticum sumeretur exemplum, et mox mitteretur Bononiam, atque ad acta ferretur curiae illius sive judicis apud quem fuerat indictum sequestrum, et qui sequestri judex esse debebat, seu qui de sequestro cognoscere debuisset. Atqui rursum non intercedit sive authographum feratur ad acta, sive exemplum authenticum. Peccatum igitur quomodo fuerit contra legem quae mandat declarationem emitti « *nella cancelleria del giudice o tribunale competente per conoscere del sequestro* » non omnino conjici potest. Ex errore siquidem sive dixeris emissam initio declarationem fuisse in actis A. C., et contra legis praescriptum commissus error optime fuit emendatus ubi anthographae declarationis authenticum exemplum fuit sumptum atque in actis productum bononiensis judicis, qui sequestri judex fuerat initio, et qui sequestri judex esse debuisset; inutiliter sive emissam declarationem initio dices coram A. C., at non inutilem declarationem deinde factam coram bononiensi judice, et axioma quadraret hic optime quod est « *Utile per utile* non *vitiatur* ».

§ 9. Urgebant perperam productum in actis bononiensis curiae fuisse authenticum istud exemplum emissae declarationis ab eo qui Fumarolii mandatum habuerat nunquam, siquidem procurationis mandatum vix habuerat ab Fumarolii procuratore cui substituendi facultas non omnino fuerat data. Allegabant ad id citatae legis postrema verba « *La dichiarazione sarà sottoscritta dal sequestratario o da persona munita di speciale mandato* ». Declarationis sed actum confundebant cum actu productionis; praeceptum quippe illic « *La dichiarazione sarà sottoscritta dal sequestratario o da persona munita di speciale mandato* ». Nihil cautum illic de productione, utrum scilicet ab sequestratario vel sequestratarii ipsius procuratore speciali productio haec fieri deberet, an posset committi a procuratore quolibet; declaratio intererat igitur; necesse erat immo ut scriberetur ab Fumarolio ipso, vel ab ipsius procuratore speciali, nec designato huic procuratori licitum fuisset substituere alium nisi ad hoc speciali mandato fuisset munitus. Utrum porro iste procurator per se ipsum deferret ad acta declarationis actum, an opera ad id uteretur procuratoris cujusque, res est plane indifferens; atqui vero declaratio fuit reapse signata ab procuratore per Fumarolium ad id specialim designato; satis hoc igitur erat, nec productionis sollicitudo ulla esse deberet cujus demum cura fuerit commissa.

§ 10. Nullo in pretio quare haberetur declaratio haec ista motivum alterum fuit reijudicatae, quia sero nimis emissam ajebant atque extra terminum a lege praescriptum. Vel autem non omnino in hoc peccatum fuisse reputarunt Patres, vel excusandum peccatum; peccatum enim ne diceretur qui Fumarolii causam orabant, non *originis* domicilium spectandum ajebant, sed *rei et facti* domicilium quod Parisiis ferebatur fuisse translatum; ratione igitur distantiae tanto ampliorem terminum fuisse dandum autumabant. *Originis* domicilium spectandum e contra ajebant alii quia domum jugiter retineret Fumarolius in urbe, ubi mulier, ubi filius morabantur; non itaque animum illi fuisse deserendi patrios lares, ubi Fumarolius alio secessit; sed non immorandum in hac quaestione judicarunt Patres.

§ 11. Ne peccatum diceretur ab Fumarolio, vel ut parcendum judicaretur, moti sunt Patres, quia tempus impedito non currere, sive legale sit tempus, sive conventionale, existimarunt *cum Antonelli de tempore legali lib. 1 cap. 15*; absentia sed vero atque

tanta quanta est inter urbem et Lutetiam Parisiorum tale praebebat impedimentum ut non omnino vinci posset, ut inanes fierent conatus omnes, ut impossibilis res prorsus evaderet; quo sane impedimento perspecto, qua impossibilitate comperta, Fumarolio tempus non cucurrisse dicendum erat, nec eum proinde peccasse si intra breve temporis spatium declarationem non emisit, si paulo serius emisit.

§ 12. Culpa porro hominis ubi non adsit, plectere eum foret absurdum, quantuscumque fuerit legis rigor; innocuum ergo Fumarolium qui procul a culpa legi non obtemperavit illico, qui scilicet non obtemperavit confestim quia absens erat, gravi adeo poena mulctare ut grandis pecuniae debitor renuncietur dum debitor non est reapse, foret iniquum; absentibus succurrendum esse non solum si reipublicae causa absint, sed et quaecumque alia sit absentiae causa, scriptum est passim in jure.

§ 13. Parcendi causa altera non levis obtulit se Patrum judicio, quia sequestro vix indicto absens quum esset Fumarolius, ad acta se contulit procurator quem ipse habet in urbe, et absentiam allegans clientis jam tum institit ut culpae non tribueretur mora quam ipse facturus esset ideo quia ille fuerat absens; obsequii sui erga legem argumentum hoc fuit ingens profecto, quod in pretio est certe habendum, et cui tribuendum, si est aliquid; facilior ergo indulgentiae locus esse debet.

§ 14. Ne plecteretur brevis mora fuit Patribus demum gravissima causa alia, quia declaratio ubi fuit emissa, res plane erat integra, nihil scilicet fuerat innovatum, nullum jus interea quaesitum Rusconio, nec deterior idcirco Rusconio conditio fuerat facta; est porro jure nostro receptum ut praeterlapso etiam termino, qui vel ex lege vel ex pacto fuisset praestitutus, impositae vel contractae obligationi satisfieri possit. Videsis ad hanc rem *s. Rotae decis.* quae est sub titulo *Rom. sequestri* 26 *novembris* 1827 *cor. Ruspoli.*

§ 15. Vindicata sic porro emissae declarationis validitate, inanis prorsus evadebat quaestio quae agebatur magnis animis circa effectum omissae vel minus rite factae declarationis. Qui pro Fumarolio scilicet agebant causam, distinguendum ajebant casum omissae declarationis a casu declarationis non rite emissae; quantum vero legi consonum agnoscebant ut debitor ille praesumptus renuncietur qui accepto sequestro nullam emiserit declarationem, tantum absonum contendebant ut debitor ille item renuncietur praesumptus qui declarationem non omnino omiserit sed minus rite emiserit; emendationi damnorum quae fortasse obvenerint sequestrantibus aliis creditoribus, condemnandum ex lege vix esse qui minus rite declaraverit.

§ 16. Casum sane unum ab altero distinctum notabant, distinctamque sanctionem *sub cit. praxeos articulo* 1218, ubi cubitalibus litteris jussum est in primis reapse, « *se il sequestratario non avrà fatta alcuna dichiarazione sarà presunto debitore* » mox autem, « *se la dichiarazione non è conforme alle prescrizioni del* §. 1210 e 1211 *il sequestratario sarà condannato all' emenda dei danni ed interessi in favore degli altri sequestranti* »; injustam idcirco contendebant remjudicatam quae nullam omnino dixit declarationem, locus dum erat vix jubendae damnorum resarcitioni.

§ 17. Inutilis item fiebat quaestio altera quae movebatur, utrum praesumptus debitor, etsi esset Fumarolius renunciandus ex lege, talis tamen judicari non deberet donec dispunctae non sint inter socios rationes; inutilis plane una atque altera quaestio circa effectum emissae sequestrationis vel minus rite emissae. Quorsum enim disputes circa effectum omissae vel minus rite patratae rei ubi emissam declarationem riteque emissam fuisse patebat? Quamobrem restitutionis in integrum beneficio dignus est judicatus Fumarolius adversus remjudicatam quae nullam renunciaverat emissam declarationem, atque eum idcirco uti praesumptum debitorem damnaverat gravi rependenda summa scutatorum 97 supra novem millia. Et ita etc. utraque etc.

Die 22 novembris 1849 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Franciscus Xaverius Borghi — D. Petrus Aloysius Briganti.

DECISIONES

SUPREMI TRIBUNALIS SIGNATURÆ JUSTITIÆ

ab anno 1845 ad annum 1854.

Prot. 132 / 1848 — Illm̃o e Rm̃o Monsig. FERRARI — Decis. CLXXIII.

FERRARESE DI CIRCOSCRIZIONE

Giovedì 25 *Gennaro* 1849.

Argomento

Si disputa se il giudice con la nomina ad altro tribunale, e con la percezione dell'onorario nei ruoli di questo perda la giurisdizione nell'antica sua sede; o se occorra piuttosto a tal effetto ch'egli assuma la nuova giurisdizione con la materiale e reale cognizione delle cause.

§ 1. Si agitava fra la contessa Giulia Lolli Brancaleoni ed il dottor Mariano Sani avanti il primo turno del tribunale di prima istanza di Ferrara una causa di nullità di vitalizio, quando finalmente li 30 maggio 1848 fu pronunciata la sentenza con la quale il detto contratto fu dichiarato nullo. Concorse alla emanazione della medesima l'avvocato Terenzio Tamburrini presidente del tribunale, il quale però fin dal giorno 15 dello stesso mese di maggio era stato nominato, e quindi nel giorno 27 dello stesso mese istallato giudice nel tribunale di appello di Bologna. Supponendo il dottor Sani il quale in quel giudizio era rimasto soccombente, che all'epoca della emanazione della sentenza l'avvocato Tamburrini mancasse di ogni giurisdizione nel tribunale di Ferrara, interpose ricorso avanti il nostro supremo tribunale perchè fosse la detta sentenza circoscritta; quale ricorso però venne rigettato con il rescritto « *Non esser luogo alla circoscrizione* ».

§ 2. Poichè non si poneva in dubbio che nel giorno 15 maggio fosse stato l'avvocato Tamburrini nominato giudice nel tribunale di appello di Bologna; ma egualmente non si poneva in dubbio che l'avvocato Serenelli Onorati succeduto ad esso nella presidenza del tribunale di Ferrara non si era ancora nel giorno 30 maggio trasferito in quella città ad esercitare le funzioni di presidente; anzi in fatto era certissimo che l'avvocato Tamburrini anche dopo il giorno 15 maggio fino ai 27 giugno dello stesso anno aveva continuato a risiedere a Ferrara, ad esercitarvi il suo officio, senza che mai si fosse condotto a Bologna, e senza che in quel tribunale di appello avesse reso giustizia. Ora nel complesso di tutte queste circostanze il nostro tribunale ha ritenuto che l'avvocato Tamburrini avesse giurisdizione di giudicare nel giorno 30 maggio la causa di nullità di vitalizio. Poichè la promozione di Tamburrini era congiunta alla surrogazione del nuovo giudice. La sedia dunque non poteva vacare se in effetto non si verificava la surrogazione dell'avvocato Serenelli che avesse assunto l'esercizio delle funzioni esercitate per lo passato dall'avvocato Tamburrini. L'utilità pubblica esige che i tribunali non rimangano senza giudici.

§ 3. La sentenza dunque essendo stata emanata prima che l'avvocato Serenelli giudice surrogato assumesse l'esercizio delle sue attribuzioni nel tribunale di Ferrara, non può essere soggetta a circoscrizione per difetto di giurisdizione nel presidente Tamburrini, avendola questi conservata in detto tribunale fino a che il successore assunse l'of-

ficio. È chiaro il *testo nella l.* 10 *ff. de offic. procons. et legat.*; « ivi » *Meminisse oportebit usque ad adventum successoris omnia debere proconsulem agere, cum sit unus proconsulatus, et utilitas provinciae exigat esse aliquem per quem negotia sua provinciales explicent; ergo in adventum successoris debet jus dicere* ». *Cujac. al tit. de jud. leg.* 49, *e nel lib.* 1 *respons. Papin. leg.* 20 *ff. de offic. praesid.*, e altrettanto dichiarava monsignor uditore della Camera in una lettera scritta li 30 luglio 1847 al delegato apostolico di Ascoli, nella quale significava « *che i giudici ed altri ufficiali addetti al ministero giudiziario restano per modo di regola abilitati a proseguire validamente nelle loro funzioni anche dopo ottenuta la promozione o traslocazione altrove fino a che le persone destinate a rimpiazzarle non abbiano di fatto assunto l'esercizio delle funzioni medesime* ».

§ 4. Nè giovò al Sani l'avere invocato un dispaccio della bo. me. cardinal Gamberini, ove si dichiarava « *che cessa la giurisdizione del giudice promosso ad altre funzioni nel momento stesso in cui riceve la nomina ad altra destinazione* ». Poichè tale dispaccio è in data delli 11 giugno 1840, anteriore all'altro di monsignor uditore della Camera, ossia del ministero di grazia e giustizia; per cui piuttosto che il primo, deve attendersi il posteriore che a quello derogò. Si rifletteva inoltre che il cardinal Gamberini nello stesso dispaccio dichiarava che il giudice promosso poteva proseguire nell'esercizio del suo officio « *ove fosse stato a ciò autorizzato* ». Ora non poteva in fatto dubitarsi che l'eminentissimo cardinal legato di Ferrara per la circostanza, che il nuovo presidente facendo parte del consiglio dei deputati non erasi potuto trasferire a quella città, e che il vice-presidente era dovuto da essa partire, perchè nominato membro dell'alto consiglio e consigliere di stato, autorizzò il Tamburrini a proseguire nell'esercizio delle sue funzioni; autorizzazione che tacitamente venne sanzionata dal ministero di grazia e giustizia. Seguendo dunque anche il dispaccio del cardinal Gamberini, li 30 maggio il Tamburrini non mancava di giurisdizione.

§ 5. È vero che prima di quel giorno sembra che il Tamburrini fosse stato istallato giudice nel tribunale di appello di Bologna; ma è vero ancora che da questa istallazione altro non può argomentarsi che l'accettazione dell'ottenuta promozione. L'essere stato il Tamburrini posto in ruolo dei giudici del tribunale di appello, e l'avere percepito l'onorario ad essi assegnato non importano l'esercizio della giurisdizione nel tribunale stesso, giurisdizione, quale non poteva assumersi che con la reale e materiale cognizione delle cause introdotte presso esso tribunale, senza di che non poteva seguire la piena istallazione, sola efficace a fare cessare in Tamburrini la giurisdizione nel tribunale di Ferrara. *Scaccia de jud. cap.* 64 *num.* 23. E così venne deciso nel conflitto dei litiganti.

Die 2 maji 1850 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Salvati — D. Petrus Aloysius Briganti.

Prot. 58 / 1848 Illmo e Rmo Monsig. PACCINELLI Decis. CLXXIV.

ROMANA DI CIRCOSCRIZIONE E DI RESTITUZIONE IN INTIERO

Giovedì 1 Febbrajo 1849.

Argomento

È quello stesso della decisione CLXXI che torna in discussione e viene revocata.

§ 1. A petizione di Filippo Tiratelli che nel primo esperimento rinvenne già favore per l'addimandata circoscrizione contro i coeredi del defunto conte Luigi Marconi, com'è a vedersi *nella decisione* pubblicata *da monsignor mio illmo e rmo Lippi* con l'epigrafe *Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 4 *decembris* 1848, si è in questa mane riproposta la presente causa, onde conseguir la conferma di quell'opina-

mento istesso che per parte del vincitore si è procurato encomiare come solido e giusto. Peraltro questo supremo Consesso nella sua docilità, perspicacia e giustizia, per cui tanto ben si distingue, e specialmente s'intitola, prese a maturo esame le nuove deduzioni *di fatto e di diritto* esibite a confutazione di quel voto dai soccombenti coeredi, ha creduto di non potere annuire all'istanza del Tiratelli, e di dovere invece recedere dal primo esternato parere, ed è perciò che ha così rescritto « *Non esser luogo alla circoscrizione, e redatta la decisione da monsig. Paccinelli si riproponga, differita nuovamente la causa sulla restituzione in intiero* ».

§ 2. Fondamento di simile decisione si fu in primo luogo l'aver portata i Padri miei la loro considerazione sull'interposto ricorso e sulla istanza pedisseqna avanzata per parte del Tiratelli a questo nostro Ordine supremo onde conseguire il desiderato annullamento. Si fece egli infatti a chiedere in quel libello che fosse cassato » *Rescriptum tribunalis plenae Camerae diei* 6 *julii* 1840, *et subsequens executoriale decretum sub die* 22 *ejusdem mensis julii ab emo et rmo domino card. Serafini tunc causae Ponente latum in causa de qua agitur etc.* ». Come ognun vede era la petizione imperfettissima ed inefficace allo scopo, dappoichè sebbene attaccasse la nullità di atti che compongono e completano qualsivoglia processo giudiziale, nulladimeno lasciava sempre in vigore l'istanza primordiale che aveva dato vita a quel giudizio incidentale di nullità consumato innanzi il tribunale della piena Camera, non che tutti gli atti che precedettero l'emanazione del rescritto, e perciò inutile rendevasi l'accordare la richiesta circoscrizione, siccome quella che relativamente al proprio incarto giudiziale, incapace era di abbattere l'albero dalle sue radici. Che se per altro havvi nella giurisprudenza del nostro supremo tribunale esempio alla spiegata massima contrario, com'è a vedersi nella *Interamnen. circumscriptionis* 9 *julii* 1846 §. 2 *coram me*, è esso unico e da non addursi perciò a modello, e praticato in caso speciale di nullità patente in una questione di merito, il che non si verifica nell'attual tesi.

§ 3. Infatti il libello del Tiratelli in discussione è relativo unicamente, sebbene incompletamente, come già si avvertì, alla cassazione della *questione incidentale* promossa dall'ora defonto conte Luigi Marconi autore degli attuali coeredi in via di nullità innanzi il tribunale della piena Camera presso però appello interposto sul merito del giudicato del tribunale camerale di primo grado. Da questo fatto giudiziale del Tiratelli deriva che quando anche il supremo nostro Senato avesse creduto annuire alla di lui dimanda di annullamento, non si sarebbe perciò potuto circoscrivere, ossia la circoscrizione non si sarebbe potuta estendere al giudizio principale come dipendente e connesso all'altro incidentale di nullità, giacchè la dipendenza e connessione del primo dall'altro non deriva da una intima e reale loro unione o derivazione, ma bensì da una esterna ed anche irregolare procedura giudiziale, la quale non può di sua natura rendere oggetto di conseguenza ciò che formava il subbjetto principale, e per sè stesso indipendente dal giudizio di merito.

§ 4. E ciò tanto maggiormente in quanto che due e separate furono le istanze in appello del conte Marconi, *una* cioè sul merito, sull'incidente *l'altra;* distinti ne furono i processi giudiziali, parziali i rescritti su di essi pronunciati dal tribunale della piena Camera, e finalmente duplici per fatto particolare de' collitiganti i decreti esecutorj conseguiti, dal conte Marconi cioè nel giorno 22 *luglio* 1840 sull'incidente, e dal Tiratelli *nel* 24 *di quel mese ed anno istesso* sul merito « *ad effectum tamen appellandi* ». Da ciò consegue che mentre due speciali ricorsi erano assolutamente a desiderarsi in causa, per l'unità ed imperfezione però di quello interposto dal Tiratelli, e limitato alla nullità di una parte del giudizio incidentale ed occasionato, non può in conto alcuno elevarsi la di lui efficacia al valore di abbattere e distruggere per indiretto eziandio la causa principale ed occasionante, essendo assiomi notissimi, che la remozione della causa rimove ancora l'effetto, e che la caduta del principale porta seco necessariamente quella dell'accessorio e non viceversa, e quindi per questo riflesso ancora fu creduto non potersi concedere la richiesta cassazione.

§ 5. A tutto ciò aggiungevasi non esser così patente, come dal Tiratelli credevasi, la nullità reclamata, anzi esserne del tutto esclusa. Per verità si chiede ora da questo Senato supremo la circoscrizione di una parte del processo incidentale esaurito avanti il tribunale della piena Camera, perchè si opinò che questo mancasse di giuridiche facoltà nel conoscere del difetto di giurisdizione per *ragione di materia* a noi esclusivamente riservato *dal* §. 791 *del vigente regolamento giudiziario*, e che si ritenne causato da un *bis in idem*, ossia dal decreto di reposizione dell'antecedente « *Si serva delle sue ragioni* » proferito *li* 9 *dicembre* 1839 dal tribunale A. C. in forma camerale. Per altro quantunque sia elementare che il *bis in idem* importi difetto di giurisdizione od eccesso di potere, nulladimeno il difetto di giurisdizione *per ragione di materia* allora solo nasce e si verifica, quando cioè il giudice o tribunale che pronunciò, fin da principio conobbe e giudicò un soggetto di lite, ch'era per disposizione di legge di esclusiva privativa di altro giudice o tribunale; *Ravennaten. circumscr.* 14 *mart.* 1839 §§. 4 *et* 9 *coram R. P. D. Morichini*, *Romana circumscriptionis* 20 *junii* 1839 §. 7 *coram R. P. D. Ferlisi nunc decano*, *Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 20 *junii* 1839 §. 10 *coram R. P. D. Morichini*, *et Romana circumscriptionis* 22 *augusti* 1839 §. 3 *coram R. P. D. Conventati*, o che conobbe e giudicò un soggetto di lite in altra forma o modo di quelli prescritti dalle leggi sotto una espressa condizione come « *non possa se non* », su di che è a vedersi *la Bononien. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 29 *julii* 1841 §. 6 *et* 7 *coram R. P. D. meo Arnaldi;* anzi talvolta in questo secondo caso si esclude il nominato difetto per materia. In proposito *la Montis Falisci circumscriptionis* 29 *julii* 1841 §§. 9 *et* 10 *coram R. P. D. meo Lippi*, *e la Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 29 *februarii* 1844 §. 3 *coram R. P. D. meo Arnaldi.*

§ 6. Il difetto quindi di giurisdizione nel caso deriva dalla parola di diritto, che il giudice non possa giudicare due volte, e che se lo faccia, la sua sentenza sia nulla da non doversi far revocare in appello; non altrimenti dal non esser materia di lite, che non gli appartenga, appartenendogli anzi pienamente, se ne giudicò o potè una volta validamente giudicarne. Or che il tribunale camerale A. C. fosse tale *in potenza ed in atto* per giudicare la questione di mano regia in primo grado, chiaro risulta dal disposto nel §. 328 della vigente prassi giudiziaria; che tale fosse del pari per rivedere il proprio decreto 9 *dicembre* 1839, che a senso del §. 590 *e seguenti* si appartiene alla classe degli interlocutorj, e non *de' definitivi*, manifesto risulta *dal susseguivo* §. 593; finalmente che il tribunale della piena Camera fosse per il disposto *del* §. 329 dell'attuale regolamento legislativo e giudiziario competente a conoscere e giudicare come tribunale di appello la controversia di mano regia portatavi presso reclamo interposto dal conte Marconi, è fuor di ogni dubbio, e per conseguenza non può in conto alcuno idearsi che sia stato quello *incapace* ed *incompetente*, o che abbia questo attentato e molto meno abbia invasa la giurisdizione nostra suprema, allorchè facendo diritto alla questione subalterna ed incidentale del medesimo appellante eccitata sulla nullità del decreto revisorio del tribunale camerale A. C., emanò su di esso il relativo rescritto e quindi il decreto esecutorio.

§ 7. Nè a ciò osta che avendo la legge giudiziaria tuttora in vigore al §. 782 sancito verificarsi « *il difetto di giurisdizione quando i giudici sono incompetenti, sia per ragione delle persone, sia per ragione della materia, sia per ragion della somma e valore della lite* », e che essendo al caso estranei due de' rapporti medesimi, non vi resta che quello quasi necessariamente d'ammettersi e risguardante *la materia.* Questo argomento eccede di molto nella prova, se non potessero esservi, come vi sono, altri rapporti speciali nel diritto, pe' quali si verifichi il difetto di giurisdizione il quale non sia sotto quei tre e che non sono poi manifestamente tassativi, ma rivestono solo la caratteristica di speciali casi, ne' quali è al nostro supremo tribunale esclusivamente riservato il diritto di cassazione, quale però per essere di oggetto odiosissimo dev'essere strettamente conservato, rigettando qualunque interpretazione od argomento che tendesse ad estendere i casi oltre quelli dalla legge espressi ed

enumerati. Così rispose all'obbjetto questo nostro Ordine supremo *nell'Amerinen. circumscriptionis et restitutionis in integrum* 14 *martii* 1839 §. 11 *coram R. P. D. meo Lippi.*

§ 8. Nè di maggior rilievo è l'altra obbjezione desunta a sostegno della implorata circoscrizione tanto dall'isanza incidentale promossa dal conte Marconi avanti il tribunale della piena Camera, in cui per difetto di giurisdizione a causa del *bis in idem* si addimandò l'annullamento, quanto dal *voto camerale* pubblicato dall'emo Serafini allora decano e ponente, il cui titolo *Romana nullitatis executionis* 6 *julii* 1840, da cui si apprende essersi accordata di fatto la cassazione « *ex defectu jurisdictionis* » a causa del *bis in idem*, perchè fu ritenuto *definitivo* il più volte citato decreto del tribunale camerale A. C. del giorno 9 *dicembre* 1839. Imperciocchè rispetto all'istanza si avverte che quella ragione in appoggio alla dimanda fu munita dell'espressione salutare « *praeter quam quod* » indicante abbondanza di motivi a chiedere, oltre quelli speciali e susseguentente designati di maggior entità e rilievo, fondati cioè sul disposto del §. 1674 del vigente regolamento, nel qual caso a forma del *seguente* §. 1675 la nullità deve dedursi avanti il tribunale della piena Camera come tribunale di appello. Riguardo poi al voto camerale si ha un supposto *bis in idem* per la ritenuta natura del decreto come definitivo, quando tale non era per disposizione di legge al §. 591 e per la successiva regiudicata rotale che lo dichiarò invece con tutto diritto *per interlocutorio*. Per un falso supposto adunque dovrebbe *ad ipotesi* dirsi invasa la nostra autorità suprema; nè sembra coerente all'equità e giustizia per siffatta invasione ipotetica l'annullare gli atti e decreti del tribunale della piena Camera e la successiva regiudicata rotale escludente anzi la circoscrizione, quando il Tiratelli col rimedio ordinario dell'appello interposto alla Rota ottenne quello istesso che avrebbe da questo nostro supremo tribunale conseguito, se al medesimo portata si fosse a decidere la questione.

§ 9. Sembrò finalmente prudenziale anzichè giusto ai Padri miei, per aver receduto dalla prima decisione promulgata, il dovere accordare al Tiratelli *una nuova dilazione* per la proposizione della causa sulla restituzione in intiero. Imperciocchè sebbene sembri doversi ritenere che la richiesta circoscrizione, qualora fosse accordata, non importerebbe seco che la caduta in parte del solo processo incidentale avanti il tribunale della piena Camera, o di quanto poscia relativamente all'incidente medesimo seguì nel tribunale della Rota, mai e poi mai estendere si potrebbe a distruggere il processo del merito trattato *in secondo e terzo grado* dalle parti medesime innanzi i tribunali espressivamente designati dall'odierna prassi nei §§. 329 e 331, nulladimeno si vide espediente il definire in prima con tutta base una questione odiosa, quale si è l'attuale di circoscrizione. E così nel contraddicimento delle parti venne deciso.

V. decis. CLXXI.

Die 18 julii 1850 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Pius Bossi — D. Joseph Vasselli.

Prot. 130 / 1847 Illmo e Rmo Monsig. PILA Decisio CLXXV.

Fermana di Avocazione ed Unione

Giovedì 8 *Febbrajo* 1849.

Argomento

Si tratta dell'unione di due cause non connesse, nè dipendenti fra loro — Si osserva la diversa indole delle medesime, poichè una è ordinaria l'altra sommaria — Finalmente si dimostra come non possa parlarsi di unione quando gli atti d'una delle due cause siano infetti di vizio intrinseco di nullità, e debbano perciò venir cancellati.

§ 1. Teodoro Maurizj avendo stipolato fino dall'anno 1786 per sè e sua terza generazione mascolina l'enfitensi di una possessione posta in contrada *pian di Lete* spettante al

comune di Monte Granaro, chiamonne a parte nell'anno 1802 i suoi fratelli Carlo e Domenico e loro prole mascolina e femminina col mezzo di una solenne convenzione. Morto Domenico, entrò in possesso della porzione dell'utile dominio dal defunto goduta il di lui figlio Pacifico il quale proseguì a ritenerla anche dopo la morte di Teodoro primo investito, avvenuta nell'anno 1832. Volgendo l'anno 1844 Vincenzo, Saverio, Giambattista e Francesco Maurizj figli ed eredi di Teodoro, chiamarono in giudizio Pacifico avanti il tribunale di prima istanza di Fermo per sentirsi dichiarare, attesa la natura pattizia della enfiteusi, la nullità della convenzione del 1802, e decretare in pari tempo la reintegrazione degli attori nel possesso dei fondi enfiteutici con la condanna alla restituzione dei frutti indebitamente percetti dal dì della morte di Teodoro. Non era stata ancora decisa la lite, quando Pacifico passò fra i più nell'anno 1847, lasciando erede un'Opera pia, che istituì nel suo testamento, di cui affidò la esecuzione a Nicola Orlandi, che dichiarò anche amministratore di detta Opera pia. L'Orlandi con ordinanza del tribunale civile di Fermo, fu immesso al possesso di tutti i beni ereditarj, compresa la porzione litigiosa del terreno enfiteutico.

§ 2. La morte di Pacifico fece sì che i fratelli Maurizj lasciassero in sospeso il giudizio pendente avanti il tribunale civile di Fermo, e citassero invece l'Orlandi nell'accennata qualifica avanti il tribunale della curia arcivescovile di Fermo per sentir dichiarare che il fondo enfiteutico non apparteneva alla eredità di Pacifico, che nullo per conseguenza era il possesso presone dal reo convenuto; doversi perciò condannare il medesimo alla restituzione di tutti i frutti dalla morte di Pacifico in poi, salva per la ripetizione dei frutti anteriori l'azione scatente dal giudizio pendente innanzi il tribunale civile di Fermo. L'Orlandi ritenendo che dal duplice giudizio promosso per parte dei Maurizj potesse nascere sentenza contro sentenza, ricorse a questo supremo Consesso, perchè si avocasse la causa dal tribunale ecclesiastico, e si unisse all'altra pendente avanti il tribunale civile, o viceversa ad arbitrio del tribunale. Propostasi in questo giorno la causa, non giovò all'Orlandi d'implorare la dilazione sotto il pretesto di avere interposto un nuovo ricorso di pertinenza e di circoscrizione; imperocchè i Padri credettero giusto di definire la quistione col rescritto « *Nihil de avocatione et unione* ».

§ 3. Nè diversamente risponder si poteva, salvo il rispetto alle leggi dovuto. Secondo la disposizione del §. 1050 del vigente regolamento di procedura, allora può chiedersi utilmente che due cause pendenti innanzi tribunali diversi sieno portate al giudizio di un solo, quando n'è tale la connessione e dipendenza, ossia continenza, « *che il farle decidere da diversi giudici o tribunali produrrebbe contrarietà di giudicati* ». Qualora dunque non si corra questo pericolo, invano si dimanda l'avocazione ed unione, cessando in tal caso la ragione che spinse il legislatore ad emanare l'enunciata sanzione, siccome sempre ritenne il nostro Ordine, specialmente nella *Romana avocationis et unionis causarum* 3 *augusti* 1847 *coram R. P. D. decano*, nella *Ariminen. unionis causarum* 22 *martii* 1839 *coram eodem*, nella *Ravennaten. unionis causarum* 25 *junii* 1840 *coram La-Grua Valdina*, e nella *Perusina unionis causarum* 29 *julii* 1842 *coram R. P. D. decano*.

§ 4. Nel caso peraltro ravvisavasi che in niun modo poteva aver luogo la emanazione di sentenze contrarie. Lungi infatti dall'esservi connessione alcuna o dipendenza fra i giudizi in quistione, i medesimi sono del tutto diversi e disparati fra loro. Il primo fu istruito dai figli ed eredi di Teodoro Maurizj avanti il tribunale civile per ottenere principalmente la nullità della convenzione stipulata fra Teodoro ed i fratelli nell'anno 1802. Il secondo fu dagli stessi promosso avanti il tribunale ecclesiastico per conseguire in forza dell'istromento d'investitura dell'anno 1786, la porzione dei beni enfiteutici, goduta finchè ebbe vita dal defunto Pacifico. Diverso è dunque il titolo, diverso lo scopo di ambedue i giudizi, e per conseguenza non potrebbe mai nascere contrarietà di giudicati.

§ 5. La niuna continenza poi dei detti giudizi sempre più chiara apparisce per la diversità dell'epoche e delle circostanze in cui venner promossi. Quando i fratelli Maurizj citarono avanti il tribunale civile per la nullità della convenzione dell'anno 1802 e

per essere conseguentemente immessi al possesso dei fondi enfiteutici, era in vita il loro cugino Pacifico Maurizj. Quando poi si rivolsero al tribunale ecclesiastico chiedendo la immissione al possesso dei detti fondi, Pacifico aveva cessato di esistere. Nel primo giudizio si dimandò che Pacifico non contemplato nell'istromento d'investitura, fosse escluso dal godimento della enfiteusi pattizia, benchè posto a parte di essa con la convenzione dell'anno 1802. Nel secondo si richiese che l'Opera pia erede di Pacifico fosse tolta dal possesso dei fondi enfiteutici, sia perchè non era compresa nell'istromento di investitura, sia perchè non era contemplata nella convenzione del 1802 stipulata a favore della sola discendenza di Carlo e Domenico Maurizj e non degli eredi estranei. Il primo giudizio dunque è ristretto ai soli diritti che potevano sperimentare gli attori durante la vita di Pacifico, il secondo si riferisce solamente ai diritti che loro competevano dopo la morte dello stesso Pacifico. Benchè dunque il tribunale laico ponendo in non cale la natura pattizia della enfiteusi decidesse che durante la vita di Pacifico, i figli di Teodoro non avevano il diritto di privarlo del possesso dei fondi enfiteutici, non per questo vi sarebbe contrarietà di giudicati, se il tribunale ecclesiastico accordasse questo diritto contro la erede estranea del detto Pacifico. Imperocchè mentre Pacifico avrebbe avuto un titolo giusto di possesso nella convenzione solenne del 1802, di questo titolo non può giovarsi la di lui erede estranea, che la convenzione istessa esclude dal godimento della enfiteusi. Dalla diversità dunque dell'epoca e delle circostanze apertamente risulta che i giudizi di cui si tratta, non hanno tal connessione d'aprire il varco a giudicati che si trovino in opposizione tra loro.

§ 6. Altro ostacolo gravissimo trovarono i Padri alla richiesta avocazione ed unione nella qualità e nell'indole dei giudizi. L'azione intentata avanti il tribunale civile è principalmente diretta ad ottenere la nullità della convenzione dell'anno 1802; invece l'istanza promossa avanti il tribunale ecclesiastico risguarda la esecuzione dell'istromento di investitura, essendo in forza di esso i soli figli di Teodoro, chiamati al godimento della enfiteusi. L'indole dunque del primo giudizio è ordinaria, la natura del secondo sommaria. Qualunque perciò siasi la connessione che passa fra l'uno e l'altro, non potrebbe mai aversi a calcolo per decretare l'unione di ambedue, essendo massima costante del supremo tribunale di non unire i giudizi esecutivi con i giudizi ordinari, affinchè le cause che debbono avere una pronta esecuzione, non sieno ritardate con eccezioni di alta indagine, contro il voto della legge, la quale per il pubblico bene vuole il sollecito disbrigo delle quistioni dedotte in giudizio. *Ravennaten. unionis causarum* 4 *septembris* 1834 *coram Galimberti*, *Ravennaten. unionis causarum* 25 *junii coram La-Grua Valdina*, *Ferrarien. avocationis causarum* 23 *julii* 1840 §. 8 *coram Lippi*.

§ 7. Finalmente il ricorso di pertinenza e di circoscrizione interposto dall'amministratore dell'Opera pia Maurizj, rende sempre più evidente la giustizia del rescritto emanato dal supremo nostro tribunale. Quando si tratta di ricorsi di pertinenza, è di necessità, a forma del §. 1049 « *che la causa si prosegua avanti il giudice* o *tribunale che sarà dichiarato competente*, *annullando gli atti degli altri giudici o tribunali* ». Pertanto se l'Orlandi ha riconosciuto nulli col nuovo ricorso gli atti di una delle due cause, è venuto nel tempo istesso a confessare che non può aver luogo l'unione, giacchè sarebbe un'assurdo, e ripugnerebbe al buon senso l'unire degli atti che per vizio intrinseco di nullità debbano essere cancellati, con gli atti validamente fatti. Del che essendosi forse avveduto l'istesso Orlandi, non fece in cancelleria la produzione del nuovo ricorso, e neppur fece il deposito necessario per eseguirla. E così fu deciso, informando una sola delle parti litiganti.

Die 2 maji 1850 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Philippus Maria Salini — D. Antonius Ranaldi.

Prot. 164 / 1848 Illmo e Rmo Monsig. VICI Decisione CLXXVI.

Romana di Avocazione e di Unione

Giovedì 8 Febbrajo 1849.

Argomento

Si disputa se vi sia connessione fra due giudizi istruiti contro il sequestratario che abbia emessa illegalmente la sua dichiarazione, e si chieda il pagamento della somma sequestrata, in uno dei detti giudizi, in luogo dei danni, nell'altro con l'azione di sequestro — Si disputa inoltre se appellata una sentenza nella sola parte che condanna alle spese, sia necessario nel giudizio di secondo grado addentrarsi nella questione del merito — Finalmente si stabilisce avanti qual giudice debbano riunirsi gli appelli interposti da ambedue i litiganti in una stessa causa, l'uno sul merito, l'altro sulla condanna alle spese.

§ 1. Nicola De-Romanis creditore del proprio fratello Filippo intimò ad Antonio Bianchini, ritenendolo debitore di questo, due sequestri. Il primo di essi fu eseguito per la somma di scudi 446, 75, il secondo per quella di scudi 259, 02 ½. Sul primo il Bianchini non emise nel termine stabilito dalla legge veruna dichiarazione, ed in conseguenza fu dal sequestrante citato al pagamento della rispettiva somma; non così sul secondo; poichè entro il termine legale dichiarò Bianchini di non ritenere presso di sè nulla di pertinenza di Filippo, protestando che questa dichiarazione avesse forza ed efficacia anche rapporto al primo sequestro eseguito per sc. 446, 75.

§ 2. Dopo tale dichiarazione fu da Nicola istruito giudizio contro Bianchini avanti il secondo turno del tribunale civile di Roma, e ritenendo quell'atto non conforme alla disposizione di legge, fece istanza che Bianchini fosse condannato alla emenda di tutti i danni, ed in luogo di questi al pagamento delle somme sequestrate, non che alle spese di quel giudizio, ed alle altre alle quali aveva dato causa la ritardata ed inefficacemente emessa dichiarazione. Fu però dal tribunale con sentenza del giorno primo agosto 1848 assoluto il reo convenuto dalla osservanza del giudizio, e Nicola condannato al pagamento delle spese giudiziali liquidate in sc. 91, 27. Da questa sentenza appellò Nicola alla s. Rota in ponenza di monsig. Alberghini nella sola parte che risguardava la sua condanna alle spese.

§ 3. Quindi egli stesso stimò meglio istruire nuovo giudizio innanzi lo stesso turno del detto tribunale civile, e nella istanza, fatta menzione degli atti già accaduti in esecuzione del primo sequestro, tacciata di nuovo d'insussistente, inefficace, ed irregolare la dichiarazione emessa dal Bianchini, domandò la condanna di questo al pagamento delle somme sequestrate, e di tutte le spese non solo del nuovo giudizio, ma di quelle ancora causate dalla ritardata ed inefficacemente emessa dichiarazione. L'esito di questa controversia non fu del tutto analogo alle richieste dell'attore; poichè se Bianchini soffrì condanna al pagamento delle somme sequestrate, e delle spese di quel giudizio, non lo fu però alle altre menzionate nella istanza introduttiva del giudizio, siccome risulta dalla sentenza pronunziata dal detto tribunale il giorno 26 settembre 1848. E fu per tal motivo che Nicola interpose appello alla Rota nella ponenza del medesimo monsig. Alberghini, gravandosi che in detta sentenza la condanna alle spese inflitta al suo avversario non era stata tanto ampla quanto egli aveva domandato.

§ 4. Bianchini ancora appellò dalla sentenza medesima riguardo al merito e nelle condanne sofferte, e l'appello fu da esso interposto parimenti alla Rota, ma nella ponenza di monsig. Quaglia. Tale differenza di ponenti dette origine al ricorso di unione e di avocazione interposto da Nicola al supremo nostro tribunale, ed in esso domandò che ameudue le cause, tanto quella nella quale era stato egli condannato alle spese, quanto l'altra nella quale avevano appellato ambedue le parti litiganti, fossero in grado

di revisione giudicate dal medesimo turno rotale in ponenza di monsig. Alberghini, ovvero in quella di monsig. Quaglia. Ma Bianchini con apposito atto giudiziale mentre ammise l'unione degli appelli interposti dalla sentenza pronunciata il giorno 26 settembre 1848, purchè detta unione avvenisse in ponenza di monsig. Quaglia, si oppose per altro all'unione di quel giudizio con l'altro, sul quale era stata pronunziata sentenza del giorno primo agosto 1848, sostenendo che l'appello da essa interposto dovesse rimanere nel turno in ponenza di monsig. Alberghini. Il tribunale supremo in tale discrepanza delle parti litiganti ha creduto emanare il seguente rescritto « *Essere luogo alla avocazione ed unione di tutte e tre le cause innanzi monsig. Quaglia* », ed ha commesso a me l'ufficio di rendere palesi i motivi che dettero causa a rispondere nell'enunciato modo.

§ 5. Che sopra i due appelli interposti dalla sentenza del giorno 26 settembre 1848 debba giudicarsi dal medesimo turno rotale, perchè tra di loro connessi e dipendenti l'uno dall'altro, era così manifesto ed evidente che le parti litiganti erano in ciò di pieno accordo. Tutta la disputa si aggirava sull'altro appello interposto da Nicola dalla sentenza 1 agosto 1848, e nella quale fu egli condannato nelle spese del giudizio in sc. 91, 27. Ma il tribunale ha ravvisato anche in questo giudizio motivi gravissimi, in forza dei quali deve esso ancora unirsi all'altro proveniente dagli appelli interposti dalla sentenza pronunziata il giorno 26 settembre 1848.

§ 6. Di fatti l'uno e l'altro risguardano i medesimi atti di sequestro, ambedue derivano dalla medesima fonte, in ambedue viene a discussione la medesima dichiarazione emessa da Bianchini, e risguardante i sequestri intimatigli da Nicola. Questi tanto nel primo giudizio quanto nel secondo accusò d'inefficacia e d'illegalità detta dichiarazione, nell'uno e nell'altro domandò il pagamento delle somme sequestrate; e se a tal fine domandò nel primo la emenda dei danni, e nel secondo il pagamento delle somme sequestrate, ambedue però le istanze ebbero origine dai medesimi sequestri, in ambedue fu domandata la somma istessa, scopo di ambedue fu il dimostrare di niun valore ed illegale la dichiarazione emessa da Bianchini. Ora se a tenore del §. 1050 della procedura vigente ha luogo il ricorso per l'avocazione ed unione delle cause avanti un solo giudice e tribunale allorchè quelle sono tra di loro connesse, ed una dipendente dall'altra, e ragion vuole che un medesimo turno rotale pronunzi su due giudizi il di cui esito dipende da un sol titolo, od i quali si aggirano sopra di un perno solo.

§ 7. Nè ad escludere l'unione poteva darsi ascolto al riflesso fatto per parte di Bianchini, che cioè la Rota riguardo all'appello interposto dalla sentenza del primo agosto 1848 deve interessarsi non solo sul merito di essa, ma soltanto sulla condanna sofferta da Nicola sulle spese liquidate in sc. 91, 25, mentre da essa solamente, e non dal merito della causa era stato da quello interposto l'appello. Imperciocchè deve primieramente riflettersi che per giudicare della giustizia od ingiustizia di quella condanna, deve necessariamente il tribunale di appello interessarsi ancora del merito della causa, mentre da questo dipende la questione sulle spese, nè può veruno condannarsi a queste, se prima non si conosca la giustizia od ingiustizia dell'azione proposta.

§ 8. Ed inoltre una ragione ancora non meno poderosa persuadeva che le due questioni sulle spese dovessero riunirsi avanti un sol turno. Nicola nella sua primitiva domanda per la emenda dei danni chiedeva le spese di quel giudizio, e le « *altre cui ha dato causa la ritardata ed inefficacemente emessa dichiarazione* ». Consumato quel giudizio con grandi spese dirette unicamente a giustificare la esistenza e l'ammontare del debito nel sequestratario Bianchini, ed assoluto il medesimo dall'osservanza del giudizio, quando lo stesso Nicola rinnovò la domanda per la condanna all'ammontare dei sequestri, ripetè le parole identiche circa le spese, e richiese tutte quelle « *cui aveva dato causa la ritardata ed inefficacemente emessa dichiarazione* », ed in conseguenza tutte quelle già occorse nel primo giudizio. Qualunque sieno state le sentenze dei primi giudici, è certo che avanti la s. Rota nelle due cause risguardanti tassativamente le spese col dubbio identifico in ambedue « *se ed in qual somma sia luogo alla reintegrazione delle spese* », viene a proporsi, discutersi e decidersi, se

chi debba sopportare il peso di quelle spese medesime occorse a dimostrare contro la inefficace dichiarazione il vero debito nel sequestratario; ed è perciò manifesto che due diversi turni giudicando sull'identifico soggetto, potrebbero emanarsi due sentenze contraddicenti, e questo pericolo costituisce il solo sostanziale estremo della unione. Difatti nell'appello interposto dalla seconda sentenza Nicola si ritenne di essa gravato, perchè nella condanna di Bianchini alle spese « *non si era avuto riguardo alle rilevanti spese occasionate dall'avversario con la sua opposizione al precedente giudizio di danni* ». E per essere tali spese quelle medesime alle quali in vece era stato egli condannato nella precedente sentenza del primo agosto la quale pendeva in appello avanti monsig. Alberghini, resta sempre più confermata la giustizia della ammessa unione di ambedue gli appelli innanzi il turno medesimo per ovviare alla possibile contrarietà dei giudicati.

§ 9. Il tribunale in ultimo opinò di rimettere la definizione di ambedue i giudizi al turno in ponenza di monsig. Quaglia. Avendo a detto turno appellato Bianchini sul merito della seconda sentenza, il turno istesso a tenore del §. 1051 del regolamento giudiziario, doveva essere scelto in concorrenza dell'altro turno in ponenza di monsig. Alberghini al quale si era da Nicola appellato sulle spese solamente di ambedue i giudizi, molto più che questi si dimostrava indifferente se la sorte di essi dipender dovesse da un turno piuttosto che dall'altro. E questo fu l'opinamento che il tribunale esternò nella contraddizione delle parti.

Die 20 decembris 1849 « *Quoad causam diei 1 augusti nihil; in reliquis in decisis, et extendatur decisio per R. P. D. Ferrari, et reproponatur* ».

Die 24 januarii 1850 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Pontianus De Sanctis — D. Joannes Papi.
D. Carolus Camerali.

Prot. 118/1847 R. P. D. LIPPI Decisio CLXXVII.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS SEU RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 13 Septembris 1849.

Argumentum

Cum circumscriptio actorum postuletur ex defectu jurisdictionis, disceptatur de requisitis quibus clericus pollere debeat ut fori privilegio, etiamsi in conjugali conditione positus, gaudere possit — Praeterea qui improprta rejudicata perculsus fuerat, nova documenta afferens petit restitutionem in integrum.

§ 1. Quorumdam praediorum quae in pagis « *Poggio Nativo* » ac « *Poggio Majano* » ad Emygdium Vannarelli spectabant, administrationem diuturno tempore gessit Angelus Evangelisti, ac dein etiam istius filius Joannes. Hinc factum est ut die 6 martii 1837 rationum redditio inter Emygdium Vannarelli atque Joannem Evangelisti locum habuerit, in vim cujus, hoc posito in facto, ut nempe postrema rationum exhibitio contigisset anno 1830, debitorem se Joannes declaravit scut. 138 et obol. 87, addita clausula « *salve partite di errore ed omissione* », quae summa constabat etiam ex quadam reliquationu anni 1830 atque ex alia praecedenti. At vita functo Emygdio Vannarelli, istius filius Franciscus ad novam rationum redditionem Joannem Evangelistium induxit sub die 18 martii 1839, in qua praemissa declaratione ut haberetur « *come non avvenuto e di niun valore un precedente foglio di conteggio firmato sotto il dì 28 novembre 1837, perchè equivocato e trovato erroneo dopo la scoperta di nuovi documenti e carte, e vogliano attenersi al presente conteggio* », debitorem se fassus est Joannes in vi scut. 381 et obol. 32 ½. Atque in hac pariter rationum redditione illud contigit ut ideo debitorem pro tali summa se Joannes declaraverit, quia nempe in facto positum fuit rationes esse reddendas a die 23 maii 1830, praeterquamquod nonnullae etiam aliae redditae fuerint, quae ad annos praecedentes referebantur.

§ 2. Hac debiti confessione Vannarellius innixus judicium coram prima civilis tribunalis sectione instituit ut ad dictam summam rependendam Joannes damnaretur, ac per istius contumaciam facile amicam sententiam retulit, quae ob nunquam interpositam appellationem in remjudicatam impropriam migravit. Sententia haec post aliquod tempus executioni commissa fuit, divenditis sub basta praedio ac domuncula ad Evangelistium spectantibus. At rebus sic se habentibus, nova Joannes documenta reperire potuit ex quibus emissam a se obligationem erroneis fundamentis inniti constabat. Dum enim in postrema rationum redditione declaratum fuit computationes esse ineundas ab anno 1830, syngrapha reperta est ex qua patebat omnia inter defunctos Angelum Evangelisti ac Emygdium Vannarelli debendi capita fuisse sub die 21 maji 1831 solidata atque extincta, ita ut ab obligatione per Joannem emissa detrahi in primis deberent prior et secunda summa quae ad anterius tempus, ad annos scilicet 1829 et 1830 referebantur. Praeterea in quinta computatione ejusdem obligationis Vannarellius asserebat se a Pitorriis quinque cubicula emisse, eaque dein Evangelistio retrocessisse, istoque titulo se creditorem constituebat scut. 190, dum e contra ex novo reperto instrumento constabat ipsum Angelum Evangelistium proprio nomine haec cubicula a Pitorriis comparasse, ac tradidisse vicissim fundos ad se pertinentes, quos permutationis titulo in Pitorrios transtulit.

§ 3. Novis hisce documentis suffultus ut vulneri sibi per remjudicatam illato medelam Joannes afferret, ad supremum nostrum Ordinem confugit. Et quum jamdudum clericali militiae adscriptus ipse fuerit, ac peculiaris ecclesiae servitio addictus, hinc fori privilegium sibi competere contendens, ex jurisdictionis laici tribunalis defectu actorum circumscriptionem, sin minus restitutionis in integrum beneficium adversus remjudicatam impropriam imploravit. Atque hodiernis in comitiis PP. prima recursus parte rejecta, alteram favorabiliter exceperunt rescripto « *Quoad circumscriptionem nihil; in reliquis, de causis sine praejudicio reijudicatae* », commisso mibi munere decisionem vulgandi.

§ 4. Et merito quidem ita decisum est. Quoad enim circumscriptionis querelam, nisi certe ac evidentissime constet omni prorsus jurisdictione tribunal caruisse, ea utpote aspera et odiosa semper est rejicienda. Jamvero non patebat Joannem ea omnia requisita implevisse quae leges canonicae apertis verbis praescribunt ut fori privilegium servetur. Verum utique erat ipsum jamdudum fuisse clericali militiae adscriptum, ac peculiaris ecclesiae servitio addictum. At indubiae probationes omnino desiderabantur, quod post initum cum virgine conjugium liberosque susceptos talem semper se gesserit, qualem conjugatum clericum decebat, tonsum videlicet capitis verticem reliquerit, clericalem babitum retinuerit, ecclesiaeque constans praebuerit servitium, quae singula omnino requirebantur ut etiam in conjugali conditione fori privilegio gauderet. Et licet ipse plurium testium depositiones attulerit ad praedictarum conditionum implementum probandum, quum tamen ex adverso plures alii fide pariter dignissimi testes contrarium deponentes allati fuerint, maxima hinc oriebatur de hujusmodi facto dubietas. Porro in hoc dubio circumscriptionis querela erat omnino rejicienda.

§ 5. At non idem dicendum erat quoad alteram recursus partem, scilicet restitutionem in integrum, quam concedendam esse tum intrinseca, tum extrinseca argumenta suadebant. Ac praeprimis intrinseca. Clara quippe est vigentis praxeos §. 1057 dispositio « *Ha luogo il ricorso per ottenere il rimedio straordinario della restituzione in intiero, qualora il ricorrente dimostri l' ingiustizia manifesta della cosa giudicata* », quae quidem injustitia scateat ex sequentis §. 1058 sanctione « . . . . *dall' essersi rinvenuti documenti pubblici o privati, coi quali si provino fatti nuovi e decisivi* ». Jamvero publica et privata ad amussim afferebantur in themate nova ac decisiva documenta manifestam reijudicatae injustitiam ostendentia. Res enim judicata omne fundamentum recepit a suscepta per Evangelistium obligatione diei 18 martii 1839. At quum ex novis documentis pateret hanc obligationem pluribus capitibus constare quae aut jam antea solidata fuerant, aut

nunquam extiterant, ac propterea falsis suppositis iuniti, binc resjudicata eodem pariter vitio laborare dicenda erat.

§ 6. Reque vera hoc aderat animadvertendum, in obligatione scilicet declaratum fuisse rationes ab Evangelistio usque ab anno 1830 reddeodas esse, dum e contra ex novo documento eruebatur omnia inter defunctos Angelum Evangelisti ac Emygdium Vannarelli debendi capita fuisse sub die 21 maji 1831 solidata atque extiucta. Cousequens proinde erat ut ab obligatione anni 1839 detrabi iu primis deberent omnia illa capita quae vetustiora essent die 21 maji 1831, atque ideirco prior et altera summa, quae utpote relationem habentes ad annos 1829 et 1830, jam fuerant e medio sublatae in vim praedictae syngraphae anni 1831, qua Emygdius Vannarelli fassus est se ab Angelo Evangelistio solidationem integram recepisse. Nec proderat Vannarellio excipere hujusmodi documentum falsum ac vitiatum cerni. Nam quousque illud uti falsum non insimularetur ad formam legis, in implicito validitatis statu mauebat quin obiter vel nudis verbis, vel contra legis praxim deleri posset.

§ 7. Praeterea quoad quiutam computatiooem, cui obligatio anni 1839 innititur, major etiam aderat erroneitatis probatio. In hac enim Vannarellius se creditorem erga Joannem constitueral scut. 190 pro pretio quinque cubiculorum quae ipse asserebat a Pitorriis emisse, ac deiu Angelo Evangelistio retrocessisse. E converso publica exbibita oova documenta longe aliud probabant, praedicta scilicet cubicula Evangelistium ipsum emisse, ac pro illorum pretio nonnullos fundos ad se spectantes in Pitorrios transtulisse. Hoc igitur scut. 190 creditum minime profecto Vannarellio competere perspiciebatur, ita ut errori dumtaxat tribuendum esset quod ejusdem confessionem Joannes emisisset. Injusta itaque fnit hac etiam iu parte resjudicata, utpote quae ab erronea obligatione fundamentum capiens ad banc etiam summam repeudendam Joannem damnavit.

§ 8. Demum quoad extrinsecum argumentum accedebat rem non esse de rejudicata quae ex duabus conformibus sententiis, et post jura binc inde viriliter deducta, ortum babuisset, quo in casu difficilius saoe extraordinarium restitutionis in iotegrum beneficium conceditur, sed e contra de rejudicata impropria, quae nimirum ex unica sententia et quidem contumaciali ob temporis lapsum dimanabat. Hinc fiebat ut rigorem paullisper temperantes implorato beneficio concedendo PP. proniores essent, quom boc in casu facilius victo extraordinarium remedium pro more concedatur, et mitior benigniorque interpretatio admittatur, ceu semper supremus ooster Ordo consuevit, ac praesertim in *Caesenaten. circumscriptionis vel restitutionis in integrum* 23 *novembris* 1843 §. 7 *coram Caracciolo*, *et in Romana circumscriptionis et restitutionis in integrum* 1 *februarii* 1844 §. 8 *coram Mertel*. Atque ita etc. utraque parte viriliter dimicanta decisum est.

Die 11 febroarii 1850 « *Declaratio pro parte Vannarelli* ».

Procuratores — D. Angelus Biscoutini — D. Antonius Sciarra.

Prot. 164 / 1848 R. P. D. FERRARI Decisio CLXXVIII.

Romana Avocationis et Unionis

Jovis 20 *Decembris* 1849.

Argumentum

Habes in Decis. CLXXVI.

§ 1. Creditor quum esset Nicolaus De-Romanis sui fratris equitis Pbilippi, sequestrem pecuniam fecit penes Autonium Biancbini Philippi debitorem. Neglecta vero ab Antouio declaratioue, Nicolaus eom provocavit coram secunda sectione tribuualis civilis urbis, ut qua praesumptus debitor ad summam persolveudam scut. 446, 75

damnaretur. Hac instantia derelicta, alterum Nicolaus indixit sequestrem Antonio, qui opportuno tempore declarationem explevit, negans vero debitorem esse erga Philippum, atque addens quod hujusmodi declaratio « *debba avere ogni forza ed efficacia per tutti gli effetti di ragione anche riguardo all' altro sequestro di sc.* 446, 75 ». Irregularis hujusmodi declaratio sequestranti visa fuit, ideoque sequestratarium coram eadem secunda sectione provocavit, ut damnaretur « *alla emenda di tutti i danni ed interessi . . . . , non che a tutte le spese del presente giudizio, ed a quelle cui ha dato causa la ritardata ed inefficacemente emessa dichiarazione* ». Tribunal vero sententia diei 1 augusti 1848 Antonium absolvit « *dall' osservanza del giudizio* », et Nicolaum damnavit « *alle spese a favore del Bianchini, che tassa e liquida in sc.* 91, 25 $^1/_2$ ». Provocavit Nicolaus ad s. Rotam coram R. P. D. Alberghini ab ea tantum sententiae parte « *relativa alla condanna alle spese* »; quocirca acceptam eam habuit quoad alterum caput quod respiciebat absolutionem ab observatione judicii tum quoad damnorum emendationem, tum quoad refectionem expensarum « *cui ha dato causa la ritardata ed inefficacemente emessa dichiarazione* ».

§ 2. Hujusmodi acceptatio vero non impediebat Nicolao quominus in altero judicio actionem suam rectius institueret. Hac igitur facultate utens Antonium coram eadem secunda sectione tribunalis urbis provocavit, ut qua praesumptus debitor ad summam scut. 705, 27 $^1/_2$ damnaretur, ad quam summam sequestres assurgebant, et ne ullam faceret jacturam, postulavit iterum ut obstringeretur ad expensas reficiendas « *del presente giudizio, ed a quelle cui ha dato causa la ritardata ed inefficacemente emessa dichiarazione* », super quibus expensis sententia tantum prodierat absolutoria ab observatione judicii. Tribunal Nicolai instantiam in genere probavit, sed Antonium damnavit « *alle spese del solo presente giudizio* », uti patet ex sententia 26 septembris 1848. Tunc Nicolaus appellavit ad s. Rotam coram R. P. D. Alberghini ab ea sententiae parte « *che concerne la limitata condanna del Bianchini alle spese del solo presente giudizio* »; deinde Antonius a tota sententia provocavit ad idem s. Rotae tribunal coram R. P. D. Quaglia. Nequibat de merito et de expensis coram diversis judicibus agi; quocirca Nicolaus postulavit ut omnes lites quibus sequester causam dederat « *avocarentur et remitterentur coram uno tantum Ponente, sive coram Alberghini, sive coram Quaglia* ». Non renuebat Antonius quominus ab R. P. D. Alberghini avocaretur atque coram R. P. D. Quaglia uniretur causa super expensis, ad quas reficiendas damnatus fuerat sententia diei 26 septembris; at acriter impugnabat avocationem et remissionem ad R. P. D. Quaglia alterius judicii respicientis expensas, ad quarum refectionem Nicolaus obstrictus fuerat sententia diei 1 agusti. Acta igitur causa coram nostro Ordine in conventu diei 8 februarii labentis anni, rescriptum prodiit « *esser luogo all' avocazione ed unione di tutte e tre le cause avanti monsig. Quaglia* ». Hodie vero re ad severiorem trutinam revocata, confirmandam RR. PP. existimaverunt R. P. D. mei Vici decisionem, qua coram R. P. D. Quaglia unitae fuerunt causae quae ex duabus appellationibus a sententia diei 26 septembris ortum habuerunt, revocandam vero eam duxerunt quoad causam pendentem coram R. P. D. Alberghini ob appellationem interpositam a sententia 1 augusti 1848 in ea parte quae refectionem expensarum respiciebat, lato rescripto « *Quoad causam diei 1 augusti nihil, in reliquis in decisis* ».

§ 3. Nulla enim continentia, nulla connexio visa fuit intercedere inter causam super qua lata fuit sententia diei 1 augusti, cum aliis causis quae ex duabus appellationibus a sententia 26 septembris 1848 prodierunt. Nam lites illae distinctae omnino fuerunt. In altera agebatur de damnorum emendatione; in altera de solutione scut. 705, 77 $^1/_2$, ad quam summam persolvendam Nicolaus obstrictum Antonium esse contendebat qua praesumptum debitorem. Una igitur actio nihil commune habebat cum altera. Nullum igitur periculum sententiarum inter sese pugnantium exoriri poterat. Etsi enim in una actione negatum fuisset id quod in alia concedere judex existimavisset, non exinde pugnantes sententiae ortum habuissent, quia stare simul poterat quod solutio summae sequestratae imperanda fuisset ex sequestre, neganda vero ex damnorum actione, uti revera sine ulla sententiarum pugna accidit. Nam

in priori sententia damnorum emendatio denegata fuit, in altera solutio pecuniae concessa, neque in mentem venit Antonio secundae sententiae circumscriptionem postulare, utpote contra primam sententiam latae. Nulla itaque continentia inter utramque causam intercedit.

§ 4. Quod si diversae sunt actiones principes, diversae quoque sunt actiones quibus postulata fuit ad expensas condemnatio. Nam istae nihil aliud sunt quam accessorium litis principis; quocirca judex qui meritum dirimit ad sumptuum judicialium refectionem, victum favore victoris damnare debet. Distinctum est quoad expensas judicis officium, uti distinctae sunt actiones quoad meritum. Unius jurisdictio non pendet ab altero, et unusquisque prae sua conscientia decernere potest quod justum existimat, quin sententia ab eo ferenda obstaculum alteri judici parare valeat quominus de expensis jus ferre possit. Aliquid Nicolaus diceret, si bujusmodi condemnationes tamquam incidentes meriti cor. R. P. D. Quaglia pendentis essent habendae. Contra sumptus judicii praesumpti debiti sunt quidem accessorium actionis principis super eadem debiti praesumptione; at sumptus alterius judicii super emendatione damnorum, accessorium actionis pro solutione obtinenda esse nequeunt. Licet enim duae istae actiones ex eodem fonte prodeant, videlicet ab irregulari et non tempestiva declaratione, actiones tamen aut damnorum aut debiti licet principes sint, dissitissimae tamen sunt, neque una alteri accessoria est. Jam vero expensae litis parte ex una damnorum, parte ex altera debiti actionem respiciunt. Continentiam itaque non habent; pugnantium sententiarum nullum periculum timeri potest, proindeqno unioni locus esse nequit.

§ 5. Neque recte Nicolans objiciebat quod tam in primo quam in secundo judicio postulata fuit refectio illorum sumptuum quibus « *ha dato causa la ritardata ed inefficacemente emessa dichiarazione* », veluti ac si coram diversis judicibus de eadem re disputari debeat. Nam haec condemnatio in primo judicio petita ad tribunal appellationis minimo conscendit. Nicolaus enim sententiam diei 1 augusti, qua etiam ab hac petitione Antonius absolutus fuit, acceptam habuit, atque appellationem cohibuit ad eam tantum sententiae partem, qua ad expensarum refectionem in summa scut. 91 damnatus fuerat. Sit itaque quod in secundo judicio eadem petitio repetita fuisset; at nullum inter se pugnantium sententiarum periculum oriri potest. Nam bujusmodi instantia coram Albergbinio minime pendet, statim ac a sententia diei 1 augusti quae ab observatione judicii Antonium absolvit, appellatum non fuit. Contra ad judicem appellationis non aliud venit quam id quod in appellatione comprehensum fuit; non venit itaque quaestio super refectione expensarum quibus « *ha dato causa la ritardata ed inefficacemente emessa dichiarazione* »; desideratur itaque in hoc litis pendentia quae praecipuum unionis extremum est, *ad text. in* §. 1052 *num.* 2 *codicis judiciarii.*

§ 6. Perperam quoque Nicolaus objiciebat quod multae expensae obeundae in primo judicio fuerunt, quae viam aperuerunt ut in secundo judicio victoriam assequeretur. Nam aut uterque judex harum expensarum refectionem imperabit, et una sententia minime cum altera pugnabit. Unus judex injustitiam fortasse patrabit; de qua noster Ordo sollicitus esse non debet. Quod si neuter illarum refectionem decernet, nulla aeque antinomia, sed injustitia tantum erumpet. Si tandem alter illorum solutionem jubebit, alter ab eis absolvet, nulla ex hoc sequetur sententiarum contradictio. Nam uti superius probavimus, actiones sunt inter se prorsus distinctae, neque una quidquam cum alia commune habet. Quocirca etiam judices liberi sunt in expensarum judicio, et unius sententia reijudicatae exceptionem in altera causa parare non potest. Et ita in strenuo partium conflictu decisum fuit.

Vide Decis. CLXXVI.

Die 24 januarii 1850 « *In secundo loco decisis* ».

Procuratores — D. Pontianus De-Sanctis — D. Joannes Papi.
D. Carolus Camerali.

PERUSINA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Jovis 20 Decembris 1849.

Argumentum

Contenditur remjudicatam manifeste violasse legem 55 ff. familiae erciscundae, *eo quia in rei communis divisione quae in natura fieri poterat, alteri ex condividentibus certam pecuniam loco partis ab aliis rependendam assignavit, ideoque restitutio in integrum adversus eam postulatur.*

§ 1. Possidebat olim Perusiae Seraphinus Bersani domum non satis amplam una cum hortulo, quae ex destinatione patrisfamilias trium inquilinorum usui et habitationi inserviebat. Haec domus post Seraphini obitum ad ejus quatuor filios et haeredes Petrum, Tiberium, Franciscum et Josephum universali titulo pervenit. Cum vero Jesualdus Travigi creditor esset Josephi in summa argenteorum 60 circiter, ut sententiam in sui favorem latam executioni committeret, praefatam domum judiciali pignori subjecit pro parte tamen quae ad Josephum pertinebat. Postmodum vero ut judiciale pignus distrahere posset, coram tribunali civili Perusiae primarum actionum vadimonium indixit Josepho caeterisque fratribus qua haereditariam domum pro indiviso possidentibus « *per sentirsi ordinare la divisione della casa ed orto esecutato . . . . . in quattro parti eguali tra i signori Francesco, Giuseppe, Pietro e dottor Tiberio fratelli Bersani, e ciò da effettuarsi mediante la nomina di uno o più periti, e per la quota che verrà a ciascuno attribuita sentir rilasciare il mandato d'immissione a favore di ciascun condividente, e qualora i periti come sopra da nominarsi non rinvenissero detta casa ed orto divisibili, ordinare che i medesimi ne effettuino la stima per eseguirne la vendita e ripartirne il prezzo a forma di legge, e tutt'altro fare e decretare che sarà di ragione e di prassi* ».

§ 2. Perusinum tribunal ad effectum de quo in libello introductivo agitur, in peritum judicialem elegit primum Aloysium Menicucci, mox vero eo vita defuncto, Aloysium Andream Bartoli, cui commissae sunt partes ut referret num communis domus quatuor in partes dividi in natura posset quin ea valde depretiaretur, secus vero quemcumque alium magis congruum dividendi modum proponeret. Judiciarius cognitor in prima et altera relatione (oportuit enim primam corrigere ob facti errorem qui irrepserat) proposuit primo dividendae domus rationem in tres partes, assignata uni ex fratribus quarta symbola in numerata pecunia a caeteris rependenda, eamque prae caeteris probavit. Dein ut suo muneri undequaque satisfaceret, vel aliam addidit dividendi rationem in quatuor partes; eam tamen notavit plurimis incommodis scatere. Demum in ima cera suae peritiae concludere visus est pro venditione totius domus, ut inde pretium inter fratres aeque diriberetur.

§ 3. Perusini judices, re mature perpensa, postquam vel suis oculis rem praesentem viderant, rejecta divisionis methodo in quatuor partes, rejectaque venditione domus, sententia diei 23 martii 1847 communem domum in tres partes dividi jusserunt ad normam judicialis peritiae, easque singulas tribus fratribus adjudicari, condemnatione in eorum personas collata praestandi quarto fratri in numerata pecunia portionem in quantum quaevis eorum portio praegravaret.

§ 4. De hujusmodi sententiae justitia nemo ex fratribus initio conquestus est, nemo appellationem ab ea interjecit. Quin immo ipsorum consensu et voluntate ea executioni commissa fuit cum primum vocatis in jus omnibus fratribus judex delegatus fuit ad portionum sortitionem explendam, cumque dein omnibus juris et praxeos solemniis adhibitis sortitio ipsa rite perfecta est. Sorte autem obtigit ut Francisco prima portio, Josepho altera, Petro vero tertia adjudicata fuerit, adscripta Tiberio quarta portione ex compensationibus aliarum conflanda.

§ 5. Sortitione expleta cum Petrus ex postfacto cognoverit naturam portionis sibi sorte adjudicatae, conqueri tunc primum coepit de sententia diei 23 martii 1847, ac appellationem ab ea ad s. Rotam interposuit. Ea vero lapso fatalium perempta, post quatuordecim mensium spatium a lata tribunalis Perusiae sententia Petrus recursum habuit ad nostrum Ordinem petens restitutionem in integrum adversus praefatam sententiam, quae reijudicatae vires nacta fuerat. Haud tamen eum juvit interpositus recursus, siquidem ejus instantiam dimiserunt hodie Patres DD. rescripto « *Nihil de restitutione in integrum* », mandato mihi munere decisionis vulgandae, dataque succumbenti facultate iterum causam proponendi.

§ 6. Nec secus quidem rescribi salva justitia poterat. Eatenus enim petebatur a Petro restitutio in integrum adversus sententiam diei 23 martii 1847 quatenus per eam leges in divisoriis judiciis servandas penitus pessumdatas affirmaret. At vero illico compertum est id falso omnino adstrui. Nulla enim manifesta alicujus legis violatio a judicibus perusinis commissa est, cum ipsi non juris sed dumtaxat facti quaestionem definiverint. Et re sane vera quaestio quae coram ipsis agebatur, in eo tota erat ut quaereretur, num in specie communis domus dividi commode posset in quatuor partes, necne. Cum vero judices ex peritia judiciali accepissent, haereditariam domum non pati commodam in quatuor partes divisionem, posse vero commode dividi in tres partes, tributa quarto fratri portione in numerata pecunia, illam dividendi rationem respuerunt, hanc amplexi sunt. Quo, ut patet, ab eis non juris, sed facti quaestio dirempta est. Non enim decreta fuit domus divisio in tres partes, licet commode in quatuor dividi possit, quod esset contra jus, sed definitum fuit in specie ejusmodi in quatuor partes divisionem commode fieri non posse, quod est quaestio facti. Quamobrem etsi illud concederetur, quod nempe judices perusini in hac facti quaestione dirimenda sub specie recti decepti fuerint, tamen in hac, qua versamur, judicii sede haud liceret ab eorum sententia recedere. Siquidem tralatitium est, adversus sententiam quae in facti interpretatione consistit, dari utique ordinarium appellationis remedium, non vero extraordinarium restitutionis in integrum, prout centies noster Ordo firmavit, et praesertim in *Sabinen. restitutionis in integrum* 3 *septembris* 1829 *coram R. P. D. Conventati, in Romana restitutionis in integrum* 2 *augusti* 1832 *coram R. P. D. Ferlisi, in Ferrarien. restitutionis in integrum* 15 *maji* 1834 *coram Galimberti*, et alibi passim. Et ratio est quia in facti quaestionibus cujus interpretatio judicio et conscientiae judicum concredita est, ne dari quidem potest manifesta alicujus legis violatio, quae ad restitutionem in integrum, lege id volente, necessario requiritur. Quod si quandoque in hujusmodi facti quaestionibus restitutionem in integrum noster Ordo concessit, id factum est cum in medium prolata fuerint nova et decisiva documenta, aut invicte probata falsitas eorum documentorum quae reijudicatae fundamentum praebuere, quod utrumque tamen in themate desideratur.

§ 7. Quod si generatim id obtinet in quibuscumque facti quaestionibus, multo magis obtinere in causa debet in qua versamur. Constat enim in judiciis familiae erciscundae et communi dividundo legem tribuere judicibus latissimam facultatem arbitrandi, prout ipsi censent, juxta tamen arbitrium boni viri. Hinc si ipsi putent fundum aliquem non pati commodam per regiones divisiones, possunt illum totum uni ex condividentibus adjudicare, et invicem eum alteri certa pecunia condemnare, ad *textum in instit. lib.* 4 *tit.* 17 *de officio judicis, et in leg.* 1 *et* 2 *cod. communi dividundo*. Quin etiam possunt uni proprietatem fundi adjudicare, alteri usumfructum, ceu tradit *lex* 6 *ff. commun. dividundo*. Quare eo fortius deneganda erit restitutio in integrum adversus sententiam quae facti quaestionem diremit eo in judicio in quo amplissima arbitris a lege tribuitur facultas judicandi juxta arbitrium boni viri.

§ 8. Inani vero consilio Petrus innixus *leg.* 55 *ff. familiae erciscundae*, et nonnullis s. Rotae auctoritatibus oggerebat haud licere arbitris in judicio divisorio recedere a divisione rei communis in natura quoties ea adeo difficilis non sit ut pene impossibilis videatur, ac proinde remjudicatam tribunalis Perusiae, quae absque ea maxima difficultate divisionem in natura respuit, in legem ipsam offendisse. Nam si rite textus et au-

ctoritates in contrarium allatae perpendantur, et praecipue si congrue invicem et cum aliis conferantur, nil alind profecto ex eis eruere est, nisi quod nefas sit arbitris ob quodcumque utut leve incommodum, quod vix unquam abesse potest, divisionem in natura praetermittere, et unum aut alterum ex sociis damnare ad recipiendam suae partis aestimationem. Ast vero inficiandum est defuisse in casu gravem causam cur judices perusini a divisione per regiones recederent. Nam illa eadem dividendi ratio in quatuor partes, quam judiciarius cognitor ceu minus incongruam proposuit, pluribus, iisque non levibus incommodis scatebat, et potissimum eo quod nempe depretiaretur fundus in octava et amplius parte sui valoris, et duae postremae contignationes haberentur parum decentes, incommodae, servitutibus obnoxiae, et ideo inquilinis qui solvendo essent non dignae. Si itaque judices perusini ut vitarent haec incommoda, divisionem per regiones in quatuor partes respuerunt, nemo dixerit eos absque gravi causa ab ordinaria juris regula recessisse. Ast dato etiam quod alicui serus judicandum videatur, tamen prae oculis semper habendum est hic agi de quaestione facti, in qua lex arbitrorum judicio et fidei concredidit rationum pondera pensitare, quarum vi definiendum sit utrum divisio in natura commode fieri possit, necne. Quare si in themate arbitri qua Perusiae jus dicebant, fieri eam non posse judicarunt, hac in judicii sede eorum sententiae standum est; siquidem recurrit regula superius statuta de neganda restitutione in integrum adversus remjudicatam quae tota in facti interpretatione consistit.

§ 9. Haec quidem generatim demonstrant haud ulli ex fratribus Bersani licitum esse contra definitivam sententiam tribunalis Perusiae insurgere, et adversus eam petere restitutionis in integrum beneficium, cum speciatim vero contra Petrum multa alia et quidem maximi momenti praesto sint quae eum ab hujusmodi restitutionis in integrum beneficio excludendum apprime suadent. Nam primo illud occurrit quod nempe ex ea dividendi ratione, quam judices perusini probaverunt, non ipse sed ad summum Tiberius laesus fuisset. Tiberius enim damnatus fuit ad recipiendam suae portionis aestimationem, Petrus vero admissus in partem aedium, et quidem nobiliorem et praetiosiorem. Hinc si Tiberius non conqueritur, quin immo si contentum se fatetur de portione quae sibi obtigit in numerata pecunia, rejicienda omnino est Petri instantia qui utitur defensione non sua. Alterum vero maximi momenti accedit, quod nempe sententia tribunalis Perusiae facto et voluntate ipsius Petri executioni commissa fuerit. Namque post latam, eamque rite denunciatam sententiam tribunalis Perusiae nemo unus ex fratribus Bersani, ne excluso quidem Petro, de ea conquestus est, nemo ab ea appellationem interjecit. Quin etiam nemine refragante judex deputatus fuit ad sortitionem partium explendam in executionem ejusdem sententiae, et dein sortitio ipsa, omnibus juris et praxeos solemniis servatis, absque ulla partium contradictione, rite perfecta est. Ast vero post sortitionem expletam, postquam scilicet unusquisque ex condividentibus cognoverit suae portionis naturam et qualitatem, tunc primum Petrus appellationem interjecit a sententia 23 martii 1847, atque dein ea perempta, post quatuordecim mensium spatium, recursum interposuit ad nostrum Ordinem. Haec quidem agendi ratio non obscure demonstrat, Petrum probavisse sententiam tribunalis Perusiae, cum ex ea aliquid commodi sibi obventurum pollicebatur; reprobavisse vero cum portionem nactus est suis votis adversam. Profecto jus non patitur ut hujusmodi machinationibus et tergiversationibus bona fides praesertim inter fratres pessumdetur, atque judiciorum sanctitas et majestas contemnatur.

§ 10. Haec enim vero satis superque fuissent ad causae definitionem. Nihilominus ad rem magis magisque confirmandam non renuerunt Patres in intrinsecam reijudicatae justitiam inquirere, perinde ac in appellationis judicio versaremur. Hac autem re perducta nihil datum est in ea reperire quod justitiae consonum undequaque non esset. Et re quidem vera si peritiam judiciarii cognitoris, quam tribunal perusinum sectatum fuit, perpenda-

mus, ex ea in primis elucet commodam domus divisionem in quatuor distinctas partes, prout Petrus obtrudere vellet, haud esse possibilem. Cum enim postrema contignatio paucis, iisque indecentibus cubiculis constet, nequit omnino portionem constituere caeteris valore respondentem. Quare opus esset aut a caeteris contignationibus aliquas diaetas distrahere, et adscribere quartae portioni, aut saltem ex subjectis horreis et promptuariis tenuitatem ejusdem quartae portionis compensare. Ast neutrum fieri nequit. In prima enim hypothesi adscriptae diaetae incommodae maxime essent inquilinis multaeque inducerentur non ferendae servitutes; in altera vero caeterae contignationes necessariis promptuariis carerent, ideoque vilescerent, dum quarta contignatio quae paucis cubiculis conflatur, iis supra necessitatem inutiliter abundaret. Ad summum divisio ita ineunda esset ut tertia et quarta contignatio divideretur « *a perpendicolo* ». Verum rursus deprehensum est hanc quoque dividendi rationem maximis scatere incommodis. Nam primo praedium plusquam octava parte sui valoris depretiaretur, quod maximi faciendum; secundo servitutes inducerentur; postremo duae ultimae contignationes ita divisae eo quia indecentes et incommodae essent, nec cum aliis duabus comparari possent, nec idoneis inquilinis, qui solvendo essent, locari. Quare nemo cordatus vir vel hanc in quatuor partes divisionem commode fieri posse existimabit.

§ 11. Explosa igitur quacumque divisione in quatuor partes, duae reliquae fuissent dividendi rationes quas judices sectari debuissent, scilicet aut venumdare communem domum pretiumque diribere inter fratres, aut eam dividere per regiones in tres partes, et quartam portionem conflare ex numerata pecunia rependenda ab iis qui plus justa quantitate fuissent consecuti. Jam vero primum, utut a perito judiciali magis probaretur, nequibat sane a jurisconsulto probari; siquidem justitiae aperte repugnaret, et aemulationem saperet, cogere omnes fratres, alienata domo ad extraneos, recipere suae partis aestimationem, atque exulare suis laribus, eo quia secus alter dumtaxat ex ipsis sorte designandus ad hoc adigendus foret. Accedit insuper quod omnes fratres, ne excluso quidem Petro, id se respuere coram tribunali Perusiae alias professi fuerint. Hinc nil aliud demum supererat quam dividere domum in tres partes, quemadmodum antea ex destinatione patrisfamilias divisa fuerat, ac tribuere quarto fratri portionem in numerata pecunia. Per eam praedium nullimode depretiabatur; libertati, commoditati, decentiae omnium aeque contignationum abundanter consulebatur. Nemini insuper ex fratribus inferebatur iniqua conditio. Nam si alter ex ipsis e domo sorte excludendus erat, id necessitate cogente fiebat, atque ut longe majora vitarentur incommoda; consequebatur autem suae portionis indemnitatem in numerata pecunia a caeteris fratribus quibus portionem in natura sors assignasset, rependenda. Nil itaque erat cur injustitiae insimularetur sententia tribunalis Perusiae, quae e converso justitiae regulis omnino consona fuit cum postremam hanc dividendi rationem prae caeteris amplexa est.

§ 12. Nec audiendi erant periti extrajudiciales nunc primum requisiti, qui commodam divisionem in quatuor partes, prout jacent quatuor domus contignationes, fieri posse affirmabant. Nam primo animadversum est hujusmodi peritiam actis non insinuatam nullam prorsus mereri fidem, praesertim contra judicialem peritiam ex censura §. 1075 vigentis codicis. Accedebat insuper per eam haud auferri incommodas servitutes itineris per tertiam contignationem ut aditus pateat ad viliora cubicula superimposita. Nec demum satis intelligitur quomodo per eam consulatur necessitati quartae contignationis habendi cellas vinarias et lignarias. Nam eae apothecae quas periti extrajudiciales assignant, nequeunt huic usui inservire, siquidem et angustissimae sunt, et in adversa domus parte constitutae nullam interiorem cum domo ipsa habent communicationem.

§ 13. Posthaec nullo in pretio Patres habuere alteram Petri defensionem, quam ad facilius assequendam restitutionem in integrum ex natura rejudicatae impropriae desumpsit. Nam si noster Ordo pronius restitutionem in integrum indulgere consuevit cum ageretur de rejudicata quae una constaret sententia, tamen nec ea unica, nec praecipua fuit ratio cur hujusmodi beneficium indulgeret. Cum itaque in themate tot tantaque praesto sint sive ab extrinseco sive ab intrinseco petita, quae suadent sententiam tribunalis Perusiae

ratam firmamque habendam esse, liquido patet nullam de peculiari natura reijudicatae habendam rationem esse. Eo vel magis quod vigentis codicis sanctio cum taxative recenset causas ob quas restitutio in integrum danda est, nullam facit distinctionem inter resjudicatas proprias et improprias, ceu videre est in §. 1057 et sequentibus. Et ita etc. utraque etc.

Die 18 martii 1852 « *In decisis* ».

Procuratores — D. Franciscus Lasagni — D. Joseph Vasselli.
D. Tiberius Bersani.
D. Vincentius Antonelli.

FINIS PRIMI VOLUMINIS

INDEX DECISIONUM

PER DIŒCESES

ALPHABETICA SERIE DISPOSITUS

INDEX

RERUM NOTABILIUM

A

b

ACTOR

ACTUS

ACTUS COMMERCIALIS

ACTUS EXECUTORIUS

ACTUS JUDICIALIS

ADJUDICATIO

ADMINISTRATIO

ADMINISTRATIVA DECISIO

ADMINISTRATOR

ÆQUIPOLLENS

ÆSTIMATORIA ACTIO

ALEA

ALIENIGENA

ALIMENTA

ALTERNATIVA

AMBIGUITAS

APPELLATIO

APPELLATIONIS JUDICIUM

APPELLATIONIS TRIBUNAL

AQUÆDUCTUS

ARBITRI

ARGENTARIUS

ASSOCIATIO

ATTENTATA

AVOCATIO

B

BENEDICTINA CONSTITUTIO

BIS IN IDEM

C

CADUCITAS

CAMBIUM

CAMERALE TRIBUNAL

CAMERA SPOLIORUM

CANON

CASTRENSIA REQUISITA

CASUS FORTUITUS

CAUSA

CAUSA PIA

CAUSAE

CAUTIO

CENSUS

CESSIO

CESSIO BONORUM

CIRCUMSCRIPTIO

CITATIO

CITATIONIS DEFECTUS

COMMUNIO

COMPENSATIO

COMPETENTIA

D

DAMNA

DEBITUM

DECISIONES

DECLARATIO

DECOCTIO

DECRETUM

DEFECTUS

DISTRIBUTIO

DIVISIO

DOCUMENTA

DOLUS

DOMICILIUM

DOMINIUM

DONATIO

DOS

EPISCOPUS

ERROR

EVICTIO

EXCEPTIO

EXCEPTIO REIJUDICATÆ

EXCUSSIO

EXECUTIO

FIDEJUSSOR

FILIATIO

FILIUS

FILIUSFAMILIAS

FINIUM REGUNDORUM

FISCUS

FOEMINA

FOETUS

FORMA

FORUM

FRAUS

FRUCTUS

G

GENUS

GRADUATIO

GRADUATORIA

H

HEREDITAS

HEREDITATIS ADITIO

HEREDITATIS PETITIO.

HERES

HYPOTHECA

HYPOTHECARIA ACTIO

JURISDICTIO

JURISDICTIONIS DEFECTUS

JUS

JUS PUBLICUM

L

LAESIO

LEGATUM

LEGITIMA

LEX

LIBELLUS

LIBERTAS

LIMITATIO

MANDATUM EXECUTORIUM

MANDATI DEFECTUS

MANUS-REGIA

MARITUS

O

OBLATIO REALIS

OBLIGATIO

OBLIGATIO CAMERALIS

OBSERVANTIA

OECONOMUS

P

PACTUM

PACTUM REDIMENDI

PARS

PATRIA POTESTAS

PIUM LOCUM

PLUS

PONENTES

POSITIONES

POSSESSIO

PRETIUM

PRIMOGENITURA

PRIVILEGIUM

PROBATIO

PROCURATOR

PRODIGUS

PRODUCTIO

RATIOCINATORES

RECONVENTIO

RECURSUS

RECUSATIO JUDICIS

REDDITIO RATIONUM

REDEMPTIO

REDIMENDI JUS

REFERENS

REGESTRATIO

REGRESSUS

RELATUM

RELIGIOSUM LOCUM

REMEDIUM

RENUNCIATIO

REPARATIONES

REQUISITA CASTRENSIA

RESCRIPTUM

RESERVATIO

RESJUDICATA

RESTITUTIO IN INTEGRUM

RESTITUTIO IN PRISTINUM

t

TRADITIO

TRANSACTIO

TREBELLIANICA

TRIBUNALIA COMMERCIALIA

TUTOR

U

ULTRA PETITA

UNIO CAUSARUM

URGENTIA

USURA

USURPATIO

USUSFRUCTUS

UXOR

V

VALOR LITIS

INDEX

LEGUM JURIS NOVISSIMI

QUÆ IN DECENNIO CORAM SUPREMO TRIBUNALI

IN DISPUTATIONEM VENERUNT.

k

EDICTUM DISCIPLINARE
Diei 17 Decembris 1834

EDICTUM
9 *Julii* 1835
Super Manu-regia

DECLARATORIA
Diei 20 Augusti 1835

DECLARATORIA
Diei 16 Aprilis 1836

DECLARATORIA
Diei 3 Septembris 1836

DECLARATORIA
Diei 14 Augusti 1837

DECLARATORIA
Diei 2 Septembris 1839

DECLARATORIA
Diei 14 Septembris 1839

DECLARATORIA
Diei 29 Januarii 1840.

DECLARATORIA
Diei 20 Decembris 1844

DECLARATORIA
Diei 7 Septembris 1845

TABULÆ SYNOPTICÆ CAUSARUM

QUÆ IN DECENNIO

AD SUPREMUM TRIBUNAL

DELATÆ FUERUNT

CAUSÆ MAJORES

	TITULUS	Nondum propositae	ABSOLUTÆ per renunciationem.	ABSOLUTÆ per moderationem recursus.	ABSOLUTÆ per primam decisionem	ABSOLUTÆ per secundam decisionem	EXITUS cum admissione recursus	EXITUS cum rejectione recursus
1845	Restitutinnis in integrum	16	1	1	18	5	9	16
	Recusatinnis judicis.	»	»	1	3	3	5	2
	Nullitatis et competentiae.	8	10	3	15	3	13	18
	Unionis.	7	8	2	12	2	11	13
		31	19	7	48	13	38	49
1846	Restitutionis in integrum.	9	»	4	14	1	6	13
	Recusationis judicis.	»	»	»	»	»	»	»
	Nullitatis et competentiae.	7	4	4	14	2	10	14
	Uninnis.	12	10	2	4	2	9	9
		28	14	10	32	5	25	36
1847	Restitutinnis in integrum.	2	»	2	16	4	6	16
	Recusatinnis judicis.	»	»	»	1	»	»	1
	Nullitatis et competentiae.	7	4	2	17	5	12	16
	Unionis.	3	4	11	9	»	8	16
		12	8	15	43	9	26	49
1848	Restitutionis in integrum.	12	4	»	7	»	4	7
	Recnsationis judicis.	»	»	2	1	1	3	1
	Nullitatis et competentiae.	3	4	2	7	1	4	10
	Unionis.	4	5	4	5	1	6	9
		19	13	8	20	3	17	27
1849	Restitutionis in integrnm.	2	2	»	3	»	2	3
	Recusatinnis jndicis.	»	»	»	»	»	»	»
	Nullitatis et competentiae.	2	1	2	1	1	4	1
	Unionis.	1	1	2	1	1	3	2
		5	4	4	5	2	9	6

CAUSÆ MAJORES

TITULUS		Nondum propositae	ABSOLUTÆ				EXITUS	
			per renunciationem.	per moderationem recursus.	per primam decisionem	per secundam decisionem	cum admissione recursus	cum rejectione recursus
1850	Restitutionis in integrum.	1	2	4	14	2	4	18
	Recusationis judicis.	1	1	2	»	»	2	1
	Nullitatis et competentiae.	4	5	1	7	1	5	9
	Unionis.	2	5	4	4	1	8	6
		8	13	11	25	4	19	34
1851	Restitutionis in integrum.	2	2	3	12	4	9	12
	Recusationis judicis.	»	2	1	1	1	2	3
	Nullitatis et competentiae.	6	4	3	14	2	9	14
	Unionis.	3	9	3	4	»	10	6
		11	17	10	31	7	30	35
1852	Restitutionis in integrum.	3	2	3	12	3	9	11
	Recusationis judicis.	»	»	»	1	»	»	1
	Nullitatis et competentiae.	4	7	1	10	1	6	13
	Unionis.	2	8	4	1	1	9	5
		9	17	8	24	5	24	30
1853	Restitutionis in integrum.	3	1	2	9	2	6	8
	Recusationis judicis.	»	»	»	»	»	»	»
	Nullitatis et competentiae.	4	2	2	3	1	5	3
	Unionis.	3	2	3	4	»	5	4
		10	5	7	16	3	16	15
1854	Restitutionis in integrum.	3	3	1	7	2	3	10
	Recusationis judicis.	»	1	4	»	»	1	4
	Nullitatis et competentiae.	7	5	2	6	4	6	11
	Unionis.	6	6	2	3	2	5	8
		16	15	9	16	8	15	33

CAUSÆ MINORES

Annus	TITULUS	Nondum propositae	ABSOLUTÆ per renunciationem	ABSOLUTÆ per decretum Praesulis Auditoris	ABSOLUTÆ per decretum Auditoris Praefecturæ	ABSOLUTÆ per rescriptum S. Tribunalis	EXITUS cum admissione recursus	EXITUS cum rejectione recursus
1845	Restitutionis in integrum	2	2	»	»	5	2	5
	Recusationis judicis.	»	»	»	»	2	»	2
	Nullitatis et competentiae.	16	2	8	19	5	16	18
	Unionis.	4	3	2	4	2	4	7
		22	7	10	23	14	22	32
1846	Restitutionis in integrum.	7	1	»	»	5	1	5
	Recusationis judicis.	2	»	»	»	»	»	»
	Nullitatis et competentiae.	11	5	7	18	2	13	19
	Unionis.	1	4	1	3	1	5	4
		21	10	8	21	8	19	28
1847	Restitutionis in integrum.	13	1	»	»	3	1	3
	Recusationis judicis.	»	1	»	»	»	»	1
	Nullitatis et competentiae.	17	8	6	18	1	14	19
	Unionis.	2	2	2	4	2	4	6
		32	12	8	22	6	19	29
1848	Restitutionis in integrum.	3	2	»	»	9	3	8
	Recusationis judicis.	»	»	»	»	1	1	»
	Nullitatis et competentiae.	11	3	6	18	2	11	18
	Unionis.	1	1	3	8	1	6	7
		15	6	9	26	13	21	33
1849	Restitutionis in integrum.	3	»	»	»	»	»	»
	Recusationis judicis.	1	»	»	»	»	»	»
	Nullitatis et competentiae.	5	2	3	4	»	4	5
	Unionis.	1	2	»	2	»	1	3
		10	4	3	6	»	5	8

CAUSÆ MINORES

	TITULUS	Nondum propositae	ABSOLUTÆ per renunciationem	ABSOLUTÆ per decretum Praesulis Auditoris	ABSOLUTÆ per decretum Auditoris Praefecturae	ABSOLUTÆ per rescriptum s. Tribunalis	EXITUS cum admissione recursus	EXITUS cum rejectione recursus
1850	Restitutionis in integrum.	2	3	»	»	1	1	3
	Recusationis judicis.	»	»	»	»	»	»	»
	Nullitatis et competentiae.	2	5	7	18	4	10	24
	Unionis.	1	2	»	4	»	2	4
		5	10	7	22	5	13	31
1851	Restitutionis in integrum.	3	»	»	»	8	3	5
	Recusationis judicis.	»	»	»	»	»	»	»
	Nullitatis et competentiae.	5	8	9	19	1	15	22
	Unionis.	»	3	1	2	»	4	2
		8	11	10	21	9	22	29
1852	Restitutionis in integrum.	2	»	»	»	7	3	4
	Recusationis judicis.	»	»	»	»	»	»	»
	Nullitatis et competentiae.	2	7	11	29	2	21	28
	Unionis.	»	1	»	2	»	1	2
		4	8	11	31	9	25	34
1853	Restitutionis in integrum.	4	»	»	»	3	1	2
	Recusationis judicis.	4	1	»	»	1	1	1
	Nullitatis et competentiae.	8	3	8	18	3	14	18
	Unionis.	2	3	»	2	1	4	2
		18	7	8	20	8	20	23
1854	Restitutionis in integrum.	3	»	»	»	3	1	2
	Recusationis judicis.	»	»	»	»	1	1	»
	Nullitatis et competentiae.	9	4	7	18	»	11	18
	Unionis.	1	2	»	3	1	4	2
		13	6	7	21	5	17	22

EPILOGUS

CAUSÆ MAJORES

Titulus	Restitutionis in integrum	» 225
	Recusationis judicis . .	» 27
	Nullitatis et competentiae	» 235
	Unionis	» 195
		682
Absolutae	Per renunciationem . .	» 125
	Per moderationem recursus	» 89
	Per primam decisionem	» 260
	Per secundam decisionem	» 59
		533
Exitus	Cum admissione recursus	» 219
	Cum rejectione recursus .	» 314
		533
	Nondum propositae	» 149
		682

CAUSÆ MINORES

Titulus	Restitutionis in integrum	» 95
	Recusationis judicis . .	» 14
	Nullitatis, et competentiae	» 404
	Unionis	» 87
		600
Absolutae	Per renunciationem . .	» 81
	Per decretum Praesulis Auditoris	» 81
	Per decretum Auditoris Praefecturae . . .	» 213
	Per rescriptum S. Tribunalis	» 77
		452
Exitus	Cum admissione recursus	» 183
	Cum rejectione recursus	» 269
		452
	Nondum propositae	» 148
		600

Causae Majores	» 682
Causae Minores	» 600
	1282

Eorum nomina qui hujus collectionis editionem faverunt, juxta morem patrum nostrorum, honoris causa enuntiamus.

Emi et Rmi S. R. E. Cardinales

MARIUS MATTEI

OPERIS PATRONUS

PETRUS MARINI, ROBERTUS ROBERTI,

THEODULPHUS MERTEL

A

Alibrandi Alexius	Primus Cameralis Substitutus degen.	Romae
Angelini Alexius	Advocatus	ibidem
Appolloni Philippus Maria	Procurator	ibidem
Arcangeli Joannes	idem	ibidem

B

Bachettoni Antonius	Advocatus	degen. Romae
BARTOLINI PRÆSUL DOMINICUS	Auditor et a Secretis Supremi Trib. Signaturae Justitiae	ibidem
Belli Bartholomaeus	Procurator	ibidem
Bencivenga Alexander	Advocatus	ibidem
Benni Ubaldus		Forosempronii
Bevilacqua Robertus	Advocatus	Romae
Biamonti Aloisius	idem	ibidem
Bianchedi Dominicus	Procurator	Forolivii
BISCONTI PRÆSUL PHILIPPUS	Vicarius Generalis Curiae Episcopalis Viterbii	Viterbii
Bonafede Comes Pius	Advoc., et Status Consultor	Romae
Bondi Petrus	Advocatus	Forolivii
Bonoli Joseph	Procurator	Romae
Borgassi Carolus	idem	Viterbii
Borghi Franciscus Xaverius	Procurator Collegii	Romae
Boschetti Petti Franciscus	idem	ibidem
Bossi Pius	Procurator	ibidem
Brugo Joannes	Advocatus	ibidem

Bruni Philippus	Advocatus	degen. Romae
Buglioni Raphael	Procurator	ibidem
Bussolini Alexander	idem	ibidem

C

Calisti Petrus	Procurator	degen. Anconae
Camerali Carolus	idem	Romae
Caranciui Franciscus	idem	idem
Carboni Arduinus	idem	Phrusinone
Carnevali Henricus	idem	Romae
Cassini Franciscus	idem	ibidem
Cataldi Augustus	Advocatus	ibidem
Catelli Joseph	Procurator	ibidem
Catini Xaverius	idem	ibidem
Ceas Joannes Baptista	Advocatus	ibidem
Cecchini Nicolaus	Procurator	ibidem
Cerasi Franciscus	Advocatus	ibidem
Cerica Vincentius	Procurator	ibidem
Ciabatta Philippus	Advocatus	ibidem
Ciampoli Philippus	Procurator	ibidem
CIUFFA PRÆSUL LEANDER	Praeses Tribunalis Civilis Urbis	ibidem
Coari Septimius	Advocatus	ibidem
CONSOLINI PRÆSUL DOMINICUS	Pro-Praeses Consilii Status	ibidem

D

De-Dominicis Antonius	Advocatus	degen. Romae
De-Donatis Clemens	Procurator	Ibidem
De-Sanctis Pontianus	Procurator Collegii	Ibidem
Des Jardins Felix Maria	Advocatus	ibidem
Dionisi Olympiades	Advoc., et juris criminalis in Archigymnasio Romano Professor	ibidem
Duranti Valentini Dominicus	Advocatus	ibidem

E

Ercoli Antonius	Procurator	degen. Romae

F

Fabbi Antonius	Procurator	degen. Romae
Fantozzi Hercules	Advocatus	Forolivli
Feoli Raphael	idem	Anconae
FERLISI PRÆSUL MELCHIADES	Antiochiae Patriarcha	Romae
Ferrantini Benedictus	Procurator	ibidem
FERRARI PRÆSUL JOSEPH	Generalis Ærarii Praefectus	ibidem
FIORANI PRÆSUL ALOYSIUS	Signaturae Justitiae Votans	ibidem
Fortuna Petrus	Procurator	Phrusinone
Franchi Alexander	idem	Romae
FRANCHI PRÆSUL JOSEPH	Pro-Praeses Tribunalis Criminalis Urbis	ibidem
Fraschetti Adrianus	Procurator	ibidem

Frassinelli Petrus	Advocatus et sub-decanus Generalis Procurationis pauperum reorum	degen. Romae
Fratini Alexander	Procurator	ibidem

G

Galassi Camillus	Procurator	degen. Romae
GALLO PRÆSUL JACOBUS	Signaturae Justitiae Votans	ibidem
Ganttieri Hyppolitus	Advocatus	ibidem
Gavini Camillus	Procurator	ibidem
Giovenale Benedictus	Advocatus	ibidem
Gisci Andreas	Procurator	ibidem.
Gizzarelli Aloisius	idem	ibidem
Goretti Joannes	idem	Sutrii
Guerra Antonius	idem	Romae

I

JANNI PRÆSUL JOANNES	SANCTISSIMI Auditor	degen. Romae
Jermini Julius	Procurator	Urbeveteri

K

Kibel Aloisius	Procurator	degen. Romae

L

Lauri Antonius	Advocatus, et tribunalis civilis Urbis Auditor	degen. Romae
Lelmi Joseph	Procurator	Perusiae
Lenzi Ferdinandus	idem	Romae
LIPPI PRÆSUL CÆSAR	Supremi Tribunalis Signaturae Justitiae Decanus	ibidem
Lanfornini Dominicus	Judiciarius in criminibus inquirendis instructor	Spoleti
Luchini Angelus	Procurator Collegii	Romae
Lulani Vincentius	Procurator	ibidem
Lunati Joseph	Advocatus	ibidem
Lupi Thomas	idem	ibidem

M

Manassei Remigius	Procurator	degen. Romae
Mandolesi Petrus	idem	ibidem
Marchetti Petrus Aloisius	idem	ibidem
Marini Cyrus	idem	ibidem
Marsigliani Alexander	Advoc., et Fisci Procurator	Phrusinone
Mascalchi Matthias	Advocatus	Romae
Matozzi Bernardinus	Procurator	ibidem
Matteucci Felix	idem	ibidem
Micheletti Salvator	Advocatus	Perusiae
MIGNANELLI PRÆSUL HORATIUS	Supremi Tribunalis Sac. Consultationis Ponens	Romae

MONTANI PRÆSUL ALEXANDER	Supremi Tribunalis Signaturae Justitiae Votans	degen. Romae
Morgante Aloisius	Procurator	ibidem
MUTI GABRIELLI PRÆSUL ASCANIUS	Signaturae Justitiae Referendarius	ibidem

N

Napoli eques Aloisius	Interioris Ministerii Status Ponens	degen. Romae
Narducci Hyacinthus	Procurator	Phrusinone
Nicolò Aloisius	idem	Romae
Nori Joannes Baptista	Advocatus	Caesenae
Nuvoli Joannes Balthassar	Procurator	Romae

O

Oddi Vincentius	Procurator	degen. Viterbii
Olivieri Vincentius	Advocatus	Romae
Onorati Octavius	Procurator	ibidem

P

PACCA PRÆSUL BARTHOLOMÆUS	Magister Cubiculariorum Summi Pontificis	degen. Romae
PACCINELLI PRÆSUL SALVATOR	Signaturae Justitiae sub-Decanus	ibidem
Pagnoncelli Praeses Antonius	R. C. A. Commissarius	ibidem
Pagnoncelli Augustinus	Procurator	ibidem
Palatta Philippus	idem	ibidem
Pallotta Joseph	idem	Urbeveteri
Paolini Cajetanus	Advocatus	Romae
PELLEGRINI PRÆSUL ANTONIUS	Tribunalis R. C. A. Ponens	ibidem
Pennacchietti Angelus	Procurator	ibidem
Petrucci Joannes	idem	Caesenae
Piccirilli Bernardus	idem	Romae
PIETROSANTI PRÆSUL ERASMUS	Delegatus Apostolicus Camerini	Camerini
Piermattei Antonius	Procurator	Romae
Pistoni Joseph	idem	ibidem
Pizzi Lodovicus	Advocatus	ibidem
Polidori Polydorus	Procurator	Urbeveteri
Pomponi Joseph	idem	Romae
PROSPERI BUZI PRÆSUL CÆSAR	Supremi Tribunalis Sac. Consultationis Ponens	ibidem
Patrizi Dominicus	Advocatus	ibidem
Pasqualoni eques Augustinus	Advoc., et Assessor Generalis Politiae Adjunctus	ibidem

R

Ricci Thomas	Procurator	degen. Romae
Rossi Petrus	Advoc. et Praefecturae Supremi Trib. Signat. Justitiae Auditor	ibidem
Rossi Raphael	Advocatus	ibidem

Roverati Attilius	Procurator	degen. Bouoniae
Ruggeri Pellegrini Joannes Baptista	idem	Romae
RUGGERI PRÆSUL CAMILLUS	Delegatus Apostolicus Reatis	Reate

S

SAGRETTI PRÆSUL SALVUS MARIA	Supremi Trib. Sacr. Consultationis Praeses	degen. Romae
Sajani Zauli Joannes	Procurator	Forolivii
Salini Philippus Maria	Procurator Collegii	Romae
Saragoni Hyacinthus	Procurator	ibidem
Saraiva Achilles	idem	ibidem
Sarmiento Carolus	idem	ibidem
Sciarra Antonius	Procurator Collegii	ibidem
Scifoni Vincentius	Procurator	ibidem
Segreti Rynaldus	Advocatus	ibidem
Sellini Cajetanus	Procurator	ibidem
Serafini Aloisius	idem	ibidem
Sestili Joannes	idem	ibidem
Simeoni Andreas	idem	Phrusinone
Sironi Achilles	idem	Romae
Spinetti Achilles	Advocatus	ibidem
Spada Alexander	Advocatus	ibidem

T

Teodorani Pius	Advocatus	degen. Caesenae
Teoli Philippus	Procurator	Romae
Tiraterra Petrus	Advocatus	Viterbii
Tirelli Severiuus	Procurator	Romae
Tomassetti Franciscus	Advocatus	ibidem
Tosi Henricus	Procurator	ibidem
Tritoni Achilles	Advocatus	ibidem
Tuccimei Christophorus	Procurator	ibidem

U

Ugolini Joannes Baptista	Procurator	degen. Romae
Ugollucci Orestes	idem	ibidem

V

Valdambriui Petrus Paulus	Procurator	degen. Romae
Vannozzi Cajetanus	idem	ibidem
Vaselli Antonius	Procurator Collegii	ibidem
Vaselli Joseph	Idem	ibidem
Veggiani Petrus	Procurator	Forolivii
Velli Vincentius	idem	Romae
Villa Stephanus	idem	Forolivii

Z

ZUPO PRÆSUL NICOLAUS	Signaturae Justitiae Referendarius	degen. Romae

TYPI EMENDATIONES

ERRATA	Dec.	Paragr.	Lin.	CORRIGE
PATRIARCALIS (*in tit. litt. dedic.*)	»	»	5	PATRIARCHALIS
adspectu	1	8	12	aspectu
comuni placito	2	1	2	communi placito
sarcta tecta mansit	id.	id.	9	sarta tecta mansit
Gentilisque	id.	3	1	Gentiliique
superius sunt	id.	4	5	superant
summarissimi.	3	4	3 et alib.	summariissimi
leg. . . §. 4 ff.	id.	id.	9	leg. 1. § 4 ff.
pascuum	id.	5	1	pascuorum
indole	id.	id.	2	indoles
summarissimum	id.	6	1 et alib.	summariissimum
sommarissimo	id.	id.	7 et alib.	*sommariissimo*
mentiendam	id.	7	3	metiendam
consonant *Scaccia etc. lim.* .	id.	id.	4	consonat *Scaccia etc. lib.*
practoris	id.	id.	6	praetoriis
Contingit ut eum Ramponius vadavit	5	1	4	Contigit ut eum Ramponius vadatus fuerit
jurisdictionis	id.	2	1	jurisdictionem
instetit	id.	4	11 et alib.	instituit
vadatum	id.	id.	16	citatum
conquerere.	id.	Id.	18	conqueri
authumabat	id.	6	2	autumabat
umquam	id.	id.	6 et alib.	unquam
et si unius sententiae vires .	id.	id.	7	etsi unius sententiae prolatione, vires
ombusitare	id.	7	8	ombussitare
incaepti	id.	8	4 et alib.	incepti
injusta resjudicata	id.	id.	5	injustam remjudicatam
uumquam	id.	9	4 et alib.	nunquam
dominin	6	1	3	dominium
obul.	id.	id.	5 et alib.	obol.
posita	id.	2	6	positae
incursu	id.	7	1	incursus
utrumque	id.	id.	6	utrique
redditus	Id.	11	3 et alib.	reditus
redditum	id.	id.	13 et alib.	reditum
mentique suae adsereret, quod	7	1	6	mentique suae adsereret id quod
certam argentenrum . . .	7	2	5	summam certam argenteorum
dum ad conspicuam triginta millium	id.	3	2	dum ad conspicuam quantitatem triginta millium

ERRATA	Dec.	Paragr.	Lin.	CORRIGE
novit Pancaldius, centumnonaginta quinque millium	id.	id.	3	novit Pancaldius, ex summa centumnonaginta quinque millium
omnimodam	id.	5	8	omnimode
quereretur	id.	7	6	quaereretur
ex	id.	id.	8	et
transactionem	id.	id.	14	transactio
eam	id.	9	4	in eam
consentanea	8	1	18	consentaneam
Roma	id.	4	22	Romae
abatibus	id.	id.	23	abbatibus
hoc	id.	6	18	hac
duo	9	1	4	duae
familiae	id.	id.	7	familia
vadarunt	id.	2	2 et alib.	vadati sunt
aeconomo	id.	id.	12	oeconomo
vagare	id.	3	14	vagari
avente	10	3	3	*aventi*
provista	11	1	6	*provvista*
quaerelam	id.	2	3 et alib.	querelam
illuc	id.	4	3	illic
utrum	id.	id.	8	utrumque
quaerela	id.	id.	16 et alib.	querela
a sprtae alterius	id.	5	8	a spreta observantia alterius
lacessibatur	id.	6	7	lacessebatur
dirimendas	id.	id.	12	redimendas
ex ea notula quae	id.	7	4	ex ea notula quae indigitabat quae
Giraldi	12	1	1	Giraldini
in § 1353.	id.	9	3	in §. 1355
faerat	id.	10	11	fuerat
Bruno	id.	11	4	Brunio
summarissimo	13	2	8 et alib.	summariissimo
quacumque	id.	7	21	quamcumque
aeconomice	id.	12	10	oeeconomice
aeconomica	id.	13	2	oeconomica
exceptione	id.	id.	17	exceptio
ut	id.	14	7	uti
nei	id.	15	6	*negli*
impuleverunt	14	2	16	impulerunt
comprehensae	id.	6	8	comprehensas
ipsarum	id.	id.	20	ipsorum
Guidum	15	1	2	Guidonem
inditium	id.	8	2	indicium
fuisse	id.	10	4	fuisset
causa utpote gravissima	15	10	6	causam utpote gravissimam
legatorum	17	1	4	legatum
respexisset	id.	2	21	respexisent
quinceutum	18	2	9 et alib.	quingentum
incobatum	id.	id.	14	inchoatum

ERRATA	Dec.	Paragr.	Lin.	CORRIGE
vagasse	id.	3	4	vagatam fuisse
autbumabant	id.	4	4	autumabant
adnototis	id.	id.	18	annotatis
pendere	id.	5	1	pondere
semplicissimum	19	3	2	simplicissimum
viterbiensem	id.	id.	4	viterbiense
alibi	id.	id.	11 et alib.	alio
incomodum	id.	12	15	incommodum
insteterit. Hac	id.	14	2	institerit. Haec
indipendenter	id.	id.	5	independenter
proecderetur	id.	15	13	procederent
judicem	id.	id.	15	judex
fattigli	20	1	17	*fattile*
manxisse	id.	4	18	mansisse
adn.	id.	id.	22	*ann.*
Picoeno	21	1	2 et alib.	Piceno
litteras	id.	id.	3	litteris
apocam	id.	id.	5 et alib.	apocham
octuaginta	id.	id.	10 et alib.	octoginta
perficissent	id.	id.	17	perfecissent
littorem	id.	id.	id.	lictorem
subiicere	id.	2	4	subjacere
denuncem	id.	3	12	decuncem
derivantem	id.	5	4	derivans
fructos	id.	id.	6	fructus
rimborzo	22	3	4	*rimborso*
interventum fuisset decretum	id.	5	3	interventus fuisset decretus
multaudusque	id.	7	4	mulctandusque
quae	id.	8	6	quod
haud poterat	id.	id.	10	haud fieri poterat
Morellium	id.	9	7	Morellii
caeptum	id.	10	5 et alib.	coeptum
riservari	id.	11	3	reservari
tabacii	23	1	3	tabaci
socii	id.	2	5	sociis
altera	id.	3	3	alteram
adscripsisse	id.	id.	11	adscripsisset
prattica	id.	8	9	*pratica*
extinserat	24	1	6	extinxerat
dividentis	id.	id.	10	divenditis
iucohavit	id.	2	7	inchoavit
in aeqne	id.	4	18	in eaque
assentem	24	7	6	absentem
ejusdemque	id.	8	12	ejusdemque notitiam
coucedebatur	id.	id.	13	concedatur
sactum tectumque	id.	id.	15	sartum toctumque
Bedinius	id.	9	13	Bedinium
receusere	id.	10	6	recensuere
diei 18	id.	id.	7	diei 8

ERRATA	Dec.	Paragr.	Lin.	CORRIGE
splendior	id.	11	2	splendidior
pecuniarium iis	id.	id.	9	pecuniarium ii
nullas valeat	id.	id.	9	nullas valent
duo . . . (in argum.) . . .	25	»	1	*duae*
suppellectile	id.	1	6	supellectile
illuc etiam	id.	4	10	illud etiam
vadatus fuerit	id.	id.	12	citatus fuerit
Thaeresia caepit	27	1	4	Theresia coepit
phisici	id.	id.	6	physici
decernant	id.	2	7	decernunt
esse	id.	id.	13	esset
abscendendum	id.	4	9	abscedendum
paenas	id.	5	8	poenas
legittima	id.	6	5 et alib.	legitima
rejudicatae	id.	id.	6	reijudicatae
adigi lex jubet	id.	7	8	adigitur legis jussu
debeantur	id.	id.	20	debentur
onesta	id.	12	10	honesta
coeva	28	1	2 et alib.	coaeva
tanto	29	id.	6	tanta
comodior	id.	id.	8	commodior
vadarunt	id.	id.	12 et alib.	vadati sunt
repetendam	id.	id.	14	rependendam
numquam seprbesentatis . .	id.	id.	15	nunquam repraesentatis
Nutialo	id.	3	3	Nuptiale
experiretur	id.	5	25	experirentur
custodisse	30	2	15	custodiisse
che non le sia piaciuto . . .	id.	9	2	*che non sia ad essi piaciuta*
vix contestata est.... (in argum.)	31	»	2	*vix contestata dici poterat*
paraeciam	id.	1	9 et alib.	paroeciam
instetisset	id.	2	8 et alib.	institisset
avocozione	id.	4	3	*avocazione*
paraeciae	id.	5	12	paroeciae
caepisset	32	1	7	coepisset
quoad Corradori	id.	2	5	quod Corradori
antequam lis contestaretur .	id.	id.	7 et alib.	antequam litem partes contestarentur
incaeptus	id.	3	4	inceptus
Benedectinae	id.	4	2	Benedictinae
prosequeretur	id.	5	3	prosequerentur
lis contestata fuit	id.	id.	5 et alib.	litem contestati ipsi fuerunt
creditores superfuerunt . .	id.	8	6	creditores superfuerint
guberni	33	1	12	gubernii
siglas	id.	3	15	sigla
sed minime persequi . . .	id.	9	5	sed minime urgeri
apocae	34	1	6	apocbae
caepit	id.	id.	9	coepit
Contestata lis fuit	id.	id.	11	Contestata lite
incumbuerunt igitur . . .	id.	3	2	incubuerunt igitur

ERRATA	*Dec.*	*Paragr.*	*Lin.*	CORRIGE
ex allatis legibus exordiri posse	id.	4	5	ex allatis legibus marchionem axordiri posse
praemebantur	id.	5	2	premebantur
praetium	id.	6	4 et alib.	pretium
videntur singulos	id.	id.	8	videntur singuli
canal	35	1	5	canalis
parrochus	id.	2	1	parochus
sed quam res non esset . .	id.	4	3	sed quum res non esset
de aquae cursu non diviando	id.	6	15	de aquae cursu non deviando
incaepta	id.	7	8	incepta
Circumscriptionis... (*in tit.*) .	36	»	2	Circumscriptionis
forolivensi	id.	1	1	foroliviensi
ubi contestata lis fuit . . .	id.	3	3	ubi contestati litem fuerunt
Camajonis	37	3	9	Camajoniis
confugebat	id.	4	2	confugiebat
publibis	39	1	1	publicis
jurisdictione eum	id.	3	8	jurisdictione in eum
Cartonii	id.	4	6	Cartonius
perpenderunt	id.	id.	8	Patres perpenderunt
antinomya	id.	id.	23 et alib.	antinomia
sentiit	id.	5	7	sensit
obvium.	id.	7	1	ovium
agriculturam	id.	id.	15	agricultura
legittimus... (in argum.) . . .	40	»	2 et alib.	*legitimus*
aeconomico	id.	1	7	oeconomico
contestata lis fuerit . . .	id.	4	3	contestati litem ipsi fuerint
incaepto	id.	id.	5	incepto
legittimis	id.	6	3	legitimis
fratem	41	1	3	fratrem
incaeptum	id.	3	7	inceptum
lis coram judice semel introducta	id.	id.	id.	litem coram judice semel introductam
instetere	42	2	9	institere
agitur	id.	4	2	agitur
vadare	43	1	17	vadari
dubblici	id.	2	12	*pubblici*
contravenuto	id.	3	3	*controvvenuto*
conquerere	id.	5	1	conqueri
et litis.	44	2	4	et litis consortibus.
incoepti	45	4	4	incepti
in leg. 29 *Cod. de distrac. pign. a creditori majori quam ei debentur*	id. / 45	6	9 / 10	*in leg.* 20 *Cod. de distrac. pign. a creditore majori quam ei debebatur*
Pionatti	id.	8	2	*Pianetti*
pecuniam scutor. 290, 27 .	46	1	6 et alib.	pecuniam scutor. 290, 17
cosicchè il farlo	id.	2	9	*cosicchè il farle*
quod exequi statim debet . .	id.	3	4	quod in executionem mitti statim debet
unam scut. 106	47	3	5	unam scut. 156
contrahentes	id.	4	9	contrahentibus

ERRATA	Dec.	Paragr.	Lin.	CORRIGE
ut bona eadem distrabi et removendi ne deberent	id.	5	7	ut bona eadem distrabi nequirent, et ipsi removeri ne deberent
eique	48	2	4	ibique
alios	id.	8	9	actus
coeterisque	id.	id.	11	ceterique
muliere	id.	9	6	mulieres
demo	50	2	15	demum
judiciis	id.	id.	20	judicis
juxta leg. Sciendum, *leg.* ex causa, *leg.* cum ff. *de aedit. act.*	50	6	5	*juxta leg.* Sciendum, *leg.* 38 § Causa, *leg.* Quum *de aedilicio edict.*
vadatus non fuisset	51	2	21	citatus non fuisset
debitori	id.	4	9	debitore
qui vadatus non fuerit	id.	3	1	qui citatus non fuerit
coram quibus lis contestata fuerit	52	2	14	coram quibus litem partes contestatae fuerint
incaeptum	id.	id.	17	inceptum
Quae resjudicata	53	1	10	Quam remjudicatam
authumavisset	id.	id.	11	autumavisset
vim	id.	3	9	viam
rejudicatae	id.	8	10	*reijudicatae*
monacis	id.	15	5	monachis
etiam a meliori cultura eosdem	54	1	6	num etiam procul a meliori cultura licuissetagros eosdem
anonymi	id.	2	15	anonimi
trasportandum	id.	6	8	transportandum
obstenderit	id.	id.	14	ostenderit
transferri	55	2	8	tranferre
venerant	id.	3	10	venerunt
paenam	id.	4	8	poenam
ut cohiberet ab elargitione	id.	id.	10	ut cohiberet elargitionem
jure comuni	56	3	12 et alib.	jure communi
summarum	57	4	7	summarium
tutrinam	id.	6	4	trutinam
tresdecim	58	1	2	tredecim
lis haec contestaretur	id.	3	13	litem hanc contestaretur
processu	59	4	10	ex processu
ineuda	id.	6	5	ineunda
et quum contractus adstipulatus fuerat	60	1	5	et quum contractus initus fuerat
instantiam amplecti	id.	id.	8	instantiam admissam iri
eam negotiandi	60	2	8	ea negotiandi
ne eadem pecuniae mensura	id.	id.	10	ne eamdem pecuniae mensuram
Picoenos	61	1	1	Picenos
hearedes	id.	3	9	heredes
ad epocam	id.	id.	19 et alib.	*ad epocham*
sussitenti	id.	6	7	*sussistenti*
compraehensa	62	2	2	comprehensa

ERRATA	Dec.	Paragr.	Lin.	CORRIGE
et legere est	id.	3	5	ut legere est
etemim	id.	6	3	etenim
edisserunt	id.	9	4	dixerunt
incaepto opere	63	2	4	incepto opere
juxtam	id.	8	9	justam
incoepta	64	2	17	incepta
sedum	id.	5	7	sedium
cohaeret	65	1	15	cohaereret
comune erat	id.	3	3	commune erat
il Mandirola	66	3	5	*il Mandiroli*
debeat	70	8	25	debebat
pontificia	id.	id.	26	pontificiis
usufructum et si sic resolubilis	76	6	10	usumfructum, etsi sit ita resolubilis
ex art. 805	82	4	17	*ex art.* 802
14 Januarii 1846 (*in tit. decis.*)	99	»	3 et alib.	14 Januarii 1847
jure hypothecario 109		10	4	ab jure hypotecario
prout lex monet 22 §. 2 *ff. de neg. gest.* 120		5	7	prout lex monet 21 ff. *de neg. gest.*
§. 758 127		6	6	§. 748
testium revelatione 131		4	4	testium relevatione
ex praedictae revelationis defectu	id.	id.	6	ex praedictae relevationis defectu
exceptionum 157		5	11	exceptionem
§. 223 158		7	8	§. 1123
generalis directe 160		8	5	generalis directa
in judicioi 162		4	2	in judicio
§. 209 legis disciplinaris diei 7 Decembris	id.	id.	6	§. 259 legis disciplinaris diei 17 Decembris
in conductionem domus ..... (in argum.) 169		»	1	*in conductione domus*
segula 171		7	13	regula
se non potessero esservi . . . 174		7	6	*come se non potessero esservi*
sequestre 178		3	9	sequestro
omittat 180		4	16	amittat
censuram §§. 462 192		2	20	censuram §. 452
dominii 194		4	6	domini
secularia 195		3	10	secularis
URBEVETANA .... (*in tit. decis.*) . 196		»	2	URBSVETANA
in §. 1639 197		5	3	in §. 1659
in §. 1017 200		4	3	in §. 1047
ad §§. 857 et 1055 201		8	3	ad §§ 157 et 1051
in §. 163 206		3	5	in §. 463
abest posset 220		5	1	videri posset
3 octobris 235		5	2	31 octobris
diei 5 novembris 254		3	7	diei 31 octobris